
Codicem



Lorenzo Zonchi

Lo

DECURIÆ

ANNORUM SECUNDÆ
MISCELLANEORUM
MEDICO-PHYSICORUM

Sive

EPHEMERIDUM
GERMANICARUM
ANNUS QUARTUS.


COLLEGIUM
ACADEMIAE
NATURAE
CURIOSORUM
L
NUN QUAM OTI OSUS
EPHEMERID. GERM.
MEDICO-PHYSICAR.
RUM
ANIMALIA.
MINERAL.
VEGETAB.
ANATOM.
CHYMIA.
BOTANICA
DEC. II.
ANNUS IIII.
GERMANIA
Vienna
Mora via.
Bohe mia
Suevia
Vratis lavia
Misnia
Fran conia

MISCELLANEA CURIOSA
SIVE
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM
ACADEMIÆ
NATURÆ CURIOSORUM
DECURIÆ II.
ANNUS QUARTUS,
Anni M. DC. LXXXV.

Continens

Celeberrimorum Virorum,

Tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra Eam

OBSERVATIONES

MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,

Nec non

MATHEMATICAS.

Cum

APPENDICE.

NORIMBERGÆ,
Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI.
Anno M DC LXXXVI.

POTENTISSIMO
Atque
INVICTISSIMO
IMPERATORI
LEOPOLDO,
SEMPER AUGUSTO,
PIO, JUSTO, FELICI;
ROMANORUM, GERMANIÆ,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ & SCLAVONIÆ
REGI,
ARCHIDUCI AUSTRIÆ
&c. &c. &c.

Annuum hoc Tributum
devotissimè offerunt
cum humillimo Voto,

Annis succedant Anni, justisq; Triumphi
Armis Cæsareis, Augustis Gloria sceptris.



L egibus immunes bene P actum frangere fœdu S
E t fines , nulla jur I s formidine , ferr O
O dryſii proferre par E nt ſine fine : Tribuna L
P ro magnis parvis que T enet Regnator in aul A
O mnituens ingente, not A tque , bonisque levame N
L ætitiamque ; malis au T em mala tempore juſt O
D ividit ac tandem miſ E ros ad Tartara trudi T.
U lciſci omne nefas Ne M eſis ſolet alite pœn A,
S uppliciive moram penſ A t gravitate ſuperſtan S.
I nde ſuum, LEOPOLDE, fe R ox Tibi cedere Thrac E
M aumethem videt, & tris T atur , inopsque precatu R
P oplite lunato pac E m : ſimul aurea mund O
E xſultant toto jam ſe C la , poliqúe reſultan T,
R auciſonaque boant L atè vaga litora voc E,
A uguſtumque ſonant ſ A cro pro nomine magnu M.
T e tegat è cœlo ſup R emum robore Nume N
O bfirmetque ſuo! Sed n V nc has conſpice grat A
R es tenues cura. Phyſi S ipſa procatur & ora T.

Sic vovent ſubjectiſſimi

Academici Curioſi Naturæ.

EMINEN-



EMINENTISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

MAXIMILIANO HENRICO,

Archi-Episcopo Coloniensi, S. R. I. Principi Electori, per Italiam Archi-Cancellario, S. Sedis Apostolicæ Legato Nato, Episcopo ac Principi Monasteriensi, Leodiensi, & Hildesiensi, Administratori Berchtesgadensi, utriusque Bavariæ, Superioris Palatinatûs, Westphaliæ, Angariæ, & Bullionii Duci, Comiti Palatino Rheni, Landgravio Leuchtenbergensi, Burggravio Strombergensi, Marchioni Franchimontensi, Comiti Lossensi, & Hornensi, Domino Borckeloënsi &c.

Domino & Principi Electori nostro Clementissimo.

EMINENTISSIME AC SERENISSIME

PRINCEPS ELECTOR,

Domine Clementissime.



MIrabilia in vasto Macrocosmi ambitu Thaumaturgi Numinis opera deprædicare, inexhaustos Naturæ thesauros eruere, & salutarem medendi morta-

lium infirmitatibus Artem, quantum humanis concessum est viribus, perficere, cum Academia nostra scopum sibi posuerit praecipuum, annuum suum denuo publicae luci eapropter hîc exponit laborem, & Serenissimae Vestrae Celsitudinis Eminentissimo sub Nomine splendidiorem erudito orbi sistere, Vestraeque Electorali Clementiae devotissimè offerre annititur. Magnum equidem est quod audemus, non tamen quod Voto nostro nos excidere patiatur. Principi enim haec consecramus, qui sublimi Patrocinio Palladis studia benignissimè fovere ac promovere, qui Ipse blandis almae Naturae amoenitatibus delectari, & curiosô inprimis divinae Pyrotechniae scrutinio, tot magnorum Imperatorum, aliorumque orbis Procerum deliciis, excelsas, Imperiique saluti & subditorum tutelae dicatas curas temperare, Eminentia sua haud indignum arbitratur. Admittat itaque Serenissima Vestra Celsitudo in optatissimam clientelam, ac illustrare Gratiae suae radiis dignetur hanc in Sacro Romano Imperio enatam opellam. Permittat, ut à sua Clementia Academia nostra, vel,

cui

cui ea totam ſe mancipavit, publica utilitas magnum videat incrementum, feliciterque effloreſcat! Nos vero Cœlum pro longiſſima ſalute Serenitatis Veſtræ votis indefeſſi onerabimus, ut quæcunque tanto Principi exoptare unquam liceat, in Eum effundat quam largiſſime!

SERENISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINIS ELECTORALIS

humillimi devotiſſimiq;

PRÆSES & cæteri COLLEGÆ
S. R. I. Academiæ Naturæ
Curioſorum.



CATALOGUS
Excellentissimorum Virorum,

Qui pro augendo Quarto hoc secundæ Ephemeridum Physico-Medicarum Decuriæ Anno, Observationes communicarunt.

1. D. JOH. ACOLUTHUS, *Physicus Uratislaviensis.*
2. D. BERNHARDUS ALBINUS, *P.P. Francofurtensis ad Oderam, Sereniss. Elector. Brandenb. Medicus Ordin.*
3. D. JOHANNES CHRISTOPHORUS BAUTZMANNUS, *Reg. Maj. Sueciæ in Ducatu Bremensi & Verdensi Medicus.*
4. D. DANIEL BSCHERER, *Phys. Noriberg.* Academicus Curiosus.
5. D. PETRUS CHIRAC, *Monspeliensis Medicus*, Academicus Curiosus.
6. D. GABRIEL CLAUDERUS, *Archiater Electoralis & Ducalis Saxonicus*, Academicus Curiosus.
7. D. CHRISTIANUS ERNESTUS CLAUDERUS, *Reipubl. Zvickaviensis Medicus Ordin.*
8. D. ANDREAS CLEYERUS, *Societatis Batavo-Orientalis Proto-Medicus*, Academicus Curiosus.
9. D. DANIEL CRÜGERUS, *Medicus Electoralis & Physicus Colbergensis.*
10. D. JACOB. JOANNES WENCESLAUS DOBRZENSKY de Nigroponte, *Universitatis Pragensis Rector & Professor Extraordinarius.*

11. D. JO-

11. D. JOHANNES DOLÆUS, *Consiliarius & Archiater Hasso-Casselanus*, Academicus Curiosus.

12. Dn. GEORG. CHRISTOPH. EIMMART, *Mathematicus Noribergensis.*

13. D. ANDREAS ERNIUS, *Physicus & P. P. Hanoviensis, & Archiater Nassoviensis.*

14. D. JOH. MICHAEL FEHRIUS, *Consul & Archiater Svinfurtensis*, Acad. Nat. Curios. PRÆSES.

15. D. EBERHARDUS GOCKELIUS, *Archiater Würtembergico-Weilting. Reipubl. Ulmensis Physicus.*

16. D. CHRISTIANUS LUDOVICUS GOCKELIUS, *Physicus Hersbrucco-Noricus.*

17. D. ERNESTUS SIGISMUNDUS GRASSIUS, *Physicus in Jauer Siles.*

18. D. HERMANNUS NICOLAUS GRIMMIUS, *Poliater Niuköpingensis.*

19. D. JOHANNES BENEDICTUS GRÜNDEL, *Incl. Styriæ Statuum Physicus, ac Marpurgi Practicus*, Academicus Curiosus.

20. D. MARTINUS JOHANNES HAESBART, *Medicus Clivensis*, Academicus Curiosus.

21. D. EHRNFRID HAGENDORN, *Archiater Elect. Saxon. & Poliater Gorlizens.* Academicus Curiosus.

22. D. GEORGIUS HANNÆUS, *Practicus Otthiniensis in Dania*, Academicus Curiosus.

23. D. JOHANNES LUDOVICUS HANNEMANNUS, *P. P. Chiloniensis*, Academicus Curiosus.

24. D. JOHANNES JACOBUS HARDERUS, *P. P. Basil. Seren. Princip. Durlacensis Archiater*, Academicus Curiosus.

25. D. PHILIPPUS JACOBUS HARTMANNUS, *Professor Regiomontanus.*

26. D. GEORGIUS HEINTKE, *Physicus Uratislaviensis.*

27. D. BENEDICTUS HERMANNUS, *Physicus Memmingensis.*

28. D. JOH. CHRISTOPHORUS HERTIUS, *Archiater Nassovicus.*

29. D. JOHANNES MAURITIUS HOFFMANNUS, *P. P. Universit. Altorffinæ,* Academicus Curiosus.

30. Dn. GEORGIUS CASP. KIRCHMAJER, *Orator. P. P. in Acad. Wittenberg.* Academicus Curiosus.

31. D. EMANUEL KÖNIG, *Medicus Basileensis*, Academicus Curiosus.

32. D. ADAMUS à LEBENWALD, *Com. Pal. Cæsar. & Incl. Duc: Styriæ Med. Consil.* Academicus Curiosus.

33. D. SAMUEL LEDELIUS, *Physicus Grünbergensis in infer. Siles.* Academicus Curiosus.

34. Dn. ROSINUS LENTILIUS, *Med. Licent. Physicus Nordlingensis*, Academicus Curiosus.

35. D. CHRISTIANUS MENTZELIUS, *Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliar. & Archiater*, Acad. Curiosus.

36. D. JOHANNES THEODORUS MOEREN, *Practicus in Ringavia.*

37. D. JOH. CONRADUS PEYERUS, *Poliater Scaphusanus*, Academicus Curiosus.

38. D. GOTHOFREDUS SAMUEL POLISIUS, *Physicus Francof. ad Viadr. Ordin. & P.P. Extraordin.* Academicus Curiosus.

39. D. SALOMON REISELIUS, *Sereniss. Duc. Würtenberg. Consil. & Archiater Stutgard.* Acad. Curiosus.

40. D. PE-

40. D. PETRUS ROMMELIUS, *Physicus Ulmensis.*

41. Dn. GEORGIUS EBERHARDUS RUMPHIUS, *Ill. Soc. Ind. Or. in Insula Moluccarum Ambona ap. Belgas Senator & Mercator emeritus*, Acad. Curiosus.

42. D. LUCAS SCHRÖCKIUS, Luc. Fil. *Physicus Augustanus, Coll. Med. h. a. Decanus*, Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

43. D. CHRISTOPHORUS SCHRÖDERUS, *Consil. & Archiater Gustroviensis.*

44. D. GOTTOFREDUS SCHULTZIUS, *Physicus Uratislaviensis*, Academicus Curiosus.


45. D. JOH. GEORGIUS SOMMERUS, *Archiater Arnstadio-Schwarzburg.* Acad. Curiosus.

46. Dn. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. Licent. Poliater Francof. ad Mœnum*, Acad. Curiosus.

47. D. JOHANNES GEORGIUS VOLCKAMER, Sen. *Physicus Noribergensis*, Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

48. D. JOHANNES JACOBUS WAGNER, *Poliater Tigurinus.*

49. D. GEORGIUS WOLFGANGUS WEDELIUS, *Archiater Ducalis Saxonicus, in Univers. Jenensi P.P.* Acad. Nat. Cur. Adjunctus.



CATA-





CATALOGUS OBSERVATIONUM.

D. ANDREÆ CLEYERI.

D. SALOMONIS REISELII.

D. GEORG. CASP. KIRCHMAJERI.

D. DANIELIS CRÜGERI.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. SA-

D. SAMUELIS LEDELII.

D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.

D. GOTTOFREDI SCHULTZII.

D. PETRI ROMMELII.

D. EBERHARDI GOCKELII.

D. JACOBI DOBRZENSKY de Nigroponte.

D. EMANUELIS KÖNIG.

D. ANDREÆ ERNII.

D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

D. GOTTOFREDI SAMUELIS POLISII.

D. JOH. THEODORI MOEREN.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

D. HER-

D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. DANIELIS CRÜGERI.

D. SAMUELIS LEDELII.

D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI.

D. ADAMI LEBENWALD.

D. PETRI ROMMELII.

D. SALOMONIS REISELII.

D. BENEDICTI HERMANNI.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

D. ANDREÆ CLEYERI.

D. BERNHARDI ALBINI.

Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

96. De

D. GA-


D. GABRIELIS CLAUDERI.

D. JOH. MAURITII HOFFMANNI.

Dn. ROSINI LENTILII.

D. SAMUELIS LEDELII.

D. RO-



EPHE-



EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM DECURIÆ SECUNDÆ ANNI QUARTI

OBSERVATIO I.

DN. ANDREÆ CLEYERI,

De

Moxa.



AD quæstionem propositam de Moxa Rev. *D. Buschovii*, cujus in *libello de ea conscripto* meminit, an scilicet ipsa sit Artemisia, utpote quæ priùs præparata eandem cum Moxa in urendo vim exserit; vel an hæc illi falsò substituatur? scias 1. præparationi hujus herbæ, Artemisiæ, quæ in lingua Japonica proprio nomine Moxa adpellatur, multum deberi, cùm subinde alius præparationem ejus elegantiùs præ aliis instituat; 2. herbam Japonicam, Moxam, nihil esse aliud quàm Artemisiam; quamvis negare nolim, plures dari herbas, eundem effectum, atque ad urendum commoditatem daturas. Præparatio verò communiter hunc in modum peragitur; Artemisia, & præcipuè, quæ præstant, ejus cymæ in umbra benè exsiccantur, ligneo instrumento vel cylindro conquassantur & manibus tamdiu agitantur, usque dum

 cortex

cortex exterior ſeparetur, ac præter internam lanuginem nihil ſuperſit; quæ dein elegantiùs, pectinis ope, pro lubitu carminari poteſt, ut ex Artemiſia eſſe confectam, vix credere queat, qui ipſi parantem non viderit, aut ſaltem ab eo edoctus haud fuerit.

(Ex literis ad Exc. D. D. Sebaſt. Schefferum A. 1679. d. 20. Novembr. ex Batavia Ind. miſſis.)

Cùm in Itinere meo ad urbem Jedo & Aulam Cæſaream Japanicam plures tanſcendere montes debuiſſem, multas ibi plantas Europæas obſervavi, Moxam quoque ubique conſpexi, ipſis etiam ſcopulis adnaſcentem. Cujus in præparationem adcuratiùs inquirens, nullum aliud diſcrimen offendi, præter quod jam olim indicavi. Lanuginem illam albidiorem & nitidiorem quandoque eſſe, præparationi debetur, majori ſtudio inſtitutæ; qua ratione etiam ſericum, linum, cannabem & lanam non parùm differre ſcimus. Abſinthium eidem huic uſui, ac Artemiſiam, inſervire, non vidi; quamvis Ponticum vel Romanum in hunc finem eligere mallem, quod levitate & ſiccitate præpollens, in montibus arenoſis Japanenſibus plurimum deprehendi; nullibi verò in itinere illo meo vulgare alterum vidi, aut, licet ut obtinerem illud ſollicitus fuerim, impetrare potui.

(Ex literis ad eundem D. D. Schefferum Malaccâ A. 1683. d. 20. Decembr. in reditu à Legatione Japanenſi ſcriptis.)

SCHOLIUM.

DE Moxa etiam, quæ Exc. *D. D. Wedelius* noſter in *Decadis hujus Anno I. obſ. 6.* nec non Nob. *D. Wilhelm. ten Rhyne. in diſſert. de Arthritide* hac de Lanugine diſſeruerunt, legi poterunt. *(L. Schröck, L. F.)*

OBSER-

OBSERVATIO II.
DN. ANDREÆ CLEYERI,
De
Radice Gensingh.

RAdix Gensingh vel Nysi crebro usui inservit populis Asiaticis multæque illi singulares virtutes, inprimis calidum nativum quæ confortant, adscribuntur; unde ad venerem augendam utplurimum in usum ducitur, ideoque etiam tam caro pretio redimitur, quælibet nempe libra in Batavia pro 40. 50. 60. imò 80. Imperialibus. Interea tamen facilè cariem concipit, sicque non diu in vigore permanet, nisi major, sæpius aëri exponendo, cura adhibeatur. Sinæ nullo ferè medicamento in forma decocti utuntur, quod non aliquid istius radicis recipiat; rarò tamen vel nunquam sola per se usurpatur, nisi admodum parva in dosi, ita ut interdum exigua ejus taleola, duorum granorum pondere, ore sumatur, sensimque manducetur. Nimius enim usus non noxius tantùm, sed & mortifer exsistit; sanguinem etenim plus justo accendit; novi quippe venereo amori admodum deditum, qui extractum indè chimicâ arte parare sibi curaverat, ejusdem, spiritui vini permixti, cochleare sæpius hauriens, libidinique tam diu indulgens, ut febre ardente correptus tandem mundo valediceret. Usus ideo radicis hujus est in debilitatis valde corporibus, sed providè usurpanda nec immoderatiùs sumenda. Provenit potissimùm in peninsula Corea, regnum inter Sinicum & Japanicum sita. Apud Japanenses non eo in pretio, quali apud Sinas habetur; illis magis Camphoram Borneensem æstimantibus, cui gens ista eandem, magnamque virtutem adscribit, & omnibus in Decoctis suis adhibet. Utraque autem Natio simplicibus utplurimum utitur, aut non facilè ternarium eorum numerum in mixturis transcendit, eadem cum aqua pauca in parvo tectoque vasculo, ex

lo, ex quo nihil exhalare queat, coquens, & ſucceſſivè ita uſurpans. Radicem hanc nobili Croco comparare ſoleo, qui itidem præſtantiſſimas vires poſſidet, & ipſi iſti Radici præferendus eſt, nec immeritò à nunquam ſatis laudato *Helmontio* ac *Polemanno* tantopere idcirco laudatur; quamvis & idem cautè ſit in uſum trahendus. Veram effigiem decantatæ hujus Radicis, nec non fruticis nobiliſſimi Thée vel Chiæ, ad *Naturæ Curioſos* hac occaſione mittam, cùm utrumque iſtud vegetabile jam viderim, tenerioresque eorum plantas aliquot mecum Bataviam aſportaverim, tentaturus, an ibidem propagari pariter queant. Habui equidem olim Radicis iſtius delineationem, ſed quæ à mea jam obtenta diſcrepat, & cum Rapunculo noſtro figurâ, ut & flore cæruleo coincidit; nec radice etiam multùm differt, ut ferè crediderim, unam eandemque eſſe, & radicem illius decocto Liquiritiæ priùs imprægnatam, ſingulari poſtea dexteritate fuiſſe exſiccatam. Quam verò nunc poſſideo, Trifolii ſpecies eſt; cujus tamen florem videre haud potui.

SCHOLIUM.

RAdicis hujus, ex Corea allatæ, ſub nomine Ninſing meminit Nob. *Ol. Wormius lib. 2. Muſæi cap. 11.* tenuem eam, flavam exteriùs, interiùs verò albam, rugoſam, oblongam, calami ſcriptorii craſſitie, externâ facie Curcumam referentem, ſed quæ colore flavo non tingat, inſipidam ferè, nonnihil tamen amaritudinis, ſi diutiùs maſticetur, habentem, figurâ autem & ſapore ipſo ad Eryngii radicem accedentem, deſcribens; temperatam verò aut in primo gradu calidam pronuncians, cæterùm ab eo, qui attulit, ad venerem excitandam commendatam. *Cl. Joh. Neuhofius* quoque in *deſcriptione regni Sinici cap. 15.*) hujus per totam Sinam celebratiſſimæ radicis mentionem facit, in Jungping regionis Peking, nec non provincia Xanſi (quam & copioſè in peninſula Corea creſcere *cap. 18.* adfirmat,)

adfirmat,) eandem naſci, atque à Japanis Niſi, à Sinis verò Ginſing vocari perhibens, denominatione ſumtâ à figurâ, quæ hominem, Sinis Gin dictum, cruribus divaricatis eleganter repræſentet, noſtræque Mandragoræ, niſi quòd illa multò minor, tam ſimilis ſit, ut Autor non dubitaverit, ob figuræ & virium ſimilitudinem eandem Mandragoræ ſpeciem facere: Exſiccatam porrò flavi coloris eſſe refert, fibris tenuibus præditam, & circumcirca nigris ſubtiliſſimis maculis variegatam, maſticatam cum aliquali amaritie ingratam dulcedinem præ ſe ferre; virtutem præcipuam in augendis ſpiritibus vitalibus conſiſtere, ſi duodecima tantùm unciæ pars ſumatur; in majori autem doſi vires debilitatas admodum reficere, & blando calore corpus perfundere, ita ut interdum in agone jam conſtitutis tantas vires reſtituat, quò morte retardatâ tempus & occaſio eis ſuperſit, ad alia medicamenta adhibenda, ſæpeque priſtinam hinc ſanitatem recuperandam; unde tantum ejus ſit pretium, ut unica ejus libra tribus argenti libris veneat; naturâ tamen calidiores utplurimum vitæ in periculum conjicere. Plantæ, ex radice illa enaſcentis, quam delineationem in *Catalogo rariorum Naturalium & Artificialium Societatis Regalis Anglicæ* Clar. *D. Nehem. Grevv* dederit, *Ephemerides Eruditorum Lipſienſ. Ann. 1682. pag. 3.* monſtrant; exhibere nempe caulem triticei graminis craſſitie, pedis unius altitudine, cum foliis ſimilibus Leucoji lutei ſive Cheiri, qui adhuc complicati rubeſcant, aperti verò conſpiciantur albi, trini ſemper juncti, ex ſex foliolis compoſiti, & formati ferè inſtar Moly flore orbiculato *Bauhini*, non tamen adeo magni. Quæ licet cum Nobil. *D. Cleyeri*, relatione majore ex parte conveniant, diſcrepare tamen in quibusdam non eſt mirum, cùm & ipſi prælaudato Dn. Collegæ delineationem diverſam à verâ illa planta primò obtinere contigerit. Nunquam enim deerunt, qui in exoticorum cognitione nos ſeducent; ſicque fidem noſtram ex aliorum ſæpe infida relatione merisque ſomniis dependere,

tempus ſubinde edocebit. Interea oculato noſtro curioſo teſti primum ſemper deferemus conſenſum; à quo inpoſterum etiam certiora de hoc Vegetabili nos edoctum iri confidimus.

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO III.
DN. ANDREÆ CLEYERI,
De
Catechu.

CAtechu ſuccus eſt ex variis adſtringentibus fructibus expreſſus. Optimus in regno Pegu colligitur; quamvis etiam in Suratta, magno Mogolis imperio, Malabaria, Bengala & Zeilon plurimum ejus conficitur. Magna ejus quantitas per totum Orientem diſtrahitur, & utplurimum omnes inter Pinang cum foliis Betel uſurpatur; cujus ſiquidem uſus valdopere, non ſecus atque Tabaci, paſſim invaluit. Verus fructus & baſis eſt Acacia orientalis, planta Tamarindo admodum ſimilis. Succus ipſe inconvenienter nimis Terra Japanica vocatur, cùm ne minimum ejus ibi proveniat, aut paretur, ſed magnâ copiâ illuc à navibus Maùris & Sinenſibus venalis adportetur, non exiguo cum lucro, Japanenſibus ſimplicia medicamenta magni æſtimantibus & largo pretio redimentibus. Vires tamen ejus, quas aliquas habet, tenui meo judicio hyperbolicè ſatis cæteroquin extolluntur. Optima ejus deſcriptio & veritati magis conſona apud *Garciam ab Horto* legitur.

Confer. *pag. 463. Decad. I. Ephem. noſtrar. Ann. I. obſ. 194. Ann. II. obſerv. 128. 129. 130. 131.*

OBSER-

OBSERVATIO IV.
DN. ANDREÆ CLEYERI,
De
Herba Thee, aliisque.

D.II.A.V.p.224

HErba Thee fruticum generi adſcribenda eſt; qui ipſe in Japania vidi, agrorum frugiferorum limites eodem, copiosè atque ordinatim ubique plantato, diſtingui, quin & integri agri eo inſtructi & exculti mihi ſeſe exhibuerunt conſpiciendi. Eâ quondam in opinione fui, ut impoſſibile judicaverim, Vegetabile hoc in Europa non inveniri; nunc tamen diverſam planè foveo ſententiam, & quòd quævis tellus ſua proferat. Vidi enim in Japania Roſas centifolias colore elegantiſſimas, rubras, purpureas, candidas, in altis arboribus menſe Januario, aêre adhuc frigido, enatas, odore tamen carentes, ut & variorum generum Lilia, fruticibus lignoſis innata, nec non Pæonias flore egregiè plenas, arboreſcentes, quales in Europa nunquam conſpexi. Inſitionis artificium Natio hæc optimè caller, quale quid alibi videre mihi nunquam licuit; ſiquidem Arbuſculas ſummo cum oblectamento, magnis ollis implantatas, vidi, florum viginti, triginta, quin & quadraginta ſpecierum feraces, qui omnes inſitionis artificio illic excreverant; Arbores inſuper, uti Ceraſos, conſpexi, flores ſolùm, foliorum loco, etiam in Februario, frigore adhuc ſæviente, nullum verò fructum ferentes.

(*Ex iisdem Literis.*)

OBSER-

OBSERVATIO V.
DN. ANDREÆ CLEYERI,
De
Fructu Ananas.

FIdem adhibere cogor Incolarum nostrorum relationi de Fructu Ananas, qui à *D. D. Pisone*, *Garzia*, aliisque describitur, & hîc locorum copiosè provenit, calculum nempe ab eo expelli; quamvis cautè cum eo sit procedendum, ne vis ulla inferatur, hominesque periculum vitæ incurrant, si calculus mole excesserit, & in medicamenti usu modus non observetur. Fructum hunc, postquam maturuit, decorticant & tessèlatim incidunt, vitreæque lagenæ Anglicæ probè occlusæ inditum in aheno, aquam continente & supra ignem posito, instar gelatinæ caponis coquunt, ut succus ejus hac ratione exsudet, atque cocturâ corrigatur, cùm crudior ille vim corrosivam contineat. De hoc liquore pro libitu & exigentia aliquid bibitur, qui sapore grato palato placet; prout maturus etiam fructus decorticatus & in oblongas partes dissectus, saleque confricatus, vino Hispanico superinfuso, suavi sapore, non secus ac optima Fraga, se commendat.

OBSERVATIO VI.
DN. ANDREÆ CLEYERI,
De
Cinnamomo & Cassia lignea.

QUalis differentia inter aroma illud nobile, Cinnamomum, & Cassiam ligneam sit, cùm nuper in Epistola sua gratissima Illustr. *Dn. Præses* ex me rescire desideraverit, paucis hac vice indicare libuit; Cinnamomum nimirum nullibi terrarum in toto Orbe nasci, quàm in sola insula Ceylonica, Cassiam verò ligneam in diversis Insulis & regio-

& regionibus Indiæ orientalis; quæ Cassia tamen nec ipsa unius generis est, sed multiplex, quædam etiam Cinnamomo externâ formâ admodum similis; & licet eadem non minùs oleum bonum destillando largiatur, minimè tamen æquiparari illud potest, odore saporisvé suavitate, oleo è Cinnamomo vero prolecto. Eadem ubique ab incolis species Cinnamomi silvestris esse creditur, quod meo judicio polorum diversitati in diversis Insulis potissimùm adscribendum; siquidem in Malabarico tractu, quamvis à Ceylonia non admodum & paucis tantùm gradibus remoto, jam mutatio illa invenitur, ita ut arbores canelliferæ habitu, stirpe & foliis invicem quidem similes deprehendantur, oleo tamen tantopere differant, ut Malabarica Canella neque pro genuino Cinnamomo, neque vera Cassia admitti queat, oleo ejusdem mixturam quasi ex oleo Cinnamomi & oleo Camphoræ referente; cujus usus externus est in arthritide quidem vaga, non verò in podagra confirmata. Camphora ex ejus radice prolecta amœno pollet odore, vulgarem illam longè superans, quæ tamen à gente hac nullo modo censetur Borneensi comparanda.

(Ex præfatis literis.)

SCHOLIUM.

CAssiam ligneam, qualis quidem ad nos deportari solet, non ipsa solùm adcuratior inspectio, cortice tenuiore & glabro in cannulas minores convoluto, sed odor etiam, languidus & nonnihil à Cinnamomi discrepans, nec non sapor exiguæ acredinis particeps, quin & cum subadstringente vi viscíditatem aliquam inter masticandum linguæ exhibens, à Cinnamomo discriminant, cùm hoc crassior cortex exsistat, in ampliores & scabras magis cannulas contractus, odore validiore polleat, acriusculo dulcedini mixto sapore linguam vellicet, & dentibus contritus lignosi quid post se relinquat. Cæterùm de Cinnamomo & Cassia lignea, præter *Garziam ab Horto*, etiam

Phil. Baldæus in histor. Malabar. & Coromand. cap. 50. Joh. Neuhof. descript. regni Sinic. cap. 5. Joh. von der Behr in Itinerar. Orient. Walth. Schulzius lib. 2. Itiner. or. cap. 20. P. Mich. Boym. in Flora Sinica. Tobias Aldinus in horto Farnesiano cap. 4. fol. 63. 64. &c. Henricus van Rheede in horti Malabarici tom. 1. fig. 57. CARVA. Joh. Bapt. Tavernier, Itiner. Ind. l. 2. c. 12. nec non *Ephemeridum nostr. Dec. I. Ann. IV. obs. 130. 202. & Dec. II. Ann. III. obs. 209.* aliique videri poterunt.

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO VII.
D. SALOMONIS REISELII,
De
Autocastratis, & Autoceletomo.

HOs Autolithotomo *Dec. I. Anni III. obs. 192.* producto liceat adjungere. Chirurgus Stutgardiensis expertissimus *Christophorus Völter* nunc p. m. qui post editum A. 1679. *Tractatum de Obstetricum officio* dictum Hebammen-Schul / plurimas Observationes collegit in praxi suâ amplissimâ & felicissimâ in posterum publicari dignas & destinatas, inter eas sequentia habet violentæ sibi ipsi illatæ manus exempla singularia. Hanns Jacob Weber faber lignarius in pago Friehenhausen sibi persuadens, siquidem ex maleficio non semper mente constabat, calculum se gerere in vesica, ambos testiculos sibi amputavit cultro vinitorio, quem alius quidam vir aliàs honestus præteriens per fenestram porrexerat, (quod verò hic omninò negat) hortatus ut calculum sibi eo exscinderet. Ad quem demum post tres septimanas dictus Chirurgus veniens, vulnus priùs ab ipso ægro & domesticis deligatum, fistulosum invenit, restituit tamen, qui aliàs hecticus ægrè usque mortem vixit.

Alius

Alius nimirum Mercator de Reutlinga Imperiali civitate, nomine Hoffstetter A. 1665. in Bavariam profectus, ruri sub horreo cubans, subito terrore & capiendi metu perculsus, fugit à sodalitio per silvas & latebras, triduo jejunans, sitim verò obviis quibusvis aquis sedans, pastorem offendit, ab eoque cultrum poscit, quo abripiens se usque ad trecentos passus sub quercu caligis sepositis penem cum scroto & testibus rescindit, hinc fugiens iterum per quatriduum, Augustam Vindelicorum cruentato indusio transit: unde ab aliis agnitus Reuthlingam deductus & à *Völtero* Chirurgo curatus fuit. Quia verò in frusto virgæ abscissæ digitum adhuc transversum longo, vulnus aliud prope pubem erat, urethram penetrans; per fistulam plumbeam immissam urinâ emissâ, Emplastris convenientibus consolidatum fuit, vixitque aliàs vegetus ille vir & maritus adhuc A. 1681. Abscissum membrum & testiculos pastor unà cum cultro suo invenit, cum de viri facinore anxius & curiosus esset, & inventum obtulit Electoris Bavariæ Archiatro Monacum, qui has balsamo conditas & exsiccatas reliquias Reuthlingam, durante adhuc curâ vulneris misit.

Sed tertium exemplum pro Monstro Curationis adducendum est. Adolescens 25. annorum, Vinitoris filius, prope Eslingam à duodecim annis herniam, capitis magnitudine, occultavit, à bubulco in herniæ sectione curato quæsivit, quomodo liberatus fuerit à suo malo. Quæ observans, ut sibi quoque remedium quæreret, domi solus 10. Maji 1672. sub tecto domus, repressis intestinis, cultro pertundit scrotum. Sed quia is non satis acutus erat, descendit & alium sumsit panarium, cote acuatum, longiori vulnere findit scrotum, eripit testiculum & rescindit, ligationis vel constrictionis immemor, quiescit tandem in lecto. Domestici redeuntes totum cruentatum inveniunt, ejusque causam rogant. Inde Physici *D. Wagner & D. Calisius* cum Chirurgis Juratis *Joh. Jac. Funckio & Carolo Schotto* à Magistratu, cui id relatum fuerat, missi,

 vulnus

vulnus tegunt & cordialia adhibent & prognoſtico relinquunt ægrum, qui vomuerat bilioſa & vermes, & ſanguinem profuderat copioſiſſimum. Sed convaluit præter ſpem, & uxorem duxit, quod vidit ipſe *Völterus*, qui à *Schotto* Chirurgo cultrum iſtum celicidam pro memoria ſervavit.

SCHOLIUM.

COnf. *Zodiacus Med. Gall. Ann. 2. Menſ. Jul. obſ. 7.* ut & *Joh. Hellvvigii obſervatio phyſ. med. 131.*

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO VIII.
DN. GEORG. CASP. KIRCHMAJERI,
De
Volante Lampade nocturna.

QUam in præcedente *Ephemeridum harum Anno pag 44. & ſeqq.* de admiranda lunari Iride dedimus Celeberrimi noſtri *Phosphori II.* obſervationem, uti placuiſſe Eruditis ſcimus, ita nunc alteram ab Eodem in memorata tum Diſſertatione epiſtolica propoſitam, de Volante Lampade nocturna, curioſis naturæ Scrutatoribus ſiſtere volumus.

Anno 1683. Auguſti die $\frac{12}{22}$. paullùm ante veſpert. IX. ſilente Lunâ equidem, ſed cœlo amœniſſimè ſereno improviſa fax, & lampas ſplendida obſtupefecit oculos mortalium, æqualis πανσελήνῳ apparentis magnitudinis, ſuperior fulgore. Pleniùs etenim & clariùs illuminabat Lunâ plenâ aêrem, per quem trajectio fiebat, & cum ædibus plateas. Altitudo loci, qui primò apparuit, ex analogia ſideris majoris Urſæ & Bootis judicari poteſt. Motu progreſſivo lampas ignea à ſeptentrione in occaſum deſcendebat in Jordanem, inſtar globi phyſicè rotundi, ſtridulum alicubi relinquens ſonum. Horizontem nondum ſtrinxe-

ſtrinxerat, cùm fulguris diſſiliens in morem radios cæruleos ignitos latiùs diffunderet. Viſum ſimul eſt mirabile phænomenon in locis ſingulas ad mundi plagas maximoperè à ſe diſtantibus: *Hamburgi*, (horâ mediâ in XI. veſpert.) *Lipſiæ* ac *Wittenbergæ* 4. aut 5. ante nonam, *Jenæ* paulò poſt auditam nonam, memorante Celeberrimo *Weigelio*; ſed longè ſeriùs, ſi quidem omnibus habenda fides, *Francofurti ad Suevum*, *Francofurti* etiam *ad Mœnum*, *Caſſellis*, *Coburgi*, *Islebiæ*, *Numburgi*, *Geræ*, *Altenburgi*, *Dresdæ*, *Budiſſæ Luſatorum*, *Berolini*, *Halberſtadii*, & in *Poloniæ* ac *Marchiæ confinibus*. Quarum urbium & civitatum genius à poli altitudine ſpectatus, juxtaque longitudinem locorum atque latitudinem expenſus, ſi cum teſtimoniis obſervatorum plurium, & collatione graduum cæleſtium cum circulo terreſtri maximo examinetur, calculus teſtabitur, per quot & quanta milliaria phænomenon potuerit videri. Artificibus ἀκρίβειαν hanc calculi relinquimus; ut veram ſimul magnitudinem, ſuppoſitâ per obſervationes factas altitudine, eliciant per inſtrumenta parallactica inprimis. Unumné fuerit phænomenon, an plura? inde diſcimus, quandoquidem parallelíſmus temporis reſpondet & itineris. Nec obſtat per minuta, etiam 30. propter horologiorum fidem ſæpe lubrica varietas. Nec dubitabimus, correctum mathematicè fuiſſe à quibusdam Curioſis tempus. Sapienter ſæpius ad *Rothmannum Tycho Brahe* monuit Epiſt. lib. I *in vicinis quoque Horizontibus diverſam aëris occurrere conſtitutionem.* Pone interim fuiſſe plura; ſequeretur, maximum telluris aërisque tractum per tot ſpatia æqualiter diſpoſitum tum temporis fuiſſe; aliud ut appareret hîc, & alibi locorum meteoron aliud. Quas rationes in propoſito ferè ſimili, labore tamen longè accuratiore & ingenioſiori, Mathematicus Italiæ inſignis urſit ante Annos aliquot, *Dn. Petrus M. Kavina*, *Faventinus*. *Locum generationis*, aut (ſi hic terminus diſpliceat) *conglobationis*, facilè invenient, qui & atmospheræ altitudinem

intelligunt, & distantiam volantis lampadis à centro superficieque terræ per tot loca observatæ metiuntur. Regioni tertiæ assignat meteora hæc *Fromondus* 2. Meteorol. c. 5. *capras, trabes, faces; bolides, dolia, clypeos, stellas discurrentes &c.* quod in universum atque semper haud concedi potest. Quousque aër sensibiliter extendi possit, illud ex initiis crepusculorum & eorum fine, nec non à profunditate Solis infra Horizontem ordinariè determinandum est. Quam in rem subtiles, speculationes contulit *Johannes Pena* in præfatione nobili de usu Opticæ, & varias collegit, nulli à labore inexhausto cedens Teutoni, *Joh. Bapt. Ricciolus* Tom. 1. Almag. N. lib. 8, sect. 1. c. 14. problem. 4. 5. 6. qui ad 24. milliaria Germanica extendit Atmosphæræ altitudinem, & contrahit ad 4. interdum. Aër enim sensibiliter evadit major à temperie calidiori dilatatus in æstate; & constringitur à frigore brumali tempestate, seu reprimitur in arctiora spacia, experimentis Thermoscopiorum. Vapulant ingeniosissimi Philosophi *Keplerus* & *Varenius* à Dn. *de Guericke* lib. 5. spac. Vac. c. 7. cum dimidium is saltem miliare, hic non nisi unicum concedat atmosphæræ: ipso per immensum ferè liberali l. 5. c. 9. Vulgò in tres regiones aërem dispescunt; sed nec accuratè rem, quam explicant, in applicatione probant; nec per omnia conveniunt. Quis nobis hactenus Geometra, aut quis Astronomus demonstrativè confirmavit primò Atmosphæræ altitudinem, diversam in æstate, & per brumam? Quis dimensus excelsissimos in Orbe montes est secundùm perpendiculum? *Veneris* in *agro Patavino*, in *Insula Tenariffa Cenis*, in *interiore Scythia Imaos*, in *superiori Pannonia Carpathicos* à curiosis exploratos scio. Hos adduco in exemplum, quoniam non solùm altitudine excedunt reliqua *Helvetiorum*, *Tyrolensium*, & *Italiæ* insana juga; sed & arduo conatu superati sunt à sedulis observatoribus: h. e. à *Zabarella*, *Comite Digbæo*, *Straussio*, *Frölichio*. Decantatissimi *Germaniæ*, partim propter famam veteris memoriæ, partim propter

pter mineralia, celsissimique montes sunt in *Saxonia inferiori* *Bructerus*, *Germaniæ* umbilicus, quò tendebam Ann. 1663. Augusto mense; mons & pagus à *dono Dei* (aliàs die Gottes-Gabe) dictus, in extremis *Misniæ* ultramontanæ finibus, ad *Vallem Joachimicam*, quâ per præcipitia, in profundissimas *Bohemiæ* subjectas & amœniores valles solet despici; hac viâ transitus patebat Mense Junio adulto Ann. 1675. ad *Thermas Carolinas* mihi invisendas; *Pinifer Voitlandiæ* ingenti tractu claret; cujus regionem & vicina loca Principali jussu atque comitatu diligenter equidem, sed penitiora Ann. 1678. propter paludosas passim scaturigines, & gramine doloso tecta stagna, etiam ex equo explorare non sum ausus; dissuadentibus inprimis accolis & venatoribus conatum. Quæ mihi tamen usu venerint, exponam. In conscendendo *Bructero* jam manè inter nebulas (nam pridie ingens inter fulmina & pluvias tempestas nos *Goslariæ* excepit, quam à virunculo anemoscopo sagacissimus Architas Magdeburgicus, *de Guericke*, cum raris variisque demonstrationibus exhibitis præsagiebat ante per sextiduum) gradu satis lubrico, limoso, madidoque per ambages, haud ita procul *Ilsenburgo* ventum per subjectos colles fuit. Post bihorium (in promptu enim horologium portatile indicavit tempus) invalescens ventus, nebulas attenuans in nubes dissipavit; supra eas aura satis frigida, sed pura & amœna sequebatur. *Wisenthalio* digressus in *Bohemiam* cùm juxta semitam compendiosiore viâ, equitando, montem alterum jam superassem, in alterius pede densam per convalles nebulam offendi, moxque inter turbines ventorum nive copiosâ & conglaciatâ adeo persensi frigefactas manus, ut vix moderandi capax equi ampliùs existerem in summo vertice, (ubi rara æstas, rarior auctumnus) quo *vallis Joachimicæ* despicitur castellum, amœnissimâ fruebar claritate; idq; contigit octiduo ante festũ Johannéum. Judicent, qui à diversitate alterati aëris & meteororum, tempore eodem variorum, partiuntur regiones, in

qua

qua constituti tum fuerimus? diversi scilicet inferioris regionis admittendi gradus sunt, hinc oppidò in ima, sed non in gradu ejus imo hæsimus. Insignis Mathematici, *Davidis Frölichii*, scrutinium inprimis curiosum laudo, & quantumlibet prolixius, adduco, propter rariora quædam observata. *E montibus Hungariæ*, inquit, *primas tenet Carpathus. Horridiora & sublimiora juga, nubes transcendentia, existunt in Comitatu Sepusiensi; ad patriam meam dulcissimam, Cæsareopolim, vulgò* **Keßmarck** *dictam; à qua civitate etiam* **Keßmarcker Gebürge / item das Schneegebürge /** *quòd perpetuis ferè nivibus tegantur; à Slavis Tatrii vel Tarczal, quasi calvi & abrasi montes, nuncupantur. Ego Mense Junio Ann. Chr. 1615. tum adolescens sublimitatem horum montium, cum duobus comitibus Scholaribus, experiri volens, ubi, cùm in prima rupis vertice, magno labore me summum terminum assecutum esse putarem, demum sese obtulit alia, multò altior cautes; ubi per vasta vacillantiaq; saxa (quorum unum si loco à viatore dimovetur, & versus convallem dejicitur aut volvitur, aliquot centena decuplo majora secum rapit, & quidem tanto cum fragore, ut illi metuendum sit, ne totus Mons corruat, eumq; obruat,) enixus essem, iterum alia sublimior prodiit; atq; ita aliquot minores vertices, quorum posteriores semper anteriores altitudine superârunt, per totidem convalles, summo vitæ periculo emetiri coactus sum; donec ad supremum cacumen penetraverim. Ex declivioribus montibus cùm in subjectas valles vastis arboribus consitas prospexissem, nil nisi obscuram noctem, cæruleum quid, instar profundi aëris quod vulgò cælum sudum appellatur, observare potui, mihiq; videbar, si de monte caderem, non in terram, sed rectà in Cælum prolapsurum. Nimiâ enim declivitate species visibiles extenuatæ & hebetatæ fuerunt. Dum verò altiorem montem peterem, quasi intra nebulas densissimas hærebam. His eluctatis, post aliquot horarum intervallum, cùm jam non procul à summo vertice essem, de sublimi quiescens prospexi, atq; animadverti, iis in locis, ubi antea videbar*

debar intra nebulas hæsisse, compactas atq; albas se movere nubes, supra quas, per aliquot milliaria, & ultra terminos Sepusii commodus mihi prospectus patuit. Alias tamen nubes etiam altiores, alias item humiliores, nec non quasdam æqualiter à terra distantes vidi. Atq; hinc tria intellexi; (1) me tum transivisse principium mediæ aëris regionis; (2) distantiam nubium à terra non esse æqualem, sed pro ratione vaporis, alicubi altiorem, alibi humiliorem; (3) distantiam nubium terris proximam longè minorem esse, quàm quidam Physici statuunt; & quidem non 72. milliaria Germanica, sed tantùm dimidium milliare Germanicum. In summum montis verticem cùm pervenissem, adeò tranquillum & subtilem aërem offendi, ut ne pili quidem motum sentirem; cùm tamen in depressioribus montibus ventum vehementem expertus sim. Unde collegi, summum cacumen istius montis Carpathici ad milliare Germanicum, à radicibus suis imis exsurgere, & ad supremam aëris regionem, ad quam venti non ascendunt, pertingere. *Explosi in ea summitate sclopetum, quod non majorem primò sonitum præ se tulit, quàm si tigillum vel bacillum confregissem; post intervallum autem temporis murmur prolixum invaluit, inferioresq; montis partes, convalles & sylvas opplevit. Descendendo per nives annosas intra convalles, cùm iterum sclopetum exonerarem, major & horribilior fragor, quàm ex tormento capacissimo inde exoriebatur: hinc verebar ne totus Mons concussus mecum corrueret: duravitq; hic sonus per semiquadrantem horæ, usq; dum abstrusissimas cavernas penetrasset, ad quas aër undiq; multiplicatus resiliit &c.* Scythiæ immanes montes *Ararat*, in quibus requievit ac subsedit *Arca Noæ*, non sine maximâ difficultate ac molestiâ per plures exantlatâ dies Anno 1670. conscendit Vir curiosus aliàs & pannifex, *Johannes Janzonius Straussius, Amstelodamensis*, & in summo horum culmine accepit testimonium ab Eremita *Domin. Alexandro Romano*, d. 22 Julii; qui, si ad Frölichii exemplum eas obser-

observasset circumstantias, quas maximè desideramus, multa regionum aêris phænomena intelligi faciliùs, feliciusque explicari possent. De Monte *Veneris* in agro *Patavino* verò falsas miscuit hypotheses Aristotelicus *Jacobus Zabarella*; ipse *Aristoteles* non bonâ fide retulit, in *Olympo* monte nullum aëris motum, nullum ventum percipi, & ascendentes montem non continuare posse vitam, nisi spongias humectas aquâ vel aceto plenas secum ferant. Contrarium etenim ab aliis hoc adhuc seculo compertum est, & *Augerius Busbequius* oculatus testis memorat, *Olympum montem in æstate quoq; nivibus oppletum deprehensum esse.* Qui credit facilè, decipitur facilè. Cur in summis maximorum montium culminibus non commodè diuque durent homines, in causa est non aëris defectus, sed materiæ nitrosæ atque respirabilis, ob subtilitatem atmosphæræ summam. Supponamus igitur, (cùm per dimensionem geodæticam in stationibus diversis raro deprehensa nubium altitudo fuerit excedere quadrantem milliaris nostri,) in medio secundæ regionis meteoron igneum hoc magnum generatum, in hanc coivisse molem & ad minimum unius milliaris Germanici distantiâ fuisse elevatum supra terram; demus illi magnitudinem minoris montis, sive templi alicujus, sed figuræ sphæricæ: haud dubitandum est, videri potuisse hoc phænomenon per aliquot Germaniæ provincias. Supponit sollers Mathematicus *Kavina*, magnitudinem Italici unius milliaris adæquasse, altitudinem phænomeni à se descripti 90. milliar. Ital. & visibile per 950. fuisse milliaria, in partibus *Europæ* plurimis, tum *Asiæ* ac *Africæ*.

Tempus generationis & materialem causam nunc spectemus. Mensibus Junio, Julio, & dimidio ferè Augusto graviores tempestates, horribiliora fulmina & tonitrua existere, quem verò clam est? Sol enim magnus Orbis magnes attrahendi vim potentiorem exerit, quò rectiores vibrat radios, & Æquatorem prætervectus, partem borealem etiam aggreditur, videlicet dimidium hunc nostrum orbem citra Æquatorem, nivibus

vibus contectum magis, & refertum nubibus; ut rectè loquitur *Cartesius* Meteorolog.c. 4. n. 7. Particulas sulphureas & nitrosas probant meteora ignea, & tempestates similes. Deinde odor ipsemet sulphureus, qui nares afficit in fulmine urente, ac surgentia indesinenter magno numero effluvia nitrosa comprobant id omne à posteriori & effectu. Resinosæ arbores in vastis sylvis, quibus plurimum *Germania* abundat in *Silesia*, *Bohemia*, *Saxonia*, *Thuringia* &c. e.gr. pinus, tædæ, piceæ, abietes, & aliæ prædictis mensibus immensam copiam exsudant, etiam non vulneratæ, in apicibus deinde plurima arborum istarum pinguium lanugo, sive flos, aut etiam fuligo deprehenditur; ex qua materia, quomodolibet incensi, fumus tenuis resolvitur, & vase concavo excipitur. Nec arbores solummodo, sed mineralia inprimis, igne subterraneo ac supraterraneo elicita, hoc tempore potissimùm, quo Sol in signis calidis versatur, symbolam in copia abundanti suam conferunt. Paria cum sulphure, imò majora præstat nitrum. Nitri etenim ubique obvii, (in aquis, terrâ maximè, & aëre,) vis illa est, quæ de præsentia & operatione sua omnibus in meteoris igneis, potissimùm fulminibus, stellis cadentibus, & similibus, phænomenis testatur. Flammæ alioqui proprium ascendere. At nos semper observemus, meteora ignea descendere; non ab externo aliquo agente violenter, *sed à propria natura, quæ conspicitur, in Nitro.* Chymicis, hoc accuratè notum, & in arte pyrotechnica versatis. vid. *Guilielm. Clarcke* Angl. hist. nat. Nitri c. 2. & inprimis D. *Joh. Mayovv*, Med. Londinens. curios. in operibus medico-phys. c. 2. 3. Nitrum tale est subjectum, sine quo nec naturale fulmen fieri, nec artificiale aliquod consueto more potest: Per consuetum morem pyrotechnicum intelligo communem. Ajunt Chymicorum aliqui, ex Marte fulmen etiam parari posse, cujus nunquam ego quidem vidi demonstrationem. Singularis mihi notus modus præparandi fulminis, sed usu minùs commodi, ac operosi ex crystallis sacchari Saturni. Aurum fulminans, quantumlibet vehementissi-

mum effectum edat, sine auro tamen terribilia parantur alia. Recip. Nitri ℥iij. electi & pulverisati probè, salis tartari ℥j. cum semisse, & sulphuris ℥j. pulverem fac indè minutissimum, probeque misce, infer cochleari ferreo & leni igne urge. Statim atque ignis minima particula partic. nitri inflammabilem tetigerit, exorietur fulmen. Hoc quod vides supra terram, ante manus; quodque in eversione urbium, castrorum, & vallorum audis juxta atque infra terram; idem fieri cogita in aëre. Non malè igitur *Kavina* lampadem volantem à se quondam illustratam, propter plurimas convenientias cum pilis igneis comparari posse statuit, quæ noctibus festivis cogi solent, ut per aërem discurrant, aut vi impetûs ex æneis tormentis elevatæ, è sulphure & halinitro concretæ, accensæ ac projectæ sunt. Sed idem meliùs egisset, si per ignes descensorios, non ascensorios rem explanasset. Propiùs ad rem *Fromundus* in Lovaniensi Academia Primar. Professor olim & Philosophus in Meteorol. l. 2. c. 1. *Magnam*, inquit, *stella cadens cum pyrobolis nostris, & id genus ignibus artificialibus habet cognationem: nisi quòd hoc flamma levet in altum; stellæ verò cadentes contra naturam, & cum injuria ignis* (hoc in quæstione est) *exploduntur deorsum. Aliàs sæpe in his, ut illis, materia paullatim in ipsa trajectione incenditur, sed non cum tanto strepitu stellæ in fine dissiliunt, quia materia loculamentum & claustra rumpenda non habet, ut pulvis chartâ toties replicatâ pressus & constrictus in pyrobolo. Hoc etiam discriminis est, quòd, quò magis pyrobolus flammam rapit, hoc magis festinat in cælum, ubi stella contra incremento ignis tardatur; quia levitas resistit motui deorsum.* Materiem determinare quando voluit *Libertus*, nimis liberè ac ὡς ἐν πλάτει loquitur: *Causa materialis transiens meteororum ignitorum est ἀναθυμίασις, seu exhalatio idonea flammæ. Hæc enim est, quæ inflammatione corrumpitur in ignem: qui & materia permanens hujus meteori. Ut autem exhalatio flammam, saltem visibilem concipiat, debet esse viscosa, aut pinguis.* Quæ postrema verba

verba apertiſſimè teſtantur, fulminis & phænomenorum igneorum originem & ſubjectum ignoraſſe ipſum. Quid quæſò opus exhalatione iſtiusmodi viſcoſâ? ne de pingui dicam? Ubi viſcus, aut materia viſcoſa, cùm præparatur pulvis pyrius, aut per eundem apparatus varius pyrobolorum? In manifeſtatione fulminatricis flammæ nihil tale obſervatum. Gaudet nitrum igne ſubtiliſſimo, cœleſti, penetrabiliq́ue ſupra modum; non viſcoſitate. Fruſtrà ſunt, qui Nitrum inflammabile eſſe negant cum Autore clari nominis in Chymia experimentali, ſub init. de ſeparat. rer. p. 57. Contrarium Natura docet, & Chymia. Fatentur Viri ab experientia inſignes, *Quercetanus*, D *Matth. Unzerus*, de Sale c. 18. circa fin. *Mayovv* maximè de Nitr. c. 2. qui *Wilſio* reſpondit exquiſitè, negans, propter ſulphur, inflammabile dicendum Nitrum. Nuper admodum qui ſcripſit *Moſes Charas*, Gallus, Doctor Medicus Britanniar. Regis Pharmacop. Reg. Chym. c. 14. de Nitr. p. 226. noſtram ſuo calculo ſententiam confirmat. Neque tanti eſt momenti dubium, quod ab ἀυτοψία petiiſſe vult *Robertus Fluthus*, Scriptor Anglus, olim nominis majoris, aſſerere: *ſe quondam ignem fatuum noctu ſecutum & aſſecutum; & materiam inveniſſe non igneam*, ſed viſcoſam & lubricam, compactam in modum ſpermatis ranarum, *diſtinguentibus nigris & exiguis maculis ſub. albidam, quæ vice ſpeculi redderet ſtellarum lumen.* Parum, quid aut viderit, aut non viderit *Robertus*, refert; nec de igne fatuo nunc quærimus. Poëta princeps elegantiùs Georg. I. cecinit?

— — Cælo delapſa per umbras
Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper latentem culmina tecti
Cernimus Idææ clarâ ſe condere ſylvâ,
Signantemq́; vias: tum longo limite ſulcus,
Dat lucem, & latè circum loca ſulphura fumant.

Invenimus materiam phænomeni; quæramus & *efficientem.* Furoris, non erroris species videtur, id, quod Majestati suæ reservavit Numen, Dæmoni tribuere. Deus noster in cœlo est, & quæ vult, facit: pluit, tonat, fulminat, serenat, ventos excitat, & patrat mirabilia. Laudant omnia hæc Creatorem suum, & apertè clamant: Tu fecisti nos, non ipsa nos. Audi quæso, quanto mugiat opere illius tonitru! *Helmontium*, censorem aliorũ tam sagacem & nasutum, miror hæc de tonitru scripsisse in Anomalo Meteor. *Cùm tonitru non habeat planè naturalem in nubibus meteori, credo prorsus causam omnem habere non supra, sed præter naturam, adeoq; esse effectum portentosum. Inprimis namq; credere tenemur, Cacodæmonem esse principem;* & quæ seqq. Eadem de fulmine *Bodinus* asserit: *à geniis dæmonibusq; fulmina cieri projiciq;* cui satisfecit oppidò perplexè ac ambiguè *Fromundus* l. alleg. Nullâ indiget sententia hæc confirmatione: *Deus summa & universalis, sæpe etiam immediata, omnium* (eorum etiam, de quibus agimus) *effectuum est causa.* Creatura etenim in esse suo bona, necessariò dependet à superiori eodemque liberiori agente. Nunc consideremus stellas, an, & quanta sit in illis ad phænomena hæc producenda virtus? Portentosa sunt, quæ c. 8. Meteor. profert *Paracelsus*; cui proprium hoc dedit confidentia ingenii, ut aut temeraria, aut falsa, aut miracula ebuccinet. Sic ipse: *In stellis fulminalibus est sulphur in summo gradu, salpetra in summa pinguedine, Mercurius in summa contrarietate. Ex his tribus tonitru, fulmen, & tempestates fiunt.* Ecquis compendiosiùs exprimere rem potuisset? Sed heus, Vir optime, probari paradoxa debent. Philosophia hodie apparet oculata; credit, quod videt, aut immotis deprehendit verum esse argumentis. Quæ illæ fulminales stellæ? aut sulphureæ, nitrosæ, similesvé? Scit, quæ nescit, quæ nec facta, nec futura sunt *Aureolus.* Ad rem, cur non distinctè appellavit *Solem, Jovem, Mercurium, Saturnum, Martem*, cor Leonis, aut illius

caudam?

caudam? Cur configurationes Planetarum, sive mutuos adspectus, aut illorum oppositiones, aut conjunctiones prætermisit? Et conjunctionem quidem magnam Anni proximè superioris meritò Astrologi urgebunt. Sed cùm hæ universales ac remotæ nimis causæ videantur, propiores indagandæ potiùs in terra. Toto mense *Junio* videlicet & *Julio*, & ultra dimidium *Augusti*, diebus paucis admodum exceptis (3. 23. 27. & 28. Junii, 4. 5. 12. 16. 20. & 31. Julii, itemque 1. 11. 29. 30. & 31. Augusti,) aut insolitæ densæque nebulæ, aut pluviæ, aut fulmina, aut psecades cum ventis alternantibus in Horizonte nostro & viciniâ observabantur. Positis, nec impeditis causis hisce proximis, non potuit non sequi extraordinarius effectus.

Finis superest. Qui talibus phænomenis signatum aut eventum tribuunt prodigiosum, veluti Cometis, *Julium Obsequentem* pro ductore habent. Neque Romanus Sapiens abhorret. *Vidimus* (inquit *Seneca*, in qq. natural.) *non semel flammam* ingentis pilæ specie, *quæ tamen in ipso cursu suo* dissipata est. *Vidimus, cum de Sejano actum, nec Germanici mors sine denunciatione tali fuit.* Trabs sæpe visa. Trabem olim conspectam, cùm Lacedæmonii classe victi, Græciæ imperium amiserunt, narrat *Plinius.* Huc illa faciunt *Lucani*, l. 1.

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes
Ardentemq; polum flammis, cæloq; volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; tremendi
Sideris, & terris mutantem Regna Cometen.

Nolumus innumera auctorum aliorum cumulare testimonia. Hoc dicimus: per causas & effectus quoque naturales præternaturalia sæpissime eventa designare Numen. Testes Irides, immanes venti, aliæque tempestates. Unius rei possunt plures esse fines, in subordinatione, non in oppositione æstimandi. Notus scripto publico t. t. vulgaro vates, qui Obsidionis *Viennensis* appellavit indicem hunc globum igneum.

igneum. Veruntamen cùm jam obsidione mediâ fervente fulserit, *Vulcanum* fortè imitatus fuerit, qui, quando die artificiali unico, ab oriente Sole ad occasum somniavit se præcipitem è Cœlo in Lemnum decidisse, infeliciter ἐγεωμέτρησε τὰ ὑπερουράνια.

OBSERVATIO IX.
D. DANIELIS CRÜGERI.
De
Phthisis desperatæ cura.

ULcera pulmonum insanabilia nonnulli statuerunt, gravissimis rationibus adducti. Contrà alii, ut *Arcæus de febrib. c. 8. Thomas Erastus*, *Forestus* experientiam in contrarium vocant, atq; exempla verorum phthisicorũ curatorum exhibent. Ego, distinctione adhibitâ observavi, ubi character ille phthiseos cum semine jam communicatus, & ubi malum hoc hæreditarium, vix restitutionem in integrum locum habere. Debilis enim constitutio parenchymatis pulmonum naturalis ex rara textura primordiali, & pauco calido innato dependet, unde fit, ut per se, nullis illatis injuriis pulmo putrescat, & homo aliquando, parva saltem accedente tussi, sideratis pulmonibus moriatur, uti exempla extant. Vid. *Riverius Cent. 3. in observationibus communicatis:* in quibus tantùm cura palliativa locum habet, ut diutius vitam protrahant, absterso quotidie medicamentis ulcere, & temperando hectico calore.

Aliquando v. contingit, ut ex inordinatâ diæta, inflammatione, vulneratione vel alio modo pulmo ulcus contrahat, neque in familia character hic sit deprehensus; tunc sæpissimè pulmo sanationem admittit, quod exempla allata probant. Interdum etiam per contagium illis, qui consvetudine phthisicorum continuè utuntur, communicatur. In talibus decocto Li-

cto ligni sancti in principio μίασμα phthiseos sæpè tollitur, uti ap. *Riverium Cent. I. obs. 99.* videre licet, & alii testantur.

Sed ut ad exempla nostra revertamur: Dominus Walther Artis palæstricæ in exercitiis Colbergensibus Magister, ex inordinatâ diætâ phthisin contraxerat, ita, ut per semestre domo non egressus, tandem per aliquot septimanas lecto affixus & hecticâ consumtus, ab aliis morti destinatus & derelictus esset, nec tantùm etiam purulentam & sangvinolentam materiam, sed etiam venularum capillamentis conspicuam expectorabat, sudore nocturno diffluebat, & vix ossibus hærebat, idcircò etiam ludo illi gymnico alius, Dn. Daber, affinis meus præficiebatur, qui strenuè adhuc hoc fungitur officio. Vocatus igitur ego, nil nisi lactis curam superesse monebam: ille vitæ avidus morem gessit; idcircò præcepi, ut nil nisi lacte vaccino, Conservâ rosarum diluto, & intrito pane triticeo vesceretur. Difficulter asvescere huic ferculo potuit, perque vomitum aliquoties id reddebat. Verùm id non ampliùs affatim, sed cochlearis quantitate paulatim assumendo dehinc assvescere didicit, ut post quatuor menses se illius usu abdicare amplius non potuerit. Huic diætæ præscripsi pulverem Haly recenter confectum, pro lubitu in die aliquoties usurpandum, cum Syrupo expectorante de jujubis, de liquiritia. His remediis hectica & sudor nocturnus sensim desiére, somnus melior rediit, usque dum εὔσαρκος Athleticum per DEI gratiam habitum rursus acquisiverit, hoc tempore Capitaneus Electoralis Brandeburgicus constitutus, meritissimus.

Hujus Patientis reconvalescentia sicut plurimis hîcce Colbergæ nota; Ita potissimùm & ipsi Pharmacopœo, à quo ultra 20. libras Conservæ rosarum ad quotidianum usum obtinuit, satis cognita fuit.

Alterum exemplum curæ lactis est Dominus Capitaneus de Quitzo, qui Stargardiæ eodem modo ad 8. Septimanas tractatus, postea diu adhuc curam lactis continuavit; atque in hac

curâ ultra triginta libras Conserv. Rosarum consumsit, quotidie ejus usum continuans. Hæc si non suffecerint, tria adhuc possem addere exempla: nec proinde video, cur quidam Conservam Rosarum adeò reformident: Experientia certè omnem debet dirimere litem. At verò per tot secula Conservâ Rosarum multos curatos fuisse ægrotos, probatum est. Videatur *Avicenna l. 3. fen. 10. tr. 5. c. 6. Mesues C. de phthisi, Valescus de Taranta l. 3. c. 11. Valeriola l. 5. obs. 5. Crato in Consiliis. Mont. 152. Forestus l. 16. obs. 58.* Et inter Recentiores *Riverius cap. de phthisi* dicit, sibi pharmacopœum phthisicum notum, ingentem sacchari Rosacei quantitatem sibi ipsi præparantem, idque perpetuò comedentem hoc solo remedio sanatum fuisse. His allatis ipsa nostra experientia adstipulatur, nempe, quòd ego ante aliquot annos hecticâ ex apostemate Mesenterii per integrum annum detentus, nec hypocausto egressus, ita ut vix ossa, carne denudatâ cutis tegeret, uti Dominis meis Patronis optimè notum, & solâ Conservâ Rosarum & ptisanâ hordeacea loco lactis, intrito simul pane triticeo, per DEI gratiam sanatus sim, per aliquot menses hoc solo victu utens.

Nec illorum ratio mihi satisfacit, qui in Saccharo acidum inesse proferunt: ergò Saccharum Rosarum in phthisi; quia aciditas hunc affectum fovet, non esse adhibendum. Ut jam, misso brevitatis gratiâ posteriore, ad prius saltem respondeam; in Saccharo est acidum, ergo Saccharum ipsum est acidum, non valere, ajo consequentiam; & impugnare manifestum gustûs sensum; quin ad coagulationem lactis in ventriculo prohibendam additur Saccharum, quod sanè, si actualem haberet aciditatem, præstare non posset. Nec etiam sequitur, in quocunque est acidum, illud in phthisi non est admittendum: Sed in sulphure est acidum, acidus quippe Spiritus. Ergò. At *Crato* ait in *Consil. p. m. 227. in fol.* ad consolidationem ulceris nihil præparato seu sublimato Sulphure utilius;

utilius: & *Quercetanus*, flores Sulphuris magni in affectibus pulmonum facit. Præterea nulla est Consequentia, in lacte est acidum; ergò lac non conducit phthisi. Est enim acidum ex aliqua re vel in destillatione per novam genesin. Ita enim *Helmont. l. de arb. vitæ p. n. 798.* Eò, quòd illa sit ignis proprietas, non quidem simpliciter separare, sed propria authoritate sub se alterare & commutare, &c. Vel per principiorum dissolutionem, quando mistum in sua principia resolvitur. Iccircò, quamdiu acidum in suo misto est tanquam principium vel copula connectens reliqua principia, nequaquam officit phthisicis, nam hoc modo in saccharo à partibus oleosis & sulphureis atque contrariis particulis ita acidum est ligatum, temperatum & combinatum, ut nequaquam obesse possit; sed, ut totum mixtum cum suis principiis in ventriculo, non ut in retorta per principiorum resolutionem; sed per novam mutationem, & alterius formæ introductionem in Chylum cum aliis cibis convertatur; & tantùm abest, ut in aciditatem degeneret, ut potius in calidioribus naturis in bilem abeat, uti *Sennert. in Instit. l. 4. p. 1. c. 3.* rectè sentit. Prævalent enim in saccharo oleosæ & sulphureæ partes. Et si ista ratio quid ponderis haberet, nullum cibum homo sine detrimento capere posset; nam nullum datur mistum in cibis, in quo hoc principium acidum non sit: prohiberetur panis quotidianus, qui per fermentum acidum fermentatur: & idcircò quàm plurimis particulis acidis constat, tolleretur: Sal culinare, quod egregium spiritum acidum continet, sine quo tamen neque pisces, neque caro sine sanitatis detrimento assumi possunt, neque ritè digeri, ita ut certè acidum, quatenus in misto est, sit necessarium requisitum in coctione, digestione, & nutritione hominis, & idcircò in saccharo tanquam misto, quatenus inter alimenta cum discretione usurpatur, non est rejiciendum, nempè, ut condimentum; & fides illis magis est habenda, qui ex professo de aliquâ re tractant, nam ita *Angelus Sala in tract. de*

saccharo: quod sit condimentum cuilibet ætati & sexui conveniens. *Et Joh. Bapt. Porta l. 5. phytogn.* scribit: Sit igitur familiare saccharum vitam prolongare cupientibus, quia nec cibum, nec humores in ventre putrefieri permittit. Ex eo solo ingentia vulnera sanari vidimus. Cur igitur saccharum è curâ phthiseos rejiciendum, cum sit optimum detergens, expectorans, putredinem corrigens, & externè etiam vulnera sanans; & eò magis conducit, quoniam Rosis, tanquam cordiali ejus sulphureitas est correcta, ut inde duplex medicamentum factum, & hecticæ refrigerando resistat. Ego in longâ mea praxi nunquam aciditatem eructantem, sed potius suavem dulcedinem & sputum ex eo dulce alteratum, & labra quasi glutine illita deprehendi.

Sed ut Saccharum, ceu medicamentum porrò considerem, dico cum *Tackio cap. de saccharo;* si sulphur commune tantâ superbit majestate, totque gaudet honorum titulis, præsertim à Chymicis in phthisi curandâ; quid dicetur obsecro de purissimo aliquo Naturæ sulphure, saccharo nimirum, quod longè transcendit sulphur commune, &c. & totum postea φλόγιστον seu inflammabile instar sulphuris communis, quod toties pharmacopœi experiuntur, quotiescunque potentiore igne quàm par est, illud coquunt.

Interdum etiam acida actualia, ad promovendam coctionem in corpore requiruntur, vid. *Tackium in Chrysog. anim. & min. p. 33.* Hinc experientissimus *D. Grimmius*, Practicus in India felicissimus in *compendio Medio-Chymico* utilissimo, ubi theses suas mox observationibus & experientiâ probat, sæpius spiritu acido salis Armoniaci utitur, in inappetentiâ, calculo, ictero, & aliis morbis, quàm urinoso. Moderatum igitur acidum ut sit in corpore, necesse est; hinc malè sibi consulunt, qui sine ratione & judicio Medici Sal volatile singulis diebus affatim ingurgitant, saltem, quia jam ita moris est. Observavit enim accuratissimus *Wedelius* appetitum dejectum, lassitudi-

tudinem membrorum & torporem ex continuo ejus uſu excitatum, *c. 10. de uſu Salium volatilium:* Conſentit *Ettmüllerus.* Deficiente enim tali moderato acido *Tackius* ad incitas fermè redactus, ſolius aceti & ovorum eſu priſtinum habitum recuperavit, uti ipſe fatetur in *Chryſogonia ſuâ.*

Verùm quò dilabor? hoc tantùm dico; Conſervam roſarum antiquâ dignitate quam experientia acquiſivit firmam, adhuc ratione & experientiâ perſiſtere; & de dignitate ſacchari concludo cum *Tackio* prælaudato, qui ſufficienter ad argumenta *Helmontii* ſaccharum eludentis in *tripl. phaſ. ſophico, tract. de auro, ſacch. & quint. eſſent. vini* reſpondit *p. m. 25.* O ergo cœleſtem planè ſacchari naturam! ô ſulphur inæſtimabile! Admiror fœcundam divitemque Naturam, quæ te in lucem edidit: Adoro Creatorem Summum, qui non infimum tibi inter tot creaturas aſſignavit locum. Si ſcirent mortales ſacchari vires &c. Sed hîc tacere præſtat.

SCHOLIUM.

EFfectum curæ hujus ipſemet etiam hoc tempore, quo prelo committere obſervationem hanc animus eſt, in puero octenni, catarrhis aliàs & ulceribus capitis obnoxio, expertus ſum; in quo, poſtquam morbillis, epidemicè apud nos graſſantibus, laboraverat, iisque uſu pulveris rubei Pannonici (quem tanquam panaceam noſtri quibusvis ferè puerilibus in morbis absque diſcrimine propinant, quod etiam noſter quondam Poliater non incelebris, *Phil. Höchſtetterus dec. 5. obſer. med. caſ. 9.* obſervavit,) Parentes ei remedium paraverant, tuſſis tamen, certus morbillorum comes, cùm non recederet, ſed indies potiùs incrementum ſumeret, tandem in conſilium vocatus, ipſam jam adeſſe phthiſin cognovi; cui equidem variis remediis obviam ire haud deſtiti, nullo tamen vel exiguo cum ſucceſſu, tuſſi non tantùm continuâ ægrotum atrociter diu noctuque, cum copioſa materiæ purulentæ expectoratione,

infestante, calore hectico vires depascente, adpetitu prostrato, sudoribusque largis corpusculum vix ossibus hærens planè enervantibus. Tandem lacteam hanc curam persuasi; unde cùm matutinis & pomeridianis horis caprini lactis haustum adsumeret, interposito conservæ rosarum rubrarum, pulveris nostri anonymi dicti, & nocturno tempore aliquot guttularum Tincturæ antiphthisicæ cum guttulis paucis Laudani cydoniati non inspissati permixtæ usu, post aliquot elapsas septimanas in meliorem statum morbus commutari cepit, ita ut nunc planè restitutus vivat & pancraticè valeat. Qualem etiam laudabilem successum ab usu lactis caprini & conservæ rosar. rubr. *Exc. D. D. Georg. Tob. Dürr, &c.* Collega meus honorandus, ob curam hanc itidem in consilium vocatus, in femina non ita pridem vidisse se, testatus fuerat.

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO X.
D. DANIELIS CRÜGERI
De
Insania per venæsectionem tricies repetitam curatâ.

D. II. A. V. Ob. 52 p. 95

IN Melancholicis totum sanguinem malè dispositum & à naturali statu planè dejectum, sæpius ex venæsectione patet, aliquando enim est planè grumosus, uti conspexi in matronâ dignitate maximè conspicuâ, cui, cùm vena secaretur, sanguis planè subsistebat, etiamsi foramen satis amplum phlebotomo inflictum esset, ita ut adhibitis frictionibus venarum, concretus pisorum instar prosiliret, hinc in melancholicis non tam propter quantitatem quàm qualitatem, sanguis est mittendus, ut eò melius circuletur & ille qui in venis minutissimis crassus subsistit agitetur. Utinam mesaraicæ venæ ita pro lubitu

bitu evacuari possent, magnum aliquando exinde resultaret commodum, quemadmodum naturam interdum facere videmus per hæmorrhoides, unde postea melancholia curatur, uti testatur *Hipp. aphor. 11. sect. 6.* Verùm ut ad majores venas revertamur, ex illis aliquando sanguis admodum niger educitur, qualis igitur sanguis talis sanitas: si igitur niger sanguis, tenebricosi, impuri & crassi Spiritus inde emergunt; quales spiritus, talis ratiocinatio; anima enim quamdiu in corpore est, spiritibus utitur claris & lucidis: esse autem reverà lucem in corpore nostro & flammam vitalem cordis, lumen per totum corpus spargentem, manifestâ demonstratione probavit Excell. *Balduinus* in *append. anni I. decur. 2.* sphærulâ aliquâ ori insertâ lucente de collo inter mammas appensâ: hinc melancholici propter spirituum tenebricositatem tenebras amant; uti *Wirdig. lib. 1. med. spir.* asserit. Quemadmodum enim atramentum, quando coquitur, nigrum effumat halitum, sic & sanguis fervens nigricantes generat spiritus. Sanguinem hunc crassum, nigricantem si quis sensim alterare tentat, sæpius finem non obtinet propositum. Sanguis enim hic se habet instar ampullæ acetariæ, ubi quando sensim liquor affunditur, & is in acetum degenerat. Meliùs res per venæsectionem succedit, ibi enim ampulla hæc repetitis venæsectionibus citiùs & immediatè exhauritur, quod & exemplum præsens, experientiam *Plateri* confirmans, evincit;

Capitaneus quidam, è Galliâ redux, subitò corripitur melancholiâ & dementiâ, & licet per 8. septimanas à Medicis tractatus, morbus tamen in deterius vergebat, ita ut præludia maniæ animadverterem, venæsectionem (quæ hactenus omissa erat) adhibendam esse censui, itaque conspecto primâ vice sanguine nigriore, & quoad consistentiam tam crassam, ut scalpelli acie portari posset, postquam concretus erat frigiditate, hinc conclusi, si possibile esset, ut totus sanguis unâ vice extraheretur, & alius bonus infunderetur, sanitatem citò acquiri posse.

ri posse. Tentavi igitur, vincto patiente, alternis diebus ejus detractionem, mox in dextro mox sinistro brachio, hinc in dextro & post in sinistro pede, tandem venam frontis, & hunc ordinem repetii usque dum tricies sanguis missus esset. Et quemadmodum sanguis sensim in curatione melior prodiit, ita ut tandem roseus in conspectum veniret, nec ulterius scalpelli manubrio portari posset, sic sanitas & rationis usus sensim redierunt. Singulis vicibus ad minimum ℥iiij. sanguinis eductæ vel plus secundùm tolerantiam, ad summum ℥vj. vel ℥viij. ab initio, progressu temporis bis in septimanâ repetita est venæsectio. Interjectis diebus vinum chalybeatum laxativum cum specificis antimelancholicis adhibuit. Chalybs enim secundùm *Jul. Cæsar. Claudinum* alexipharmacum melancholici humoris, secundùm *Zacut. Lusitanum* Panacea cachexiarum, secundùm *Etmullerum* optimum melancholiæ digestivum dicitur, & secundùm meum judicium optimum humoris melancholici expulsivum, quoniam ipsius vitriolum seu sal per urinam & alvum crassos & feculentos humores deturbat. Duo adhuc exempla adducere possem, si opus esset, alteri tamen ex his venæ ceu varicosæ in pedibus intumuerant, quas singulis diebus sensim aperiri curavi, & inde sanatus est: Sæpe admiratus sum, quosdam solis primis qualitatibus morbos explicare. Quidam solum acidum in Melancholia accusant, atque meris salibus alcalibus curationem instituunt, verùm quoniam hìc in Pomerania tum civici ordinis, tum præcipuè Rustici sæpissimè ad saturitatem se brassicâ muriaticâ sat acidâ replent, mirum cur nemo inde unquam spleneticus vel Melancholicus fiat; Vah! quàm magna quantitas salis alcalini ad absorbendum hoc acidum hìc esset necessaria; sed sæpissimè morbus hic ex alia causa oritur, ut in Capitaneo nostro ex peregrinatione continuâ æstivâ, deflagratis scilicet partibus sanguinis spirituosioribus, & in vappam quasi vergente sanguine, & valdè à naturali statu alterato; neque hoc sufficit, siquidem

sodales

sodales ipsius incolumes revertebantur, sed dispositio specifica ad introducendum hunc & non alium affectum requiritur. Hinc *Bierlingius* recte dicit: habet humor iste occultioris quid in se, quod & Veteres agnoverunt, & horrenda & mirabilia effecta id ipsum arguunt. Sed ut hoc cum *Sennerto. l. 1. p. 2. c. 8.* addam, qualis illa dispositio præternaturalis sit, facilè explicari non potest. Hinc ut cum Practico meo veterano, Clariss. *Thonero Observ. 1. lib. 2. de convulsionibus epilept.* concludam, τὸ θεῖον & vim occultam in morbis pauci respiciunt, solis purgantibus & obstructiones reserantibus cunctos morbos propulsare in cassum annitentes. Hinc quoniam plurimi morbi specificâ formâ præditi sunt: Ita etiam & medicamentis totâ substantiâ specificâ agentibus (ut ajunt) evertendos esse existimo.

SCHOLIUM.

JOh. *Bapt. Tavernier* de Nosocomio in Goa Indiæ Orient. urbe celeberrimâ verba faciens, potiorem Europæorum partem in eo ob exiguam, quæ tum temporis, quo ipse ibidem versabatur, ægrotis adhibebatur, curam emori contigisse l. 1. Itin. Ind. c. 13. memorat, mox sequentia subjungens: Non ita dudum remedium est inventum, quo aliquibus vita servatur; per frequentem nempe venæsectionem, quæ, prout necessitas id exigit, tricies vel quadragies, imò tamdiu repetitur, quousque sanguis depravatus exire deprehenditur; quale quid etiam mihi ipsi in Suratte contigit; quamprimùm verò sanguis hic morbosus, qui instar puris apparet, est evacuatus, ægrotus extra periculum versatur.

Tale quid præcipuis inter Agyrtas Chirurgis in usu esse solet, quòd furiosis ejusmodi hominibus, loris sive catenis benè vinctis, vi ori diducto, infundant infusum ex helleboro albo præparatum, cui Syr. ex croco metallorum catholicum admiscent, ut vomitionem apud illos cieant. Quâ advenien-

te unam, & alteram interdum venam, vomitu etiam nunc durante, incidunt, copioseque sanguinem effluere permittunt. Exinde maniaci mitiores reddi incipiunt, ut molliùs deinde tractari queant. Porrò continuant venæsectiones quotidie, donec istam compescant ferociam, sanæque restituantur menti ejusmodi ægroti, quod toties observavi. Tali quippe ratione spiritus in sanguine vitalis, ab astris fortè incensus, nimiumque in cerebro insolescens domari & refrenari commodè potest. Sed hæc cura in morbi hujus principio suo non carebit effectu.

(*Helianthus.*)

OBSERVATIO XI.
D. DANIELIS CRÜGERI
De
Sanguine verbis recitatis suppresso, sed malo exitu.

QUoniam ex officio multoties occisorum corpora visitavi, duo admiranda exempla observavi, quæ notanda duxi. Nobilis quidam capitali odio à vicino ejusque rusticis diffidebat, tandem in domum Rustici hastatus irruens, cum hospitem ut hostem vi adoriretur, Rusticus tridente, quo vitam sustentabat, vitam etiam defendebat, nobilisque collum appetebat, atque dente altero vertebram colli secundam ἐπιστροφεὺς dictam tetigit; sanguinem inde largissimè fluentem, vetula quædam accurrens, recitatis quibusdam verbis suppressit. Chirurgus accitus turundam digestivo consueto illitam applicat, sed semper sanguine atro tinctam sine pure extrahit, vocatus & ego hæc cum admiratione considero. Præcipuè quòd sanguis quidem extra vulnus non prosiliebat, sic enim incantatrix finem suum obtinebat: at eâ

ratione

ratione oscula venarum non erant occlusa, quæ lege naturali Chirurgus pulvere constringente vel aliâ ratione obturare potuerat, sed sanguis extravasatus cutem circa collum & totum brachium dextrum & digitos suffundebat rubro colore, degenerante sensim in flavum, fuscum, lividum, & tandem carbonis instar nigrum. Nobilis hic primis diebus obambulabat, sed 5. die accedente febre decumbebat, & septimo accedentibus convulsionibus & delirio, nec non brachii gangrænâ, decimo, mortuus est. Post apertionem sangnis circa collum planè grumosus & corruptus conspiciebatur, unde febris & convulsiones ortæ, & tandem mors.

Alterum exemplum, vidi in Ancilla in diœcesi Treptoviensi; Quæ dum à servo quodam, cultro in abdomen adacto, sauciata erat; eodem modo per incantationem à vetula tractata, & suppresso sanguine indeque turgescente abdomine, & obortâ putredine, undecimo die mortua est. Hinc patet, vulnus, etiamsi aliquando per se non sit lethale, inordinatâ tamen sanguinis suppressione, accedente simul malignâ qualitate, fieri posse lethale, talesque sagas tum potissimùm ut homicidas esse respiciendas.

SCHOLIUM.

FEliciori successu tentatam hæmorrhagiæ narium curam magicam, inscribendo nempe cum sanguine ægroti, fronti ejus literas has: OIPULU, frontemque dein obligando, memorat in *Chirurg. parv. tract. 2. Johann. Agricola;* quam licet defendere à superstitionis labe aliquo modo quis laboraverit, adsensum tamen plenarium à Medico Christiano haud facilè impetraturus est. De curatione Homerica, itidem superstitionis rea, quâ sanguinem carminibus certis & verbis sisti posse, antiquitùs fuit creditum, agit Cl. *Dan. Georg. Morhofius diss. de scyph. vitr. &c. cap. 17.*

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO XII.
D. DANIELIS CRÜGERI
De
Cryſtallo foſſili, vero Arſenici Antidoto.

STudioſus quidam, Præceptor vicini mei à Steinbach in pago noſtro Pegelo præſervationis gratia ſudationem intendit, & idcircò in repoſitorio quodam fruſtum arſenici albi apprehendit, exiſtimans eſſe Cornu Cervi, Hoſpes arſenicum hoc pro callis equorum abſumendis recondiderat. Aſſumta igitur ʒj. arſenici pulveriſati, incidit in horrenda ſymptomata, vomitum, dyſenteriam, ſummum ventris cruciatum, convulſiones, epilepſiam. Pagus hic milliare diſtabat Stargardiâ; miſſo igitur curru, & egregio ſcilicet hoc medicamento, quod ex pondere minerale eſſe atque arſenicum cum Pharmacopolâ mox cognoſcebam, non diu cunctandum, ſed inſtructis medicamentis neceſſariis properandum exiſtimavi. Quatuor tamen horæ elapſæ erant antequam neceſſaria medicamenta exhiberi poſſent, Accedens igitur ægrotum in ſummis anguſtiis & prædictis ſymptomatibus ſtipatum, quoniam ſatis vomuerat, vomitoria non dedi, ſed Cryſtalli foſſilis ℈iiij. exhibui, certè cum ſubitaneo auxilio, imò poſt horam iterum ʒj. cryſtalli dedi, & hoc remedium poſt 2. & 3. horas iteravi, propter ſitim verò inexhauſtam, nihil niſi lac vaccinum conceſſi, emulſionem tamen pinearum per vices etiam hauriebat, aliquando etiam lapid. bezoar gr. XV. interjiciebam & theriacam, & quoniam venenum nervos aggrediebatur, & patiens reſolutis nervis ingredi non valeret, exhibitâ theriacâ & pulvere Cæſaris rubeo manè & veſperi corpus ad ſudorem diſpoſui, & ita tandem poſt 4. ſeptimanas, Dei auxilio & meâ induſtriâ, ſalvatus eſt. Similiter & vocatus ſum ad mu-

ad mulierem quandam Stargardiæ, dum Dicaſterium Electorale ibidem ſubſiſteret, quæ poculum Aquæ arſenicalis, quâ muſcæ æſtivo tempore interficiuntur, ex errore pronunciationis pro aqua ſambuci emerat, geft im flegenwater/ pro fleder-water Idiomate Pomeranico dixerat. Hâc methodo hanc per Dei gratiam reſtitui, quoniam mox accurrebam, ſtatim ℥vj. butyri liquati tepidi porrexi, hinc poſt moram butyrum planè nigrum vomitu reddebatur, deinde cryſtallum foſſilem ſumſit, lac bibit, & ſumtâ theriacâ ſudavit, ac alterâ die ſana prodiit.

Idcircò nihil eſt, quod Crato ſcribat, Cryſtalli uſum non eſſe tutum, cum ego multoties cum fructu eam adhibeam; non pridem filia Conſiliarii Buchii motibus convulſivis ventriculi horrendis, ſingultuoſis, ſingulis diebus circa veſperam corripiebatur, exhibui oc. cancr. præp. & lapid. percar. ana ʒß. aliquoties, & alia remedia, ſed his nihil juvantibus, Rec. Cryſtall. foſſilis ʒß. Smaragd. præp. gr. vij. primâ vice remiſit & tertiâ exhibitione planè intermiſit. Filio Domini à Thun 40. Septimanarum adhuc lactenti exhibui hunc pulverem in Epilepſia: Recip. Cryſtalli foſſil. ſmaragd. præp. ana ℈ß. margar. or. præp. gran. v. corall. rubr. præp. gran. iij. præſenti auxilio. Imò Blücherianæ ſoboli per multos dies talem pulverem in epilepſia dedi, & pluribus aliis, qui omnes adhuc ſani degunt. Et in dyſenteria hìc olim graſſante cryſtalli & ſmaragdi uſum proficuum expertus ſum. Unicum adhuc de erodente arſenici qualitate adjiciam: Mulier Treptovienſis pro cruſtâ tineæ ſobolis removendâ adſpergit pulverem Arſenici, verùm unâ operâ poſtea Chirurgus & cruſtam & ſubjectum cranium quaſi exciſum aufert, uti ipſe Chirurgus *Ludovicus Müller*, teſtatus eſt; puer hìc duodecim annorum bis (ex arſenico illo tineæ conſperſo) epilepſiâ correptus eſt, tandem tamen ſanatus. Alius quidam pulverem arſenici & oxycroceum anaticâ proportione mixtum clavis pedum imponebat & cla-

vos multos uxoris extrahebat hocque pro arcano commendabat, ego timidior sum, quàm ut hoc tentem.

SCHOLIUM.

Quàm malitiosum in arsenico lateat venenum, tot lugubria exempla passim loquuntur; id verò in acrimonia quadam corrosiva & sanguinem corrumpente consistere, non minùs certum est. Hinc arsenicum venena inter acria & salibus abundantia refert celeb. *D. Simon Paulli digress. de febb.* §. 26. quæ insigniter sanguinis circulationem turbare & impedire solent, *sanguinis nimirum temperie corruptâ penitus internecinâ corruptione.* Hinc ad mercurii sublimati naturam accedere, *cap. 23. de purgant.* innuit Nob. *D. Joh. Nicol. Pechlinus*, esseque ex mercurio partim, partim alio metallo & sale caustico, oleoque inflammabili conflatum; cujus venenatum principium in acido sit quærendum; & hunc acorem corrosivum non minùs agnoscit *Beat. D. Mich. Ettmüllerus* in *Med. Hippocr.* Ipse etiam ex antiquioribus *Dioscorides lib. 6. de nat. med. cap. 29.* calcem, sandaracham, & arsenicum epota, alvum & intestina cum vehementi erosione excruciare tradidit. Id quod non minùs in corporibus ab eodem neci datis subsequa anatome confirmat; prout stomachum ancillæ, quæ volens biberat arsenicum, perforatum vidisse se, *Joh. Bapt. Helmontius tract. tumul. pest.* & corrosos ab eodem aliorum stomachos *Henricus ab Heer Observ. 16.* testantur; idem totus lividus in puella eo necata comparuit, è quo inciso sanguis nigricans proruperit, apud Clar. *Pythagoram & Pæonem* in *exercit. anat. med. 41.* ejusdem corrosionem cum inflammatione & venis sanguine turgentibus in alio observavit *Henr Salmuth cent. 1. Observ. 10.* & *Joh. Faber* in canis ventriculo rugas ac veluti vibices sanguine atro subductos conspexit, uti refert in *exposit. ad N. A. Recchum pag. 475.* sanguinem quoque coagulatum in muribus veneno hoc enecatis recenset *Anton. ab Heyde Observ. med. 48.* nullo utpote

pote ſanguine inter diſſecandum vaſis effluente. Hinc facilè jam adparet, qualis cura veneno huic adſumto debeatur; ſcilicet, quod conſilium eſt præfati *Dioſcoridis*, præbenda cuncta, quæ ſuo admiſtu illius acrimoniam habetant, ac ſolvunt, & facilem lubricamque alvum reddunt. Idcirco præſtantiſſimum anditotum, ut ejus Scholiaſtis, *Petr. Andr. Matthioli* verbis utar, cenſetur foſſile cryſtallum, in tenuiſſimum pulverem contritum, drachmæ pondere ex dulci amygdalino oleo potum. Pariter *Ebeſina*, poſt vomitum frequentem lactis potum, mucilagines, viſcoſa & unctuoſa *libr. 4. fen. 6. tr. 1. cap. 9.* commendat. Sic lactis uſum ſalutarem in hujusmodi intoxicatis expertus eſt *Petr. Borellus cent. 4. obſ. 19.* copioſo lactis bubuli potu multos veneno hoc infectos liberâſſe, *Joh. Bapt. Montanum*, ex ejus *Conſil. med. 367.* conſtat. Coërcent autem pinguia hæc venenum illud, ubi prælaudatus *Ettmüllerus* diſſerit, quatenus acoris corroſiva obtundunt & quaſi inviſcant aculeos; cryſtallus verò, quia acidum abſorbet, iſtudque, dum inſervit pro corroſione, concentrat, quò minùs corpori nocere queat. Ex quo patet, quàm ſæpe antidoti contra venenum hoc deprædicentur ab agyrtis, varias fraudes idcirco ad decipiendam plebem in veneno hoc deglutiendo nefariè committentibus, quæ talas revera haud exſiſtunt; & quàm genuinum ſit judicium *Jacob. Primeroſii, lib. 1. de vulg. in medic. errorib. cap. 7.* hauſtum videlicet lactis vaccini adverſus arſenicum & mercurium ſublimatum plus præſtare, quàm omnia agyrtarum antidota.

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSER-

OBSERVATIO XIII.
D. DANIELIS CRÜGERI,
De
Tumore cum pediculis.

LAnarius, qui lanæ carminatæ texturæ operam dabat, & jam per biennium pauper ac morbosus, manuum pedumque impotentiâ laborans decubuerat, conquestus est de dolore & tumore dorsi inter scapulas, steatomatis instar concreto, ovi columbini magnitudine, & pruritu vehementer lacessente, ita ut dies noctesque lamentando consumens, Chirurgum, *Nicolaum Matthiæ*, ad tumorem hunc aperiendum instigaret. Qui desiderio patientis tandem annuens, An. 1679. d. 12. Augusti putatitium apostema, sive cutem tenuem admodum & rubicundam discindit, sed ecce conditorium pediculis albis, parvis pariter & magnis, plenum offendit, quibus exemtis, & vulnere consolidato, patiens meliùs habuit.

SCHOLIUM.

VEsiculas pediculorum plenas internè ventriculo adfixas, in cadavere humano deprehensas *Joh. Heurnius cap. 6. de morb. capit.* & strumam in collo, fortuitò ense vulneratam, pediculis vivis refertam memorat *Petr. Forestus* in *schol. observ. 15. lib. 8.* ubi & pictoris juvenis atque puellæ gibbosæ casum refert, illi nempe, cùm totum dorsum enormem pruritum sentiret, Medicique consilio, ad ignem denudato dorso sederet, vesiculas fuisse excitatas, in quibus apertis pediculi innumeri fuerint inventi; hanc verò, cùm ibidem maximo pruritu in gibbo torqueretur, inciso eo, abscessum comparuisse pediculis plenum. Notari etiam meretur observatio *Petri Borelli*, quam

cent. 1.

cent. 1. hist. med. 20. habet de satellite, qui post morbum chronicum convalescens, vesicis per totum corpus scatuit, quasi ab admoto vesicante remedio universali, è quibus apertis parvi pediculi innumeri exire visi sunt. Qua ratione verò tumores hi generentur, non adeo patet; siquidem ex corruptione sanguinis aliorumvé humorum corpuscula ista organica, viva, affabrè ex variis partibus composita, & sibi invicem etiam similia oriri, vix est credibile, præcipuè cùm & ipsos pediculos ex oculis pronasci, Cl. *Francisc. Redus de gener. insect. p. m. 312. & 313.* probatum dederit. Unde ex seminio proprio in peripheriam corporis delato prodire, verisimiliùs adstruitur, sive jam animalcula illa cuticulam & cutem perfodientia, in vulnusculo inflicto, quod ab exsudante è vasculis hiantibus glutinoso alimentario succo dein iterum consolidatur, hospitium sibi quæsiverint, aut ovula fœcunda ibidem deposuerint; sive etiam hæc ipsa ovula cum cibis deglutita, inque vasa chylifera & sanguifera suscepta, unà cum alimentali sanguine illuc delata, ibique exclusa fuerint; præsertim cùm viventia pleraque, si non omnia, quod suspicatur prælaudatus *Redus p. 314.* molestis hisce sordibus subjecta sint, ita ut in minutioribus etiam deprehendantur; quod de Scarabæis *Moufetus*, & de formicis *Redus* testantur, & mihiipsi in vulgaribus nostris muscis minutissimum tale insectorum genus, celeri cursu ventrem earum pererrans, multoties per microscopium fuit visum; unde si non ab homine, ab ejusmodi tamen animalibus, quæ vel in cibum veniunt, vel sordes suas eidem &c. inspergunt, talismodi fœtus corpori nostro inferri, & inibi hospitari poterunt.

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO XIV.
D. DANIELIS CRÜGERI,
De
Vidua ducentos calculos excernente.

SOcrus mea, Matrona 60. annorum, incidit in ſupreſſionem urinæ totalem A. 1683. concomitantibus doloribus nephriticis acutiſſimis, cum ejulatu. Dedi primò ʒj. Tartari Vitriolati, poſt duas horas ſenſim Elyxyr Juniperi ℥j. cum ʒß. Spirit. terebinthinæ, exteriùs cataplasmata & unguenta, hinc ſenſim prodiit urina cum calculis rotundis, formâ & magnitudine piſorum, interdum iterum ſubſiſtebat urina, unde ordinavi ſucci citri ℥ij. cum vini Rhenani ℥vj. & ſirup. violar. ſicq́ue prodiit urina cum calculis; poſt conſului vinum alkekengi: ℞. ℥ij. baccar. alkekeng. affunde ſenſim ℔ij. vel q. ſ. vini Rhenani, terantur ut arilli in pulverem abeant, colaturæ adde rob cynosbati ℥j. ſirup. fragor. ℥ij. calcinati ſalis q. ſ. ad acorem. Mirum quantoperè conduxerit hoc vinum. Deinde ℞. radic. pimpinell. bardan. petroſelin. an. ℥j. fol. parietar. chærefol. veronic an. Mj. baccar. juniper. ℥iß. cicer. rubr. ℥ß. coq. in ſ. q. Franc. vini, colaturæ ℔ij. adde ſacchari q. ſ. bibat ſingulis diebus pro lubitu hauſtum aliquoties. His vulgaribus remediis continuatis ſingulis diebus ad minimum quindecim excrevit calculos, æquales, quaſi in una forma fuiſſent compacti, magnitudine piſorum; excretionemq́ue hanc tamdiu continuavit, usque dum numerum ducenteſimum compleret, & nî remedia prædicta in uſum adhiberet, urina mox cum calculis ſubſiſtebat. Urina cum tam viſcoſa pituita prodibat, ut fermè ulnis, uti in proverbio eſt, demetiri eam quis potuiſſet. Lapillos iſtos omnes tùm temporis ad D. D. Weiſſium &c. transmiſi. Poſt ſemeſtre ſpa-

ſtre ſpatium eodem parturiendi calculos conatu afficiebatur Matrona prædicta, iterumque eodem modo ducentos edidit lapillos, quos adhuc aſſervat, iisdemque remediis curata eſt, interjectis aliquando purgantibus. Colligi ex hac obſervatione poteſt, calculum in inſtanti generari poſſe in renibus, ſiquidem uno die ad minimum quindecim geniti ſunt, fiuntque ex diverſorum ſalium concurſu, quemadmodum ex confuſione olei tartari & calcinati vitrioli videmus fieri. Obiter hoc adjicio, in meipſo valde proficuum inveniſſe me uſum aniſi in cerv.iſia decocti, & cum butyro conditi, ſed ad minimum ℥ß. aniſi in ℔j. cerevіſia ſumſi, quod decoctum calidè hauſi urgentibus doloribus. Operculum cochlearum bis in uſum revocavi, remittentibus exinde doloribus, ſed in lapidibus aſelli Merlangi (Dorſch) idem expertus ſum. Nam remedia iſta ebullitionem in corpore ſedant, & ſalia fermentantia præcipitant.

OBSERVATIO XV.
D. DANIELIS CRÜGERI
De
Plebeo quartanæ remedio.

TAbellarius Colbergenſis, Martin. Spickermann à Matrona nobili ex pago Schönenwalde ad Concionatorem in Taber, medicinæ practicum tùm famoſum, remedia contra quartanam petitum, miſſus, in via medicamenta tribus chartis incluſa cùm perdidiſſet, ab hoſpite ſuo adjutus, ſequenti compoſitione jacturam reſarcire ſtuduit, permiſcendo nimirum paſſerinum, gallinaceum & ovillum ſtercus, cum zingibere, alumine, alnique julis. Cujus mixturæ cochlear integrum poſtquam nobilis illa deglutiiſſet, purgata exin, convaluit; reliquum à vicina ejus, hujusque filia itidem adſumtum, purgando & vomitum inſuper movendo,

 à febre

à febre tertiana easdem restituit. Quo percepto, tabellarius germano suo per idem remedium opem attulit.

SCHOLIUM.

Quamvis in hac febrium cura, ægri in remedium fiducia, à famoso utpote dispensatore, uti credebatur, transmissum, maximam sanationis partem conferre potuerit, quod nempe in febribus hisce intermittentibus, ab imaginatione & confidentia sola profligatis, sæpius accidit: stercoribus tamen quanta in medendis humani corporis affectibus vis insit, tum ab aliis abunde jam est ostensum, tum non ita pridem in *Decadis hujus A. I. obs. 81.* etiam confirmatum. Inprimis verò passerinum, gallinaceum, & ovillum excrementum alvinum nitroso sale abundare constat; quod ipsum sal cùm refrigerandi, incidendi, aperiendi, & purgandi quoque vi pollere communiter tradatur, ceu apud *Galenum diversis in locis*, nitrosa ad alvum dejiciendam conducere, legimus, eoipso etiam vitiosos crassosq; humores incidendi, biliosos alterandi, atq; è corpore eliminandi, ac consequenter causam tollendo, febrem pariter domandi virtutem exseret. Ut de julis alni, quorum usus hucusque, quantum scio, in medicina nullus fuit, nec vires satis cognitæ, nihil dicam, quos tamen matris suæ indolem sequi, & alcalinâ suâ virtute, qua instar granatorum corticum & similium, nigrum colorem largitur, ad febrium curam momentum aliquod conferre haud est improbabile. Aluminis porrò vires antefebriles, præter *Hadrian. Mynsichtum*, cui cum sanguine draconis maritatum, sub nomine Aluminis tincti, in febribus, etiam in ipsa quartana, miranda præstare, in *Thes. med. chim.* dicitur, extollit *Joh. Hartmannus* in *prax. chimiatr.* illudque satis laudare se in quartana haud posse, fatetur; quo de consuli tamen pariter merentur *D. Mich. Ettmüllerus chim. lib. 1. cap. 11.* & *D. M. Charas. Pharm. reg. chim. lib. 2. cap. 19.*

cap. 19. Quin & tandem Zingiber dum viſcidos peccantes humores incidit, ſymbolum itidem aliquod tribuere potuit.

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO XVI.
D. DANIELIS CRÜGERI,
De
Noxa inunctionis mercurialis.

INunctiones mercuriales, juxta monitum Cl. *Sennerti lib. 6. Pract. med. part. 4. cap. 21.* non ſine diſcrimine, ſeu magna cum cautione, in pueris præſertim tenerioribus adhibendas eſſe, etiamnum quotidiana docet experientia. Hoc enim præſenti die, Magiſtratus hujus loci rogatu, unà cum Chirurgo caſtrenſi gemellos (puellum & puellam) dimidium annum natos, ſubitò extinctos conſpicere & examinare licuit Collegæ meo honorandiſſimo, *D. D. Johanni Avenio.* Gemelli enim hi proximè præterito die Solis, tempore matutino, unguento ex butyro & mercurii vivi ℥j. præter propter confecto, in inguinibus, dorſis & capitibus ſemel ſaltem fuerunt inuncti, atque eodem die, circa noctem horâ octavâ puellâ obeſior fraterculo ſuo natuque prior, puer verò ſubſequenti mane diei, nimirum Lunæ, è vita exceſſerunt, ambo convulſionibus epilepticis priùs miſerè excarnificati. Idem ferè non pridem in puero unius anni conſpicere licuit, quem Chirurgus cingulo mercuriali cinxerat, hinc revocatis intro aphthis, achoribus & favis capitis, faciei & corporis, in vitæ diſcrimen puer conjectus, vix convenientibus remediis expellentibus ſervabatur ex morbo graviſſimo.

Ex literis Colbergâ 5. Martii A. 1685. miſſis, ad D. D. Mentzelium.

SCHOLIUM.

HAnc exitiosæ vel periculosæ inunctionis mercurialis historiam illustrant exempla quæ collegit beatus noster *D. Phil. Jac. Sachsius in schol. ad Dec. I. Ann. Eph. Curios. obs. 25.* exstant etiam alia in *An. I. obs. 80. Bald. Timæi respons. med. 43. Joh. Rhodii cent. 3. obs. med. 86.* Simile quoq; mox in principio praxeos meæ in filiolo filiolaque zythopoei cujusdam nostratis, Joh. Stegmanni, observavi, utroque ob scabiem à mercuriali unguento illito retrogredientem, in summam pectoris angustiam, totiusque corporis intumescentiam præcipitato, quibus tamen, divinâ adjuvante gratiâ, aqua cardialis sudorifera à me exhibita, præsentaneam opem attulit; quale periculum etiam sexennio abhinc tres filioli, P. A. Consulis in vicina aliqua Bavariæ urbe, sed alia ex causa, subierunt; cùm enim pediculis & tineâ in capite graviter essent adfecti, insperso, ex aniculæ consilio, tabaci pulvere, omnes corpore toto & capite præsertim intumuerunt, inque difficilem respirationem cum virium prostratione inciderunt; quorum natu secundus, cùm illuc vocatus, quamvis absque mora advenissem, jam vitâ excesserat, reliquis duobus à datis unâ alterâque vice cum Mithridatio Damocr. aliquot lapidis bezoardici orientalis granulis; paulò post, sudore excitato, priori sanitati restitutis.

(*L. Schröck, L. F.*)

FOemina quædam pro curanda capitis scabie & profligandis pediculis tabaci vulgaris pulverem butyro permixtum tribus filiolis simul illinit, sed teneræ mox omnes in vertiginem & vomitiones enormes abripiuntur, æstuant, sudant, animo linquntur, idque per ipsum diem naturalem 24. scil. horarum, instar temulentarum trepidant, titubant, nauseant, quiete & syrupo de citro sæpius exhibito, refectæ.

(*Argonauta.*)

OBSER-

OBSERVATIO XVII.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
DE
Phthiſicis curatis.

OBſervationibus in hoc Ephemeridum Tomo recenſitis Cl. Dn. Crügeri, Collegæ mei in Pomerania vicini, de phthiſi aliquoties curata, adjungere viſum eſt, quæ itidem mihi in praxi hoc in paſſu experta eſſe, jam incidunt. Recordor in phthiſicis carne emaciatis, ſed vaſis peramplis & ſanguine turgidis cum calore p. n. adjuncto, non ſemel felici cum ſucceſſu venæſectionem me adhibuiſſe, ubi phthiſis incipiens quidem curata, inveterata verò cum juvamine ægrotantis manifeſtè ad aliquot annos protracta fuit. Sic in caſtris ſubinde eveniſſe novi, ut qui per pectus transverſim gladio vel ſclopeto fuerunt trajecti, nihilominus curati, vitam licet anheli per multos annos traxerint, ſubinde nunc pus, nunc aliquid de ſubſtantia pulmonum, oſſiumvé pectoris extuſſientes. Ita contigit, ut, cùm in caſtris A. 1658. in Holſatia Ducem Generalem de Phuel, qui Legionibus Brandeburgicis præerat, febre ardente decumbentem curarem, is tuſſi moleſtisſimâ, quam contraxerat (ut juratò affirmabat) tunc temporis ante 20. annos ex vulnere ſclopeto per integrum pectus ei in certamine inflicto, & feliciter curato, feſtucam vel fruſtulum ex coſtarum aliqua ſclopeto ei fracta ad dentes elideret, quod ex ore eximens mihi monſtrabat, & talia ſubinde per 20. annos perpeſſum fuiſſe à dicto vulnere ajebat. Et cùm acida phthiſicis rarò proſint & prohibeantur, accidit tamen, ut non rarò ea, moderata quidem, ſalutaria deprehendantur. Ita, miſſis certis medicamentis acidis, præcedente anno juxta fontem ſalutiferum Freienwaldenſem occurrit mihi Eccleſiaſtes quidam ex pago ad Oderam ſito Sachſendorff, vir 65. annum agens,

Samuel

Samuel Weitzman, qui à Medicis phthisicus dijudicatus & derelictus, ex hoc fonte per aliquot dies hausto, sanitatem integrã recuperaverat, licet aquæ ejus sint semi-acidulæ, plurimumq́ue de ferri minera participent; cumq́ue ejus relatione non essem contentus, quòd ejusmodi aquæ acidulæ à phthisicis non sine vitæ discrimine soleant hauriri benè conscius, rogavi, ut ejus rei mihi testimonium suâ manu exhiberet, quod Seren. Electori transmitterem, actutum id præstitit. Quod ex Germanico translatum paucissimis placet adjungere: „Subscriptus ego, Dei placito, ulcere pulmonum diu fui detentus, „attestantibus, quos consului, Medicis. Tussis igitur molestissima cum respiratione difficili, & ejectione purulenta cùm „nullis medicamentis cederet, contuli me ad filium meum „in pago Ramph prope Freienwaldiam commorantem, cui „affectus meus erat notissimus; hic mihi de mira fontis Freienwaldensis in vicina existentis virtute & efficacia multa e„numerabat, unde dictum factum, nos ambo ad fontem con„tulimus, ex quo aquas bibimus, & aliquot vasa iisdem reple„ta & obturata nobiscum reportavimus domum, ubi manè, „meridie, & vesperi circa noctem eas hausimus. Indè paullo „post per Dei gratiam levamen aliquod affectûs mei sensi, tussi „validâ & purulentâ ejectione indies decrementum sumenti„bus donec intra sesqui-hebdomadam per Dei clementiam „ad pristinam & integram sanitatem redierim. Pro hoc de„bitas Deo meo persolvo gratias, obnixè orans, ut Idem Di„vinum Numen huic fonti ulteriores virtutes velit largiri, „quò &c.&c. Dabam in Pago Ramph d.26. Augusti st.v. Anno „Salutifero 1684. Samuel Weitzman, Pastor in pago Sachsen„dorf, anno ætatis meæ 65. muneris verò Ecclesiastici mei „quadragesimo &c. Dixerim, Aquas has, cùm non sint veræ acidulæ, aut plurimo vitriolo, nitro, sale, calce, sulphure, ferro, aliisq́ue mineralibus imprægnatæ, sed ex limpido vivido fonte, pauco sulphure & ferri qualitatibus constante, scaturien-

turientes, à phthiſicis, ſed non omnibus, minùs periculosè poſſe bibi. Sunt & aliæ cauſæ, quæ phthiſeos curam confirmare poſſint, Medicique prudentiæ ſubminiſtrantur.

[Berolino ad D. D. Volckamerum miſſa.]

OBSERVATIO XVIII.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Cadavere ad quartum diem calido.

SUdorem poſt mortem dedi *Obſervat. 83. Ann. III. Dec. I.* cui ſimilem inſeruit obſervationem Exc. *D. Frommann ejusd. Decur. Ann. VI. obſ. 185.* Caſus, quem jam deſcribam, eſt oppidò rarus: Obibat hîc Grünebergæ ipſo Nativitatis Chriſti die Anno 1684. Vir primarius, mediæ ſtaturæ, ſuccoſus & optimæ naturæ, jam 72. annorum, vino adſuetus. Corripiebatur cauſode cum inflammatione & tumore pedum ac abdominis inſigni, & nonus morbi dies ipſum morti tradebat. Ante obitum inteſtina gangrænoſa in ſcrotum delapſa ita inficiebant eum, ut teſticuli deciderent: membrum autem virile penitus diſparuerat; quod an intra abdomen ſe receperit, an ut putridum natura ſegregaverit, & inter lecti excrementa latuerit, adſtantes declarare nequibant. Corpus demortui pro more lavabant & in conclave frigidum (erat autem in noſtris oris intenſum frigus) recondebant. Circa veſperam domeſtici conclave ingreſſi tangunt corpus, exploraturi an obriguerit, (noſtris quippe id ſuperſtitionis alentibus, ut, cadaver ſi non ſit rigidum, plures conſanguineos morte ſucceſſuros credant,) & calidum inveniunt; ſecundo die iterum accedentes eundem calorem tum in abdomine tum in tergo obſervant; prout & tertio ac quarto die aliquis tepor tangentium manibus cùm ſe obtuliſſet, quinto demum die evanue-

evanuerat. Obibat novem abhinc annis Nobilis à L. marita ſuffocatione hyſtericâ; cui cùm Pharmacopola nodulum laxantem cum manna dediſſet in puerperio, ipſa ob dulcedinem mannæ ſtatim fuerat correpta dicto morbo; cumque adſtantes ejusdem iterationem urgerent, & ipſa, coacta licet, obſequeretur, malo aucto, ſpatio 24. horarum moriebatur. Ego acccerſitus, inveniebam omnia deſperata, idque indicabam, beatâ analyſi mox mox inſequente. Summus calor totum urebat corpus, & tribus poſt mortem horis in capite adhuc calorem palpabam, qui tandem pedetentim deſinebat cum rigore totius corporis.

SCHOLIUM.

UTi calor in corpore humano ſæpe à putreſcente aliquo humore, vel viſcere exoritur, febrilem adfectum excitans: ita ſi eadem putredo aucta nimis continuet in cadavere, non mirum eſt, exortum hinc calorem unà perdurare. Idque eò magis accidet, ſi externus ambiens aër frigore ſuo particularum efferveſcentium vel fermentantium exhalationem impediat, ſicque eas in cadaveris cavitatibus concentrando, majorem illis activitatem tribuat. Similem ad putredinem tendentium corporum calorem fœnum madidum, aliavé hujusmodi congeſta æmulantur; qua ratione etiam equinum ſtercus, licet vitâ omni privatum, quamdiu calorem retineat, Chimici, quibus pro digeſtione idcircò inſervit, non ignorant. Quòd hydropici aliquando ad tertium usque poſt obitum diem caleant, Exc. *D. Franciſcum de le Boë Sylvium* obſervâſſe ſcio; quale quid & ipſe unâ alterâque vice in cadaveribus deprehendi, ut non tantùm altero die poſt obitum anatomico cultro aperta, vaporem putrido fætore ingratum adhuc manifeſtò ex abdo-

abdominis cavo emiſerint, ſed & ſuperficies externa tangenti manui teporem oſtenderit: Hinc Hyſtericæ, Apoplectici & Epileptici ea de cauſa ſeriùs terræ ſunt mandandi. *Cam. l. 7. memor. p. 41. A.*

(L. Schröck, L. F.)

OBSERVATIO XIX.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Uſu hirudinum in variis morbis.

QUod hirudines profuerint in cephalalgia & tumore linguæ, habet *obſervatio 9. Anni VI. Decad. I.* Adjunge ſis *Rolfincii Ordin. & method. medic. ſpecial. commentat. pag. 405.* Mercator Grunbergenſis, Papelbaum, laborabat hæmoptyſi ob fluxum hæmorrhoidum; applicabantur hirudines ano, aliaque huic affectui deſtinata dabantur, cum ſucceſſu. Virgo ſcorbutica 20. annorum laborabat dolore dentis concavi, ſuadebam ut admitteret hirudinem, quæ gingivæ adhibebatur, & dolor omnis abibat. Scorbuticus laborabat gonagrâ, admittebat ſuctionem 5. hirudinem in loco affecto, ſicque à dolore liberabatur. Mercator patiebatur dolores hæmorrhoidum atroces, geminâ vice ſuadebam admiſſionem hirudinum, & reſtituebatur. Habuimus, quamdiu hîc vixi, (vixi autem ultra 16. annos,) in noſtra civitate plures ſcorbuticos & ſpleneticos, ob vina noſtra pendula & minùs defæcatam cereviſiam, hi ſi non ſingulis annis ſemel aut bis adhibuerint hirudines, plurimis fuêre correpti ægritudinibus. Nobilis à Stentſch ſenſit eos proficuos in melancholia hypochondriaca, poſt uſum aliorum remediorum, & adhuc tales experitur. Hoc etiam liceat addere: Hirudinem petulantia ſodalium cujusdam ſervi calefactoris balnearum, hirudines ad rivulum quærentis, dum ſomno obrueretur, glandi virili

 appli-

applicuit; qui expergefactus nil mali inde habuit, niſi quòd erectio penis ad aliquod tempus ceſſarit, quæ tamen paulatim poſtea rediit. Vide *obſervat. 142. Dec. II. Ann. II.*

OBSERVATIO XX.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Hæmorrhagiæ cura.

VIrgo Lipſienſis 22. annorum, menſe Martio hujus Anni 1685. ad nos veniebat, inviſura fratrem. In itinere cùm nimiùm ſaltaſſet, & poſt ſaltum cereviſiam avidè ingurgitaſſet, paulò poſt corripiebatur febre tertianâ intermittente, quam Pharmacopola expellere tentabat purgante & ſudorifero; illud ſex concitaverat ſedes, hoc nil niſi effervefcentiam ſanguinis, cum eruptione menſium leni, & copioſiſſimâ narium hæmorrhagiâ; poſtea menſes ſubſiſtebant, at nares continuò ad plures horas ſtillabant. Deliquia animi cùm mala præſagirent, anxiè meum imploratum conſilium: ego, exprobratis exprobrandis, jubebam inſufflare in nares pulverem *obſerv. 151. Anni IX. Dec. I.* annotatum, qui me nunquam deſtituit, & pronuper in contumaciſſima lanionis noſtri, Joh. Schmidii, hæmorrhagiâ omne tulerat punctum; plurima item interna accerſebam, & Saphænæ ſectionem jubebam; ſuadebam quoque Magnifici *D. Volckameri* liquorem ſtypticum *Ann. II. Dec. I. obſ. 223.* notatum; & tardiores guttulæ, erumpebant, fluxu tamen non penitus intermittente. Tandem ex impatientia relicto lecto, terram petit, & ita proſtrata jacet, facie à copia ſanguinis deturpatâ; cùm, ut abſtergerent, monerem, una adſtantium ſtrophiolo aquæ frigidæ immerſo totam faciem abluebat: dictum, factum; ſanguis ſubſiſtebat ob terrorem (habebat enim oculos clauſos ut ſemimortua) à frigiditate conceptum. Sic inſperatò profuimus. Affuſio aquæ

aquæ frigidæ circa nucham in hæmorrhagia renitente & profuit & nocuit: nocuit in dicta observatione *Magni Volckameri*: si profuit absque succedente noxa, laudamus: nostra autem lotio cum aqua frigida nil poterat damni creare, nisi quòd ob lenem terrorem sanguis in cor irrueret, isthocque pacto à liquore styptico venulæ narium apertæ constringerentur, qua ratione sanguis, qui jam erat valde imminutus, substitit; cùm in principio, meâ quidem opinione, nil lotio hæc valuisset.

SCHOLIUM.

SImilem casum de hæmorrhagia narium à terrore, à frigidæ perfusione concitato, cohibitæ, habet *Dominic. Panarolus pentecost. 5. observ. med. 27.* Quàm periculosum autem sit, idem in his casibus tentare, differentem videre licet Exc. *D. Herman. Grubium de arcan. medic. non arcan. pag. 184.* Conferatur etiam de eadem cura, tutiori methodo adhibenda *Laur. Bellini* discursus, quem habet *tract. de sanguin. miss. propos. 8, pag. mihi 154.*

(*L. Schröck. L. F.*)

OBSERVATIO XXI.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Gravi oculi vulnere.

MIles, homo quadratus, 33. annorum, natione Coloniensis, in obsidione Budæ An. 1684. hac ratione vulneratur: Cùm Turcæ tormentum majus explosissent, globus in lapidem grandiorem, cum utriusq; disruptione illidit, & ex frustis hinc indè dissilientibus, globi frustulum ferit nostrum circa nasi radicem per canthum sinistrum deorsum, sic ut per orbitam usque ad cavitatem post

 aurem

aurem penetrârit, & cute non discissâ ibi substiterit. Chirurgus adveniens oculum aliquot musculis adhuc inhærentem discindit, & taliter qualiter, ut in bello fieri solet, deligat, nec ulteriùs ipsum invisit. Partes læsæ statim intumuerunt cum magno cruciatu. Altero die alius ipsi emplastra imponit, & consequenter modò hic, modò ille. Comedit & bibit quidquid in promtu erat, remittentibus nonnihil doloribus, præprimis ubi copiosè pus per os & nares excrevit. Interim summo cum dolore perfodit natura illam cavitatem sub aure, ubi hæsit frustulum, inscio tamen ipso vulnerato, & aliquid materiæ purulentæ exclusit. In quo statu ad decimam quartam usque septimanam permansit, quo tempore ad nos venit. Consuluit in itinere, quando potuit, sed obiter tantùm, varios Chirurgos. Partitis vicibus per os ejecit ossicula aliquot, & clauso priore foramine, natura aliâ duo fecit in medietate colli, summo cum dolore, frustulo ob gravitatem descendente, & materiâ purulentâ sat fœtidâ copiosè de die in diem per foramina effluente. Apud nos barbitonsor ipsum per 4. septimanas deligavit sine ulla mutatione. Tandem petitu Senatûs & Colonelli, in meam & alterius Chirurgi curam pervenit. Collum tum adhuc tumebat, aderat fœtor abominabilis, materia fluebat per duo illa colli foramina copiosissimè, & geminum foramen etiam apparebat in interstitio clavicularum sub jugulo. Expurgo caput & corpus, mundifico sanguinem ob scorbutum, adjungo alia, cum bona diæta: Chirurgus itidem sua faciendo, palpebras observabat, excrescentiam carnis absumebat, & aliqualem, quantùm possibile, decentiam cavitati oculi procurabat, ulcera superiora ritè expurgata claudebat. Sub jugulo autem extantia foramina, quia in unum coaluerant, aperta detinebamus, & paulò post aliquid duri offendebamus, quod putabamus esse ossa à natura huc trusa ob læsam calvariam: impero, ne naturæ vim inferat Chirurgus, aut vi extrahat, cui cùm obtemperaret, natura indies plus protrudebat, usque

Frustulum globi metallici.

fol. 54. Fig. I.



Cuspis sagittæ.



fol. 55.
Fig. II.

Fragum botryforme

Fig. III. fol. 83.





usque dum frustulum hocce metalli excluderet, idque 22. Septimanâ, à vulneratione. Miles autem jam optimè valet, iterum petiturus Hungariam. Frustulum metalli hîc mitto, ut æri incidatur, cujus pondus est ℥j. ʒvj. ponderis medicinalis.

[*Ex literis, Grünebergæ d. 5. Maji, 1685. scriptis.*]

Fig. I.

SCHOLIUM.

Cum observatione hac aliquam cognationem habet casus à *Phil. Höchstettero Dec. 6. obs. medd. cas. 9.* memoratus, de Nob. *Dn. Magno Jacobo Seizio*, adfinitate mihi juncto, qui puer, quatuordecim annos natus, ab alio sagittâ in oculi sinistri pupillam A. 1594. d. 1. August. ictus, cuspidem ferreum cum ligni particula, frustrà à Chirurgo, ut extraheretur, ob ægri accedentem debilitatem, tentatum, triginta annorum spatio, sine ullo incommodo in capite circumtulit, oculo videndi quidem potestate destituto, motum tamen & nativam ferè faciem retinente, usque dum post febrem tertianam duplicem subortus catarrhus, multas sternutationes ipsi concitans, cuspidem illum ad nasi foramen sinistrum protruserat, hinc forti inspiratione ad palatum retractum, perque os expulsum. Cujus ideo facere mentionem hîc libuit, cùm ejusdem historiæ αὐτόγραφον, ab ipso vulnerato conscriptum, & postea ab ejus Vidua Char. Parenti meo, unà cum dicto mucrone oblatum, hujus dono possideam; cujus mucronis figuram hîc itidem dare liceat, parte ejus superiore, quam lit. *a.* notat, ipsum cuspidem ferreum, & lit. *b.* particulam ligni cuspidi inhærentem designante.

(*L. Schröck, L. F.*)

Fig. II.

OBSER-

OBSERVATIO XXII.
D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.
De
Calore post mortem perdurante.

QUotidie observata morientium conditio abunde nobis ostendit, quòd simul ac inexplicabile illud Animæ & Corporis dissolvitur vinculum, eodem planè temporis articulo & anima hominis brutalis sive sensitiva evanescat. Nimirum subtilissimæ illæ fluidorum nostri corpori moleculæ (quas spiritus vocamus) vitali suo, quo ornatissimam corporis humani machinam pro determinata cujusque partis conformatione, dum vivimus, exercent, destituantur motu, & corpori terreno mors gelida brevi abominabile inducit frigus. Unde sublimis *Plato in Phæd. p. m. 573.* mortem per animæ à corpore solutionem appositè expressum ivit, & mortuum esse solutum ab anima, corpus per se seorsum esse, seorsum quoque à corpore animam solutam ipsam per se ipsam existere. Et, qui subtilitatis famam olim acquisivit *Scaliger exercit. 370.* mortem appellat omnium animæ functionum cessationem propter compositi dissolutionem. At verò regulæ hujus naturæ qualemcunque exceptionem sequens innuere videtur Observatio: Matrona nobilissima, cachectica, primis conjugii annis, ter in uno quinquennio paralysin gravissimam passa, tandem tympanitico-ascitica evadit, & actis in conjugio sterili 12. annis, quinto affectûs hydropici mense moritur Anno 1682. Post mortem observatum fuit, pedes prætumidos in curvo, quem in vivis necessitas injunxerat, situ mox obriguisse, collum, brachia & manus post 18. demum horas; sed abdomen 24. horis adhuc naturaliter caluit, calore hoc spatio 6. horarum sensim evanescente; ut adeo calor 30. horis

horis post mortem permanserit, nec omnem mors, calor enim non datur absque motu, sustulerit actionem in corpore. *vid. supra obs. 18.*

OBSERVATIO XXIII.
D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII,
De
Sulcia Hallensi Tiroliæ.

EXoptatissimum illud pariter ac summè necessarium ciborum condimentum Sal tot in Germania Salinarum scaturigines tantâ fundunt ubertate, ut inter præcipuas felicis Germaniæ dotes Salium isthæc affluentia referri mereatur, sed & antiquitatis gloriâ superbiunt nobiles hi fontes, ut nec *Tacito Annal. lib. 13. cap. 57.* nec *Plinio lib. 31. c. 6.* neque *Varroni lib. 1. de re rust. cap. 8.* fuerint incogniti. Non enarrabo antiquissimam extrahendi salis artem veterum Germanorum per infusionem Salinarum ardentibus lignis, de qua videndi citati *Plinius* & *Varro.* Sed operæ pretium erit referre, quo ingenio Tirolensium Sal haud incelebre Halæ uno milliari ab Oeniponte dissitæ hodierno tempore confiat. Est sal istud medium quasi inter sal fontium & fossile. Etenim licet instar fontium satis excoquatur, extrahendus tamen est priùs latex iste salinus ex minera lapidosa inter durissimas rupes in cameras certæ dimensionis excisa, beneficio aquæ dulcis, in eodem monte salientis, eò derivatæ. Atq; hac ratione industria hominum imitiari videtur, quod intra telluris corticem ipsa agit officiosa natura, quæ salis jam eloti largissimos rivos in fontes exprimit salsuginosos. Plenius descripsit istam salis Tirolensis confectionem Mercator solertissimus, *Dn. Joh. Georg. Steinerus* in literis ad me datis, Winterthur 3. Maji 1679. Die verlangten Saltzsteine / welche ich selbst zu Halle im Innthal / ein Meil unter Insprug abgeholet / kommen aus

dem Tirolischen Saltzberge / welcher zwischen den harten Felsen (die offt viel Klaffter lang mit grosser Arbeit müssen durchgebrochen werden) dergleichen Saltz-Gewächs gleichsam gebieret. Dann da werden grosse Kammern oder Stuben in die Saltz-Felsen eingehauen / in welche das aus dem Stein-Felsen darbey entspringende süsse Wasser (so recht verwunderlich) durch Teuchel gerichtet / und darinn so lang gelassen wird / biß es Saltz genug an sich gezogen / und die Sur gerecht ist. Die wird probirt mit einem Ey oder sonst höltzernen Instrument / wenn es nicht mehr zu Boden fällt. Alsdann wird diese Stuben in einem darzu gerichten Gang / gleichwie ein grosses Faß / angezäpffet / und durch einen grossen Reibhanen nach belieben abgelassen. Das Saltzwasser oder Sur wird durch Canál und Teichel hinab biß zur Pfannen geleitet / und in grossen eisernen Pfannen gesotten / da man alle 4. Stund schönes Saltz abziehen kan. Alsdann wird das Saltz in Fässer eingestossen / und dem Kauffmann an die Hand gegeben. Ich habe das Saltz ein Gewächs genennet / dann wann eine Stuben oder Kammer geleeret ist / so wird solche um 4. in 5. Schuh nicht mehr so tieff seyn / als sie gewesen / ehe sie mit Wasser angefüllet worden. Also indem das Wasser das Saltz an sich zeucht / so zeucht es zugleich soviel Erden empor / daß man die Stuben wieder säubern muß. Und wo etwan die Gänge durch die Saltz-Felsen gehauen sind / daß ein Mann aufrecht und zween neben einander gehen können / mag es doch in 5. oder 6. Jahren so viel wieder wachsen / daß ich selbst durch einen solchen Gang gebückt und allein kümmerlich kommen können. Transmissi à Domino Steinero Lapides candicantes & egregiè crystallisati, aliqui rufescentes nec minùs crystallisati, omnes verò valde duri existunt. Salis rupei Indiani durissimi exempla ex *Petro Martyre*, *Paulo Veneto*, & *Cadamusto* refert *Erasm. Francisci part. 2.* deß O. und W. Indianischen / auch Sinesischen Lust-Gartens *p. m. 1168.*

[Ex literis Jaueræ Siles. d. 6. Maji A. 1685. exaratis.]

SCHO-

SCHOLIUM.

DE Salinis iſtis Hallenſibus etiam quædam leguntur apud *P. Athanaſ. Kircherum* in *Mundi ſubterr. lib. 6. ſect. 1. cap. 4.* & *Hippol. Guarinonium libr.* von Greueln der Verwüſtung Menſchlichen Geſchlechts *lib. 3. part. 1. cap. 11. & 12.*

(L. Schröck, L. F.)

OBSERVATIO XXIV.
D. GOTTOFREDI SCHULTZII,
De
Morſu hirudinis, noxio.

HIrudines Corpori humano in variis affectibus ad evacuandum ſanguinem magno cum emolumento applicari; ſi tamen imperitè tractentur, non levem quandoquè noxam eidem inferre, notius eſt, quàm ut multis hîc recenſere verbis opus ſit. Lubet tamen paucis enarrare, quid ab improvidâ earum adminiſtratione Amicorum cuidam haud ita pridem acciderit.

Vir iſte ſanguineus & εὔσαρκος ex vitio diætæ rubedinem faciei, & imprimis naſi contraxerat tantam, ut ſibi à guttâ roſaceâ jure metueret. Hanc ut præcaveret, inter cætera pinnis & globulo naſi Hirudines applicabat, idque aliquoties optimo cum ſucceſſu. Accidit autem, cùm aliquando tres ſaltim hirudines ad manus eſſent, (plures enim, unâ vice adhibere ſolitus erat,) ut, defectum earum iteratâ applicatione ſuppleturus, unam earum ab hauſto ſanguine turgidam deciduamquè ſale conſpergeret, edoctus à barbitonſore, hâc ratione hirudines omnem ſanguinem, quem ſuctu imbibiſſent, egerere, denuoque famelicas reddi. Quo facto, illa quidem partem cruoris hauſti evomuit, ſed vehementiſſimè ſimul moveri, variosquè in

què in gyros contorqueri visa est, quos motus in aquâ, cui salis abluendi caussâ eam injecerat, diu etiam continuavit.

Tandem quietiorem factam naris dextræ pinnæ rursus apponit, statimque ac illa sugere incipit, dolorem acutissimum vixque ferendum percipit, paulloque post hirudo mortua decidit. Mox in loco admorso tumorem durissimum oriri sentit, qui paullatim latiùs sese explicans, aliquot horarum spatio maximam faciei partem, imprimis dextram, ipsumque adeò collum ad usque claviculam occupat. Hic tamen ab iteratò sumtis sudoriferis internè, adhibitisque externè discutientibus, tridui spatio omnis evanuit, nullo sui vestigio, ne in ipsâ quidem parte læsâ, post se relicto.

[Ex literis, Uratislaviæ d. 18. Julii A. 1685. scriptis. Vide supra Observ. 19.]

SCHOLIUM.

Hirudines cùm sanguinis dulcedinem mirè adpetant, eumque trifido suo osculo (quem in medio tubulum rotundum mobilem habere animadvertit noster Exc. *D. Joh. Muraltus pag. 579. Cl vis med.* circa quem undique tribus radiis papillæ disponantur, quibus insident totidem secures sive lanceolæ splendentes, convexæ, acutissimæ, corneæ; iisque in poros cutis defixis vulnuscula infligant,) avidè & vel ad necem usque hominis, ceu puella in *Dec. hujus Ann II. obs. 142.* testatur, exsugant, quòd sale, dulcori isti admodum contrario, conspersæ sanguinem haurire desinant, haustumque revomant, adeò mirum haud esse potest. Unde etiam accidere fortasse in hoc casu potuit, ut sanguisuga inimico hoc sapore irritata nimiùm, morsu suo, aliorum animalium instar nocuerit; vel ipsa à peregrino hoc sale læsa in convulsivos motus inciderit, sicque spiritus suos inordinato motu isto tumultuantes, cum osculi humore, sale infecto, in nares admorsas derivaverit, qui motũ seri & san-

& ſanguinis jam antea in ſtatu naturali poſiti, eò faciliùs ibidem pervertendo, noxam illam dein induxerunt; præſertim cùm hirudines non omnino ab omni veneni labe immunes cenſeantur, quod an aquâ ſimplici elui poſſit, quum perpetuò in aquis degant, non immeritò dubitat *D. Thom. Bartholinus cent. 4. hiſt. anat. 74.* Cæterùm ad tollendos rubores faciei jam ex antiquioribus Medicis *Trotulam lib. de paſſion. mulier. cap. 61.* ſanguiſugarum applicationem circa nares & aures ex utraque parte, propoſuiſſe legimus: ex recentioribus etiam easdem commendat *Zacutus Luſit. de princip. medic. hiſt. obſ. 3. lib. 1.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XXV.
D. PETRI ROMMELII,
De
Antipathia cum Gammaris.

AMici cujusdam mei integerrimi, Medici extranei uxor nobiliſſima, præ aliis ferè eduliis aſtacos fluviatiles in deliciis habet: ſed quotiescunque iis veſcitur, voluptatem hanc, vix non momentaneam, ſat gravi, tædioſâ, imò ipſius valetudini inſidioſâ pœnâ luere cogitur: Poſt eſum enim eorum immodicâ & ſat diuturnâ corripitur ſternutatione, quæ tam frequens & vehemens eſſe ſolet, ut præter dolorem capitis vehementem, vires etiam ad tempus aliquod haud parùm labefactet, proinde volens nolens ab eſu illorum (nî ſubinde hæc perpeti ſymptomata velit) abſtinere cogitur. Hanc à comeſtis cancris cauſatam ſternutationem rectè Excell. *D. D. Francus, Prof. Heidelberg.* ad ſympathiæ naturalis cum antipathia animali luctam refert. Notum enim eſt, ſæpe palato aliquid eſſe ſapidiſſimum, quod alteri ſive viſceri ſive facultati inimicum & graviſſimum eſt, & ſpiritus cum carne

ſæpe luctari. Non rarum etiam, modò citati Excell. *D. D. Franci* experientiâ, quosdam vini & ventriculi ſympathimate certos, vino tamen largiùs poto, immensùm ſternutare, quòd animalis œconomia ferendo non ſit, quæ naturalis concupiſcit, & vice versâ. Addi hæc Obſervatio poſſet *Capiti 4. l b. 2. Gammarolog. curioſ. D. D. Phil. Jac. Sachſii*, ubi de noxa ab aſſumptis cancris agit.

SCHOLIUM.

STernutatio uti levis quædam eſt convulſio, atque nervoſarum partium ab irritatione dependet: ita materiam aliquam acrimoniâ infeſtam concurrere ſupponit; quam ſanè in gammaris, ſale aliquo volatili inſtructis facilè deprehendimus, quod factâ in ſtomacho digeſtione reſolutum, dum ſanguini, penetrando per poroſas ventriculi membranas, ut & chylo ſeſe immiſcendo, communicatum, atque ad nares vel eas ſuccingentem membranam, craſſioris menyngis ſobolem, delatum, aut etiam ex ipſo ſtomacho per œſophagum & palati foramina illuc penetrans, nervoſas narium partes vellicat, ſerumque ibi occurrens rarefacit, ad exploſionem illam diſponere valet. Quòd verò non omnibus in individuis, & rariſſimè quidem, hunc motum excitet gammarorum comeſtio, diverſa membranoſarum iſtarum partium, plurimis fibris nerveis inſtructarum, à conſtitutione, i. e. majore minoréve ſenſibilitate provenire dicemus; qua ratione quosdam rariùs vel nunquam, alios crebriùs & facilè ſternutare videmus: tum etiam in ipſam maternam imaginationem, talismodi antipathiâ fœtum ſignantem, cauſam rejiciemus; qua fortè potuit fieri, ut feminæ nobiliſſimæ in hac obſervatione memoratæ mater, filiam hanc cùm utero gereret, odorem gammarorum coctorum ægerrimè tulerit, vel etiam intenſiùs expetierit, unde jam ſpiritus, narium incolæ, hoc noto odore excitati, inque majorem motum concitati, ſerum propriis advenisque gammarorum

marorum salinis spiculis armatum, unà vehementiùs agitant, & illud in nervosas fibrillas violentiùs impellunt. Confer. singularis antipathiæ cum gammaris exempla in *Ephem. harum Decad. I. Ann. I. obs. 135.* & *Ann. II. obs. 145.* memorata.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XXVI.
D. PETRI ROMMELII,
De
Paralysi singulari.

DOminus Schellingius, Specialis Superintendens Blavifontanus, Ducatûs Würtembergici, vir nonagenarius, post apoplexiam in dextri brachii paralysin terminantem, à duobus annis dicti brachii gravitatem & tumorem, sed saltem noctu dolorificũ, luctumq; minimè tolerantem patitur, de die nihil dolorum sentit; interim neque manum neque digitum, præter pollicem (ita tamen ut motus vix observari, vel ita nominari possit) movere valet: quando verò oscitat, tunc cum auriculari etiam annularis digitus spontè & liberè se movet, tamdiu, donec oscitatio cesset; quâ finitâ, motus etiam dictorum digitorum cessat, & extra hanc, licet maximè de motu horum & aliorum, ipsius etiam manus, sit solicitus; nihilominus tamen omni prorsus movendi facultate destituuntur. Singularem hîc nervorum constitutionem, communicationem & harmoniam adesse necesse est.

[Ex literis Ulmæ d. 20. Jul. A. 1685. scriptis.]

SCHOLIUM.

IN casu hoc satis obscuro si quid hariolari licet, causam momentaneæ hujus curæ (si loqui ita liceat) in paralysi, ipsa fortè natura oscitationis detegere aliquo modo poterit; qua nempe œso-

pe œſophagi tunica interior nervea, ad humiditatem nimiam, ſi eâ aggravetur, diſcutiendam, à ſpirituum exploſione quadam, uti *Thom. Willis part. 1. Pharmaceut. ration. ſect. 1. cap. 2.* ſtatuit, vel eorundem rarefactione expanditur & ampliatur. Cùm enim in hac œſophagi extenſione etiam nervorum ibi locorum præſentium extenſio unà fiat, quæ ſpiritus à libero influxu ibidem excludit, hinc retroactos majori copiâ & impetu ad alias partes deferri, & ſic majori robore hoc inſtrui contingit. Si jam in hoc paralytico eam nervorum flacciditatem & porulorum in eis concidentiam ponamus, quæ ſpiritus animales, à perpeſſo antea inſultu apoplectico, nec non ipſa ſumma ſenectute admodum debilitatos ac imminutos à libero influxu impediat, ab iſtis jam in oſcitatione concentratis ſicq; majori impetu agentibus nervorum flaccidas fibrillas magis extendi, ſicque in porulos eorum aditum concedi dicemus. Neque mirum eſt, ad ſolum auricularem annularemque digitum ſpirituum hunc fieri influxum, cùm in paralyſi non æqualis omnino partium omnium adfectarum conditio ſemper exſiſtat, unâ videlicet præ alia magis reſolutâ & adfectâ; ceu pollici in hoc ipſo etiam caſu aliqualem motum ſupereſſe, Excell. Dn. Autor nos edocuit.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XXVII.
D. EBERHARDI GOCKELII,
De
Aphonia & convulſione à terrore.

ANno 1684. circa Feſtum Divi Martini, Petrus Winckler, puer novem annorum, & Orphanus, à Pago Urſpring / in agro Ulmenſi ſito, licentiâ priùs ab avo ſuo impetratâ, ſolus in vicinum pagum Ballendorff / nata-

natale solum, sine dubio consanguineos ibidem salutandi gratiâ, ambulavit, ibidemque genio suo indulsit; cùmque expleto hoc suo desiderio ad avum redire, domumque reverti tentaret, in sylva densa & spaciosa per unam alteramve horam oberravit, ubi ipsi ex improviso venator, qui cervum cornibus in dorsum reflexis fugientem tubo pyrio insequebatur, glandeq; paulò post plumbea non sine fragore prosternebat, in conspectũ venit, qui puero adhuc præsente, dictam feram humi dejectam, pedibusque tractam in dumeto recondidit, posteaque cum cane, quem manu ducebat, ex vepreto reversus, puerumque adorsus, interrogavit, an non proximè rursus cum ipso venationi interesse desideraret? A quo stupendo, execrando, & inopinato consortio atque conspectu, Puer, qui sibimetipsi Cervum ante oculos positum, ac venatorem prosternentem, cum cane venatorio, altius sibi imaginabatur, totus perterritus, pavore, angoreque perfusus. horrendùm vociferatus, tandemque terrore plenus, viâ regiâ inventâ, domum reversus est; ubi per octo dies totus perturbatus degebat, eaque, quæ ipsi acciderant, domesticis, cum angore, referebat. Elapso verò octiduo, malum, ab hac visione terroreque conceptum, prorumpebat, ubi aphonus factus, convulsionibus gravissimis, apertione ac distorsione oris & palati histrionica, jactatione totius corporis, membrorum vibratione, vultu torvo, inverso, ac atroci, oculis minantibus, gestibusque teterrimis atque stupendis, aliisque diris mirandisque symptomatibus per duos integros menses, die nocteque, cum stupore ac terrore omnium adstantium, cruciatus fuit, frustraque ipsi remedia à vicino Medico adhibita sunt.

Quapropter Dn. Pastor Urspringensis, qui spiritualibus remediis ipsi prospicere fideliter tentabat, cum Præfecto Ballendorffensi, casum hunc miserrimum ac deploratum ad Amplissimum Magistratum illustris Reipublicæ Ulmensis de-

tulerunt, ejusdemque opem & auxilium implorarunt; Quo facto, præfatus Puer in Nosodochium publicum Ulmense receptus, curæque meæ demandatus fuit, quem decimo die Januarii, Anno 1685. prima vice inspexi, ipsumque quidem aphonum, sed non prorsus auditu & ratione carentem, pedibus verò cruciatim inflexis, versusque corpus arctissimè contractis, adque extensionem totaliter ineptis, maximoque dolore in extensionis conamine affectis, linguâque immobili, & ad exporrectionem ante os indisposita, cum calore præter naturali totius corporis, deprehendi.

Ad hoc itaque mirandum malum legitimis remediorum præsidiis faciliùs curandum, in causas priùs inquisivi, ubi tam ex relatione superiùs nominati Domini Pastoris, & Præfecti, quàm ex ipsâ inspectione, cæterisque circumstantiis, hunc affectum à causa tam externa quàm interna, partimque magica, partim verò naturali provenire, judicavi.

Externa causa magica, est apparitio cervi, venatoris, & canis, in deserta solitudine, quæ probabiliter nil aliud, quàm spectra & illusiones diabolicæ fuerunt, cùm neque de venatore, neque de cervo interfecto tum temporis ulli hominum aliquid compertum sit, & experientiâ constet, quòd hujuscemodi Dæmones meridiei, in sylvis & locis desertis, aliquando solo pavore spectrorum ac terriculamentorum, aliquando etiam pestilenti afflatâ lue, vel alio damno dato, hominibus nocivi & exitiales sint, sylvarumque & desertorum habitatione gaudeant: Quam Dæmonum meridiei speciem Jatricus BEBER, noctis verò KETEB nominat. De hisce Dæmoniis meridianis legitur, quòd hujusmodi Pan in sylvosis montibus novem rusticos ligna secantes, acuto suo cantu, diroque ejus furibundi aspectu corporis interfecerit. In Russia Orientali, sub meridiem, messis tempore, rura Dæmon, habitu lugentis viduæ, obambulare solitus erat, operariisque, nisi protinus viso spectro in terram proni venerarentur, brachia cruraque frangebat.

Cosdrois

Cosdrois item & *Justiniani* tempore, *Procopio* referente, cùm ingens & admiranda lues orbem fermè totum depopulabatur, visi sunt Dæmones in humana specie versari in publicis, privatisque locis, obviosque percutere, quosque percussissent, eos confestim, mediante virulento & ardenti afflatu, morbo gravissimo & exitiali correptos fuisse. *Martinus Del-Rio Disquisit. Magicar. lib. 2. quæst. 27. sect. 2. pag. mih. 313. 314. 315. & seqq.*

Causa interna maximâ ex parte naturalis est, nisi etiam per malignum afflatum causa magica conjungatur; Dum enim per hanc dæmoniacam apparitionem puer hic maximo terrore perfusus & consternatus fuit, eo ipso spiritus animales unà cum humoribus in Capite & Cerebro contentis vehementissimè perturbati sunt, sicque humores secum in magna abundantia in nervorum canales violenter rapuerunt, quibus mediantibus nervi infarcti & in latum distensi versus Caput & Cerebrum, utpote suum principium retrocedentes, partim convulsiones excitarunt, ac simul tali modo breviores facti, per contracturam nervorum sextæ conjugationis pedes sursum versus corpus secum arctissimè traxerunt, adque extensionem inhabiles reddiderunt; partim verò, propter obstructionem nervorum septimæ conjugationis, loquelæ destinatorum, linguæ immobilitatem cum aphonia causarunt

His ita perpensis, causisque hujus mali penitiùs examinatis, tàm ad obstructiones nervorum reserandas, illorumque situm ac motum naturalem reassumendum, actionesque secundùm requsitum naturæ promovendas, quàm etiam spiritus animales in pristinum statum reducendos atque roborandos, facultatemque animalem ad officium suum excitandam, sequentia Remediorum genera internè ac externè applicanda, præscripta & ordinata fuerunt. Qualia sunt, 1. die 10. Januar. ad motus convulsivos temperandos, caputque & spiritus animales roborandos. Recip. Aq. Ceras. nigr. ℥ij. Epilept. Lang. ℥j.

 Spir.

Spir. Cephal. Anhalt. compl. ʒj. Sacch. perlat. ℥ß. fiat mixtura, sæpius de die cochleatim sumenda. 2. Ad obstructionem nervorum reserandam: Recip. Ung. Nervin. ℥jß. Ol. hyperic. ℥ß. M. f. Liniment. nuchæ & spinæ dorsi manè & vesperi calidè inungendum; Quo unguento adhibito, Patiens die 11. & 12. Januar. cum omnium admiratione pedes contractos extendere, stare, atque ambulare potuit.

Die 15. Januar. iterum ad convulsiones arcendas, aquam sequentem accepit; Recip. Aq. Ceraſ. nigr. ℥ij. Epil. Lang. ℥j. Lavend. cum vino destill. ℥ß. Spir. Ceph. Anh. Compl. ʒj. Spir. theriacal. camphor. Ceraſ. nig. ana ʒij. Julap. rosar. ʒvj. Usus & dosis, ut prioris. 4. Die 18. Januar. ad Loquelam revocandam, tale Emplastrum vertici capitis, abrasis prius capillis, fuit impositum; Recip. Empl. de Tacamahac. ʒij. malax. cum Ol. majoran. fiatque l. a. Emplastr. extend super alutâ magnitud. imperialis; à cujus usu patiens voce leni & obtusâ, primâ vice loqui cœpit; Ad clariorem verò vocem reddendam, die 19. Januar. usus est tali Linctu; Recip. Syr. violar. liquirit. de jujub. ana ℥j. fiat mixtura cochleatim sumenda: Præter hanc mixturam totâ die succi liquiritiæ inspissati aliquid in ore devolvit, à quorum continuato usu indies vox clarior facta est, ita, ut brevi tempore preces articulatè recitare, animique sensa clarâ distinctâque voce exprimere potuerit. 5. Die 22. Januar. & seqq. reiteratis vicibus hæmorrhagiam narium immodicam passus est, contra quam talem potiunculam iteratò hausit: Recip. sperniol. Croll. gr. v. Laudan. Opiat. ſ. gr. j. Croc. Martis adstring. ℈ß. Syr. papav. errat. myrtin. ana ʒij. Aq. burſ. pastor. tormentill. ana ʒvj. M. pro dosi una. Et, Recip. Conserv. roſ. rubr. ℥j. Corall. rubr. præp. Bol. armen. præp. ana ℈j. pulv. rad. tormentill. ʒß. cum Syr. myrtin. ʒij. fiat Electuarium, de quo sæpiùs avellanæ quantitas sumatur. Die 29. Januar. ad insultus novos convulsivos & spasmodicos coërcendos, Recip. Aq. ceraſ. nigr. flor. tiliæ, pæon. ana ℥j. Epil. Lang. ℥ß. Syr. flor. pæon.

pæon. ℥ß. M. usus & Dosis, ut supra. Et, Recip. Pulv. Marchion. Mirabil. Epilept. Mynf. ana ℈ij. Cinnab. nativ. præp. Cinnab. Antimonii ana ℈j. Magist. Cran. homin. Magist. succin. Magist. Corn. alces ana ℈ß. M. f. pulvis. Dosis. M. & V. quantum Cuspide Cultri capi potest, in aqua antepileptica præscripta. 6. Die 9. Februarii, febre tertianâ spuriâ correptus est, ad quam profugandam sequentis pulveris portionem aliquam M. & V. in convenienti vehiculo deglutivit, Recip. C. C. præp. Ocul. 69. præp. Pulv. antifebr. Croll. ana ℈ij. Sal. Card. bened. ℈jß. M. Pro potu verò ordinario tali Decocto usus est, Recip. Rasur. C. C. ʒvj. hord. integr. ℥jß. Spec. pro decoct. pector. fl. & fr. ana ℥j. M. f. decoct. cum 2. mensur. aq. font. ad tertias. 7. Et quia ab hoc morbo, ac Symptomatibus, hæmorrhagiâ videlicet aliquoties perpessâ, ac febre vires defecerunt, iccircò die 12. Febr. tali roborante refectus est: Recip. Conf. rof. antiq. ℥jß. Julap. rof. ℥ß. f. Elect. sæpiùs avellanæ quantitate sumendum. Die 13. Mart. Convulsio Epileptica Patientem de novo adorsa est, contra quam sequentia medicamenta adhibita fuêre, & quidem, ad materiæ morbificæ exterminationem: Recip. Pulv. rad. gialapp. ℈j. pulv. Syrii gr. iiij. Castor. gr. v. Syr. rof. sol. de cich. c. Rhab. ana ʒij. Aq. Ceras. nig. ʒvj. M. f. potiuncula unâ vice haurienda. Et, Recip. Aq. Ceras. nig. flor. til. pæon. ana ℥j. hyrund. cum Castor. Epil. Lang. ana ℥ß. pulv. Marchion. ℈ß. Syr. pæon. fl. tunic. ana ʒij. Man. Chr. perlat. ʒiij. M. ad vitr. Dos. Cochlear. 2. M. & V. 8. Tandem, die 19. Mart. ad debilitatem stomachi, cacochymiam, ac incipientem Leucophlegmatiam corrigendam Elix. Propr. Paracelsi, quotidie guttatim in brodio carnis, vel aqua appropriata stomachica sumendum ipsi præscriptum fuit, à cujus, aliorumque recensitorum medicamentorum usu per Dei gratiam totaliter convaluit, & sic pristinæ sanitati restitutus est.

OBSERVATIO XXVIII.
D. EBERHARDI GOCKELII,
De
Puero decenni, ex dentitione febricitante, convulſo & ſyncoptico.

GEorgius Wilhelmus Holzhaii, Orphanotrophii publici Ulmenſis Moderatoris integerrimi filius, puer decennis, Anno 1681. die 28. Februarii, Diarrhœâ ſymptomaticâ laborabat, quæ ob metum dejectionis virium, adſtringente & roborante Electuario, (quia nemo de dentitione ſuſpicabatur) ſublata fuit; Quo facto, per inſequentes tres vel quatuor ſeptimanas, materiâ peccante ad interiores partes regurgitante, tàm malè habuit, ut præ laſſitudine caput vix erigere potuerit: Hanc laſſitudinem febris erratica intermittens excipiebat, quæ poſtea quotidiana facta, bis de die patientem invaſit, ac toties, quoties reverſa, ad amuſſim per horas duas durabat, quos paroxysmos febriles ſub finem animi deliquia, per quadrantem horæ manentia, comitabantur; quocirca urina craſſa, rubra & turbida, extra paroxysmum verò nonnunquam clara, naturalisque coloris ac conſiſtentiæ conſpiciebatur. Et hic Affectus procedente tempore in tantum auctus & exacerbatus eſt, ut bini paroxysmi febriles, qui de die antea diverſis temporibus ægrotantem divexabant, tandem in unum combinati, quaſi conjurati hoſtes, unitis viribus, unoque impetu, circa meridiem per quatuor integras horas, ſingulo paroxysmo duplum graviore exiſtente, in miſerè decumbentem ſævierint, quorum uno paroxysmo vix finito, ſtatim convulſio, & poſt hanc, confeſtim animi deliquium ſecutum eſt, quæ Symptomata, per tres quadrantes anni, quotidie ac ſine intermiſſione ægrotantem invaſerunt: Hique paroxysmi tàm ſtrictè durationis ſuæ tempus obſervarunt ut uni-

uscujus-

uscujusque finis, inversâ ac elapsâ clepſydrâ exactiſſimè, & ad arenulam menſurari præſcirique potuerit. Poſtquam verò febris emanſit, nihilominus violenta convulſio, cum mox inſequenti infirmitate ſyncoptica patientem aggredi perrexit, quæ indies uno paroxysmo adaucta, tali incremento quotidiano; tribus elapſis ſeptimanis, alternatim de die vicies reverſa eſt, cumque ſic ſummum cursûs ſui faſtigium attigiſſet, tandem, ſingulis diebus uno paroxysmo abſciſſo, elapſis viginti Solis luminibus, cum erumpentibus inferioribus dentibus caninis, dira hæc Symptomata evanuerunt. Cumque poſtea duo dentes canini ſuperiores, ac molares quatuor caninis vicini, dextri ac ſiniſtri lateris ſuperiores ac inferiores, per alveolos ſibi exitum parare ac erumpere moliebantur, dicta ſymptomata paroxysmorum convulſivorum & ſyncopticorum redierunt, ac creſcendo decreſcendoque fermè ſuperiùs deſignatum typum, (excepto numero, qui ultra tredecim paroxysmos de die non excedebat) retinuerunt, iterumque per tres quadrantes anni, aſcendendo & deſcendendo, perſeverarunt, donec quatuor poſteriores dentes molares utriusque maxillæ, ſuperni ac inferni, ſicque octo molares, terebrando gingivasque diſcindendo, exitum ſibi quæſiverunt, quibus erumpentibus, loco prioris convulſionis, hiſtrionica & ridicula pandiculatio brachiorum ac manuum obſervata fuit, quæ, poſtquam dicti dentes in lucem prodierunt, etiam evanuit.

Durante hujus affectûs tempore, corporis vires maximè defecerunt, pedesq; in tantum infirmati ſunt, ut per integrum biennium, ab anno videlicet 1681. usque ad annum 1683. neq; pedibus inſiſtere, multò minùs ambulare potuerit, ac interdum ambobus genubus, de loco ad locum in hypocauſto, rependo quaſi, ſe moverit; Quotiescunque etiam pedes ipſius, vel manibus duriùs apprehenſi, vel fortiùs fricati vel inuncti ſunt, patiens ſemper, & ex tempore, ob conſenſum cordis ac cerebri, animo deficere, magnumq; dolorem in capite ſentire coepit

re cœpit: Ac inſuper, dum molares erumpebant, tanta Cephalalgia & Odontalgia per viciſſitudines invaluit, ut ipſi, ad evitandum majus malum, & præcavenda pejora Symptomata, opiatis internis, ac cataplaſmatibus anodynis, aliiſque externis ſuccurrendum fuerit.

Cæterùm, per totum morbum, Patiens, extra paroxyſmos, animo ſibi conſtabat, pulſus erat æqualis & eurythmos, in paroxyſmis verò, pro febris, convulſionis, & deliquii ratione, mutabilis, celer, ac debilis, ciboſq; boni ac laudabilis ſucci capiebat ac concoquebat, alvuſque naturaliter reſpondebat. Interim, pleraque remedia, purgantia, antifebrilia, Epileptica, Cordialia, Cephalica, Emulſiones, Clyſmata, Epithemata, Unguenta, & quæ fuerunt alia, magno precio comparata, præter pauca roborantia & anodyna, toto dentitionis termino, donec dentes numeroſo apparatu in apricum exibant, fruſtrà fermè, cumque parvo commodo ipſi adhibebantur.

Tandem dentibus novis maximâ parte excluſis, patiens anno 1683. ſedato morbo & ſymptomatibus, vires recuperavit, ſolus ambulare, & munia naturalia rurſus obire didicit, denteſque interea temporis, ab anno 1681. usque ad annum 1685. antiquiores omnes, præter unicum, (qui ſine dubio priores ſequetur) abjiciendo amiſit, ac horum loco recentes, firmos, ac ſtabiles, à Deo & natura obtinuit, ſicque jam, Diâ favente gratia, proſperâ valetudine fruitur.

Similem etiam dentitionem, uno eodemque tempore, in Virgine quadam nobili, hîc Ulmæ, pari ſymptomatum ſyndrome gravata, vidimus, quæ pariter lecto, per longum tempus affixa, febricitans, convulſa, & ſyncoptica, ſeptem tandem dentes, anno ætatis decimo quinto, excludebat.

SCHOLIUM.

DEntitio inter omnes morbos & ſymptomata, præprimis infantibus accidere ſolet, ac eapropter iis magis propria eſt.

Etſi

Etsi verò Dentitio opus naturæ sit, & quibusdam infantibus dentes facilimè ac sine ulla molestia erumpant; Difficilis tamen dentitio, propter morbos & symptomata varia, quæ ipsi conjungi solent, inter morbos recensetur.

Infantes autem, dum nascuntur, dentibus suis jamdudum prædîti sunt, qui verò in alveolis suis adhuc latentes, gingivis teguntur, ac postea, destinato suo tempore, beneficio facultatis expultricis naturæ, erumpunt; Qui exclusi, inter osseam ac petrosam, mediam habent substantiam, & ignibus sunt invicti, test. *Plinio nat. hist. lib. 7. cap. 16.*

Tempus dentitionis, pro ratione subjectorum, naturarumque variat, dum apud infantes dentes vel citiùs, vel tardiùs, & quidem tertio, quarto, septimo, octavo, nono mense, aliquando saltem post annum prodeunt: Observatum tamen est, infantes cum dentibus eminentibus ortos fuisse; Sic refert idem *Plinius, nat. histor. allegato lib. 7. cap. 16. Marium Curium* & *Papyrium* cum dentibus natos fuisse, eamque ob causam *Curium, Dentati* nomen meruisse. In fœminis ea res inauspicati fuit Exempli Regum temporibus. Cùm ita nata esset Valeria, exitio civitati, in quam delata esset, futurum, responso aruspicum vaticinante, Suessam Pometiam illa tempestate florentissimam deportata est, veridico exitu consecuto. Narrat quoque *Balduinus Ronsseus, de vitæ humanæ primord. capite de dentitione*, Anno 1564 Goudæ se puellam vidisse, quæ dum ordiretur lucem, duos incisores dentes in maxilla inferiore haberet. Nec minus Ulmæ ante paucos annos in *Doct. Joh. Pfauzii*, Medici tum temporis Xenodochialis, ac Physices nostri Gymnasii PP. diverso tempore recens natis prolibus dentes prominentes & enixos vidimus. Aliqui vice dentium, continuo osse gignuntur, sicuti Prusiæ Regis Bithyniorum filius supernâ parte oris, uti *Plinius supra allegato loco* testatur. Infantibus autem omnium primi solent erumpere incisores medii, tam inferiores, ut plurimum præcedentes, quàm superiores, sive

ſimul erumpant, ſive ſeorſim poſtea ſuccedunt, externi, in totum octo, illos verò canini & molares ſequuntur.

Ad majorem deinceps ætatem provecti, & ſeptennes facti, plerumque primos dentes infirmiores minoresq́ue, (germanicè Milchzähn) amittunt, ac alios novos firmiores & ſtabiliores acquirunt. Imò & ſenibus nonnunquam novi dentes prodeunt, quorum duos maxillares in illuſtriſſimo quodam Comite vicino, annum quinquageſimum quintum vel ſextum agente, & quinque in ſuperiori maxilla Dn. Parentis mei dilectiſſimi, annos ſeptuaginta octo habentis, nuperrimè vidi ac obſervavi, qui ſine omni dolore ac moleſtia eruperunt.

Dum verò dentes difficulter eduntur, varia ſymptomata, utpote dolor, oris calor & ariditas, gingivarum inflammatio, febres, vigiliæ, alvi profluvia, convulſiones, hujusq́ue generis alia prava atque periculoſa oriuntur, â quibus haud raro infantes & adulti extinguuntur.

Hæcq́ue vel mitiora vel graviora ſunt, quantò dentitio vel levior vel difficilior, & vel plures vel pauciores dentes ſimul, ac unâ vice erumpere conantur.

Cauſâ dentionis difficilis, aliquando in dentibus ipſis, ſæpius etiam, in gingivis ſolet exiſtere. In dentibus, quando ſegniùs excreſcunt, gingivasq́ue longiùs rodunt, vellicant, ac terebrant: In gingivis, ſi ipſarum ſubſtantia eſt ſolidior ac durior, ſicq́ue liberum tranſitum prodeuntibus dentibus difficulter permittit. Ubi autem ſegniùs gingivarum diviſio procedit, ob partes earum ſenſiles, ac ſubſtantiæ attritum, maximus dolor excitatur, ſanguisq́ue ex ipſarum vaſulis effunditur, ac in earum ſubſtantia ſiſtitur, unde inflammatio cum dolore ac ardore ſummo ſequitur, quam, pro diſpoſitione humorum in corpore exiſtentium atque peccantium diverſitate, agitatione, ac perturbatione, febres, alvi profluvia, & vigiliæ comitantur, ſimulac tum bilis, tum pancreatici ſucci ob acrimoniam, humores in tenui inteſtino vitioſè efferveſcunt,

ſcunt, ita quidem, ut halitus acres & acidiuſculi, imò quandoque vi narcoticâ præditi, tunc erumpentes, ad cerebrum asſurgant, ibidemque convulſiones ac epilepſiam producant.

Quod ipſum in hoc noſtro Patiente decenni factum eſt, ubi tam ob duriorem ac ſolidiorem gingivarum ſubſtantiam, ac primorum ſeu antiquorum nonnullorũ dentium validâm adhuc & tenacem in gingivis inhæſionem, via novis erumpendis dentibus intercluſa, quam etiam ob ſegniorem plurimorum, unâ vice ac ſimul exitum quærentium proventum, partiumque gingivarum ſenſibilitatem, & cum dura matre, cerebro, nervisque affinitatem, earumque attritum, maximus dolor, inflammatio, ac oris ardor inſecutus fuit, quæ jam enarrata ſymptomata, magna humorũ ac ſpirituum confuſio, agitatio, & perturbatio excipiebat, ex quorum præternaturali ſtatu ac diſpoſitione, acrimoniâ quin etiam & aciditate, mediantibus halitibus igneis, acribus, & acidiuſculis, febris accenſa, repetita convulſio oborta, ac ſimul ob ſympathiam ſpirituum vitalium, eorundemque perturbationem ac diſſipationem, ex maximo dolore & inflammatione obortam, creberrima lipothymia inſecuta eſt. Quæ ſymptomata, ſtatim à primo invaſionis tempore indeſinenter per tres quadrantes anni, usque dum dentes ad prodeundum maturi excluſi fuerant, patientem ob dictas cauſas fixas & pertinaciter inhærentes, divexabant; poſt eorum verò excluſionem, recollectis viribus, ac humoribus ſpiritibusque quieſcentibus, adque priorem naturalem ſtatum redeuntibus, remittebant; poſteà verò, reliquis dentibus ad parem maturitatem provectis, ſimilemque excluſionem molientibus, pari modo & ratione revertebantur, atque ſimile durationis tempus retinebant. Quòd autem in principio morbi, de die duo paroxyſmi febriles, unus videlicet horis antemeridianis, alter verò pomeridianis invaſerit, poſtea verò invicem uniti, in unum paroxyſmum duplo longiorem tranſierint, procul dubio factum eſt,

quia materia febrilis primo morbi invasionis tempore in corpore ac humoribus dispersa atque partita, duos motus febriles, postea verò, procedente tempore, ob magnam humorum confusionem & agitationem unita, & confusa, unicum saltem, sed fortiorem & longiorem paroxysmum excitavit, quem, ob relictos acres mordacesque, corruptos itidem, ac salinos vapores, aliasque causas superiùs enumeratas, convulsio, animique deliquium sequebantur. Durationis tempus unius cujusque paroxysmi periodicum ad amussim & arenulam æquale, ex motu materiæ peccantis æquali ac ordinato proveniebat. Ridicula verò & histrionica pandiculatio, quæ ultimis erumpentibus dentibus accidebat, erat imperfecta convulsio, quæ mitescente & decrescente morbo ac symptomatibus, dentibus videlicet numerosioribus jamjam exclusis, quoque remittebat, tandemque sedata resolutaque morbi causa, ex toto evanescebat.

Signa hujus morbi, cùm fuerint manifestissima, meritò silentio prætereuntur.

Prognostica verò, cuique dentitioni accommodanda, sunt sequentia. 1. Gravis, imò sæpè periculosa est dentitio in infantibus, ob morbos & symptomata, quæ conjunguntur ac superveniunt, ita, ut non pauci febribus ac convulsione accedente, moriantur; & eò majus periculum est, quò difficiliùs & longiore tempore dentes erumpunt: Gravior etiam nonnunquam est dentitio in pueris & adultis, ob gingivas firmiores, duriores & compactiores, quia eorum transitum impediunt & retardant. 2. Quibus, cum dentes erumpunt, alvus crebrò demittit, minùs convulsione tentantur, quàm quibus alvus raro subducitur, test. *Hippocr. libr. de dentitione.* 3. Quibus in dentitione febris acuta accedit, ii rarò convulsionibus tentantur, *Hippocr. loco allegato.* quia febre materia, quæ convulsionem excitare poterat, absumitur. 4. Qui in dentitione, benè habito corpore permanent, gravique somno premuntur,

muntur, periculum eſt, ne eos convulſio prehendat. 5. Quibus hyeme dentes erumpunt, ſi cætera benè ſe habeant, ii faciliùs evadunt. *Hipp.* Et quibus dentientibus hyems ſupervenit, ii, ſi diligenter curentur, ob tum temporis caloris nativi concentrati vigorem, faciliùs ferunt. *Rhaſes* tamen *in continent.* ſcribit, dentitionem, quæ fit vere, (forſan ob laxiores & rariores gingivas,) eſſe minùs moleſtam. 6. Non omnes, dentibus erumpentibus, convulſione tentati, moriuntur, ſed plerique etiam ſervantur. *Id. Hipp. lib. de dentitione.* 7. Dum infantes caninos dentes edunt, pejus habent, ac graviùs laborant quia, illi acutiores & graviores dolores infantibus inferunt.

In Curatione obſervandum. 1. Ut gingivæ laxentur & emolliantur, ſicque dentium penetratio promoveatur. 2. Dolor & inflammatio refrigerantibus non adſtringentibus, ſed emollientibus mixtis, liniantur. 3. Febris & convulſio præcaveatur vel curetur. 4. Superveniens alvi profluvium non præmaturè, intempeſtivè, & ſtatim in principio, viribus præſertim adhuc robuſtis, cohibeatur & ſiſtatur. Ac 5. bona diæta obſervetur.

Primò itaque ad gingivas emolliendas, confert butyrum inſulſum ſolum, vel cum melle mixtum, lactis cremor, candela ex cera virginea maſticanda data, mucilago ſem. Cydonior. cum aq. malvæ extracta, cerebrum leporinum, ſanguis promanans è galli criſta recenter inciſa, quæ ſingula ſeorſim gingivis illiniri, affricarique debent. Externè quoq; foveantur maxillæ decocto altheæ, flor. chamomill. anethi, vel ſucco malvæ aut butyro inſulſo, aut melle paſſulato & butyro non ſalito; vel mucilagine ſem. Cydon. & altheæ, cum vitello ovi miſta.

Vel Recip. flor. chamomill. ſummit. aneth. ana Mj. ſem. lini fænugr. ana ℥ß. M. f. ſacculus in lacte coquendus, ac pro fomentatione calidè applicandus, ac aliquoties repetendus.

 Ut etiam

Ut etiam eò meliùs & faciliùs dentes gingivas crassas densasque penetrent, instrumentum inter gingivas collocandum ex ebore, crystallo, aliave materia solida & dura parari potest, ut gingivis morsum, motum & agitatum, faciliùs eædem perforentur ac aperiantur. Hunc in finem etiam lupini, aliorumque ferociorum brutorum dentes, ut qui sale volatili, halitibusq; salinis penetrantissimis abundant, maximè commendantur.

2. Dolori & inflammationi, tam anodynis, remediisque modò allegatis, quàm frigidis, utpote succo solani, lactucæ, & similibus, mistis, succurritur. Externè, Recip. Micæ panis albi q. v. coq. cum lacte, addendo sub finem, Ol. rosar. ℥ß. Croc. Or. ℈ß. M. & applicetur calidè.

3. Febri conveniunt antifebrilia specifica, qualia sunt, CC. præp. Ocul. cancr. præp. & similia. Convulsioni verò conferunt antepileptica, & quidem ad præservationem, infanti, quamprimum in lucem editus est, seq. pulvis cum lacte exhibeatur. ℞. Rad. pæon. maris, decrescente lunâ collect. ℈j. Magister. Corall. ℈ß. fol. Auri dimid. M. f. pulv. vel, ℞. ungul. alces, succin. alb. præp. ana gr. vj. vel ℈ß, fol. Auri dimid. M. f. pulv. Ad curationem ℞. Cinnab. Antimon. ℥ß. Magist. Epilept. ʒj. Cordial. ʒß. fl. pæon. ʒjß. M. f. pulv. M. & V. Dosis quantum cuspide cultelli capi potest, in aq. Ceras. nig. pæon. flor. tiliæ, vel alia appropriata, [Aut. ℞. Cinnab. nativ. præp. Cinnab. Antimon. sem. anis. rasur. succini, vel succin. alb. præp. Ocul. cancr. præp. sem. Cynæ ana ʒß. pulv. Epil. Mirab. Mynſ. ℈ij. gr. v. M. f. pulv. Dosis & usus, ut prioris. Vel ℞. Cinnab. nativ. cum aq. Epil. præp. ʒij. Corall. rubr. præp. Margar. Or. præp. ana ℈j. Croc. Austr. ℈ß. Magist. Cran. hom. Magist. succin. Magist. Ungul. alces ana gr. v. fol. Auri num. vij. M. f. pulv. subt. Usus & dosis, ut prioris. Et, ℞. Aq. Ceras. nigr. flor. til. pæon. ana ℥j. Epil. Lang. hyrund. cum

cum Castor. ana ℥ß. pulv. Epilept. Marchion. ℈j. Syr. fl. pæon. ʒij. Sacch. perlat. ℥ß. fol. Auri j. M. Dosis, cochleare unum vel alterum, sæpius repetendo. Oculus lupi, vivente adhuc effossus, ac sub axilla, mediante ligaturâ, detentus, insultus epilepticos arcere creditur, quem noster patiens, ob maximam excitatam alterationem, ferre non potuit.

4. Quia per alvi profluvium (ut prognosticor. Regulâ 2. supra docuimus) ob humorum peccantium, ac materiæ acris, corruptæ, mordacisque expulsionem & egestionem, convulsiones utplurimum præcaventur, iccircò præmaturè & in principio, constantibus adhucdum viribus, adstringentibus sistendum non est, nisi valdè urgeat, viriumque lapsus & imbecillitas idipsum requirat. Quod, si in nostro Patiente in morbi principio, (quamvis tum temporis nulla dentitionis suspicio aderat) observatum fuisset, forsân à recensito morbo ac symptomatibus, liber & immunis extitisset.

5. Quod denique Diætam concernit, in ipsa dentitione, ad præcavendam febrem ac inflammationem victus frigidior convenit, quo apud infantes nutrix utatur; Infantes pulmento vel panatellâ cibentur: Provectioris verò ætatis hominibus & adultis prosunt sorbitiones ex hordeo & avena parata, ova sorbilia, pruna, lactuca, endivia, & quæ sunt similia, è contra salsa, acria, mordacia, vinum, &c. evitentur.

[Ex literis Ulmæ d. 28. Julii A. 1685. ad D. Wurffbainium scriptis.]

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.
D. JACOBI DOBRZENSKY
de Nigroponte,
De
Juvene bis variolis à terrore correpto.

NObilis & Doctissimus Dn. Henricus. B. Prænobilis & Consultiss. Domini Fabiani B. Viri mihi dilectissimi Filius septennis conspicit Fœminam infantem ex Variolis defunctum circumportantem, stipemque pro sepeliendo illo ostiatim petentem, terrefactus, immediatè ægrotare cœpit & graviter ex Variolis copiosis decubuit, à quibus feliciter liberatus vixit vitam incolumem decem Annis. Post denuo simili spectaculo fortuito viso, iterum terrefactus, denuo variolis multò graviùs quàm antea laboravit, à quibus tamen feliciter restitutus vivit hucusque.

De primo Variolarum accessu non disputarem, illum ex dispositionibus jam à primo Ortu in Corpore latentibus ortum duxisse, spectaculumque illud Matris deferentis infantem, fuisse Causam occasionalem tantùm, moventem internos humores ad propellendam Materiam morbillosam in sangvine dudum latentem, quæ copiosis prorumpentibus Variolis non dubito quin tota tùm evaporaverit.

At de secundo Variolarum accessu mihi nascitur dubium: an ille ex miasmate adhuc in sanguine latente aut tantùm ex apprehensione illa terrifica purè Ideali, Sigillum variolosum sanguini illo instanti imprimente, ortum suum duxerit. Ego certè non aliter mihi imaginor; Notæ enim mihi sunt Historiæ, sic Variolas, sic dysenteriam, sic etiam pestem ex solo terrore alibi locorum conceptam fuisse. Nævi Materni fætui impressi, infinitis Exemplis confirmant, solam terrificam apprehen-

prehensionem aut rei alicujus cupitæ & illo instanti denegatæ, imaginationem sufficientem esse ad pingendum id in corpore Embryonis, quod Mater appetiit, & quidem eo loco, ubi fortuitò manum corpori suo tùm apposuit ; Novi hominem mihi perquàm dilectum, qui viso in pueritia sua, dum pranderet, spectaculo assidentis ad mensam hominis Senis Apoplexiâ correpti, ita tùm terrefactus est, ut immediatè dextram manum & pedem instar stipitis sibi esse adverteret ; Habuerunt Consanguinei ejus multos dies quod agerent, quibus Juvenis illius brachium & pedem pristino sensui restituerent. Hic homo Juvenis tùm erat duodecennis, jam agit 53. Annum, aliàs optimæ Complexionis & commodæ valetudinis, sed omni minimo terrore ex levi quacunque causâ perculsus, immediatè brachii dextri & pedis plus minùs acuto sensu destituitur, paroxismusque ille integrâ die durare solet, maximè si summo manè (quod sæpissime fit) id ipsi contingat. Mutationes futuræ auræ stupor manus & pedis, nullâ terroris præcedente causa, longè ante præsagire solet. Si irâ excandescat, etiam quidem torpore sed modico, partes illæ afficiuntur. Omnium tamen plus terror ipsum percellit, ita ut unicus latratus canis inadvertenter factus, unicus repentinus intuitus aut allocutio ab homine inopinatè erga ipsum facta, brachium & pedem in ictu oculi ita stupidum reddant, ut totâ imposterum die valdè ineptus ad munia sua obeunda sit, jamque ætate ingravescente dum tali paroxysmo terrifico corripitur, etiam obtusitatem capitis & linguæ modicam sentire incipiat ; Unde in domo ejus Lege quasi sancitum est, ut homines fortiter ambulent, & priùs, antequam portam cubiculi aperiant, tussiant, leniter strepitent, per hoc signum dantes, se ante portam esse, velleque ingredi.

Si igitur unicus actus terrificus tantam impressionem causare potuit & de facto causat immediatè stuporem corpori

 indu-

inducendo, quæ ampliùs non eradicari nec deleri potest' quam probabiliter aliquando sequetur etiam Paralysis.

Unde non mihi videtur impossibile, idem cum aliis morbis, nullis aliis dispositionibus præviis, solùm per fulmen terroris imaginationi communicatis & fortiter apprehensis, effici posse; adeoque solam Idealem Apprehensionem fortiter Menti & postea Spiritibus communicatam, ex non Ente Ens Reale in corpore nostro producere posse: ita ego, quantum per tempus licuit, submittendo me aliorum Doctissimorum Virorum judicio, sentio.

Et ut rei narratæ majus pondus addatur, allego hîc litteras Clarissimi Domini Parentis dicti Domini patientis, quas proximè causâ hujus ad me exaravit.

Præ-Nobilis, Excellentissime & Magnifice Domine, Patrone gratiosissime,

Mille refero gratias pro memoria Servi sui. Significo autem Filium meum Henricum paulò ante completum 8. Annum, ex solo aspectu mortui Infantis pustulati, eundem morbum variolarum contraxisse. Post decem iterum Annos, sine tribus vel quatuor diebus, ex solo & pari visu repentino similis Infantis pustulis pleni, recidivam cum summo periculo recepisse. Hæc prout in notatis meis habeo, fide bona testor; nec mirum, dum namque in Juventute Lintii pro aliquo tempore degerem, vidi hominem sexagenarium pustulis mortuum, & prout ex domesticis ipsius accepi, bis ante morbum hunc sustinuisse.

[Ex literis, Pragæ d. 8. Augusti A. 1685. exaratis.]

OBSER-

OBSERVATIO XXX.
D. EMANUELIS KÖNIG,
De
Fragaria botryformi uno petiolo novem fraga gerente.

PRæter Fragariam montanam vulgarem in uſum alimentarium & medicamentoſum præprimis expetitam, alias adhuc ſe vidiſſe refert ſpecies excellens ille Botanicus *Sim. Pauli Quadripart. Botan. Claſſ. III.* nimirum *Fragariam fructu parvi pruni magnitudine*, item *fructu hirſuto rubro*, ac *Fragariam pleno flore frugiferam*; His adnumerari, nî fortè monſtroſa ſit, & prolifera inſtar plantæ Uldrupienſis apud *D. Joh. Daniel. Majorem in Diſſert. Botanic.* poſſet *curioſa* illa *Fragaria*, cujus iconem exactè delineatam mihi transmiſit & communicavit *Clariſſ. & Excell. Dn. Carolus Joſephus Müllerus, Medicinæ Doctor & Phyſicus Tugienſis*, amicus meus, nimirum fraga novem unico petiolo geſtantem, qui quidem petiolus unicus erat ſed vulgari duplo craſſior, cujus & capitulum, unicum quidem, omnia fraga, quæ illi innata erant, reſpiciebat, ut ex *Figurâ III.* adjunctâ jucundiùs Lectori conſpicere licet.

Fig. III. fol. 59.

OBSERVATIO XXXI.
D. EMANUELIS KÖNIG,
De
Ceraſis botryformibus.

DAtur equidem *Ceraſus racemoſa*, qualem in *horto Regio Montiſpeſſulano* videre licuit, ceraſis uvarum inſtar à racemo dependentibus, ſed præter hanc *ceraſa botryformia* etiam in vulgaribus quibusdam obſervantur, in

 quibus

quibus sed rarò duo vel tria cerasa unico petiolo appensa & quasi adnata invicem observantur, divisione etiam tali interiùs in nucleo se manifestante; Verum rarior videtur illa cerasus, quam itidem in horto suo alit, prædictus *Clarissimus Dn. D. Müllerus*; quæ nunquam unicum saltem fructum fert, sed frequentissimè novem ex unico petiolo prodeuntes, semper verò duos vel tres; ubi tamen id discriminis, quod in tali multiplicatione ea nunquam magnitudinem attingant vel assequantur cerasorum vulgarium, ceu in quibus vis naturæ fortior est, quia minus dispersa, natura enim in his rarioribus minusque frequentibus materiam dividit, spiritusque ejus ex plexibus quibusdam ei obstantibus (in quibus formandis disponendisque mira præstare aliàs valet artificium humanum) aliter sic in motu diriguntur.


Fig. IV.


OBSERVATIO XXXII.
D. EMANUELIS KÖNIG,
De
Stridoris seu Cantûs Gryllorum Organo.

HIstoriæ naturalis Insectorum Scriptores referunt, Gryllos in Africâ in caveis ferreis ali, magnoque divendi pretio, eò quòd stridore suo suaviter sic somnum concilient, imò & Fessanos arguto hocce sono similiter delectari ac Hiberni & Walli plectri harmoniâ. In organum verò hujus stridoris inquisiturus offendet membranam plicatilem, ferè ad instar illius ventilabri, quo Virgines & Matronæ in Galliâ & alibi ad ventilandum aêrem fervidissimo Syrii æstu utuntur; Huic verò membranæ sub eorum alis annectitur tendo longiusculus cum musculo, qui dum contrahitur, plicare facit

Cerasa botrÿformia.
fol. 84. Fig. IV.

Vermes vomitu ejecti.





fol. 97. Fig. V. VI.

facit hancce membranam, minimè humidam sed summè siccam, ut sonus talis edatur, qui etiam hinc post eorum mortem tractione tendinis imitari potest; ceu & jam alii notârunt, quod si Gryllus in medio dividatur & capite truncetur, eum adhuc canere & diu nihilominus (quod & illustrare poterit observationem sequentem) vivere; Quare & inferre liceat, stridoris hujus causam minimè esse attribuendam alvi fistulæ, ut *Scaliger* voluit.

OBSERVATIO XXXIII.
D. EMANUELIS KÖNIG,
De
Motu Cordis post abscissos omnes omninò nervos spiritus, ipsi communicantes, per 42. horas persistente.

EXperimentum hocce Anatomicum in mei præsentia tentavit *Nobiliss. & Celeberr. Dn Chirac*, Medicus & Anatomicus Monspeliensis accuratissimus, nim. Cani jugulum aperuit & nervos recurrentes vicinosque alios, qui cor ferire aut surculos ipsi communicare poterunt, dextrè digitis evulsit, pulsu cordis ad attactum aucto celerioríque reddito, sicque persistente ejus motu & vitâ, dimisso cane, ad 42. usque horas magnâ mei cum admiratione; quod experimentum aliquoties postea repetitum, multis aliis, quibus retuli incredibile visum; Verùm quia ex attentâ machinæ motus cordis & pulmonum, mutuas operas sibi præstantium, investigatione hoc minimè impossibile est, confirmatque hoc experimentum motum cordis aëri plurimùm debere, sequentia consideranda, Sanguinem scilicet in continuo motu, quamdiu homo vivit, versari, motumque hunc cor itidem ad systolen

 & dia-

& diastolen instigare, dein motus non sanguinis saltem sed & spirituum in Infante in utero materno esse eosdem, diversos verò quamprimùm Infans utero exiit, quo in statu Infanti impossibile est absque aëre vivere, ceu eleganter de hisce Excellentiss. & Celeberr. *Bohnius*, Fautor meus, in *Dissert. Physiolog.* quo verò patet vitalem cordis motum dependere ab aëre, qui sanguinem priùs ad motum disponat, sicque cordis diastolen efficiat ac post systolen, ac quia aër semel haustus & efflatus quantumvis refrigeratus, iterum receptus ineptus est ad vitam, esse in aëre, uti mare salsum est, sal aliquod vivificum nitrosum, quod respiratione sanguini insertum ipsum agitet, fermentet venasq; & cor distendat, & cordis systole per arterias in habitum corporis, glandulasque ejus innumeras ferè distribuatur; unde patet, quantum intersit aërem salubrem haurire, quàmque expetendum sit, anatomen aëris, quoad varias ejus constitutiones, pro possibili instituere. Eleganter itaque ac verissimè *Hobbes Tr. de Homine Cap. 1. p. m. 7.* sicut non ab aëre puro sive æthere, sed ex corpusculis in ipsis fluitantibus motumq; habentibus vitali motui sanguinis contrarium, nascuntur morbi epidemici, ita ex corpusculis terreis motu præditis naturæ nostræ congruo, vita & motus sanguinis debitus continuatur. His annectit brevem quidem sed accuratam valde *pathologiam*, quam non pigebit hîc adnectere: Mortis vel cessationis sanguinis (præter vim externam) variæ sunt causæ. I. Vasorum, in quibus circumfertur sanguis, obstructiones; nam fieri potest per contumaciam musculorum, ut via sanguinis obstruatur, dum coagulum adest viscosi vel mucosi humoris in musculis, impediens quò minùs facilè sanguis arteriosus per arterias capillares meet, ac in venulas recipiatur, unde Febres, & ni vis motûs cordis vincat, mors. II. Si materia purulenta aliqua in ipsis venis sanguini immista fluitet, idem erit in sanguine per arterias in musculos extrudendo cordis labor, i.e. febris, & succumbente corde mors, vincente ulcera in carne, nimirùm

nimirùm à materiâ purulentâ per musculos extrusa; hæc verò materia in venis nascitur exulceratis; quod fieri potest ab iis corpusculis quæ hauriuntur per respirationem, & intrantes in sanguinem vasa corrodunt, vel ipsum sanguinem coagulant, ut in morbis pestilentibus; fieri etiam potest à corpusculis quæ in cibo & potu recipiuntur, quæ cum chylo intrantia in venas, ipsas exulcerant: idem etiam fieri potest à morsu serpentum & canum rabidorum, unde vulnerata aliqua vena, vel utcunque veneno in sanguinem immisso, fit exulceratio in venis sanguinem venenatum recipientibus. III. Undecunque ad venarum interna pateat aditus, inde incipere potest vasorũ exulceratio, ut in lue venereâ initio facto à meatu urinario, prorepit venenum per Ureteres, Renes, Venas emulgentes & Cavam secundo sanguine ad cor & inde per aterias in corporis habitum. Eodem modo fieri possunt morbi & mortes propter obstructionem materiæ quæ defertur per nervos. Cumque aliæ sint mortis & morborum viæ, omnium tamen unum est opus, ut sanguinem sistant, vel intercipiant, vel exhauriant, vel aliquo modo impediant.

OBSERVATIO XXXIV.
D. EMANUELIS KÖNIG,
De
Noctuæ anatome, ejusque mira Oculorum fabrica.

NOctua sub crepusculum conspecta sclopeto percussa paralytica decidit, mihique apportata sectioni die sequenti est subjecta; Denudato ventre infimo ac detracto scuto pectoris, fabrica seu structura ventriculi notatu digna inprimis apparuit: erat enim is summè durus, callosus & tantùm non cartilagineus, capite vespertilionis (qualiter

liter apparet in ejus ſceleto, quo caudâ quoque eam donatam eſſe monſtratur, *Anno IV. & V. Miſcellan. Curioſ. obſerv. CLXXXII. p. 240.*) ut & pedibus latis ac pelle pilosâ refertus. Ante ejus oſtium Oeſophagus amplior plurimisque glandulis miliaribus, liquorem fermentalem ſtillantibus, erat obſitus. Semoto parùm hepate in lobos diviſo, veſicula fellis nucis avellanæ grandioris magnitudine bile viridi æruginosâ turgida, per ductus binos in inteſtina, in quibus contenta ſummè erant fluida, ſe exonerans, in conſpectum venit. Pancreas erat quadruplex, ſecundùm inteſtinorum ductum protenſum, (in quæ ſe ductibus lateralibus non longitudinalibus ſe exonerare videtur) ut in Gallo gallinaceo aliquando animadvertere quoque datum. Inteſtina cœca bina ſatis longa aderant, & Cloaca inflata veſicam velut oſtendit. Spinâ quæ fundamentum carinæ, quam pectus ceu navium ichnographia repræſentat, luſtratâ, in ipsâ medullæ ſpinalis ſubſtantiâ granum plumbeum paralyſeos nimirum cauſa, reperire datum fuit. Renes erant inſtar gallinarum, nec ut in Aquilis apparent, agninis ſimiles. Supra eos rudimentum ovarii. Præ cæteris verò admirabilis erat oculorum ſtructura utpote, digna hinc æſtimata ab Immortali *Thom. Bartholino*, quæ in *Muséo Wormiano*, inter alia rara ſervaretur. Hanc verò fabricam quod attinet, ea in quibusdam cum oculis nonnullorum quadrupedium convenit, in quibusdam diſcrepat; Convenit quòd primò adfuerit membrana nictatoria inſignis, ſimilis omninò configurationis & magnitudinis, ut conſpicitur in oculis Caprarum, quæ juxta *Plinium* itidem noctu ut Noctuæ vident, dein quòd adfuerit ſumma & eminentior quædam humorum, maximè vitrei, limpiditas, humorisque cryſtallini propior ad pupillam acceſſus; Diſcrepantia verò eſt tum quoad ſitum, quod non extra cranium ſed intus propè cerebrum, cujus magnitudinem fermè excedebant, fuerint conſtituti; tum motum, quòd immobiles, tum figuram quòd nec figuram ellipticam ut oculi humani,

nec

nec rotundam ut aliorum, exprimebant, ſed erant inſtar globi in medio à Tornatore ab utroque latere excavati cum ſerie circulari portionum oſſearum, prout depingitur apud *Severinum, in Zootomia p. 336.*

SCHOLIUM.

Summam Conditoris ſapientiam non ſolùm de die ex operibus luculenter radiare, ſed & è ſpiſſis tenebris elucere, ſcrutinium Noctuæ detegit, quod cauſas ordinationis ſapientiſſimæ & prohibitionis eſûs earum in Lege manifeſtè quoque edocet. Ordinatio ſapientiſſima patet ex eo, quòd in Avibus dierum & noctium obſerventur alternantes vices, quibus ejus providentia quaſi ex amplâ & perenni ſcaturigine nobis haurienda ſubminiſtratur; Eſûs prohibitio fundata eſt non ſaltem ratione Phyſicâ, quòd nimirum immunda ſint animalia odorque eorum ſpecificus (quem ſummè tetrum & penetrantem longo poſt ſectionem tempore adhuc olfeci) ſummè ſit homini adverſus, ſed & morali, ex ſignaturâ rerum, quâ Natura aliàs muta, nobis prædicat, de quo vid. *Boëhm de ſignatur. Rer. cap. 1.* deſumta, ut ſcilicet opera tenebrarum fugiamus & lucem noſtram coram hominibus ſinamus lucere, nec in rebus apertis cœcutiamus. Quod ſi in interioribus hujus Avis reperta conſideremus, ea cum naturâ ejus & actionibus ſummè convenientia eſſe obſervabimus; quia enim rapax eſt avis & carnivora, integraque deglutit animalia duris oſſibus inſtructa, utique neceſſe erat ventriculum taliter fabricare, ut debita eſſet inter agentia & patientia proportio, cibi nimirum ritè ſubigerentur & in animalis commoda ſubrogarentur, in quorum contemplatione totus eſt contra Epicurum *Gaſſendus Syntagm. Philoſ. Epicur.* Inprimis autem hîc notare datur, quòd quædam, quæ homini ſunt præter naturam & magnam moleſtiam inferunt, brutis quibusdam ſoleant eſſe naturalia & ſummè ſalutaria, qualia hîc duo occurrunt, Bilis æruginoſa & My-

driasis: *Bilis æruginosa* quantas turbascieat in Hypochondriacis, quotidiana ferè eorum querela est, dum ad alimenta assumpta digerenda ea ceu menstruum improportionatum forte nimis concurrit, vitiosamq; & dolorificam in Intestinis parit fermentationem. *Mydriasis* verò ipsis commodum affert, quia pupilla cum corneâ non cohærens ampla nimis est & lata, sicque lux in humores, nimis limpidos confertim irruens oculis magnam molestiam inferret.

[*Basileæ d. 2. Septembr. A. 1685.*]

OBSERVATIO XXXV.
D. ANDREÆ ERNII,
De
Apertione thoracis Phthisi extincti.

ANno 1684. mense Maji, Domini C. Wedelini, Chirurgi dum viveret, expertissimi, post decubitum multarum septimanarum, emortui corporis thoracem, amicorum permissu, aperuimus, ejusque faciem interiorem lustravimus; quo aperto nullum Mediastini, utpote penitus absumpti, vestigium inventum, ubi Sterno aliàs inseritur, plurimæ vesiculæ pure livido turgidæ, in conspectum veniebant, quibus dissectis & dilaceratis, cartilaginum substantia, illis in locis ubi locatæ erant, ab acrimonia puris inclusi, carie exesa livescebat ex nigro.

Pulmones, mirabilem exhibebant adspectum, utpote qui nigro tincti colore & ferè consumpti, tenaciter musculis intercostalibus per pleuram, itidem putridam & variis in locis perforatam adnati erant, haud aliter modificati, ac si fermento depascente & cancroso infecti fuissent; simili modo ut in mulierum mammis cancrosis nonnunquam videre contingit. Nullum fundebant pus vel aliam materiam, sed exsiccati & materia tar-

ria tartarea quaſi ſabuloſa ipſis intertexta erat, ita ut quis credidiſſet, in lapidem concreſcere deſtinatos fuiſſe. Propagines aſperæ arteriæ aliorumque vaſorum ſanguiferorum, quod mirandum, albeſcebant, & ita, absque ulla dilaceratione, à pulmonum deperdita ſubſtantia, ſolutæ cernebantur, quaſi peculiari liquore, hodiernis Anatomicis, ſatis noto, ſtudiò fuiſſet peractum. Cor flaccidum itidemque exſiccatum, ejusque Pericardium variis in locis, quod mirum, perforatum erat; quo per medium diſſecto, in utroque ejus ventriculo, ſanguinis coagulati nigerrimi latebat portio, quæ cum digitis tractabatur, explorantibus nobis & aliis adſtantibus, ac in pulmonibus repertum materiam intermixtam offerrebat. Cætera, nempe in reliquis cadaveris regionibus contemplari non fuit conceſſum. Tractavit hic vir, uti celeberrimo Illuſtr. Colleg. Natur. Curioſ. Andromacho, Patrono & amico noſtro colendiſſimo, notum, ſatis feliciter multa ulcera, cancroſa, à lue venerea inducta & alia, virulenta miaſmata ſpirantia, ſed nimis audacter & ut plurimum jejunus, quapropter nullus dubito, extinctum hunc chirurgum, malum & mortem ab inſpiratis ejusmodi acrioribus fermentis, contraxiſſe.

OBSERVATIO XXXVI.
D. ANDREÆ ERNII,
De
Hydropica ſalivatione curata.

VIrgo 26. Annorum Scorbutico-Cachectica, à quâ lunare tributum per ſpatium aliquot Menſium haud exſolutum erat; ineunte æſtate 1684. febri tertianâ affligebatur, quæ tamen certis adhibitis medicamentis, ſed nimis præcipitantibus, brevi pòſt profligata; Præterlapſis aliquot ſeptimanis, dum tumorem pedum in dies magis ma-

gisque sese augentem animadvertit, recrudescit febris & abit in quotidianam, cui insequitur & magna abdominis & faciei intumescentia, Urinam pauca in quantitate illamque lixivioso colore imbutam excernebat, spiritum difficulter trahebat, sitiebat continuò & exanthemata ex nigro livescentia in cruribus sese conspicienda præbebant; ita ut perfectam hydropicam faciem exhiberet. Sic per duos Menses infecta, meum expetebat consilium, cui ut satisfacerem, præscripsi Tincturam Rhabarb. quotidie ad aliquot cochlearia, quibus aliquot Guttulæ spiritus salis armoniaci anisat. admiscebantur, assumendam, ut & pulverem ex hydroticis & mensium fluxum procurantibus, ex tartaro vitriolato, Trochisc. de myrrh. Mercurio dulcificat. millepedib. præparat. flor. salis armoniaci Martiat. Quibus cum utitur, liberior urinæ profluxus causatur, respiratio faciliori negotio perficitur & maculæ in cruribus evanescunt; nihilominus tumor recensitis in partibus perseverabat; quapropter Catharcticum ex Mercurio dulc. Rhab. & magist. Gumm. guttæ ordinavi, quo ingesto, quamvis satis valido, nulla alvi subsequuta commotio; Sed ab illo tempore, quo prædictum purgans propinatum, magnus humoris limpidissimi per palatum initium duxit effluxus, qui per 14. dies noctesque continuatus, ita ut singulis diebus plus quam quatuor libras exspueret; erat huic lymphæ tanta intermixta acrimonia, ut linguam, gingivas reliquasque interioris oris partes profundissimis ulceribus depasceret; quæ cum aguntur, magnum intumescentiæ abdominis & pedum observo decrementum, propterea naturæ minimè in munere excretorio obicem ponendum ratus, quod tamen anxiè expetebat ægrota, omnem dentium & linguæ deperditionem metuens, collutionem ex antiscorbuticis & mundificantibus usum aggressus, ad omnimodam intumescentiæ sublationem usque. Tandem linimento ex diascord. Fracast. melle rosár. antimonio diaphoret. Bals. sulphuris terebinth, & oleo vitrioli dulc. ulcera optimè

persa-

persanata sunt. Sicque in totum ab utroque molestissimo malo liberata & perfectæ sanitati restituta.

SCHOLIUM.

MOrbos salivatione spontaneâ curari, rarum equidem est, fieri tamen hoc nonnunquàm, phthisis tali modo soluta testatur, quam *Ephem. harum Ann. I. Dec. II. obs. 122.* exhibet, ubi in *Scholio*, similem eventum etiam ab aliis in febre ardente, vertigine, ac scorbuto fuisse observatum, monui. *Contingit aliquando*, scribit *D. Franc. de le Boë Sylvius lib. 4. prax. med. tract. 6. de hydrope*, §. *324. licet rariùs, salivatio sponte, quod in hisce regionibus nonnunquam factum observavi, & quidem cum notabili ægrotorum commodo, & liberatione à morbis chronicis à pituita semper pendentibus.* Unde qui naturam ducem in hoc passu providè sequuntur, quin laudabilem à procurato per mercurialia medicamenta ptyalismo, humore seroso ac pituitoso sic liquato atque è corpore sensim educto, obtinere queant effectum non potest esse dubium; quam methodum, præter laudatum *Sylvium l. c.* etiam innuit *Franc. Osvald. Grembsius in tr. arbor. integr. & ruin. homin.* qua de videatur quoque *D. Franc. Ignat, Thiermairius Consil. medic. lib. 2. cap. 10. in scholio.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XXXVII.
D. ANDREÆ ERNII,
De
Hæmorrhagia in puero variolis laborante innoxia.

NUllus sanè medicorum est, qui non ut plurimum, variolis laborantibus, dum in illis per alvum & urinam excretiones sanguinolentas observat, funesta

prædicet; De quibus & ego nullum è mortis faucibus, cui ſimile accidit, ereptum vidi; Præter puerum 5. annos natum, ad quem ut ipſi manus auxiliatrices porrigerem, vocatus; primo intuitu deprehendo illum maximè æſtuantem, unâ cum magnâ puſtularum copia expulſarum ſtipatum. Adſtabat inter alias naſuta anus, inquirens, quodnam expellens hîc exhibendum, cui dedi reſponſum, hactenus nullum, cùm natura ſe ipſam in munere hoc exequendo ſatis validam præbeat, modò diæta & conclavis calor ritè obſervetur; Tantummodò de abigendis frequentioribus ſupervenientibus ſymptomatibus cum parentibus agens, diſceſſi: vix deſerueram ædes, ſtatim præpoſtero hujus vetulæ conſilio puero ℈j. pulv. marchion. & aliquid diaſcord. aquæ fumariæ diluti propinatur: quibus aſſumptis, tantus ſubſequutus febrilis fervor, ut in totum deliqueſcere videbatur puer, quo in ſtatu per integrum diem deſperatus quaſi jacuit, ut nemo non in ſingula momenta animam exhalaturum ſuſpicaretur. Ego iterum accerſitus, invenio miſerum ægrotantem, ex naribus, oculis veſica & alvo ſanguinem fundentem, quaſi ab Hæmorrhoo morſum; Statim horrenda hæc ſymptomata ab intempeſtivo expellente producta adſtantibus expoſui. Quapropter citiſſimè emulſionem, cui admixta erant leviter ſanguinis ebullitionem & acrimoniam temperantia, propinari, præcordiis autem pullum columbinum per medium diſſectum imponi juſſi. Pro potu erat ſpiritus terræ ſigillatæ &c. Quibus adhibitis, præter omnium exſpectationem ſanatus puer, quem Charon jam cymbâ ſuâ exſpectaverat.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVIII.
D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI,
De
Morte ex ſuppurato teſticulo muliebri.

COmitiſſa quædam animi & corporis dotibus ſexûs ſui facilè princeps, cùm per duodeviginti menſes dulcisſimos Amoris fructus in conjugio auſpicatiſſimo legiſſet, annos nata novemdecim, uterum ferens, ultimis geſtationis menſibus aliquoties de dolore Hypochondrii dextri conquerebatur, in partu tamen, quo filiam lectiſſimam, quæ etiamnum in vivis eſt, Stadæ Suecorum Anno 1675, die 30. Januarij enitebatur, omnia benè & ex voto ſuccedebant, ſecundinâ liberè ſubſequente, Lochiis verò non niſi cum fœtore fluentibus. Octavo à partu die autem febricitare, de ardore in regione matricis lamentari, tumq; Diarrhœâ laborare cœpit, abdomine prægnantis ad inſtar elevato. Et quamvis complurium Medicorum Conſilia adhiberentur, nihilominus tamen die 12. Februarii mentis compos, inter ſuſpiria & preces propinquorum placidè obdormiebat. Avidiſſimè & Cognati & Medici morbi & improvidæ mortis cauſam ſcire cupiebāt, quare poſt anxiam & longam deliberationem, defunctæ corpus tandem examini cultelli anatomici concedebatur. Aperto igitur mediâ nocte à me & Johanne Wiedefeld, tum temporis Chirurgo præſidiario ſedulo, nunc Celſiſſimi Principis Cellenſis Chirurgo aulico, cadavere, vulnereque facto, ſtatim poſt leviter ſauciatum Peritonæum, aura graveolens, acida, putrida, & quam vix ferre poſſemus, noſtras petebat nares. Detecto autem Omento & datâ portâ, illico inteſtina quaſi fugam machinantia, prorumpebant, clara, pellucida, & non niſi flatibus referta omnia, purulentæ aquæ, quæ hac & illac effluebat, innatantia, ut priusquam dignoſcere quidquam liceret, hujus

hujus cum pure permixtæ libras quatuor, & ſupra, ſpongiis excipere opus haberemus. Pure cum aquis educto, inteſtinorum Diaphragma verſus ſupra ventrem exteriùs expanſorum partes illas, quæ dextrum hypochondrium tetigerant, purè foris & livore quodam inquinata obductaque reperiebamus. Luſtrando pergentes, uterum, ut decet poſt partum, naturaliter tam intus quàm foris conſtitutum inveniebamus, ejusque Teſticulum ſive Ovarium ſiniſtrum cum Tuba & ligamentis ſalvum, dextrum verò, putridum, exeſum, fœtidum, disruptum, ſine parenchymate, quem ſacculum potiùs, cujus vulnus Tubam verſus vergebat, dixiſſes. Ab omni tamen putredine ſubjacentem Renem liberum deprehendere licuit, utpote qui naturali ſuâ tunicâ & pinguedine adhuc inveſtitus erat. Hepar autem à veſicula fellea livore inquinatum. Ex quibus adſtantes omnes uno ore poſitebantur, morbi & inſperatæ mortis cauſam Teſticulum ſuppuratum fuiſſe, qui fortè ex labore parturientis disruptus fuit. Hinc cum effluens pus atque ſerum nullum exitum invenire poſſet, fermentatio in abdomine orta, ex qua Febris, & tandem MORS ipſa.

[Ex communicatione D.D. Jo. Dan. Majoris.]

OBSERVATIO XXXIX.
D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,
De
Vermibus vomitu rejectis.

MUlier quædam hujus loci plebeja, juvencula atq; primipara, per maritum conſilium petit, conquerens de cruciatibus, roſionibus atque torſionibus, quas per aliquot jam hebdomadas circa ventriculi orificium perpeſſa, iisque immaniſſimis atque per intervalla recurrentibus, quibus adjuncta moleſta alia phænomena, uti nauſea, ad

ad vomendum frequens, po~~ssimùm tamen inanis conatus, capitis dolor, & ad obeundos domesticos labores pigrities, donec tandem, prægressis suetis rosionibus & lancinationibus, antè octiduum vermem, molestissimum hactenus ventriculi hospitem, & quidem multipedem per os rejecerit, cujus facies ex Figura V. adpictâ conspicua: sequenti aurorâ insecutus alter ejusdem formæ & farinæ; præterlapso quatriduo tertius domicilium relinquit: Per microscopium examine instituto, miram insectum hoc præ se ferebat faciem: cornutum erat caput, oculi orbita prominebat, corpus reliquum loricatum quasi & coloribus variegatum cernebatur: pedibus instructum erat quàm plurimis. Cum verò his rejectis symptomata præfata minimè remitterent, & suspicio indè plurium nasceretur, exhibitum Emeticum, quod verò frustrà & sine effectu, præter pauca quædam excreta phlegmata, propinatum; hinc reiteratus ipsius usus, doloribus perseverantibus, quo demum unà cum materiâ quâdam lentâ atque viscidâ, comite ingenti præcordiorum anxietate, alius vermis flavus & sextipes (wie ein Mehlwurm) vid. Fig. VI. expulsus, quem per 8. septimanas vivum in vitro asservatum marcor tandem, ut non nisi exuviæ reliquæ, enecabat. De generatione ejusmodi insectorum controvertitur inter Authores: præsupponendum tamen videtur aliquod seminale principium, quocunque etiam modo intra corpus fuerit receptum: de ranis, bufonibus atque serpentibus clara res est, quòd haud raro in corpore humano generentur hausto cum aquâ seminario: & quamvis hæc animalia insectis paulò perfectiora videantur, indè tamen nec his tale aliquod seminarium videtur denegandum, quo sese multiplicare queant. Ast plura eruditiorum & acutiorum judicio atque arbitrio excutienda relinquo.

Fig. V. VI. fol. 89.

SCHOLIUM.

CUm nobis non radices tantùm, fructus, ſed & herbæ, ſemina, aromata, animalia & eorum partes &c. in cibum veniant, diverſiſſimas & ſæpe horridas admodum vermium ſpecies, tot paſſim id teſtantibus Medicorum obſervationibus, in corpore humano hoſpitari, haud adeò mirum eſſe poteſt; maximam ſiquidem corporibus naturalibus inhærere quaſi per naturam talismodi inſectorum diverſitatem, Microſcopiorum inprimis fide, à diligentibus Scrutatoribus deprehenſum fuit; dum vel quælibet planta proprium ſuum, notante id *Athan. Kirchero ſect. 1. ſcrutin. peſt.* alit inſectum, & viſceribus humoribusque animalium talia ineſſe, vix ullus ampliùs hoc tempore dubitare poteſt. Similes itaque vermiculi vel eorum ovula dum cum cibis eorumvé condimentis, aut in potu etiam, & medicamentis ventriculo ingeruntur, ejusdem ſe parietibus, mediante viſcido humore, ſæpe ibi hoſpitante, illi ſe adglutinare, blando ejus calore foveri, à cibis quotidie ingeſtis nutriri, ſicque etiam ab alimento ibi abundante in majorem, quàm aliàs in libero aëre & conſueto domicilio obtinent, molem abire queunt.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XL.
D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,
De
Muſcis Polonicis exitioſis.

NOtum eſt, antè aliquot annos, in Majori Poloniâ Marchiæ noſtræ confini, genus quoddam muſcarum ſivè Inſectorum volucre atque alatum, agmine facto, conſpectum fuiſſe, quod non tantùm animalia bruta, ſed & homines, eosque incautos pungendo, læſit, ut non pauci intra

fol. 99.
Fig. VII. VIII.


Muscæ polonicæ
vera facies antica.





Muscæ polonicæ antica facies per micro=
Scopium observata.




Muscæ polonicæ vera facies postica.
fol. 99.
Fig. IX. X.
Muscæ polonicæ per microscopium
postica facies observata.



ci intra XXIV. horarum ſpatium, potiſſimùm in principio advolatûs peregrinorum horum hoſpitum, & antequam medela quædam contrà haſce puncturas inventa, vitam cum morte commutare coacti fuerint. Extat equidem jam de Muſcis his Obſervatio in *Ephemerid. noſtrarum Anno decimo, Decad. primæ, obſ. 184.* ita ut ſupervacua videri poſſet hæcce mea: nihilominus tamen eandem lubet inſerere, cum microſcopii beneficio ipſarum facies clariùs expreſſà videatur. Ex muſcarum itaque genere inſecta hæc fuiſſe, ſedula examinatio & metopoſcopia edocuit: quantum autem corporis ſtructuram concernit, ſuppeditavit tunc nobis notatu quædam digna Microſcopium, cujus ope ea quæ aliàs viſu cognoſci non ritè poterant, ſeſe manifeſtiora præbebant. Obſervavimus namque corpus texturâ loricatum, horridâ duritie pollens, aſperâque in ventre medio: caput magnum & nonnihil hirſutum adparebat, ornatum intrà oculorum ſpatium parvis tribus rotundis eminentiis nigricantibus, figuram Trianguli efformantibus: in fronte cornicula ſivè antennas numerò binas gerebat valdè longas, quæ meris articulis interſtinctæ videbantur: oculi protuberabant; os amplum erat, & totum caput pilis conſitum cum medio ventre, cui annexæ erant alæ ex pelliculis conflatæ, percurrentibus flavis lineolis, quæ cum in radiis ſolaribus expanderentur, varii colores non ſecus ac in formosâ pavonis caudâ exhibebantur: pedes habebant numero ſex, colore ex rubro flaveſcente, cute aſperâ & durâ, articulationibus ſivè juncturis tribus donatos, quarum ultima itidem tres peculiares juncturas monſtrabat cum adnatis ungviculis: poſtremò autẽ in fine medii vel apice infimi ventris infixus hærebat ſtimulus, intra duas laminas cæruleſcentes vaginam quaſi efformantes conditus, quæ notabilitèr excavatæ erant, ut figura ejus rotunda æquabilem capacitatem adipiſci poſſet. Et hæc ſunt, quæ mediante microſcopio obſervare licuit. Cæterum ex literis à Birnbaum oppido Poloniæ & undecim milliaribus ab-

hinc dissito sequentia habeto. Was die Polnische schädliche Würme oder gifftige Fliegen anbelanget / so berichte ich / das innerhalb 4. Wochen etliche 30. Personen durch selbige getödtet worden: und soll ausser der Art / so ich übersende / noch eine andere seyn / welche so groß / als eine kleine Fledermaus / auch so rauch / und auf den Rucken / zwischen den Fliegeln / einen Schild führet / dabeneben ein Bordt oder Zwiesel ein Viertheil der Elen lang hat / und selbige artig zusammen gewickelt / daß man muthmasset / es müsse ein gifftiger Stachel darinn hafften: Die von dieser Sorte getroffen / sind innerhalb 24. Stunden gestorben: Sie sollen aber sindt der Zeit kluger worden seyn / und die gestochen / alsobald auf den getroffenen Ort Köpffe setzen lassen / dadurch dern viel erhalten worden. etc.

Fig. VII. VIII. IX. X.

OBSERVATIO XLI.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII, De Anserculo quadrupede.

IN villâ vicinâ anserculus ovo exclusus, quatuor pedibus, uti effigies ostendit, instructus fuit: præternaturales bini in currendo obstaculo nonnihil fuerunt: vixit ad aliquot tempus, mortuum peculiarique liquore priùs conditum Bibliothecæ Academicæ, ubi visitur, inseri curavit Excell: Dn. Bibliothecarius, D. Becmannus. Causa hujus monstrosæ aberrationis meritò in δύναμιν πλαστικὴν & phantasiam rejicienda, quæ etiam in brutis à scopo suo aberrare potest; quod multis aliis exemplis comprobari posset. &c.

Fig. XI.

SCHO-


Anserculus quadrupes.
Fig. XI. fol. 100.



SCHOLIUM.

EX omnibus Avibus frequentiora in Anseribus esse monstra, *Casp. Schwenckfeld* in *Theriotroph. Siles.* monuit, simulque itidem anseris quatuor pedibus monstrosi mentionem fecit; alterius quoque quadrupedis meminit *D. Ol. Borrichius* in *cent. 4. epist. med. Bartholin. 92. Casp. Schottus lib. 5. phys. cur. part. 1. cap. 26.* & *Vlyss. Aldrovandus Ornitholog. lib. 19. c. 17.* Aliàs gallinam quadrupedem *Martin. Zeillerus cent. 6. epist. 99.* gallum consimilem *Jo. Jac. Leibnitzius* in *descript. Biblioth. Noric. p. 18.* & pullos gallinaceos *Frid. Wilh. Schmuckius* in *fascic. admir. nat.* & passerem *Hornungi Cista med. epist. 77.* nec non columbam *epist. 245.* sic etiam tribus pedibus horridulam gallinam *Borrichius l. c.* gallum tripedem *Th. Bartholinus cent. 2. epist. 83.* passeres tribus pedibus, ut et columbas tribus alis præditas *Jo. Joach. Bockenhofferus* in *Mus. Brackenhoff.* memorant. Ad causam, quæ hujusmodi monstrosa bruta producit, dilucidandam faciunt, quæ *pag. 404. seqq. Dec. hujus Ann. II.* & *pag. 481. &c. ejusdem Ann. III.* Exc. noster *Pæon* & *Thessalus* disseruerunt. Interea verò ipsa generationis secundùm naturæ ordinem & indies factæ historia uti tenebris multis adhuc est involuta, ita in illa, quæ præter hanc naturæ intentionem, rariusque fieri videtur, eò majorem caliginem experimur. Nihilominus si colliquamentum illud, quod in volatilium horum ovis vitello adnatum conspicitur, totius fœtûs rudimenta, ex quorundam sententia, jam contineat, illas ipsas particulas, pedibus producendis destinatas quadruplices aliquando, Naturæ lusu, efformari, suspicari liceat, sicque etiam, sine imaginationis maternæ concursu, pullus postmodum quatuor pedibus instructus ex ovo prodibit; qua ratione etiam in corporum constitutione interna abundantes ejusmodi partes quandoque reperiri observatur; nullâ tamen imaginatione, quantum quidem constare potuit, easdem producente; quale quid de

ſtomacho duplici habet *Annus proximè præcedens Ephem. obſ. 154.* & *Riolani anthropograph. lib. 2. c. 20.* quod etiam de Liene, Renibus, Veſica, &c. numero excedentibus, alii notarunt.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XLII.
D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,
De
Partu poſt mortem matris.

MUlier quædam ruſtica in pago vicino paulò ante menſem ingravidationis ultimum, laboribus domeſticis nimis intenta, & uti putabatur, rupta, malè habere cœpit, accedente febre acutâ; præterlapſis paucis diebus diem ſuam obit; moreque ſolito ſandapilæ committitur; elapſo biduo fœtus mortuus ad pedes defunctæ matris provolutus cernitur: Quæritur; utrum infans ergaſtulum ſuum vivens relinquere coactus fuerit, extinctâ ante binos dies genitrice? puto quod ſic: cum omninò fœtus ſuperſtes, matre demortuâ, in utero eſſe queat, & non matris ſed propriâ vitâ in eodem fruatur.

SCHOLIUM.

COnferatur in *Anno præced. Obſervatio LIII.* Quamvis autem, fœtum in hoc ſimilibusvé caſibus utplurimum ex demortua matre vivum prodiiſſe, haud ſit incredibile, cùm ejusdem conatum, ad partum ritè ac benè abſolvendum, eſſe neceſſarium, vel hanc ob cauſam etiam ſtatuatur, quia & pullorum e. g. partus vel excluſio non tam incubanti matri, quàm ipſi pullo, corticem ovi effringenti, debetur; non tamen revera mortuas ſemper eſſe matres, quæ tales eſſe judicantur, non minùs certum eſt; quin & embryo, in procinctu dum eſt ad egre-

ad egrediendum, si moriatur, laxatis post mortem matris (vid. *Ephem. Dec. I. Ann. III. obs. 318.*) omnibus hujus membris & simul ligamentis uteri, gravitate suâ descendere potest, præsertim ubi loca muliebria effluxu aquarum, ex ruptis fœtum involventibus membranis, lubrica magis fuerint reddita, aut stagnans in utero humorum colluvies fermentationē subiens, aëremque magis expandens, & quasi in flatum resoluta, ad fœtum expellendum unà concurrerit. Unde quàm grave sit, in simili casu certum dare de facta vivi mortuivé fœtus exclusione judicium, adparet. Licet ejusdem fœtûs instituta anatomica inquisitio certiorem aliquam decisionem suppeditare queat, cùm, vivus ille ex utero si eruperit, non possit non mox inspirando aërem captare, à quo verò pulmones alterari contingit, utpote qui rubicundiores in istis, aërem qui nunquam inspirarunt, comparent, dum vicissim ab aëre suscepto dilatati albedinem induunt: *eoq; indicio*, verbis loquor *Guil. Harvæi exerc. 70. de generat. anim. facilè internoveris, maternè vivum an mortuum fœtum pepererit: illico enim ab inspirato aëre mutatur pulmonum color; qui, etiam post repentina fata, idem permanet.*

(*L. Schröck, L. F.*)

D. J. A. Vl-
p. 299
& infra p. 34

OBSERVATIO XLIII.
D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,
De
Roremarino in Sarcophago crescente.

SEdini Pomeranorum ante multos jam annos Mercator quidam primarius sepultus, cujus manibus sueto more ramulus Rorismarini inditus: aperto antè aliquot annos loculo ramulum istum adstantes consanguinei in tantam longitudinem excrevisse viderunt, ut barbam affabrè perreptan-

reptando faciem integram, egregio ſpectaculo virens contegeret.

SCHOLIUM.


SI Rorismarini non ita difficilem germinationem perpendamus, dum vel ramulus ejus à ſtirpe ſua decerptus, humidæque terræ commiſſus, aut etiam aquæ tantùm impoſitus, radices agere non admodum renuit, aqueis nempe particulis ita in locum earum, quas è ſitibundæ plantæ porulis aër circumſtans continuò exhaurit, ſuccedentibus, & ſic ejusdem augmentum, tam ſupernè in majorem ramuli longitudinem & amplitudinem, quàm infernè fibrillas in radiculas expandendo, procurantibus; ſi, inquam, germinationem hanc facilem perpendamus, miræ quoque excreſcentiæ hujus rationem capere fortaſſe licebit. Vegetus enim ejusmodi ramulus, recenterque à ſtirpe deſumtus, manibus demortui hujus, paulò poſt ſepulturæ tradendi, ſi fuerit impoſitus, præcipuè aëris temperies frigidiuſcula tum unà ſi exſtiterit, & ſic neutiquam marceſcens in tumulum pervenerit, vigorem ſuum aliquandiu ſervare, &, cùm loculus non minùs quàm terra ei injecta liberum aëri acceſſum denegaverint, diſſipationem humoris inſiti naturalis & vegetantis devitare potuit, quem ipſum etiam exhalantes ex putreſcente cadavere humidæ particulæ, ut et quas terra injecta, à pluviis fortè tum liberaliter madefacta, ſuppeditavit, non tantùm diu integrum conſervarunt, ſed quoque non parùm adauxerunt, quò ita, interno agitante ſpiritu, in majorem molem ramuli extendi & germinare potuerint.

(L. Schröck, L. F.)

OBSER-



Ovum gallinaceum monstros:
Fig. XII.
fol. 105.


Capra sylvestris Africana.
Fig. XIII.
fol. 131.


Fig.
XIV.
a
fol. 137.
Tracheæ sectæ facies
antica et lateralis.


b
Fig.
XV.


c
Fig.
XVI.
Globulus pituitæ.


Calculi renales.
Fig. XVII. fol: 139



OBSERVATIO XLIV.
D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,
De
Ovo gallinaceo monstroso.

POlydædalam naturam nunquam otiosam semper curiosis spectatoribus in theatro suo nova proponere spectacula, verè scribit Beatissimus *Sachsius Ann. I Ephem.* in *scholio observat. XXXVI. p. 120.* Regnum Vegetabile plantas suggerit monstrosas plurimas: in Minerali varia sæpius lapidibus inprimuntur phænomena: Animale non caret insolitis monstrosisque generationibus, præcipuè in avium genere, potissimumque in Gallinis, & quorum numerosus partus est, juxta *Aristot. de Generat. Anim. l. 4. c. 4.* Ut alia sicco pede prætercam, Ova tantùm in scenam produco, quorum monstrosæ generationes non immeritò quempiam in admirationem trahunt: Prostant in *Ephemeridibus nostris passim* notatu digna: ita mentio fit in *Anno I.* Ovi partu enixi *p. 12.* prægnantis *p. 120. 122.* Insolitæ figuræ: *p. 310.* Serpentis in ovo: *p. 123.* in *An. III.* Ovum producitur in ovo: *p. 51.* Serpentiferum gallinaceum: *p. 354.* in *Anno IV.* Ova à gallo gallinaceo posita memorantur; & aliud Eclipsi lunari insignitum *p. 301.* subjungitur. His annecti meretur ovum, quod hîc locorum antè biennium fortè spectatum: Scilicet mulier quædam plebeja domi suæ aliquot gallinas aluit; hyeme cessante, una ex illis ova parere cœpit & quidem in loco exclusioni aliàs destinato: interjectis aliquot diebus non in loco solito, sed in foci cineribus unum eâ, quam Figura 12. ostendit, monstrosâ facie posuit, clamore ingenti avolando: accedens materfamilias reperit monstrũ hocce insolitum, quod tamen terrefacta attingere non audet, vivum aliquot inesse animalculum existimans: re ad me delatâ, jubeo ovum adferri; miratus ipse ejusmodi monstrosam efformatio-

nem, aliis conſpiciendum præbeo: quò tamen de contentis certò conſtaret, aperio illud, ovíque albumen cum vitello more ſolito formatum reperio, teſtâ tamen non induratâ, ſed molli exiſtente: præterlapſis duabus ſeptimanis eodem in loco alterum denuò ejusdem formæ & figuræ, præterquam quod cauda longior & tortuoſior adpareret, peperit; cætera verò & naturalia quidem in loco conſueto ſemper poſuit: Superſtitioſæ mulierculæ neſcio quid ominis indè ſumebant.

Fig. XII.

OBSERVATIO XLV.
D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,
De
Hæmoptyſi & conſequente phthiſi ex terrore contractis & contagioſis.

Contagioſos plures dari morbos, nec ſolos Epidemios, ſed & ſporadicos tales exiſtere, cum contagium utrisque interdum commune ſit, ex Medicorum monumentis ſatis ſuperque manifeſtum evadit. Horum claſſi inſeri ſolent Catarrhi, febres malignæ & peſtilentes, Ophthalmiæ, Phthiſes, Dyſenteriæ, & alia corpori noſtro exitium minitantia mala: talia de ſubjecto in ſubjectum migrare, ac in diſpoſito corpore ſub vaporum formâ, & in minima corpuſcula reſoluta ſeminaria morbifica deponere & queunt & ſolent. De Hæmoptyſi ambigi poſſet, utrum & hæc conſternatione quâdam contrahi atque contagioſa eſſe poſſit? Aſt ſequens Caſus, ut opinor, omne excutiet dubium. Vir quidam Reverendus, conſiſtentis ætatis, ſputo ſanguinis aliquoties jam laboraverat, donec tandem phthiſis comitem ſeſe adjungeret: cumque deſiderio teneretur inviſendi ſocerum, Virum de Orthodoxâ Eccleſiâ hujus loci optimè meritum, nec commodè pro-

dè propter infirmam valetudinem liceret: tandem tamen, ut voti & desiderii compos fieret, in viam se dans ad nos delatus est: vix per biduum substiterat, cum lecto detentus denuò Hæmoptysin pateretur, & tantâ quidem vehementiâ malo adfligente, ut unà cum purpureo liquore ipsam ejecturus animam videretur: attonita videns subitaneam hanc Adfinis mutationem accurrit Filia prænominati venerandi Theologi, octodecim annos nata, Virgo corporis morumque venustate commendatissima, ministrantisque vices obitura, cum solitaria esset in conclavi, caput hæmoptoici pro more sustinet: cessante sanguinis sputo, ægroque nonnihil refecto, adventantibus domesticis narrat, quæ cum Adfine acta fuerant; hi consternati omnem impendunt operam, ut convenientia remedia ægroto exhiberentur: sequenti verò nocte Virgo idem incurrit malum, roseum liquorem in satis magnâ copia ex pulmonibus exspuens: Parentes attoniti statim Medicum, Parentem scilicet meum desideratissimum b.m. pro instituendâ medelâ accersiri curant, qui posteà aptis medicinis cruentam rejectionem quidem cohibuit, prohibere tamen non valuit, quin phthisis tandem & tabes formosum hocce corpus consumerent, vix prælapso semestri spatio. Ex Casu hoc apertè liquet, Virginem ex consternatione, & imaginatione Hæmoptysin contraxisse, quatenus effluvia contagiosa ex decumbentis Adfinis pulmonibus egressa sanum corpus infecerint, & pulmones ad dispositionem talem redegerint: phthisin verò tandem vitæ filum abrupisse, mirum non est, cum Hæmoptysin insequi soleat. Juxtà *Hipp. Aph. 15. sect. 7.*

SCHOLIUM.

Cum Virum hunc præter hæmoptysin etiam phthisis tenuerit, hujus autem natura in exulceratione pulmonum consistat, quæ cum aêre exspirato putridas suas atomos unà expellit, hæ in præsenti casu, majori impetu & copiâ, reseratis

nempe ſimul magis, in violenta ſanguinis ejectione, læſorum pulmonum cellulis vel putredinis foco, extruſæ aërem vicinum inficere, atque à virgine propinquiore, dum caput ægroti ſuſtinuit, copiosè inſpirari, ſicque pulmonibus ejus ſe inſinuando, labem eis adfricare potuerunt; idque eò faciliùs, dum & ſanguis terrore ſubitaneo, à viſa in adfine graviſſimâ cruoris copioſi effuſione, in motu ſuo primò inhibitus, mox, naturâ ſe recolligente, majori impetu propulſus agitatusque fuit; & imaginatio vel recordatio horridæ excretionis ſanguinem ad locum ſimilem ſive pulmones magis direxit. Cæterùm hæmoptyſin contagioſam etiam nonnunquam obſervâſſe ſe refert Exc. noſter *D. Wedelius* in *Dec. I. Ephem. harum Ann. VI. obſ. 2.* nec non *Phyſiolog. med. ſect. 3. cap. 19.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XLVI.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

De

Antipathiâ Opiatorum hæreditariâ.

ANtipathiarum limites valdè eſſe extenſos, ex multitudine Exemplorum pateſcit; & quidem quod naturale faſtidium atque odium certorum ciborum & potuum concernit, videmus toto die, quod non pauci carnibus, piſcibusque planè abſtineant; alii vinum, cereviſiam, caſeum, butyrum, mel &c. averſentur; quidam poma, pyra, aliosque horæos fructus non attingant: præter ejusmodi alimentorum faſtidium & antipathiam, etiam certorum Medicamentorum aliud in quibusdam exſurgit: notum eſt, Opiata ritè præparata & decenter adhibita multum magnumque uſum in pellendis multis affectibus p. n. obtinere; quicquid etiam nonnulli contrà eundem oggannïant; inprimis in Catarrhis

tarrhis tenuibus atque serosis, Tussi item ab ejusmodi defluxione proveniente, in quibus ægritudinibus sine Opiatorum ope nulla cita, tuta ac jucunda sit curatio: Vid. *Opiologiam* Excellentiss. *D. Wedelii l. 2. sect. 2. c. 2. 3. p. m. 108. 109.* Quæ quamvis ita se habeant, reperiuntur nihilominus subjecta quædam, quæ Opiata perferre non possunt, antipathiâ jure quodam hæreditario introductâ: veritatem sequens Casus stabiliet. Anno præterlapso cum vocarer ad nobilem Virginem, Catarrho tenui acri & seroso detentam, tussique gravi afflictam, ut erecta in lecto sedere cogeretur, & Catarrhus suffocativus metueretur; expertis in ejusmodi affectibus remediis nil proficientibus, ad Opiata tandem deventum, & Pilulæ Catarrhales Opiatæ circa vesperam exhibitæ, quæ instantis noctis requiem adeò turbarunt, tantamque anxietatem, & angustias, vomitus item molestissimos excitarunt, ut nobilissima Virgo de se actum putârit: mane visitanti mihi referebat, quæ noctu acciderant, symptomata, quærens, utrum hesternæ Pilulæ Opiati quid in se continerent? affirmanti mihi regerebat, se ex Opio parata medicamenta ex naturali quodam odio & antipathiâ perferre non posse, sibique recenti adhuc hærere memoriâ, similia symptomata quondam Heidelbergæ sese usu præscripti opiati perpessam, causam rejiciens in hæreditariam dispositionem, à Parente suo Opiata similiter aversante in se translatam.

[Communic. Francofurto cis Viadrum D. D. Wedelio.]

OBSERVATIO XLVII.
D. JOH. THEODORI MOEREN, De Iride.

MOnuerunt me præcedentis anni observationes Nob. *D. Mentzelii*, ut si quid in simili materia observare daretur, illud quoque observationum numero con-

jungerem. Manè itaque hora 4. anni 1685. Julii prima ſt. n. in Ringaviæ Meditullio (ubi nunc praxin Medicam exerceo) ſubitò evigilans ſingularem albicantem aëris univerſi rubedinem per feneſtras adverti, unde relictis lecti latebris plagam verſus Sudweſt iridis pulcherrimæ terræ incumbentis partem intueor, cœlo exiſtente ibidem nubibus gravido & pluviam illic uberiorem excutiente; vera iris ejiciebat de ſe in Meridiem ſpuriam ſuam, ut fieri aſſolet, ubi verior præſertim iris fortiùs coruſcat.

Pede ſuo ſtabat iris in planitie ab altera parte Rheni, ubi retro iridem ſurgebant montes, qui illo diſtrictu à deſcendente iride amœniſſimè depingebantur. Jucundiſſimum hoc ſpectaculum & de cœlo quaſi nata pictura omnes Morphei reliquias meis ex oculis proſcripſit, coloresque quinque ſequentes in iride adverto. Primus meum Zenith verſus erat purpureus. Secundus erat ruber, & hi duo taliter uniebantur ut liberis oculis difficile erat determinare utriusque extremitates unitas. Tertius erat aureus & quartus flavus, qui duo etiam in ſui amplexu ægrè poterant diſtingui, ita ut ipſam unionem circumferentiarum dicerem mixtum colorem alium reſultantem, & ſic in iride ſeptem colores diſtinguerem. Quintus erat viridis perfectè à cæteris diſtinctus.

Jam occupabar in accuratiori colorum iridis perluſtratione, ecce ſubitò in Medium latus jam examinatæ iridis incidebat fruſtum alterius cujusdam iridis modo penè ſingulari, cujus ſplendor non omnimode aſſequebatur prioris iridis lucem, quam incidentiam hac rudi virgula lit. *a* effingo.



Cum inſolitam hanc mihi nunquam viſam connexionem perluſtro prior iris lit. *b* paulatim totaliter evaneſcebat, alterum verò incidens fruſtum ſic alto cœlo imperfectum pendebat, donec etiam poſt aliquam moram occultato nubibus ſole, quem ob adjacentium ædium cacumina videre non poteram, interiret.

Curio-

Curioſitate ſua regnum aëreum vel ſi mavis æthereum aut uno nomine cœleſte non cedit tribus aliis vulgatis regnis, & ſane, qui hiſce ſidereis & aëreis plagis altiori genio liberiùs indulgent, non uno nomine univerſam philoſophiam ſibi habebunt obſtrictam, conſtanti enim hiſtoriarum, obſervationum & experimentorum perpetuitate poterit ſuo tempore ingeniis philoſophicis ejusmodi lux exoriri, ut non ampliùs probabilia & inevidentia in rebus naturalibus ſequi cogamur & poſteri cogantur.

Doctiſſimus *Mentzelius obſervat. VI. Dec. 2. Anni III.* ponit Iridum colores alio ordine, quàm ego in hac iride obſervavi. *Loc. cit.* inquit: *primò ſupremam arcus cœleſtis regionem tenet ruber color ſeu phœniceus, ſecundò ſequitur luteus vel aureus, tertiò viridis, quartò cæruleus, quintò puniceus vel purpureus.*

Sequitur ergo, hanc à me viſam Iridem eſſe vel ſingularem, vel non ſemper certò hos ſe colores invicem ſequi, ſed pro varietate Diſpoſicionum aliter & aliter reſultare. Vel enim pluviæ cadentis guttæ ſunt majores aut minores vel disjunctæ aut conglobatæ, vel venti impulſu rectè vel obliquè feruntur, & pro ſimilium diverſitate diſpoſitionum, diverſimodis quoque coloribus oculos aſpicientis incidunt, ut mihi certum videatur, ſi uno eodemque momento à duobus uno alterove milliari diſtantibus eadem (ſi poſſit) iris obſervetur, certè alia & alia erit colorum raritas vel denſitas, alia transpoſitio, alius ſplendor.

Obiter liceat quærere, an illi colores in Iride procedant à Sole, & in illo reſideant? negativa placet; ratio eſt, quia in Sole non ſunt iſti diverſi colores, multo minùs in radiis; radii namque ſunt continua propages effluviorum igneorum Solis. Sed ſola eſt guttarum diſpoſitio, ut jam ſupra innui, quæ ſi ſub certa figura Soli & radiorum incidentiæ objiciantur,

ciantur, diverſos colores in oculos noſtros projiciunt, ut in vitro Trigono & alterius figuræ vitris, quæ autem ſit ratio hujus & illius præcisè reſultantis coloris, ut & determinatio figurarum pro hoc vel illo colore intimæ eſt optices demonſtrare.

Phyſicè autem totum myſterium aliquatenus explicando iris aliter non fit, niſi, ut nunc capio, quod quævis guttula Solem repræſentet, & eum etiam perpetuo redderet, niſi & gutta guttam truderet, ventus variè frangeret, ipſe lapſus contorqueret & continuò quoque Sol moveretur: ex hac ergo confuſione oritur color in iride medius, qui vel eſt flavus vel aureus Soli æmulus, dico medius; nam cum Sol ſit centrum iridis utpote circuli, linea circuli erit color medius. jam cum utrinque laterales circuli diſcedant tum à linea media circuli, tum à centro alios colores mutuant, vel à Sole minus directè incidente, vel ab ipſo colore medio per refractiones & reflexiones projiciente.

In mea nunc obſervatione ubi fruſtum illud novæ iridis incidit in partem prioris ſic mihi imaginor, quod pars illa nubis, quæ repræſentabat novæ iridis particulã, extra cæteras nubes extiterit, ut illa eminentia nubis de loco etiam jam moto Sole in eundem circulum iridicum, ut ita loquar, prolapſa ſit: non poterat enim projici à priori iride, quod ſtante utraque cogitabam, nam antiquiori iride evaneſcente perſeverabat fruſtulum illud ſuperiùs ſatis longo adhuc tempore.

Circa octavam narrabam hanc obſervationem viro optimo & perdocto D. *Jo. Wendelino Cronberg* hoſpiti & loci Prætori, qui ſæpius ſimile quid ſe obſervaſſe referebat, vocavitque germanica lingua ſimilem Iridis particulam ein Windgal quaſi receptaculum venti, indeque augurabatur fortiorem ventum brevi ſecuturum, nec augurium fefellit, horâ enim nona exortus impetuoſior ventus cum pluviâ in partibus occidentalibus, quæ tempeſtuoſa & fœda aura per duos adhuc inſequentes dies perſeverabat.

At quæ

At quæ connexio ? Si conjecturari liceat nec Sol per se neciris, nec cum iride Titan Æolum ad iram provocarunt. Sed quomodo sunt signum futuræ tempestatis, cum tamen iris debeat esse signum pacis, & Sol amœnitatis indicium ? credo prognosticon una alteravè vice coincidisse, & sic frustra connexio eruitur. Si autem perpetua observatio tollat dubium, ego tamen manebo scepticus.

Non putem me hîc excedere Philosophiæ limites, si ad calculum revocem illud ex Sacra Scriptura, ubi consternatis post generalem impiissimi orbis inundationem mortalibus, in solatium data est iris pro signo reconciliationis Deum inter & homines, utrum nimirum ante diluvium fuerit iris ?

Negat *Helmontius* qui in *Meteoro anomalo* dat causam hanc. *Mortales alioqui jure conquesti fuissent ; jam enim sæpe ante vidimus iridem, & tamen Mundus Cataclysmate periit. Quam ergo nobis securitatem per Iridem polliceris assuetam, suspectum hoc nobis fœdus pudorem non tollit* : affirmant alii, eò quod semper fuerint in natura requisitæ ad iridem causæ per totum id tempus quo mundus steterat, & quæ ante diluvium fuerat solùm signum tempestatis futuræ, post diluvium mansit signum tempestatis & simul ex infallibili Dei verbo signũ fœderis, cum signum ab instituentis arbitrio dependeat & pro illius voluntate etiam diversa & contraria significet ; & his affirmantibus minùs arridet propensa in S. Scripturam credulitas *Helmontii*, quasi pro tuenda prioris asserti sui veritate ne nunc quidem haberet iris sui causam naturalem ; cum ex *Helmontii* supposito contineatur falsitas causarum naturalium iridis, quas dant Philosophi. Ego in hac incertitudine ab utriusque litigantis parte abstrahens reservata secretiori responsione, hoc tamen monitum volui, ut videatur, utrum in Armenia & præsertim ejus montibus, ubi sine dubio Noë cum suis post redditam terræ siccitatem morabatur, occurrant causæ iridis naturales, si ut mihi videtur ob Climatis diversitatem vel montium altitudinem

non adsint omnes requisitæ causæ, statuendum erit iridem, quam in signum fœderis Deus dedit, fuisse planè singulare à prioribus & posterioribus Meteoron. Si dicatur, quod nos ergo posteri non ampliùs gauderemus illa certitudine quod mundus deinceps aquis non sit periturus; respondeo plura esse in Sacro Codice, quæ posteris promissa sunt & tamen nunc non, ut olim, nobis exhibeantur. Et cui hæc responsio non satis facit, adeat & inhabitet altos Armeniæ montes, & ibidem forsan singulis annis videbit iridem fœderis promissi indicium. Cætera quæ *Helmontius* de iride tractat vel nulla sunt, vel probanda aut refutanda ex optica, ad quam remittimus eos, qui totam iridis Explicationem demonstrativè desiderent.

SCHOLIUM.

Liceat & mihi, cum pace Clar. Domini Autoris, mentem meam de Iride illa, Noaho in signum fæderis proposita, paucis subnectere. Et quidem ante diluvium jam comparuisse Iridem, talem nempe, qualem quotannis sæpius apud nos in aëre depingi notum est, mihi certissimum esse videtur; cùm enim Iris hæc â causa naturali, sive à nubis roridæ solaribus radiis oppositione oriatur, antediluviano verò tempore nubes pluviarum feraces per aërem oberrasse, atque ita etiam, Sole vel oriente, vel occidente, easdem in opposita cœli plaga exstitisse, nec impossibile est, nec improbabile: qua sanè ratione, positis causis in actu non impeditis, effectum esse secutum, sive Iridem comparuisse, necesse est; cùm impeditas ante diluvium fuisse Iridis causas, nemo probare facilè queat; 2. hac ratione etiam in Armenia iridem comparere, non est incredibile: Si enim in summo montis Ararat cacumine iridis causas non dari, ponamus, quis tamen certò adfirmare queat, Noahum sacrificium illud, post egressum ex arca, in cacumine montis, non verò in valle aliqua ampliore, vel decliviore aliqua montis parte, in qua utique causæ istæ esse poterant,

insti-

instituisse; imò 3. quamvis non præfractè negandum, incertum tamen mihi esse videtur, an Iris aliqua tum temporis, cùm eadem in fœderis dati confirmationem à Divina Majestate Noaho proponeretur, in aëre spectandam se præbuerit; siquidem ex verbis textus *Genes. cap. 9.* §. *13.* illud haud adeò liquet, DEO non in præsenti, sed in futuro, hunc in modum loquente: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & terram* &c. 4. Posito, Iridem tum in aëre adfuisse, ita ut DEUS, quasi monstrando eam, dixerit: *hunc arcum meum pono in nubibus* &c. non video tamen, cur illa ipsa Iris haud exstiterit per causam naturalem; siquidem potuisse nihilominùs signum esse reconciliationis, vel historia Abrahami docere posset, cui DEUS *Genes. 15. §. 5.* immensam generis multiplicationem promittens, in signum copiam stellarum innumerabilem, corporum utique, nemine contradicente, naturalium proponit; quin & circumcisio, actus, quà talis, nihil supra naturam involvens, *ibid. cap. 17. §. 11.* signum fœderis DEUM inter & Abrahamum vocatur; & sic rectè signum ab instituentis arbitrio dependere dicitur; 5. Iridem, si quæ tum comparuerit, non fuisse singularem, aut in solis Armeniæ montibus comparentem, inde liquere puto, siquidem DEUS Iridem in signum fœderis non tantùm Noaho, sed omnibus hominibus, omnivé animæ viventi, non illis tantùm, qui altos Armeniæ montes inhabitant, dederat; & tale quidem signum, quod in nubibus cœlo obductis conspiciendum sit, & ita ubi per causas naturales arcus ille in nubibus comparuerit, tum DEUS fœderis recordari se velle, promiserat; verba textus *§. 14.* & *15.* hæc sunt: *cùm obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei* &c.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XLVIII.

D. JOH. THEODORI MOEREN,

De

Fulmine mirabili.

DEfatigavit non mediocriter etiam ingenia ſubtiliſſima non tam ipſius tonitru quam fulminis ſæpè admiranda vis & velocitas. Multa & copioſa eſt antiquitas in recenſendis fulminis operationibus fidem humanam exſuperantibus, & credo etiam infido plerumque calamo plures fulminis effectus annotaſſe authores. *Plinius* ut fuit in hiſtoriis referendis facilior, ſic & huic docto & accurato ſæculo incertior audit: non tamen ego ullas fulmini vires facilè negavero, ſi rectè concipiam motus ejus tam violentiam quàm velocitatem.

Per Dies aliquot ſummus æſtus languente præ exæſtuante calore naturâ provocaverat veſperi die 14. Junii ab occidente craſſiores nubes, quæ circa medium noctis & in aquam & in ignem ſolvebantur, reboabat aêr perpetuò. Intonuere poli & crebris micabat ignibus æther; Tanto ſemper ſuccedente fragore, ut in Ringaviæ Medio unà omnium Incolarum eſſet conſternatio, & ego qui parùm aliàs meteorologicis terriculamentis moveor, penè à me ipſo aberam: Interim ſubitò advenientium hominum lachrymæ ſollicitabant me, ut comitarer ad quendam non remotè adeò diſtantem fulmine tactum, illicò ſequor per fulmina nimbos & undas, ubi accedo, plurium hominum manus aderat opem latura domui, quam cœleſti igne correptam crediderant vicini; at ubi domui nulla ab igne noxa quaquaverſum, in hypocauſto ſuffultis brachiis circumducebant domûs filium è fulminis ictu adhuc debilem.

Peto

Peto facti speciem, ubi anheloso spiritu dictus filius circa mensam cui assederat libellum precatorium volvens ostendit & ex fortiori fulminis ictu, quem dorsum transiisse putaverat, sensisse, quod ab inferiori corporis parte utpote ventre & pedibus retrocesserit vita, atque sic se sine sensu, sine motu esse, nisi quod putarat immensùm quantum pedes increvisse & intumuisse, durissimoque frigore inferius corpus correptum esse. Sederat in adstanti lecto filii jam penè quadragenarii mater, quæ nihilum læsa altè opem pro filio petiit, qui è sede prolapsus sui vix potens mortua quasi mole humum onerabat. Accurit famula, quæ cum matre ægerrimè filium poterant erigere. Servus interim vicinos convocabat, qui fortiori manu filium sublevantes ducunt & reducunt, ut ex isto motu rediret mediæ corporis parti spiritus vitalis. In hoc adhuc debilitati motu cum accessissem, suasi ut pauxillum nobilioris vini sumeret, quò corpus magis incalesceret; sic sibi redditus post aliquot etiam dies usus balneo plene restitutus est.

Desinente Tonitru, remotisque è nostri cœli horizonte inquietis nubibus auroram diemque adesse conspeximus, soleque orto plenius ludentis fulminis effectus per domum lustravimus. Domus illa quatuor angularibus Columnis quiescebat Diagonalibus trabibus mixtim connexa & firmata, unam harum columnarum advenienti tonitru obviam per medium confusè diffractam vidimus, insertumque trabem comminutum, sine ullo ignis indicio, & ubi columna murum radebat, fulmen murum transiit, ut ex ingenti comminutione & amplo hiatu advertimus: abhinc bono passu distabat in culina promptuarium, ubi fulmen ridiculo gyro hinc lignum raserat, inde compacturas etiam glutine firmatas diviserat, ollas quas liquida Materia implebat evertit, & rodentium tinearum pulverem è suis cavernulis doctè excussit; uno verbo, confudit omnia.

Ab altera tecti parte tegulas integro ordine removit de-

ſcendenteſque trabes ſine lege conſcidit & tumultuario greſſu ſubintraverat ſecretiorem domûs locum, quo quæque obſoleta & vetuſta conjecta erant, ſumma imis miſcuit.

Admirabundi item ſedentis in Tonitru filii locum contemplabamur, & ecce! ſubtilibus hiatibus & rimulis hiſcebat paries tum ſupra quam infra ſcamnum, unde facile fulminis vicinitatem filii dorſo agnoſcentes gratulabamur de evaſionis fortuna.

Huic Hiſtoriæ paucula liceat addere formata illa quæſtione. *An detur fulmen frigidum?* Anſam huic quæſtioni dederunt cæteri homines, qui unà mecum fulminis luſum obſervabant. Qui cum ne ullum ignis aut combuſtionis indicium nec odore nec viſu dignoſcerent, facili concluſione deſcendebant in eam ſententiam, frigidum fuiſſe fulmen, quod ſua lingua exprimebant, Es iſt ein kalter Schlag. Aliàs nempè fulmine tactæ ædes, ut jam pluries vidi ſui eſſe cineribus commendant.

Ego ut quæſtionis negativam defendam, pro ratione affero domum illam non vero fulmine tactam fuiſſe, ſed fortiſſimo & conglobato aëre afflatam, cujus vis venti turbine juncta & à fracti nubis blas propulſa in domum conſpiravit, ubi variis & cavernulis & porulis ſe inſeruit, inde tamen exitum neceſſariò quærens vel disrupit fregitque omnia, vel elevavit ſeparavitque modo illo, quo facilius impetuoſior ille aêr ſuam ſibi libertatem vendicaret, aliàs ſane ſubtiliores igneæ fulminis particulæ iſthoc velociſſimo motu phyſica neceſſitate in aridis lignis accommodatiſſimum pabulum inveniſſent. De cætero cur inferior ſolùm filii pars corporis exanimata ſit, ex ſequenti obſervatione clariùs innoteſcet.

OBSER-

OBSERVATIO XLIX.

D. JOH. THEODORI MOEREN,

De

Tonitru Herniam cauſante.

HOrriſono cœli murmure & repentino fragore concûti ipſa inteſtina totumque corpus quaſi enervari non rarò obſervavi in timidiori ſexu fœmineo, at in pleno die in maſculino ſexu ubi plures homines adſunt Herniam à tonitru cauſari mihi inauditum.

Jam penè annus eſt quo adhuc Confluentiæ familiariſſimè utebar Excellentiſſimo *Fürſtio* nunc S. R. J. Acad. Nat. Curioſ. digniſſimo Æolo. Ubi invitabamur ambo à præſenti tunc temporis Confluentiæ Herniotomo, ut ſectioni ſpectatores eſſemus; felici operationi interfuimus. Ubi & Excellentiſſimus *Æolus* teſticulum exſectum & denudatum dextrè diviſit, rugasque quibus tanquam cellulis ſemen vel elaboraretur vel detineretur oſtendit, nullus tamen humor huic ſpermaticæ officinæ etiam digitis compreſſæ inerat, ſed jejunis & craſſiusculis plicis hiabat; in nupero tamen Gallinaceo, cujus ego teſticulos diviſi tam liquido & albo humore turgebant, ut minima ſectione copioſius efflueret liquor ad flacciditatem usq;, quaſi ipſi teſticuli in putrilaginem abiiſſent; at de his alibi. Reſtituto nunc noſtro ſecto, quæſivi Herniæ illius Originem & ſequentia percepi.

Juvenis erat viginti & unius annorum, patria vix hora diſtat Duſſeldorpio Seren. Principis Neoburgici Sede, ubi ante binos annos molendinum inhabitaverat quod ex certi generis opere, quo Pannus adhuc rudior majorẽ nanciſcitur in firmitudine perfectionem, vocabat eine Walckmühl / in eo gravi ſe ſæpè panni mole preſſum fuiſſe referebat, usque dum certo æ-

ſtatis

ſtatis tempore graviùs ſolitô pondus humeris impoſuiſſet, atq; ex ea mole quendam circa inguina dolorem ſenſiſſet.

Poſt aliquot inde Dies ex æſtu cœli nimio tonitru pluviasque jam procul minitante domum veniens circa prandium, cæteros homines menſæ invenit aſſidere, quibus ſe jungens avidè cibum hiante ſtomacho excepit. Jam acriùs inſtabat ventus, nimbi, fulgura, tonitrua, ſed commenſales ex hoc nil moti, menſam adhuc pleno ore circumſtant & ſubitò fortius roboante tonitru inſolitoque fragore deſcendente, ſe procubuisſe in terram, ſcroti pubisq; dolorem altè incuſando teſtabatur. Cæteris nihil niſi iſthoc terrore concuſſis, elevatus & chirurgo commiſſus ex tonitru eum in Herniam incidiſſe conſtabat, cum quid ex corpore in ſcrotum prolapſum eſſe accuratiſſimè ſenſerit, & exinde per binos ſequentes annos perpetuum ſibi auræ mutandique aêris Calendarium fuiſſe hanc Herniam.

Vix hiſtoriam narrando abſolvit & eum ſæpius acerrimè veritatis admonui, ne quid referret quod veritati diſſonum esſet, ubi conſtanti aſſeveratione hanc fidem apud me promeruit, qualem patientes ſeu ægri ſuos dolores enarrantes promerentur.

OBSERVATIO L.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Cicuta ſine noxa comeſta.

FEſto Pentecoſtes currentis anni 1685. cujusdam Domini coqua olus paraverat, & loco Petroſelini veri Petroſelinum dictum caninum (*Helvetius*, autor *aurei Vituli* accenſet herbis ſaturninis, de cujus ſignatura vel phyſiognomia multum dicendum, ſi eſſet hujus loci,) in ſat magna quantitate receperat; de hoc olere comederunt omnes familiæ perſonæ, ſed citra ullam (Dei gratiâ) noxam; cùm tamen

men ejus usu multos legamus esse dementatos & furore extinctos. Congessit istius tristis evẽtûs aliquot exempla *Thom.Burnetus* in suo *Thesauro Medicinæ practicæ*, sub titulo de Cicuta. Cùm sollicitè inquireretur, ex quotnam speciebus hoc olus constitisset, responsum est, duntaxat tribus: (1.) Cherefolio, (2.) Beta alba, (3.) pseudopetroselino: sicque proculdubio Cherefolium, cujus maxima pars fuit pessimi istius veneni (teste *Tabernæmontano*) antidotus. Confer. *observat.43.* Nobil. *D.D.Cornelii Stalpalt. Van der Wiel, pag.139.* usque ad *pag.150.*

SCHOLIUM.

CHærefolium sale suo volatili aromatico, quo abundare illud, præter odorem, sapor evincit, & de quo *Æmilius Macer* cecinit:

Est Chærefolio vis acris & ignea valde,

sulphur Cicutæ narcoticum & dementans emendasse, fortè dicere licebit. Cæterùm sine noxa alias etiam ob causas quandoque Cicutam stomacho ingeri constat; quo de plura congessi in *Scholio ad observ.42. D. D. Joh.Hellvvigii*, hîc itaque non repetenda.

(L.Schröck, L.F.)

OBSERVATIO LI.
D.JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Antipathia cum Mentha.

PRosocrus mea Menthæ odorem, nec quidem herbæ ejus præsentiam sine animi deliquio ferre non potuit.

OBSERVATIO LII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Eryſipelate faciei exulcerato.

PRæcedentis Anni Ephemerides evolvens incidi in oppidò raram *Obſervationem Num. X. pag. 48. & 49.* quam Excellentiſſimus *D. D. Georgius Francus*, Collega honoratiſſimus cum Ampliſſimo noſtro Collegio communicavit, doctiſſimoque ſcholio eruditiſſimus *Luc. Schröckius* illuſtravit, cujus occaſione hanc communico obſervationem. Socer meus b. m. Petrus Johannes de Calis, Senator Urbis Fridrichſtadii, dum viveret, integerrimus, hoc cum malo ſæpius conflictatus eſt, & quidem levi occaſione in ejusmodi Eryſipelas faciem exulcerans incidebat, imò ſi duntaxat carne anſerinâ veſceretur, illico corpus primò rigore concuti, & pandiculatione convelli incipiebat; hæ enim corporis paſſiones infallibilia erant ſigna imminentis iſtius Eryſipelatis; paulò enim poſt, integra facies monſtroſè intumeſcebat, hæcque intumeſcentia 9. dierũ ſpatio accreſcebat, totidemq; diebus detumeſcebat, & ubi ad ſtatũ pervenerat, varia ulcera magnæ molis in facie & capite oriebantur, quæ tandem in unum tumorem aſpectu horrendum confluebant, qui ſucceſſu temporis ſponte aperiebatur, & pus indè promanabat flavum, viſcidum, tantâque acrimoniâ præditum, ut partes, quas attingeret, non ſecus ac aqua chryſulca urendo exulceraret denuo. Corpus, antequam tumor rumperetur, febri cauſò non abſimili urebatur. Cura iſtius affectus ipſi erat conſueta, alvum ſemper habere lubricam, ſæpius ſudare, & confortantibus uti. Exulcerationibus nihil præter lintea pura admovebantur. Diæta conſiſtebat plurimùm: ut aër ſemper eſſet calidus; omne enim frigus noxium; totus eo tem-

eo tempore erat Stoicus, quoniam levis ira mali recidivam cauſari poterat, quieti prorſus deditus. Ego aliquando curæ ab ipſo adhibitus, lenia purgantia, quæ alvum apertam ſervarent, ſæpiusque clyſmata pro re nata præſcripſi; ad ſudorem eliciendum dedi Rob ſambuci cum antimonio diaphoretico, ex aqua ſambuci; illa enim medicamenta, quæ ex ſambuco parantur, ipſi affectui apprimè utilia ſunt. Potus curationis tempore erat ſerum lactis. Topica, præter ſiccos ſambuci & chamomillæ flores, nulla admovi. Nam ante cruſtæ eruptionem, quo tempore omninò ulcus exſiccari incipit, pinguia & oleoſa Soceri affectus non ferebat. In Belgio vocatur hic affectus BelRooſe, curam ejus more ſuo, i. e. eruditè deſcripſit Excellent. *Blancardus* in ſua *chirurgia cap. III. lib. 3. pag. 170. ad p. 176.* Ego in hoc affectu, dicto BelRooſe (ſalvo aliorum judicio) nullum locum concedo topicis, niſi ſiccis; ſcio enim iſtorum uſu homines fuiſſe occiſos; horum ſiquidem applicatio venenum vel malignitatem, qua non caret, è circumferentia in centrum viſcerum intrinſecum, non ſine vitæ discrimine repellit; omni autem conatu ſtudendum, ut virus hoc in externis partibus remaneat, & ut hoc obtineamus, ſudorifera crebrò propinanda ſunt, & talia remedia, quæ æſtum vel ſanguinis orgaſmum ſedare, & particulas volatiles præcipitare queunt. Acidum in hoc affectu prædominari volunt moderni Medici, ſed & nec Veteres à veritate abludunt, quando bilem accuſant; videſis *Raymundi Fortis Tom. 2. conſult. & reſponſ. medicinal. cent. 4. conſult. 86. pag. 597. & 598. It. cent. 1. Tom. 1. conſult. 95. pag. 117.* ubi ratione curæ nobiſcum conſentit, & repellentia improbat usque ad aliquot dies. Pauca hæc ex ipſo hîc annotare placet: 1. Affectus equidem non ſpernendus, nam ex levi aliquo errore, aut externa occaſione lethalis evadere poſſet, ſi ab extra ad intra retrocedat humor, unde phrenitides nonnunquam ſuccedunt, quandoque etiam anginæ, quandoque pariter ſuppurant. 2. Ab oleoſis verò & pingui-

bus omnino abſtinendum. 3. Quibus addendum, quòd nihil perniciosiùs eſſe poſſit, quàm faciem aëri frigido aut ventis exponere &c. Scio & meum Socerum, contra hanc ultimam regulam ſi peccaret, recidivam eſſe paſſum. Et duo prælaudati Collegæ, veneno morbi penitus devicto, ultimò cùm ægrorum conditio in portu navigaret, nec ampliùs periculum ad intra receſsûs eſſet, ad balſamum Locatelli, & unguentum ſaturninum & ſparadrappum venerunt. Quorum methodo & ego ſubſcribo, eamque ambabus amplector ulnis.

OBSERVATIO LIII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Scopeliſmis Cymbricis.

DIe 16. Junii Anni 1684. quidam Generoſiſſimus Dominus me, ut de valetudine ſua conſervanda mecum conſuleret, accerſivit: inter prandendum mentio fiebat cujusdam hominis, (quem Herculem furentem apud *Senecam* Tragicum merito diceres,) qui cuidam Nobili promiſerat, ſe velle omnes ſaxorum acervos ex ejus agris, & quidem ſuis ſumptibus removere, ſi ei theſauros ſub eis defosſos concederet. Hi enim acervi in hac noſtra Holſatia ſunt frequentes, ubi ingentis molis ſaxa ſibi invicem impoſita incumbunt, & creduntur eſſe ſepulchra vel monumenta Gigantum, ſub quibus urnæ cinerum reconditæ. Et nemus eſt inter Kiliam & Ecklerfordam, dictum Schnelmarckt, in quo tales ſcopeliſmi ſepulchrales apparent, ex quorum uno aliquando theſaurum fuiſſe effoſſum fide digni homines commemorant. Horum effoſſioni etiam hic vultur inhiat; optandum autem eſſet, primò evolveret tragica talium theſauros effodientium exempla, quæ paſſim apud autores leguntur; ſuffi-

ciat

ciat unum inspexisse, *Bohislaum Balbinum* in sua *histor. miscell. regni Bohemiæ.* Occasione hujus discursûs Generosiss. Dominus hanc referebat historiam: contigisse aliquando suorum Parentum ætate, quasdam feminas curiositate intempestivâ impulsas, viris in convivio vino intentis, convocâsse aliquot glebæ asscriptos viros, ut talem scopelismum effoderent, quid accidit? In effosso Gigantis cubili reperiunt ollam cineribus plenam, & veterem quendam cultrum, novemque cuneos fulminares, elegantes & quasi politos; peracto labore in convivium revertuntur; quæritur, quid interea temporis feminarum chorus molitus esset? re quasi benè gestâ, facinus vel curiositatem pœnitentiâ dignam recensent; succenset & indignatur convivii caput vel hospes, malum indè futurum prædicit: eventus præsagium probavit: Mors etenim atra, quot fuerant fulminares lapides, ex illustri familia unà cum hospite è vivorum societate unius anni spatio proscripsit. Hinc discimus, dormitoria mortuorum, utut paganorum, non esse turbanda. Credo, quòd in paganismo nobiles horum Ducatuum sub ejusmodi scopelismis suorum cinerum urnas recondere consueverint. Malè dicunt Gigantum sepulchra, dubium enim, an unquam in his oris Maris Balthici Gigantes exstiterint. Posset hìc quæri: 1. an licitum sit, thesauros inquirere, & inventos effodere? 2. ad quos pertineant effossi thesauri? 3. an inventor sibi ea vendicare posset? 4. an bonâ conscientiâ thesauros in terra abscondere liceat? 5. an dentur cunei fulminares? 6. an Gigantes in Cymbria exstiterint? 7. an Gigantes sint monstra? 8. quare tam sanctè observare dormitoria mortuorum præcipiat Jus gentium? 9. occasione eâ quærerem: quonam ergo jure cultro sæviamus in mortuos, cùm ne quidem turbare liceat eorum vasa, quibus inclusi. Et hoc etiam obtinet apud barbaros populos, dormitoria sua hac lege muniant, ne iis inferatur injuria. Dum supra dixi, credere me, quòd in paganismo nobiles sub his scopelismis urnas recondide-

condiderint, confirmari id poteſt, cùm Romani ſepulchra hæreditaria & familiaria habuerint in agris; habuerunt etiam Judæi, *Geneſ.23. verſ.9. 2.Paralip.26. verſ. ult. Matth.27. verſ.7.* adde *Ramirez pentecontarch. c. 17.* Scopeliſmi mentionem facio, ſed non eo ſenſu, quo apud JCtos ſumitur, iis ſcilicet Arabiæ crimen, & nihil eſt aliud, quàm lapidum poſitio, cùm inimicus in prædio inimici lapides ponit, indicio futuros, eum, qui agrum iſtum coluerit, malo letho periturũ, inſidiis eorum, qui lapides poſuerint. Saraceni Hiſpaniæ regno expulſi complures tales ſcopeliſmos erexiſſe dicuntur, qui exitio fuerunt, & mortem præſentem in agros iſtos intrantibus, & avibus iis inſidentibus attulerunt. *Pineda comment. in Jobum* trahit huc locum *cap. 5. verſ.23.* cum lapidibus agri erit fœdus tuum; ſed quàm benè, vide Exc. *Schmidium* noſtrum *in hunc loc. comment. p. 217.* Hac mea appellatione alludo ad iſtos Arabum ſcopeliſmos. De vindicatione theſauri, an ſit inventoris, conſuli poſſunt JCti. Theſaurus, ait *Wiſſenbach diſp. X. §. 32. p. 131.* quem quis in loco ſuo invenit, cedit inventori. *§. Theſ. 39. inſt. de rer. divis. l. un. c. de theſ. lib. 10. l. nunquam 31. §. 1. D. de A. R. D.*

SCHOLIUM.

VOluntati Nob. D. Autoris, additamentum aliquod hîc à me depoſcentis gratificaturus, miſſis reliquis quæſitis, de Cuneis tantùm fulminaribus, Gigantibus ad Monſtrorum claſſem referendis, nec non Anatomia demortuorum, pauca ſubjungere mihi liceat. Et fulminares quidem lapides, quorum, præter *Anſ. Boëtium*, alioſque, *Olaus Wormius* plures deſcribit in *Muſ. lib. 1. ſect. 2. cap. 12.* quod concernit, quamvis ſimiles concreſcere in aëre poſſe, tum aliorum lapidum ex eo in terram delapſus evincere videtur, tum ipſa Venus aurea, noſtro *D. Chriſt. Adolph. Balduino* ſic nuncupata, comprobat, quam idem ſingulari libello, in *Append. Decad. I. Ephem. Curioſ. Ann. VIII,* legendo, recenſuit, generationemque ſimilium

ingenio-

ingeniosè monstravit; vereor tamen, ne idem subire fatum utplurimum teneantur, cui in *præcedente Ephemeridum Anno* alterum illud aêreum vulgi ostentum, sive Scutellæ ex Iride solari deciduæ fuerunt expositæ; & revera suspectas atque fictitias esse de iisdem lapidibus relationes curiosè ostendit Nob. noster *D. Joh. Daniel Major tract. Gen. err. cap. 29.* Porrò Gigantes à quibusdam monstrorum ordini adjungi scio, ab aliis verò eodem eximi, & utrumque equiden certo respectu admitti potest, prout monstri nomen laxiori vel strictiori sensu accipere quis velit; sic monstrum si corpus vivens à consueta & naturali membrorum externorum conformatione, in ipso formationis opere, multùm degenerans: si corpus vivum insolitâ specie præditum, raro comparens, & eapropter horrorem videntibus incutiens, dicamus: ibi non erunt dicendi monstra, hîc autem vix eorum numero eximendi; prout vicissim inter monstra non erunt referendi, si *Aristotelem* consulamus, *lib. 4. de generat. animal. cap. 3.* monstrum esse id, enunciantem, quod non est simile suis parentibus; quod nempe *cap. 4.* ad ipsas solùm partes vel deficientes vel abundantes restringit, *deesse aut superesse quidquam, monstrosum esse*, enuncians. Denique quo jure cadavera exenterare pro conditura quondam Ægyptiis licuit, (qua ratione nec illius DEO dilectissimi Patriarchæ, Jacobi balsamationem ab Ægyptiis, jussu ipsius Josephi filii, modo consueto, non sine evisceratione, institutam, meruisse divinam iram aut inhibitionem, ex *Genes. cap. 50.* colligimus,) eodem, si non majori, in proximi nempe amorem & utilitatem cedentem, anatomen physico-medicam celebrari, dicemus; neque ulla lex, contrarium quæ suadeat, nobis lata est. Ut itaque non tantùm licita sit, sed etiam utilis & necessaria hæc anatome; id quod in *Ventilabro medico-theolog. Mich. Boudevvyn part. 1. quæst. 37.* prolixiùs demonstrat; eamq; nec impiam, crudelem, inutilem, fœdam aut indecoram eleganter probat *D. Guern. Rolfincius diss. anat. lib. 1. c. 2.* cujus insuper

ſuper uſum in Theologia, Jurisprudentia, Medicina & Philoſophia *cap. 5. 6. & 7.* eleganter exhibit. Sepulchra tamen eapropter reſerare, ubi ſcilicet non tam in ſepulti corporis morbum, vel mortis genus, quo interiit, ob graviores cauſas, & in ſalutem proximi, vel pœnam facinoroſi, inquiritur, quàm ſolius exercitii anatomici causâ, ſi quis defectum hunc faciliùs alio modo reſarciendum conſideret, haud omnino excuſari poſſe videtur; violari enim hac ratione ſepulchri jura, dicere licet; quibus de conferri meretur, præter noſtrum Exc. *D. Garmannum lib. 1. de miracul. mortuor. tit. 3. §. 34. Henricus Salmuth not. in Panciroll. lib. 1. tit. 62.* Ut periculum, quod ſæpè apertionem illam inſequitur, taceam, cujus exempla apud *Dominic. Panarolum pent. 1. obſ. 18.* & *Thom. Bartholinum cent. 4. obſ. 32.* nec non *diſſert. 9. de medic. Danor. domeſt.* exſtant. Cæterùm de Scopeliſmis his Cymbricis videri etiam poſſunt, quæ habet laudatus *Bartholinus* in *cent. 4. hiſt. anat. 32.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO LIV.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Memoriæ imbecillis cura.

Quædam femina puerpera A. 1685. in tam ſtupidam ſimplicitatem & memoriæ imbecillitatem incidit, ut nec differentiam ſexûs dignoſceret, ſed promiſcuè viros feminas, & has viros appellaret, propriam ſuam matrem non agnoſcebat, omnium oblita. Tempore puerperii elapſo, ad eam curandam meum implorarunt auxilium, annui petito, & ſequentibus, divinâ gratiâ, reſtituta eſt. Primò purgai 20. Mart. hac potiunculâ: Recip. Conf. Hamech. ʒv. Electuar. Florenz. ʒj. Aq. lil. convall. ℥iij. cinnam. ʒj. M.

Sex

Sex indè habuit sedes. Capiti applicuit hanc cucupham. Recip. Herb. rorismar. lavendul. betonic. salviæ an. M℔. Flor. lil. convall. rosar. tunic. an. Mj. Ligni sassafr. ʒij. caryophyllor. cinnam. an. ℈j. croci ℈ß. macis ℈iß. Schœnanth. ℈j. succini ℈ij. styr. calam. ℈ijß. M. F. Species, quæ irrorentur ol. rorismar. ℈ß. bals. apoplect. gr. v. Recip. Axung. castor. ʒj. Ol. piper. ℈j. majoran. dest. rorismar. lavend. an. ℈ß. caryophyllor. gt. xv. N. M. express. ʒjß. macis express. ℈iiiß. M. F. l. a. Balsamum, eo inunxit locum memoriæ, & sic benè confortata fuit. Moschum, Zibethum & Ambram in hoc sexu adhibere non licuit.

OBSERVATIO LV.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Hæmorrhagia per pulverem sympatheticum curata.

STudiosus quidam hæmorrhagiæ narium quam maximè obnoxius, aliquando ad me invisens, cùm inter alia sermo incidisset de pulvere sympathetico, huncq; illi ostenderem, aliquid ejus quasi furtim in peram immittit, illudque incidit in peram multis foraminibus perforatam, in qua odorifera solitus asservare, postea pixidem fortiori aspiratu olfaciens, incautè pollinem istius pulveris naribus haurit, & ab eo tempore hæmorrhagia desiit, ac si quid sanguinis è naribus promanat, quasi coagulatus est; quod suum honestum furtum postea Studiosus ipse revelavit.

[Kiliâ ad D. D. Volckamerum 1685. 28. Aug. missæ.]

OBSERVATIO LVI.
D. HERMANNI NICOLAI GRIMM,
De
Rore Indicô.

CUm in Batavia Ind. degerem, occaſionem habui rorem explorandi, unde ſummo manè ante Solis exortum, eundem colligendum curavi; & cùm aliquando pueri eum ad me detuliſſent, magnâ cum admiratione ſals-acidiuſculo atque nonnihil vitriolato ſapore præditum deprehendi. Filtratus & leni B. M. calore evaporatus, ponderoſum flavoque colore tinctum liquorem dedit, admodum ſalſum & vitriolatum; quo cum varias ſolutiones, non ſine ſucceſſu, tentavi, aurum ſcilicet cum eo in calore extrahendo; cui cùm ejusdem liquoris parum addidiſſem, pulvisculus ſubluteus præcipitabatur, auro tamen parum admodum de pondere ſuo amittente. Luna aliquantùm faciliùs cum eodem ſolvebatur; Venus itidem, quæ in evaporatione caudam pavonis eleganter præſentabat; Mars in dulce admodum vitriolum abibat; Mercurium etiam, Jovem, & Saturnum in liquorem album cum eo redigebam, qui deſtillando ſpiritum inſtar aceti deſtillati, ſed multò fortiorem ſuppeditabat; in collum retortæ candido cryſtallino ſale, inſtar Mercurii ſublimati, ſe ſublimante, atque in fundo ſale, marini æmulo, remanente. Quòd verò ros hoc præſtet, Sol in cauſa eſt, qui intenſo ſuo calore aquam marinam attrahit, & noctu eundem cum ſale terræ ac aëris unitam inſtar roris iterum demittit.

OBSER-

OBSERVATIO LVII.
D. HERMANNI NICOLAI GRIMM,
De
Capra ſilveſtri Africana.

SIngularis hæc eſt Capræ ſilveſtris ſpecies, quam in Africa ad Caput bonæ Spei, in Caſtello vidi; colore eſt obſcurè cinereo, in medio capite faſciculum piloſum erectum gerens; in utroque latere, naſum inter & oculos, duas cavitates exhibet, quæ pinguem vel oleoſum flavum liquorem continent, qui in nigram materiam coagulatur, odoreque inter Caſtoreum & Moſchum medio pollet; quâ oblatâ, nova mox iterum effluit, iterumque ab aëre coagulatur; cavitates hæ nullam cum oculis habent communionem, ſed, quod probè notavi, ſeparatæ ab eis exiſtunt, ut ita à Lachrymis cervi aliorumvé animalium omninò differat. Certum itaque eſt, materiam hanc à dictis cervinis Lachrymis virtute & naturâ differre, dubioque procul ſingularem ſuam præclaram virtutem obtinet; optaſſem, ut quantitatem ejus aliquam colligere licuiſſet, ſed, cùm iter in patriam inſtituere cogerer, occaſio me deficiebat.

Legi merentur, quæ nobiliſſimus *Dn. Joh. Jacob. Harderus, Prof. Publ. Baſil. in primo hujus Decuriæ anno*, ad umbilicum appendicis, de Rupi-capris ſuccinctè diſſeruit.

(*Helianthus.*)

Fig. XIII.

OBSERVATIO LVIII.
D. HERMANNI NICOLAI GRIMM,
De
Mercurii præſtantia medica.

EQuitis cujusdam uxor à multis derelicta Medicis, guttur valdè exulceratum habens; uvulâ in tantum conſumtâ, ut uno tantùm latere dependeret, & vox ferè ablata eſſet; naſus non tantùm inflammatus erat, ſed quoque cùm premeretur, oſſa invicem collidebantur. Rogatus itaque, curam ejus adgreſſus ſum, & in cubiculo calido locatam ægram ſingulis ſeptimanis ſemel ſeqq. Pilulis purgavi: ℞. Extr. panchymag. Croll. ʒß. cochiar. ℈j. Mercur. dulc. gr. xv. Miſc. F. Pilulæ. Gargariſmum hunc continuò adhibuit: ℞. herb. agrimon. betonic. plantag. an. Mj. ſolani, ſemperviv. an. Mß. rad. ariſtoloch. ℥ß. coq. in ſ. q. aq. ſimpl. In colat. ℥xxiiij. ſolve mell. roſar. chelidon. diamoron an. ℥j. Alumin. crud. ℥ß. M. F. Gargariſm. Pro exulceratione detergenda cùm diutiùs fuiſſet uſa hâc Mixturâ: ℞. Ung. Ægyptiac. ℥ij. mell. roſat. chelidon. diamoron an. ℥ß. ſacch. ſaturn. ʒß. Miſc. dent. in fict. Sequentem aliam ter quatervé in die uſurpavit: ℞. Aqua calc. viv. ℥iiij. ſucc. ſolani chelidon. an. ℥j. Mercur. ſublim. ℈j. Miſc. Decoctum hoc pro ſudore eliciendo inſerviit: ℞. Lign. guajc. ℥iiij. ſaſſafr. ℥j. rad. lapath. maj. ℥ß. aſari ʒiij. paſſul. minor. mund. ℥ij. antimon. crudi in petia ligati, ℥ß. aq. font. lib. xvj. Macerentur per 24. horas in loco tepido, dein bulliant ad tertiæ partis conſumtionem, vaſe probè cooperto, ſub finem addendo fol. ſenæ ℥j. cinamom. ʒj. factis iterum aliquot ebullitionibus, refrigeratum exprimatur & coletur; tum ℞. hujus Decocti ℥ij. Tinct. Antimon. ʒß, Antim. diaphoret. ℈j. M. f. Sudoriferum. Pro potu ordinario Decoctum ex remanentia primi fuit paratum. Præparato ſic corpore, curam ulteriùs inſtitui cum Mercurio

præci-

præcipitato rubro, qui cum ſpir. nitr. concentrato paratur, à quo dein ſæpius Spir. vini fuit abſtractus; primò tria ejus grana dedi, doſin dein usque ad lenem ſalivationem augens, & poſtea iterum doſin diminuens, quo modo per 14. dies continuavi; hocce durante tempore, ulcera planè fuerunt conſolidata, uvula iterum firmior reddita, vox reſtituta, oſſicula naſi conglutinata, ipſaque ſic plenariè reſtituta.

[1685. 12. Sept. ex Niuköping ad D.D. Volckamerum.]

OBSERVATIO LIX.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Fulminis effectu miro.

DEttler Stoltenberg, Chirurgus in Pretz, quem, præter alia, artis peritia & gravis annorum ætas recommendant, mihi nuper hanc mirabilem & memorabilem hiſtoriam de quodam ruſtico in pago Wulffsdorff habitante narravit: Hic per tonitrua & fulmina, peſſimo exemplo, jurare fuit ſolitus. Tandem vindex DEI manus hoc pacto ipſum feriit, dum ſubitò tempeſtas ſuborta eſt, & hic fulmine ictus, quod exteriorem ejus tunicam exiguo quodam foramine in ſiniſtra parte pectoris, è regione ſiniſtræ papillæ, perforavit, reliquo amictu, quo corpus circumvolutum, prorſus illæſo, & totum hominem à vertice ad calcem cute exuit, vereque excoriavit, ut ne atomon ejus apparuerit. Prælaudatus Chirurgus ipſum feliciſſimè, integrumque hominem emplaſtris involvendo, curavit, reſtituitque.

[Kiliâ 1685. 17. Sept. ad D.D. Volckamerum.]

OBSERVATIO LX.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Canitie à metu,

QUidam Juvenis nobilis annorum 24. ex antiquissimo stemmate de Meinesdorff (quod unà cum ipso annihilatum est,) in militia contra Barbaros captus, carcereque inclusus, ex metu imminentis mortis, quam Barbari minati fuerant, unius noctis pervigilio canus factus est, tandem tamen periculo liberatus. Ex relatione Generosissimæ cujusdam Matronæ de Wonsfleet, quæ stirps cum Brockdorffiano stemmate simul uno eodemque die cœpit. Confer: *Decad. hujus Annus I. observ. 69.*

[Kiliâ ad D. D. Volckamerum A. 1685. 28. Sept.]

OBSERVATIO LXI.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Dolorifica ventriculi & diaphragmatis convulsione.

ANni 1683. quendam Studiosum Theologiæ & Ministerii Candidatum, mirabili morbo laborantem curavi. Is sæpius in die recurrente laborabat dolorificâ ventriculi & diaphragmatis convulsione, tanta cum respirandi difficultate, ut suffocari videretur. Multa à quodam Medico fuerunt adhibita, purgantia, sudorifera, & venæsectio, sed omnia incassum. Medicus prior arbitrabatur, vivum quoddam animal ventrem ejus obsedisse, & in eo natum, nam adeo in altum venter attollebatur, & pectus sese movere visum,

visum, quasi quoddam animal intrinsecus pectus & ventrem commoveret. Ego tandem consultus, sed clanculùm, ne alterum Medicum offenderent, jussi, sæpius cochlear olei amygdalorum sumeret; & interdum biberet emulsionem ex amygdalis dulcibus cum quatuor seminibus frigidis; sicque tridui spatio convaluit, ut paulò post concionem è suggestu ad populum peroraret: causam hujus anomali motûs convulsivi ventriculi & diaphragmatis conjeci in pulverem emeticum, quem frater ejus, pharmacopœus Lubecensis, ipsi dederat, quòd forsan una aut altera ejus particula plicis ventriculi inhæreret, & hunc motum convulsivum faceret. Posse & viros affectione hystericæ simillimâ affici, probat *Blancardus centur. 1. obs. 70. pag. 64.* & quendam sartorem Amstelodamensem restituit hac potione: Recip. Aq. pulegii hystericæ an. ℥j. olei succini gt. iij. ocul. 69. ʒj. spiritus sal. armoniac. ℈j. M. F. Mixtura. Et præter hunc adhuc duos vidit simili morbo correptos. Forsan & similis nervorum passio sese junxit affectui in Studioso nostro.

[Kiliâ 1685. 30. Sept. ad D. D. Volckamerum.]

OBSERVATIO LXII.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Tussi suffocativa.

CUm repentinè præcluditur animanti aura vitalis, morsq; indè subsequitur, sive id fiat stertore, tussi, aut aliis symptomatibus, quæ respirationem concernunt, vulgus Medicorum catarrhum suffocativum culpat: verùm cùm talis vitæ terminus non semper ab impetu humorum ex capite in fauces, pectus, pulmonesq; subitò ruentium proveniat, quod vulgò catarrhũ vocamus, manifestè mihi innotuit ex observatione sequente, quam ideò Ephemeridibus nostris

ſtris dignam inſeri cenſui, ut porrò diſtinctio quædam catarrho ſuffocativo adhibeatur, niſi forſan id priùs à nonnullis obſervatum & conſignatum fuerit, quod jam refero. Anno 1669. die 26. Martii puellula duorum cum dimidio annorum, proximè ædes meas altera filiola tubicinis Electoralis N. Enter (præſente matre, ſedente, & nente) vegeta & ſana cum ſorore ſua natu paululùm majore ludens in hypocauſto, improvisò tuſſi corripitur adeò validâ, ut crebro & uno ſpiritu eliſo, nullo verò per reſpirationem redeunte, miſella nunc in matris gremium irruens, nunc ſub menſam præ anxietate ſe præcipitans, ſanguine in vultum ſuffuſo (licet mater ſuccurrens, ut mos eſt, tergum crebrò percuteret) moritur ſtatim ſub menſa. Fit à matre ejulatus, accurrit ad me, enarrat plorans caſum, obſecrat præſentiam, auxilium. Actutùm mulierem comitans invenio puellam ſub menſa jacentem, vultu brunno ſtrangulatæ ſimili, planè mortuam. Quô viſô matrem conſolatus, quòd catarrhus ſuffocativus puellam ita ſuſtulerit, abeo. Intereà caſum hunc abiens variis dubiis mente diſcutio, utrùm talis catarrhus deſuper in fauces & pulmones ruens, ſpiritum omnem ad mortem usque præcludere poſſit, tuſſi exiſtente tam validâ, quæ potiùs ſuffocationem reprimere quàm accerſere potuiſſet, & annon potiùs ex pulmonibus ſurſum per tuſſim craſſior quædam pituita tracheam occludere & ſpiritûs attractionem pulmonibus denegare valuiſſet, quæ ſanior videbatur ratio. Hujus rei ut certior redderer inſtanter rogavi matrem, ut filiolæ cadaver mihi in ædes meas transferri concederet, quò cauſam morbi per chirurgum vicinum ſectione parvâ explorarem; Annuit mater. Afferri igitur per famulum meũ, parvum cadaver induſio ſuo indutum cum tumba in ædes meas curo, accerſo chirurgum vicinum meum Johannem Gerhardum Groneck Weſtphalum, in hunc usque diem viventem, & qui Legioni Electorale corpus cuſtodienti officio ſuo præeſt. Hunc enarrato caſu jubeo tracheam perſecare paullo

paullo sub larynge, ut constaret, an in ea parte aliquid hæreat, quod tussis elidere non valens spiritum præcludere potuisset. Id cùm dextrè peregisset, cute scilicet in ea parte cruciatim dissectâ & cùm aspera arteria in conspectum veniret, sectione inter annulum cartilagineum secundum & tertium sub larynge & scutiformi cartilagine factâ, ecce pituita quædam crassissima magnitudine pisi ea ipsa in parte adeò impacta hærebat, ut summa vi illa arctiùs imprimi non potuisset, unde puellam spiritu sic intercluso, necessariò suffocari & mori oportebat. Felici successu peccantem materiam cultro suo attigit, ut eam rectà per medium secaret, uti Figura monstrat. Notandum, quod in hoc subjecto puellulæ aspera arteria adeo exilis & tenuis fuerit, ut cujuslibet anseris trachea eam facilè superaret crassitie, quæ causa forsan etiam fuit, quò minus frustulum illud pituitæ ex pulmonibus elisæ potuerit per laryngem in os ejici. Vide Figuram, ubi (a) sectionem trachæ sub larynge: (b) eandem sectionem in trachea à latere præsentatam. (c) verò notat frustulum pituitæ pisi instar rotundæ, in qua linea diametralis sectionem ejus transversam significat.

Fig. XIV. XV. XVI. p. 104.

OBSERVATIO LXIII.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Urina suppressa cum hæmorrhagia narium & sanguine misso effluente.

ANno 1679. vocabar hîc ad sartoris cujusdam uxorem viginti aliquot annorum, febre continuâ laborantem & cui urina per septimanam erat suppressa. Cumque ex symptomatibus facilè intelligerem, ægram simul nephritide & inflammatione renum decumbere, renesque

procul dubio à calculis, quibus aliquoties fuit obnoxia, essent obstructi, nec suppressionis urinæ vitium in vesica latere (quod Medicus quidam Gallus, quem ut amicum meum ad hunc rarum casum mecum adduxeram, syringâ in vesicam missâ explorarat) insuper & ægra & maritus mihi enarrarunt, urinam ipsi cum sanguine per nares aliquoties extillasse: sumptis indicationibus à febre, cephalalgia, nephritide, hæmorrhagia; venam in brachio secandam jussi, ut simul experirer, an in sanguine & cum ipso circumiret serosus urinæ humor. Quô factô, & sanguine ad uncias quinque detractô, post horas quatuor urinam cruori innatare cum bile mixta deprehendi. Ægræ licet varia medicamenta pro solatio ordinassem, pro desperata tamen habui, quod paucos post dies mors consecuta confirmabat. Cadaver libenter sectione perlustrassem, cui tamen maritus pertinaciter resistebat. Ast paucas ante septimanas, die tamen 28. Julii hujus anni vocor ad uxorem promi-condi Electoralis in vicinia mea habitantis, quæ in nonum usque diem suppressione urinæ totali quoque decumbebat. Mulier quadraginta annorum, calculo obnoxia, cui per unum & alterum mensem menstrua substiterant, cum marito ad nundinas Francofurti ad Oderam profecta, cùm in reditu esset, & fortè equi currum trahentes effreni extra viam deviarent, periculum aliquod evitatura ex curru prosilit. Hôc saltu fortiori sentit quidquam in dorso circa renes (ut ajebat) ei prolabi, ex quo tempore ei urina penitùs supprimebatur usque in nonam diem, quâ moriebatur. Varia ei medicamina à vocatis Medicis, D. D. Weisio seniore & D. D. Zornio erant præscripta, quæ simul uterum molâ quadam obstructum & vesicæ incumbentem, ne quid urinæ illa posset reddere (uti alterius mens erat) respiciebant. Ego verò nonâ die demum vocatus, quod dolorem in dorso circa renes etiam sentiret, habitâ cum præfatis D. D. consultatione prædixi calculos in renibus esse, qui ureteres obstruant, urinam prohibeant, & ægrotanti mortem sint

tem sint

tem ſint allaturi. Quô auditô mulier aliàs nullis lethalibus ſymptomatibus affecta, poſt uſum Sacræ Euchariſtiæ mediâ nocte lectum repetit, optimâ ratione conſtans, ultimum vale marito, parentibus ſuis, uxori meæ & aliis circumſtantibus dicit, animamque DEO reddit. Hîc ego conjecturarum mearum certior ut exiſterem, rogavi maritum & parentes cadaveris apertionem admitterent, quam etſi initiò penitùs abnuerent, ad voluntatem tamen Electoris prætenſam conceſſerunt. Vocatô itaque eodem Chirurgo Gröneck, ut vicinô, præſente D. D. Zornio, exenterationem cadaveris obeſi admodum (ultra enim tres uncias adeps abdomini inhærebat, omento nil niſi adipe exiſtente, cæterisque partibus multâ pinguedine obſitis) inſtituimus, veſicam & uterum penitus inanes, at renes per longitudinem diſſectos calculis & arenulis plenos tanquam uniones in conchis latentes & emicantes offendimus, omnes glabros, coloris lutei albicantis. Vid. Figuram XVII. Caſus hic ultimus nil quidquam rari continet. Placuit ſolùm priori adjungere, ut conſtet, artem noſtram conjecturalem non ſemper incerta, ſed plurimùm demonſtrativa contra cavillatores continere. Addidiſſem Figuram calculi ex rene ſiniſtro Principis Radziwilii Anno 1652. Bononiæ Italorum exempti, qui formam & magnitudinem paſſerculi præſentabat; verùm quia ejus pictura, quam tunc temporis Bononiæ perfeci, inter chartas meas latitans, jam reperiri nequit, forſan illa tempori alii inſerviet.

[*Berolino 1685. d. 6. Octobr. ad D. D. Volckamerum.*]

Fig. XVII. p. 104

OBSERVATIO LXIV.
D. DANIELIS CRÜGERI,
De
Præstantia Spiritus Sulphuris in tertiana.

PErquam Generosus & Stemmatis claritate coruscans Dominus Ernestus d. Crocko Director Dicasterii Electoralis Brandenburg. longè meritissimus, postquam conservandæ sanitatis gratiâ per aliquot dies potui herbæ Thee indulgeret, in morbum incidit, febrem nempe tertianam, cujus paroxysmus primus tam exquisitus, ut fractis viribus & conquassatis quasi omnibus membris profiteretur, se multis paroxysmis sustinendis imparem esse. Vocatus ego sub finem paroysmi, cùm sitis urgeret, ordinavi in cerevisia secundaria spiritum sulphuris ad gratam aciditatem usque sumendum, julepos enim respuebat. Postero die sequens purgans. ℞. tamarind. ℥ß. prunor n. viij. passular. ℥j. zibeb. ℥ß. dactylor. n. iiij. jujub. n. v. fol. senn. ss. ℥ß. anis. cumin. an. ʒj. coq. in s. q. aquæ com. colatur. ℥iij. adde mannæ ʒvj. syrup. rosar. solut. ℥ß. cremor. tart. ʒj. Quinquies leniter & cum euphoria dejecit. Deinde cùm multa remedia non ferret, ordinavi, ut in omni potu posteris diebus in & extra febrem in cerevisia secundaria, quâ delectabatur, spiritum sulphuris ut leviter saltim degustaretur ex. gr. in ℔j. ad gt. xij. q. s. instillaret. Nam si quis totum sanguinem alterare vult, & bilem infringere, non sufficit alternis diebus paucas guttulas adhibere, sed ut medicina humori alterando par sit, considerare, hinc secundus paroxysmus adhuc mitior, quamvis anticiparet. Die 11. Julii ante tertium paroxysmum exhibui. ℞. aquæ cardui bened. ℥iij. spir. sulph. gut. xv. sal. absinth. ℈ß. syrup. acetos. citr. ℥ß. M. d. s. Schweißtranck / bene sudavit. Spiritus sulphuris eo & posteris diebus

in potu

in potu continuatus, hinc urina copiosiùs prodiit, cùm antea rubra, & sine sedimento, imposterum signa coctionis meliora apparuerunt cum sedimento. Interim ad dolorem capitis mitigandum contulit emulsio sequens externa: ℞. aq. flor. sambuc. verbenæ ana ℥iij. semin. papav. alb. ʒiij. nucleor. cerasor. ʒij. persicor. n. iiij. F. emulsio cum linteis applicanda capiti. Die intermissionis manè sumpsit. ℞. Unicorn. Cornu Rhinocer. ana ℈ß. cum jusculo sine sudore; & quia à venæsectione abhorrebat, cucurbitulas eo die sibi applicari jussit. Tribus horis ante quartum paroxysmum $1\frac{1}{2}$ hor. anticipantem dedi. ℞. Ocul. cancr. è vivis desumptor. contusor. ℈ij. pulv. è conchis Crollii. ℈j. in aq. cardui bened. sine sudore. Febris mitior valdè. Exhibui igitur ante quintum paroxysmum. ℞. aquæ card. bened. ℥ij. sal. absinth. ℈ij. spir. sulph. ℈j. syrup. acetos. citr. ℥ß. hæc potio per sudorem, urinam copiosè, & bis per alvum operata & febris emansit. Et ego magnâ curâ liberatus Deo gratias egi. Rogavi ut adhuc in potu spir. sulph. per dies duos continuaret, & pristinus appetitus rediit. Ut hoc addam, diebus intermissionis semper clyster emolliens ordinatus, in quo fol. senn. ʒiij. incoctæ, qui egregiè opem tulit ac si purgans sumpsisset. Quidam nullum discrimen inter sp. sulph. & spir. vitriol. esse putant, verùm aliquis deprehenditur, si accuratè attendatur; quando spir. sulph. modo potui instillatus est & scyphus agitatus naribus admovetur, odor particularum oleosarum vel salium volatilium diaphoreticalium sulphuris percipitur, secus ac in spir. vitrioli. Quæstio hîc movebatur; utrùm ex potu herbæ Thee febris hæc orta, putabant enim quidam ventriculi tonum nimis esse laxatum, acidum ventriculi nimis propter copiam aquæ dilutum, unde coctio non ritè in ventriculo hoc pituitoso peracta, cruditates prognatæ, & febris conciliata; quam litem dirimere nolui. Sed hoc dixi, certum jam esse, potum Thee febrem præcavere non potuisse, etiamsi effectum debitum præstiterit: sudor enim

indies & urina copiosè fluxerunt, & alvus aliquoties soluta, quibus tamen effectibus febres curari solent. Ideoque manifestò liquet, non quid fiat videndum sed quibus remediis fiat, & in omnibus morbis specifica necessaria esse, nec indefinitè remedium aliquod tanquam panaceam contra omnes morbos esse adhibendum. Neque ulli Auctor ero, ut potui Thee largiori quotidiano indulgeat, qui ventriculum habet pituitosum debilem, calidum innatum debile, cùm jam dum *Antonius de Heide* in Hollando observaverit in *Cent. observ. 76.* quosdam interiori frigore abdomen concutiente ex ejus usu nimio esse correptos. Et ipse Excellent. *Herm. Nic. Grimmius* in India notaverit *Observ. 36.* quosdam in macredinem & diabetem delapsos. Hinc nequaquam valet consequentia, ille & iste bibit potum Thee, & benè se habet, ergo & ego bibam & mihi quoque conducet. Nam omnis medicina ad certum & specificum effectum & consideratione variorum temperamentorum ex consilio est determinanda. Et consideret modò quis, quanta copia aquæ singulis diebus ingurgitetur, certè inter agens & patiens in corpore est mutua actio & reactio; si igitur assumpta medicina agit, calidum innatum ut reactionem instituat, necesse est, & aquam in corpore alteret & iterum expellat, in qua quotidiana actione an non calidum innatum sensim hebescat & obtundatur, aliis considerandum relinquo: siquidem & ferrum acutissimum quotidianâ actione obtunditur; nec potu hoc sicuti pane & vino quotidiano calidum innatum corroboratur & sustentatur, sed potius qualitas ab Autoribus suprà recensita corpori introducitur, potatoresque Thee ab omnibus obviantibus ex colore faciei mox dignoscuntur, quemadmodum heluones Tabaci. Idcircò usus ex consilio Medici adhibendus, abusus tollendus, ne post Thee tandem exclamandum sit: Væ mihi!

OBSER-

OBSERVATIO LXV.
D. DANIELIS CRÜGERI,
De
Morſu Viperarum.

STudioſus artis Pharmaceuticæ inſectans Viperas, morſum dolorificum perſentiſcit hor. 4. veſpertin. locum affectum itaque mox oleo Scorpionum illinit, & ſumpſit Tinct. bezoardic. ſpiritus C. C. ana ℨß. Aquæ theriacal. River. ℥iij. poſt duas horas ſecutus vomitus, per 6. horas continuans, manus & brachium intumeſcebant, dolor, tremor artuum & ſingultus accedebant, poſt 5. à morſu horas vocatus dedi ℨij. theriacæ cum aqua theriacal. frigid. River. ℥iij. hunc potum per vices repetii, non obſtantibus vomitionibus, externè impoſitum eſt linimentum ex theriaca & cæpis, locus abluebatur ſpiritu theriacali, cataplasma ex ſtercore capræ impoſitum, & cùm pars tumida brachii ad nigredinem vergeret, factum eſt decoctum & fotus ex tapſo barbato, Levcoio rubro & caryophyllata, cum urina & aceto, hinc poſt duas horas tumor valde adhuc intumeſcebat, forſan quod venenum cum medicamine fermenteſceret, & extraheretur ad muſculos, fotus hic per diem eſt continuatus cum linteis duplicatis, ſepoſito igitur hoc fotu, adhibitum emplaſtrum ex diachylo ſimplic. & ſpermate ranarum, ex quo emplaſtro ſenſibiliter pars detumuit; ranarum forſan natura viperis adverſatur. Verùm ſudorifica interna & alexipharmaca ſingulis 6. horis reiterata, ut Tinct. theriacalis Zwelffer. ℨij. ſpiritus C. C. ℥ß. Aquæ flor. ſambuc. ſcordii. à ℥j. Item coſti Ægyptii veri ℨj. cum vino, & ſic ſalvus evaſit.

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.

D. DANIELIS CRÜGERI,

De

Veneno Aranei.

QUæſtoris Provincialis Pomeraniæ Generalis filius natu major 4. annor. Fratri natu minori $1\frac{1}{2}$ annor. araneum devorandum in os intrudit. Vix Nutrix hoc obſervans pedes aranei adhuc ore extrahit, meque veloci curſu accerſit, Ego mox ℈j. vitrioli albi in aquæ calidæ cochleari exhibeo, hinc vomitus unus comeſtorum tantummodo cum araneo ſequebatur, non ſufficientem arbitrabar hunc vomitum, idcirco mox vitrioli albi crudi ℈j. infundo cum aqua, hinc multa pituitoſa & tandem bilem vomitu reddidit, & ſic omni materiâ venenatâ ejectâ, poſt horæ dimidium, bolum Armenam ad ʒß. cum lapid. bezoar. gr. vj. dedi, quæ doſis manè repetita, & ſic nullis ſupervenientibus ſymptomatibus puer lepidiſſimus liberatus, niſi quòd ab initio circa ventriculum tormina ſentiret & lingua puſtulis referta intumeſceret. Sæpius notavi vim emeticam in vitriolo albo per correctiones multùm imminui, idcirco crudo vitriol. albo feliciùs uſus ſum, quod in talibus caſibus intra horæ quadrantem & citiùs operationem ſuam abſolvit.

[Colbergâ ad D. D. Mentzelium.]

OBSER-

OBSERVATIO LXVII.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
A Croco externè adhibito ardore ventriculi.

CRocum in Medicina utramque facere paginam docet Nob. *Hertodii Crocologia curiosa*, eruditione singulari tincta. Uti autem omnia medicamenta sine ratione & modo adhibita sunt tanquam gladius in manu furiosi, ita etiam Crocus. Laborabat febre putrida Comitissæ à Promnitz minister primarius, tùm 50. annorum: qui ejus curæ præerat, ad promovendum somnum suaserat linteolum odore Croci imprægnatum, ut temporibus applicaret. Hoc facto statim ardorem ventriculi incurrit, qui non intermisit usque dum linteolum removerunt, & usus croci ipsi adhuc est molestus.

OBSERVATIO LXVIII.
D. SAMUELIS LEDELII,
A Violenta secundinæ ruptione mors.

PRimipara 21. annorum laborabat partu difficili, & excludebat sanam puellam, secundina retenta. Obstetrix vocatur ad opulentiorem parturientem, ideò, ut solet vehementer manibus discerpit secundinam, insequente uteri hæmorrhagia copiosissimâ, cum animi deliquiis: Succurritur huic malo & remittit, succedente causo cum leni delirio, singultu & morte. Videmus ex hacce observatione quid noceant imperitæ & nimis festinantes obstetrices.

[*A. 1685. d. 6. Octobr. Grünbergâ Siles. missæ.*]

OBSERVATIO LXIX.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Partu numeroso.

ANni sunt propè quatuor, cùm in pago Quolsdorff/ tribus milliaribus ab urbe Gorlicii distante, hortulani cujusdam, nomine Hanns Fischers / uxor (quod relationi Generosi Domini à Nostiz, Hæreditarii ibidem, debeo) inauditô antehàc his in oris exemplô, felicissimo nixu, quatuor uno partu eniteretur filios, ex quibus duo filioli, totidemque filiolæ non tantùm vitales in auras excludebantur; verùm singuli quoque Sacro Baptismatis ritu initiabantur. Hinc gavisi optimi parentes nonnisi de modo mediisque eosdem educandi cogitârunt. Sed aliquot à Baptismate horis bini iterum mundo valedixerunt, viribus inopinatò fatiscentibus; Reliqui verò integrâ adhuc valetudine, quantum scio, per Dei gratiam utuntur. De partubus ejusmodi numerosis in Observationibus D. D. Hellwigii olim quoque egit Excell. *D. D. Schröckius, Acad. Cur. Adjunctus, observ. 143. pag. 386.* itemque venerandus Ejusdem *Parens Anni II. Ephem. German. Decur. 2. p. 26, 27. 28. 29.* qui pariter bigemellorum unô partu natorum historiam, nostræ quoad numerum sexumque per omnia similem, tradidit, curioseque in causas rei insolitæ inquisivit.

SCHOLIUM.

QUandam Generosam Matronam ex perillustri stemmate de Slepegrell uno partu quatuor fœtus esse enixam, nuper etiam retulit Exc. noster Collega, *Nestor, II. ad Helianthum.*

OBSER-

OBSERVATIO LXX.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Esu Absurdorum.

D. II. A. V. Ob. u p. 231.

MOrtalium fami sedandæ, latrantique eorum stomacho placando DEUS, ejusque Amanuensis Natura, complura tàm ex Regno animali, quàm vegetabili, creavit benignissimi instar patrisfamilias edulia, tantô ubique proventu, ut, si annonam excipias, quilibet habeat, unde se suosque sustentare, vitamque sic conservare queat. Imò ex tàm ubere esculentorum materia quædam in escam hominibus cedere prohibuit lege non tantùm divinâ, sed Naturæ quoque ipsi certas posuit limites, ne ultra vetita excedat, contenta salubrioribus esuique destinatis. Videas tamen passim hasce Dei Naturæque leges, sive protervia quadam, sive innato quodam in parentibus vitio, transgredi nonnullos adeò, ut etiam ab horrendis, venenosaque qualitate infamibus, abstinere non vereantur. Cujusmodi monetæ sunt, qui araneos, scorpiones, aliaque insecta gratissimo pro edulio habent, quorum historias in *Ephem. Germ. Ann. II. obs. 205. p. 307.* itemque *Anno Eod. obs. 10. p. 29.* collectas habebis. Quibus adjungere visum est virum quendam plebejæ sortis, optimè mihi cognitum, cui per plures annos nihil magis in deliciis fuit, quàm araneos fortè obvenientes in escam capere, cancros viventes, crustaceaque veste adhuc indutos deglutire, candelasque sebaceas amplo oris hiatu devorare, non sine adstantium stupore & horrore. Sed quid inde! Nihil noxæ. Per omnia sanus, liberorumque aliquot pater munia sua lætus peragit.

OBSERVATIO LXXI.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Ollis fictilibus effossis.

LIcet materiæ vilitas non mereatur, ut doctiorum luminibus iterum ſeſe ſiſtat hiſtoria. Quoniam verò occaſione hujus *Anno Ephem. Germ. III. obſ. 137.* primitùs communicatæ, poſtmodum & viri quidam curioſi in *Analectis ad hunc locum*, rem amplius dilucidare non ſunt veriti, noviſſimè etiam *Ann. Eph. II. Dec. 2. obſ. 36.* Exc. *D. D. Ledelius* obſervatione propriâ calculum adjecit ſuum, hinc mihi haut vertetur vitio, ſi uti ex *Caſp. Schvvenckfeldii*, Medici olim Gorlic. clariſſimi, egregio *libello*, quem de *ſtirpibus & foſſilibus Sileſiæ* inſcripſit, cum in paucorum verſatur manibus, locum inſignem mutuari, negotioque huic lucem quandam fœnerare ſatagam. Ita autem ille *l. 3. p. m. 406. & 7.*

Ollæ, urnæ foſſiles, ſind Töpffe / gewachſene Töpffe / Zwerg-Töpffe. Horum collum plerumque eſt anguſtum, venter tumidus. Quædam anſas habent ſingulares, alia binas, partim ternas. Nonnulla operculis tecta, alia non item. Quædam cinerei ſunt coloris, alia flava ſunt, aut rubent: In ſumma, quantitate & forma multùm differunt. Pleriſque locis ad Gubenam, Soraviam, Sommerfeld & alibi effodiuntur, propè madida, mollia & terrena: mox paululùm in aërem ſublata & detenta induréſcunt, & ſubduriora redduntur. Vulgus in terra natas opinatur. Multi Nanos his ipſis uſos credunt. Eruditi conjectantur iſtic olim ſepulturas gentium fuiſſe, qui cùm urnis carerent, ollas interim cum cinere, igne, favillâ, & reliquis inſtrumentis, ex rogo relictis in ſignum pietatis collegerunt, condentes tumulo, mediâque inhumârunt arenâ.

[Gorliciâ 1685, 6. Octobr. Noribergam miſſa.]

SCHO-

SCHOLIUM.

COnferEobs. 137. Anni III. Dec. 1.* & in eandem Notas *Anni IV. p. 300.* cumprimis desideratissimi nostri Collegæ *Dn. Christiani Adolphi Balduini* Hermetis primi Acad. Nat. Curios. elegantissimam Observationem de urnis Gentilium & Veterum Germanorum in *Appendice Anni VI. p. 105.* (*Argonauta.*)

OBSERVATIO LXXII.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
De
Lumbrico in Rene Canis sanguineo.

MOlossus, cætera sanus, Renum dextro albis crassisque membranis densè consuto, suspicionem injiciebat alicujus monstri, aliis itaque & aliis suspensâ manu detractis involucris, per tunicam tenuiorem funiculi in se reflexi certa quasi series translucere; vid: Fig. XVIII. B. eadem incisâ lumbricus erepere totus sanguineus. Per diem & ultra vitam traxit; arreptusque manum gyris suis involvit; variè quoque corpus agitans ubi tepidæ erat impositus.

II. Ne minimum quidem Parenchymatis renalis extabat indicium; bursam præsentabat tunica membranea diversis recessibus excavatam. Vid: Fig. XIX. XX.

III. Nulla ex emulgentibus in cavitatem via.

IV. Ad ureterem autem patebat aditus. Vid: Fig. XXI. A.

V. Ren sinister per omnia sanus.


VI. Nullo quoque vesicæ vitio.

VII. Vermis sanguine, quo totus rubebat, adeò turgidus erat, ut, ad ventris sectionem, erumpens adsistentium decoloraret facies.

VIII. Interaneorum minimè simplex structura, quam Figuræ XXII, XXIII. XXIV. probè cætera edifferent, nisi quòd gyros intestinorum minùs expresserint.

SCHOLIUM.

OMnem animati corporis partem aptam natam esse, quæ fomitem & incunabula vermibus præbeat, liquere æstimo. II. Alimentum coloratum, quo aliquod vivens ab ortu utitur continuo, minus dilutum, similem tandem corpori inducere posse colorem, præterquam quod aliis & nostro exemplo probari & illustrari potest. III. Rationem nutritionis variâsse credo; integris renibus ex sanguine puro succum hauserit nutritiũ, arrosis vasis; accrescens autem, mole sua emulgentia indies arctiùs atque arctiùs compresserit, unde sanguinis liberior arceri commeatus, vasa collabi, carnes contabescere, inque densas albicantesque abire membranas, relicto hospiti ingrato hospitio; qui ex allabentibus minimis vasis de futuro suctione sibi prospexit alimento; vel ipsius laticis vitalis massa existens sanguinea, quemcunque novum in sui similem mutavit succum. IV. Quî carnes sive Parenchymata evanescant, ut cutis atque macies ab atrophia supersint, ex hoc argumentum capies. V. ζήτημα; Exanguium an sanguineorum numero hic adscribendusné, lumbricus? Idem sanguisugas, idem pulices & culices sanguinea deputet animalcula; quamvis nôrim qui contrarium statuminent. VI. Uretere patente, an aliunde serum illâc transmissum per involucrorum scilicet fibras ac meatus? Vero similimum est, quod nostram historiam; non verum, siquidem experimentum hanc in rem non instituimus. VII. Ex Fig. XXII. XXIII. XXIV. elucet, quam in minimis tota sit natura, quum abjectissimum vermem non unis viscerum


Fig. XXI.
A
B
A
Fig. XVIII.
B
Fig. XIX.
Fig. XX.
fol. 151.

viſcerum officinis inſtruxerit liberaliſſimè. Quo tamen non obſtante, alia aliis perfectiora rectè adſerentur animalia.

Fig. XVIII. Exhibet gyros; *quibus convolutus Vermis totum Renem occuparat, dextrum ſitum ſiniſtro inferiorem.*

A. Eſt ureter, *qui ſolus pervius, obliteratis planè & in ligamentum converſis Emulgentibus.*

B. Gyri, *quos craſſiores eſſe conveniebat, cum quadrata eſſet Figura Renis, non plana.*

Fig. XIX. Renis *inverſi, ab una parte rugas craſſiſſimas exhibet, ut vermis non transpareret, quum nullas ſolviſſem.*

Fig. XX. *Easdem ab altera parte.*

Fig. XXI. Vermis *juſta longitudo & craſſities ſub ventre potiſſimùm lucido rubicundiſſimo, aliis in locis fuſco-purpureum afferens colorem, ubiq; ſanguineus: cùm enim ex ſecto magnâ vi non parva copia rubicundi ſanguinis erumperet. A. Caput. B. Cauda, longitudine erat ulnæ* $1\frac{1}{4}$.

Fig. XXII. XXIII. XXIV. Vermis accuratè ad ventrem diſſecti ut nulla, pars interna fuerit læſa, tres portiones offerunt.

Fig. XXII. A. Diſſecti *caput in principio tubuli.*

B. *Tubulum fungoſum, quo inflato ſanguinis motus erat conſpicuus per totum diſſectum.*

C. *Inſectio in prominentias, quas flatus extollebat.*

D. *Inteſtinorum principium, cujus ſtigma ad ſuperiorem partem erat conſpicuum.*

E. *Venter, qui craſſior, albiſſima viſcosâ materiâ inſtar puris erat plenus, longit. digiti & ultrà: ab hoc propendebant filamenta alba, qui ſunt loco inteſtinorum.*

F. *Prominentiæ, quas corcula velim, uti in aliis inſectis, quæ medium totius diſſecti occupabant, ſed non æquali ubiq; figurâ & magnitudine.*

G. G. *Membranulæ cum vaſis expanſæ, à lateribus corculorum, utrinq; legentes vermium interiora.*

Fig. XXIII.

Fig. XXIII. A A. Filamentorum *alborum magnitudinem, numerum & gyros spirales seu anfractus exponit; cum corculis & membranis vasisq; expansis.*

Fig. XXIV. A. *Est portio filamenti albi, ad finem tendentis.*

B. *Finis filamentorum alborum à gyris spiralibus explicatorum.*


C C. *Talis facies erat corculorum h. l. citra expansionem membranarum & vasorum.*

OBSERVATIO LXXIII.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Vermes vesiculares sive Hydatides in caprearum Omentis, & in Pulmonibus alterius furfuracea.

I. Ex morbo, quamprimum interierat, allata Caprea, secta ostendit Omenti membranam tenuissimam superstitem, deficiente prorsus pinguedine. II. Ad majorum vasorum ramificationes plures hydatides vulgò dictæ, scil. vesiculæ hydatides, quarum maxima ovum gallinaceum excedebat. III. Adverti tunicis propriis ipsas gaudere, quare leniter incisis communibus, integras exemi plurimas. IV. In extremitatum altera appendiculam quasi contemplans, quæ circulariter incisa fisso hiatum præ se ferebat, stilo experiebar, si qua hoc intruso viam quæ humorem in vesicam duxisset, rescisscerem; sed quum eundem trajicere non daretur, albam istam globosam appendiculam leniter pressi, quo hiatûs ratio constaret? isto ipso extrorsum particulam adegi, quæ insectam lumbrici teretem caudam offerret; atque videbar mihi videre qualemcunque ejus motum. Vid. Fig. XXV. XXVI. V. Cujus rei certitudinem ut indipiscerer tepidæ vesiculam imposui: tunc verò submersæ fundoque inhæ-


Fig. XXII.
A
B
D
E
F
G
G
Fig. XXIII.
A
A
Fig. XXIV.
C
C
A
B
Fig. XXV.
Fig. XXVI.
Fig. XXVII.
Fig. XXVIII.
b
a
fol. 152.



inhærentis non proboscidem solùm, sed & utriculare corpus mirum in modum conciere vidi motus: Singulari undulatione commovebat, systolen & diastolen quidem elatione ac depressione partium ostentans æquè ac in bombycibus,&c. insectis, est advertere; sed quod non solùm rectâ, verùm etiam ad latera, iisdem momentis, tunicæ subtilissimæ evibraret fibrillas, fluctuationis intus conclusæ aquæ partem evolventis, partem frangentis, partem celeritate agitationis quasi erispantis, mirabilis erat species, aquæ fluenter undantis instar, hujusque rei experimentum plures aliæ præbuêre deinceps. Vid. Fig. XXVII. VI. Utriculus purissimam & liquidissimam lympham effundebat incisus; nihil sedimenti servans: in quibusdam frustulum adiposum quoddam latum deprehendi extremitatibus, aliquantum acuminatum. VII. Structuram; Utriculus præter lineas parallelas nihil organici commonstrabat; neque aliam quam quævis obvia tenuis membrana faciem offerebat, lævissimus extus & intus: cum sub aqua fluctuaret, à collo quædam subtilissimæ fibræ ad ipsum pertendere videbantur, ac si his in undulatos motus concitaretur. VIII. Analogum cordis inquirens, datâ opera centrum evulsi, atque ita aquæ impositæ vesiculæ immotæ subsidebant, immotâ & proboscide. Centri autem pars ori juncta, tenuior; utriculo proxima, globosior & glandulosa. Vid. XXVIII. IX. Tunica communis, quæ omenti erat, nullas fibras, nullos ductus in utriculum aut corpus vermis derivabat. X. Proxima, à qua istos vermes exploravit, die, alia allata caprea à morte adhuc calens, quæ cùm mihi non vacaret, à discipulis gratissimis Domino Thormanno & Domino Litio, Med. Cand. secari jussa, similes vesiculares vermes ipsis & pluribus aliis conspiciendos obtulit: motûs hîc manifestos communi adhuc omenti membrana involuti prodiderunt simillimos. XI. Color autem liquoris utriculis contenti variavit in his illis, sanguineo rubicundus, dilutus, magis, minus

 aqueus,

aqueus. XII. Sanguineus, quorum erat liquor, horum egregium, ſub aqua agitantium corpus, ſpectaculum; cum capitulū album ex aqua ſemicans rutilantem utriculum inſtar rubini fulgidum redderet, undante motu. XIII. Hi ſanguineis vaſis propiùs innexi obſervati. XIV. Cæterùm prior caprea non iſtis tantùm obſeſſa erat hoſtibus, ſed & alio plura infenſa habuit domeſtica mala, quippe cum κοιλία μεγάλη feculento humore redundans aſcite omne abdomen impleverat, deturbatis ex ſedibus ſuis interaneis in tantum ut ne creni in ſiniſtro latere esſet locus, quem elongatis multum emulgentibus dextro contiguum propellendo reddiderat, in neutro pinguedine comparente. XV. Memorabile autem, quod pectus aperientes, tuſſiculæ, qua viva laborârat, indagandi cauſam ergo, plerosque lobos non lateribus ſolùm, ſed & diaphragmati connatos ac ſi unum corpus eſſent, offenderemus. XVI. Incidentesq; arteriam ſpiritalem *Lactantio* dictam, fœtor licèt disſuaderet, flatu diſpoſitionem rimaturi, deprehendimus in eadem: multum feculenti liquoris reſtagnare, quem intentis luſtrantes oculis ejusdem naturæ ac in ventre majori obſervaveramus, vidʹemus, cum non minus pabuli manifeſta proderet ſigna, fœni vel ſtraminis diceres, aut graminis. XVII. Indagavimus ſummo ſtudio, ſi qua pulmones ex ventre illuc tranſiiſſent ſordes, præſertim quod venter diaphragmati, loco oppoſito, ubi pulmonis arctè connexus eſſet; fermè nulla patuit via, omni ſtilorum ſubtilitate eluſa. XVIII. Quare lobos pulmonum concidimus undique, atque ſimilem feculentiam, futuram craſſiorem ex omnibus bronchialibus erumpere manifeſtò oculis contuiti, manibus inſuper palpavimus.

Fig. XXV. XXVI. XXVII.
Fig. XXVIII. a. *Exilior pars ori adhærens.*
b. *Craſſior pars glandulosa.*
c. *Sedes craſſioris partis ſ. analogi cordis.*

SCHO-

SCHOLIUM.

1. AN ulli Eruditorum vesiculares isti vermes observati, an etiam scriptis proditi, me quidem latet; Saltem nolim in hoc mustaceo laureolam quærendam: idem casus, eadem solicitudo cuivis hæcce talia offerre potis est. 2. an verò in aliis etiam animalibus passim, Hydatidum nomine traditæ vesiculæ hydatides similiter animatæ fuerint, hoc est in quod inquiri vellem, cum mihi hâc vice sors denegaverit ansam: conjecturam ejus capio, quando animo revolvo, appendiculas albas, in boum, ovium &c. vesiculis aquosis mihi non semel visas: nec tamen illud assero, donec certioribus edocear argumentis. 3. In Hydropicis vesiculas aquosas passim memorant Historiæ Anatomicæ. *Bartholinus*, Vir in tantum laudandus, in quantum industria intelligi potest. *Hist. Cent. II. 66.* Hydropem thoracis in hydatidas ingentes ad diaphragma refert, & *4. 25.* in hydropica vesiculas istiusmodi abscessuum nomine recensuisse videtur. 4. Nec in hydropicis tantùm, sed & in cætera sanis animalibus istas deprehendes; Opiliones & laniones ex hausta avidè aqua illas oriri volunt: Vel 50. in pulmonibus, nec pauciores in Epate ejusdem bovis adverti, cum nec diaphragma illarum foret expers; in alîus, itidem sanissimi cætera, hepate & pulmonibus pariter comparebant, minori licet numero. 5. *Steno* in *Act. Barth. Med. I. 135.* in Rangifero morbo confecto duas hydatidas in omenti circumferentia observatas describens; Videntur, inquit, hæ hydatides in Cervorum genere naturales, in aliis antea à me visæ: an ad celeritatem cursus aliquid conferant, alii inquirant n. 1. Humani aliquid passus hîc *Steno*. 6. An quoque quando l. c. minorem vesiculam lymphaticam in majori tanquam prægnante refert est falsus? quod à membrana communi non distinxerit? Neutiquam. Cum & in memoratis capreis varios lusus Natura circa vermes vesiculares animadverterim: quædam coalitæ

 videban-

videbantur, sub unâ communi membrana, ut tamen haud ægrè divellerentur; cuidam in utroque extremo capitulum erat; sed & observata intus molecula pinguis, rei possibilitatem arguit; præterquam quod & reipsa alteram alterâ prægnantem viderimus. 7. Veram hydropis originem quomodo omento Exc. *Volckamerus* assignet, id ex *Schol. ad obs. 18. Ephem. Germ. Ann. IX. X.* est petendum. Omentum in Hydropicis consumtum, mihi non una monstravit Anatome, idem confirmantibus aliorum Observationibus. In Capreæ verò istius abdomine nihil aquæ stagnabat, pinguedo licet omento deesset æquè ac renibus. 8. Quæ ratio generationis vermium? Generationi vermium multiformi quamcunq; animati corporis partem aptã esse, adstruit sensus: Cur verò talis species vermium exsurrexit? Ratio non potest dicere quare: Partes tamen glandulosæ ut vesiculis excitandis aquosis aptissimæ ita quoq; & vermibus vesicularibus. An natura loci non sinens longos formari lumbricos corpus reliquũ ob abundantiam alimenti non concoquendam in utriculos extendit? 9. Sed quæ ratio nutritionis? qualis aliorum insectorum, centro infixo sucti liquorem attrahentium. 10. Ex alimento varius color humoris in utriculis, uti centrum ex sanguineis vasis eduxit ex ichorosis. &c. 11. Cordis analogum, extremum centri glandulosum: quo exempto vivere desinebant. 12. Exanguium generi adscribendi hi vermes omnes, licet quorundum utriculus sanguinem funderet. 13. *Plato* potum per ἀρτηρίαν quæ τραχεῖα dicitur, fibris pulmonis illabi dicens, magno studio adversus *Erasistratum* defenditur. Vid. *Plutarch. Quæst. Conviv. 7. 1.* & illum exscribens *Macrobius Saturnalior. 715. Gal. 8. de plac. Hip. & Plat.* experimentis pro Philosopho certat; elegantissimè autem *Gellius 17. N. A. 11.* Statum controversiæ ob oculos ponit; Utcunque ista se habuerint, si per hunc canalem esculenta induci contingit, quidni & potulenta per eundem delabantur? 14. Quod in *Act. Med. Barth. V. 33.* traditur; aquæ turbidæ, in dissectione thoracis

mate

materiam innatasse furfuraceam, lobumque pulmonis dextrum furfurea materia hinc inde fuisse obductum, an huc trahendum ambigo: quod verò in *Act. Phil. Soc. Angl. an. 1665. in Novemb. D. Clericus & Dn. Lövverus* affirmant: Alter se diversis vicibus in pulmonibus ovium reperisse satis magnam copiam graminis in ipsis ramis asperæ arteriæ; alter, se in bove, qui duobus tribusve diebus continuis collum suum tenebat erectum, & interierat morbo, partibus spectantibus ad collum & guttur dissectis, reperisse ipsam cavitatem asperæ arteriæ repletam gramine, quasi magno robore intruso. Hoc puto nostræ historiæ fidem addet.

[Regiomonto 1685. 14. Octobr. ad D. D. Hannemannum.]

OBSERVATIO LXXIV.

D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,

De

Chirurgo Osse humerali utriusque brachii destituto.

CUm mense Majo An. 1685. Badæ Helvetiorum degissem, N. *Schmid*, Civis Arovianus, Lithotomus atque Kelotomus inclytus, consilii alicujus medici causâ me convenit: primo aspectu brachia ejus admodum curta, cæteroquin optimum corporis habitum observavi; in illius rei causam cùm inter alia quoque ex eo inquisivissem, responsum tuli, se Osse humerali in utroque brachio carere; miratus hoc, institi ut brachii alterutrius tangendi veniam mihi concederet; mox sine ulla tergiversatione, exuto thorace atque indusio, id impetro; Ossis autem humeralis nullum indicium percipio, brachii partem non modò inferiorem, sed & superiorem & carnosam & lacertosam, at hanc justô minorem seu contractiorem deprehendo; cicatrices etiam passim extabant, quæ ossis illius partes inde extractas fuisse, indicabant: in pueritia nempe Variolis cùm laboràsset,

râsset, humor acris atque vitiosus prædicta ossa etiam invasit, erosit atque corrupit, cum musculorum ibi sitorum tumore atque dolore intensissimo, quem affectum *Severinus Pædarthrocacen*, *de Marchettis & Pandolphinus*, *Spinam ventosam*, alii *Cancrum ossium*, Germani ein Wind-Dorn/ Beinsauger & Beinfresser appellant; cùm autem hoc malo diu domi laborâsset, omnia in pejus ruissent, & in cassum medicamentis usus fuisset, tandem Tiguri in Nosodochio publico ossa hæc cariosa puero exempta fuére, quæ penes se adhuc domi suæ servat, & feliciter spatio 14. mensium curatus fuit. Viribus felix hic Chirurgus, quinquagenario major, in brachiis suis nihil ominus insigniter pollet, ac si ossibus iis minimè destitutus esset.

SCHOLIUM.

Quamvis confirmatione ad veritatem prædictæ observationis minimè opus sit, non possum tamen non addere, me miram ejusmodi, brachiorum brevitatem, qua nihilominus secundùm desideratum Celsi, Chirurgus hic *manu est strenuâ, stabili, minimè tremulâ*, in ipso binâ vice observasse, unâ dum in convivio Doctorali Medici cujusdam Aroviani togam exuendo cicatrices relictas monstraret sponte, alterâ verò dum in consultationem advocaretur quoque Amplissimi & Prudentissimi DN. Consulis Crugii, p. m. Cognati & Fautoris mei honoratissimi, ulcere pedis parvi dextri à clavo in digito quarto, cui, insana medicastra escharotica sinistrè (de qua re tristi aliàs) applicuit, exorto, laborantis; Mirum certè post ablationem ossis tendines musculorum, præsertim deltoidis, qui summè robustus & multiplex, ita invicem concurrere posse, ut membrum nihilominus, in robore, quod aliàs ossa ipsi conciliant, persistat; sed quis ignorat Naturæ artificia, quæ à nemine docta ea quæ necessaria sunt, expedit, & deficientia recompensat; Illâ nim. flante prosperè navigat æger & interdum ipsa duce incredibilia peragit Medicus, ceu & scitè *Seneca:*

Naturam

Naturam sequentibus omnia facilia & expedita sunt, contra illam viventibus non alia vita est, quàm contra aquam navigantibus. Imò inde intento velut digito sapientissimus Conditor suam potentiam & majestatem in Chirurgicis etiam nobis commonstrat.

[D. D. Emanuel König.]

OBSERVATIO LXXV.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Excrementis alvi per penem ejectis.

VIr Reverendus, D. I. I. E. P. G. calculo renum atque vesicæ laborans, ingentem imprimis dolorem circa pubem aliquandiu passus est, ita ut tandem alvi excrementa non amplius per anum, sed per penem tantùm summo cum dolore excernere inceperit, quod sex circiter menses duravit: interea jusculis atque pulticulis variis tantùm sese sustentabat; quòd si autem fortè in pulte pomorum, partem interioris dissepimenti, ex incuria ibi derelictam, deglutiisset, acutissimum postmodum dolorem inter ejus excretionem sentiit. Viribus autem hoc affectu tandem destitutus exhaustus, anno ætatis suæ L. naturæ debitum persolvit.

Verisimile est casum adeò insolentem ab ulcere quodam vesicæ & intestini recti, quod à calculo productum, provenisse, atque hinc partem aliquam intestini recti omnimodè coaluisse.

SCHOLIUM.

QUòd hîc ab exulceratione per penem ejecta fuisse excrementa alvi, persistente aliquandiu vita observavit Vir Excellentissimus, id per vulvam, exeuntibus unà quoque hinc flatibus,

flatibus, accidiſſe quoque obſervârunt alii; Ob exulcerationem eiusmodi per abdomen hinc perforatum, quendam ego nuper militem portarum urbis cuſtodem, ſimiliter excrementa alvi per locum p.n. reddentem obſervavi, is nimirum inflammatione inteſtinorum ex colicâ biliosâ laborabat, unde factum ut ventris latus ſiniſtrum inſigniter doleret, tumoreq; molli ſe monſtrante abſceſſus tandem aperiretur; *injectionibus* vel *mundificantibus* & *conſolidantibus* res ſaltem eo deducta eſt, ut labia ulceris calloſa redderentur, & ne excrementa in abdominis cavum exciderent, prohiberetur, ſed per foramen illic apertum pôſt continuò exirent, quod ipſi adhuc indies contingit; adeo univerſalitet verum haud eſt, vulnera & ulcera inteſtinorum omnia ſtatim eſſe lethalia, maximè ſi illis in locis fiant, ubi carneæ muſculorum abdominis portiones exiſtunt, agglutinatis tunc mutuò utrinque & inteſtinorum & muſculoſæ carnis, vulnerum in ambitu labiis, de quo *Platerus in Obſervat.*

[*D. D. Emanuel König.*]

OBSERVATIO LXXVI.

D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,

De

Præputio filo conſtricto gangrænâ correpto.

IN Orphanotrophio noſtro puer decennis C. U. lectum crebrò noctu perminxit, ac ob id ferulâ pœnas dedit: ut verò plagas in poſterum eivitaret, præputium ita validè conſtrinxit, ut penis ſequenti die magnopere intumuerit & præputium gangrenâ correptum fuerit: quamvis puer dolorem alto ſilentio aliquamdiu preſſiſſet, acerbitate tamen ejus victus, rem uti geſta fuit exponere coactus fuit; admotis verò eam in

rem

rem idoneis medicamentis, intra paucos dies integræ ſanitati reſtitutus fuit.

SCHOLIUM.

QUod in Orphanotrophio Tigurino taliter accidit, ejus ſimile exemplum ante aliquot annos habuimus hîc Baſileæ in Lazareto, in quo Maniacus peregrinus conclavi incluſus filo arrepto penem ſibi taliter validè quoque conſtrixit, ut re non ſtatim à Chirurgo ordinario animadversâ, gangræna mox in ſphacelum abierit, ut dimidia pars penis abſcindenda fuerit, vivente hinc eo adhuc taliter mutilo. In abſcisſione verò ejusmodi penis, ut obiter dicam, id præprimis attendendum, ne fungoſa ſubſtantia penis etiam naturaliter nigricans, Chirurgum decipiat, pro ſphacelatâ eam ſimiliter habendo, quod Monſpelii contigiſſe, retulit mihi Excellentiſs. Univerſit. inibi Cancellarius.

[*D. D. Emanuel König.*]

OBSERVATIO LXXVII.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Bulithis.

IN equorum inteſtinis Hippolithos reperiri, non usque adeò rarum, quod *Jordanus*, *Hornicæus*, *Sachſius*, alii, & nuper demum *Excellent. D. Lucas Schröckius*, *Luc. filius*, *in Ephemerid. Curioſ. Germ.* teſtatum dederunt: his autem Bulithi rariores ſunt, adeoque & horum obſervatio ſilentio haud involvenda erit. Bulithus apud nos aſſervatur, qui & in urbe noſtra ante aliquot annos in vaccæ ventriculo ſecundo, quem κεκρύφαλον ſive reticulum appellant, fuit extractus; lapis eſt rotundus, globiformis, ſubflavus, ſubſtantiæ denſæ atque ſpiſſæ inſtar ſilicis, eiusque pondo eſt ℥xiii. & ʒiiij. Videatur Figura XXIX. *Martinus Martinius* equidem, *Atlantis Chinenſis pag. 59.* mentionem etiam facit Bulithi flavi, mollis, inſtar ochræ, qui in

vaccarum ventriculis apud Chinenses reperiatur, quem Medici ibi locorum lapidi Bedzohar præferant: hic tamen à nostro longè differt Bulitho, neque ei vires bedzohardicas promittere ausim: minùs autem aptè *Martinius* existimat Chinensium Bulithum (Küħstein) eundem esse cum Lapide fellis (Gallenstein) *Petri Bellonii, Singularium Observat. LIII. cap. 46.* qui Arabum *Alcheron Haraczi* est, cùm hic in Taurorum vesicula fellis natales suos tantùm habeat; quo de *J. C. Scaliger, Exercit. CXXV.* quoque consulatur.

Hoc ipso Anno 1685. mense Julio alius Bulithus in bovis intestinis apud nos repertus fuit; coloris est cinerei, oviformis, texturæ raræ, pondo ejus ℥j. & ʒj.

Fig. XXIX.

SCHOLIUM.

TAm in orientalibus quàm occidentalibus locis magnum numerum lapidis bezoar inveniri tradit *Joh. Baptista Tavernier lib. 2. Ind. Itinerar. cap. 24.* qui ex vaccis desumitur, tantæ quandoque molis, ut nonnulli 17. vel 18. unciarum pondus habeant; quamvis non ejusdem hic sit cum notiori illo præstantiæ, sex hujus granis plus operantibus, quàm ab alterius illius granis triginta sperari debeat.


(L. Schröck, L. F.)

OBSERVATIO LXXVIII.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Tophis in articulis seu juncturis ossium bovis repertis.

BOves calculis renum laborare, cognitum atque compertum habemus: fidem hujus rei mihi quoque fecerunt calculi ex rene bovis à me extracti, quos etiam penes me

Fig. XXIX. fol. 162.

a.



Tophi
ex articulis bovinis.




Fig. XXX.
fol. 163.

Bulithi.
Fig. XXIX.
fol. 162.

b.



Fig. XXX.



nes me adhuc ſervo: at his inſolentiores ſunt tophi, qui in juncturis oſſium apud eos quandoque reperiuntur. A. 1685. d. 12. Apr. ex medio coarticulationis oſſis femoris & tibiæ bovis, tophos quàm plurimos exemi, qui partim tendinibus ſeu ligamentis circumdati ac incluſi, partim etiam extra ea extruſi fuerunt: ſubſtantia eorum eſt alba inſtar calcis, ſummæque acrimoniæ: illud dignum eſt viſu, quomodo materia hæc terreſtris coaluerit, & partes aliæ poſt alias ope ſpirituum naturalium ad extremitates usque juncturarum extruſæ fuerint. Hinc etiam & hoc concluditur, Boves ab arthritide nodoſa non penitus ſolutos eſſe.

[Baſileâ 1685. 14. Octobr. à D. D. König miſſa.]

Fig. XXX.

OBSERVATIO LXXIX.

D. ADAMI A LEBENWALDT,

De

Morſu lupi rabidi, ſeu Lycanthropia.

DUm aliquot ante annos iter 10. milliarium ſuſciperem, ad Cœnobium celebre, vernalis Venæ-ſectionis celebrandæ causâ, occurrerunt in via plurimi homines adhortantes & obnixè rogantes, ut periculum magnum evitarem, eò quòd lupus rabidus viam percurrat regiam, jamque 10. perſonis morſu vulnus inflixerit, & omnes in rabiem acti vitam miſerè finierint. Ego ulterius proce-

dens, ſclopetis benè proviſus, audivi lupum prædictum jam à Ruſticis fuſtibus obtruncatum fuiſſe. Ad Cœnobium appropinquanti mihi obviavit ſacerdos, qui famulo ruſtico ab eodem lupo vulnerato Sacrum adminiſtravit Viaticum, curiosè ab eo inquiro, quænam ſymptomata patiatur æger, qui hoc reſponſum dedit: Ego domum ingrediens ægroti, vidi illum ſupra ſcamnum ſedentem, induſio tantùm veſtitum, tremulâ & clangosâ voce ejulantem, oculis ſcintillantibus, facie tumidâ & inflammatâ, præſentem ſibi tamen in mentalibus actionibus, me obſervato, ſcamno exſiliit mihi obviam currens altaque voce inclamans, ô mi Pater, cum quanto deſiderio illum expectavi, uror, uror & cordis æſtu pereo, pereo, hæc ille. Hoc percepto volui infirmum accedere & antidota contra morſus venenatos animalium exhibere, ſed relatum mihi fuit, eum jam animam exhalâſſe. Cupiebam cultro anatomico rimari viſcera interna, ſed obſtitit conatui meo præpoſtera erga cadavera reverentia & vana plebis ſuperſtitio; hoc tamen didici

Non homo tantùm homini eſt, ſed lupus ipſe lupus.

Hîc annotare volui, quod Lycanthropia propriè ſit ſpecies melancholiæ, qua ægri putant ſe in lupos converſos; unde quadrupedum more incedentes, noctu domo egrediuntur: Ululatu lupos imitantur, hinc inde vagantur, cadavera abripiunt & ſecum collo geſtant, de die homines fugiunt; quidam tamen ut canes mordent, de quo videatur *Caſtellus* ex *Aetio* & *Ægineta l. 3. c. 16.* frequentius tamen ſumitur Lycanthropia pro imaginaria diabolica hominum in lupos converſione, quâ ſe lupinam formam habere exiſtimant, imò & aliis tales videntur, quod Dæmonum ope accidit ludificantium ſenſus: talis fuit ille ruſticus in Boruſſia, de quo dicitur, quòd certis anni temporibus mutaretur in lupum, ſylvas adiret, lupis ſe aſſociaret, homines & canes morderet, infantes devoraret. Vid.

Sennertus

Sennertus lib. 2. institut. med. p. 3. s. 1. c. 7. & *med. practic. p. 2. c. 16.* Demum Lycanthropia dicitur rabies hydrophobica, in qua homines lupos imitantur ululatu, aquam metuunt, quod communiter contingit, si à lupo rabido morsus infligitur. Mira dicuntur de hujus animalis astutia, ut legitur apud *Plinium, Albertum Magnum, Ælianum, Portam*, sed plurima sunt fabulosa & falsa, sæpe enim de hac Bestia cum venatoribus & pastoribus colloquium habui; Verum est, quòd sit animal rapacissimum, voracissimum, infensissimum ovinæ gregi, quam velut Apitianas dapes appetit. Quandoque istæ Bestiæ gregatim incedunt, terribiliter noctu ululant, præsertim hyemali sæviente frigore, ad pagos se conferunt, boves & oves invadunt, anseres jugulant, nec equis parcunt, canes domesticos etiam catenatos abripiunt, per fenestras ingressi trahunt secum alimenta coriaque, imò vestes auferunt. Laborant podogrâ, anginâ, rabie & in senectute edentuli fiunt. Nullum animal ita proverbiale est quàm lupus, de quo 12. collegi adagia, sed hæc ad Zoologos & Moralistas. An cor antiepilepticum, corium anticolicum, adeps antipodagricum, oculus antifebrile, guttur antianginosum medicamentum, consulatur experientia: hoc quidem expertum habeo, quòd in tali pellicio seu tegmento, lupinis pellibus subducto, non maneant pulices.

O charum generi fœmineo medium!

OBSERVATIO LXXX.
D. ADAMI A LEBENWALDT,
De
Tumore inveterato malè curato.

NObilissima quædam Domicella ob Catamenia impedita, incurrit tumorem durum modicè dolentem circa vertebras colli, qui aliquot annis perdurans incrementum sumpsit lunaris tributus tempore, decrementum

mentum verò ſuſcepit applicatis in dorſo cucurbitulis, cum & ſine ſcarificatione. Huic ægræ nullis præmiſſis Univerſalibus aut Catamenia promoventibus, applicatur cataplaſma emolliens, quid fit? tumor ab illo loco diſcedit ad axillas, ſub carne & colli muſculis ſedem figit, dolore affligit ingenti, attracto ſanguine in abſceſſum mutatur, qui ob duritiem cutis & materiæ craſſitiem prorumpere non potuit, licet emollientia, maturantia & pus foràs trahentia plurima adhibita fuerint. Vocor ego, poſtquam hæc tragœdia jam in ſeptimam ſeptimanam acta, ſuadeo loci affecti vel cauſtico vel lanzetta apertionem, ſed disſuadetur ab aliis. Unde materia purulenta progreſſa totũ dextrum brachium occupavit, in ingentem tumorem elevavit, ex quo ad finem ultra 2. menſuras lymphæ & ſaniei profluxit, nec cordi & pulmonibus pepercit hæc materia; ſed circulatione ſanguinis eò delata, ſæviſſima ſymptomata cum exeſione & eroſione pulmonum fauciumque produxit, cum tanta ejectione putrilaginosâ ut tota maſſa ſanguinea in pus converſa videatur, ſic miſera per aliquot ſeptimanas cruciata vigiliis & doloribus enervata, tandem delira & ſuffocata periit.

Diſcant audaces mores nimiumq; loquaces!

OBSERVATIO LXXXI.

D. ADAMI A LEBENWALDT.

De

Lepida ulcerati pedis curatione & inde damnis.

DUm hæc ſcribo, venit ad me vir 60. annorum, artis ſtatuariæ, Dædali æmulus, qui per aliquot annos defluxione ad pedes laboravit cum exulceratione tibiæ, hujus moleſtiæ pertæſus ſibi ipſe Chirurgum agit & recipit aquam bitumine ad viſcoſitatem coctam & pultem conficit,

ficit, totumque pedem depingit quasi auro vel coloribus obducendum, sistitur defluxio, exiccatur ulcus; sed ecce paulo post incipiunt oculi caligare, caput vertigine rotari, & non obscura signa apoplexiæ se prodere, quare statim jubeo fonticulum poni in pede, præscribo hydragoga, caput & oculos corroborantia, quid futurum expecto:

Non natura suo est impedienda opere.

OBSERVATIO LXXXII.
D. ADAMI A LEBENWALDT,
De
Hydrope ex deligatis pedibus.

VIr nobilis sexagenarius, corporis cacochymici, multis diebus consequenter comessationibus & compotationibus in conviviis deditus, unde hospitium præbuit cruditatibus, humoribusque in hypochondriis collectis, quorum copiâ & qualitate natura irritata, expulsionem molita est ad pedes, ibique tumores œdematosos causavit. Consulitur casca, lusca & panda anus, quæ suadet ut pedes per totum fasciâ fortiter involvantur, ne humores descendere possint: obtemperat intemperans consilio, salvantur pedes à defluvio, sed serositates salsæ aperiunt sibi viam ad abdominis cavitatem producuntque hydropem incurabilem.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIII.
D. ADAMI A LEBENWALDT,
De
Ischuria 15. dierum curata acidulis.

FOemina nobilis trium demortuorum maritorum uxor, nullius prolis mater, splenetica hypochondriaca, calculo renum obnoxia, sumpsit à Medico præscriptam potiunculam purgantem, non præmissis præparantibus & aperientibus: & licet aliquoties alvo dejecerat, statim tamen sequebatur dolor & tensio in renibus per ureteres ad vesicam, cum urina modica sabulosa, quam excepit stranguria & dysuria, demum Ischuria seu omnimoda urinæ suppressio; adhibita sunt varia nephritica, lithontriptica, diuretica, sed frustrà. Ego accersitus inveni rem in angusto positam, venter enim & hepar intumuit, respiratio erat difficilis, cor quasi suffocatum, urinæ fœtor jam odoratum & gustum feriebat, denique omnes partes videbantur innatare microcosmico lixivio. Pronuntiavi Ischuriam esse illegitimam ex obstructione renum & ureterum à materia sabulosa & calculosa, quare ad acidulas, quas ego tunc ad manus habui, confugiendum esse asserui, persuasique ut ægrota intra quadrantem horæ sumeret mensuram unam; dictum factum, removentur per harum potum obstacula, urina cum calculosa & sabulosa materia liberè profluit, & Ischuria mutatur in hydropem ad matulam, ita ut per illum diem ultra 30. libras stagnantis prius lymphæ effluxisse senserit, paulo post in integrum restituta. Suppressio totalis urinæ duravit per 15. dies, quibus tamen aliquoties serosa alvo dejecit, cautè itaque propinanda catharctica in calculosis.

Hæc tamen evasit naufraga mortis aquas.

[Leobio 1685. 17. Octobr. Augustam Vind.]

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIV.
D. PETRI ROMMELII,
De
Labiis leporinis in porcellis.

NEmo eſt qui ignoret, quantum imaginatio in hominibus ſanis & morboſis, præprimis etiam in gravidis valeat, licet modus, quomodo id fiat, plurimos lateat, fereque omnes adhuc torqueat & ſolicitos habeat: Non minùs tamen mirandum videri poſſet, imaginationem talia etiam in brutis, (quibus nonnulli etiam mentem & rationem, non omnino brutè, tribuunt,) efficere poſſe. Præteritâ æſtatè, Civis cujusdam apud nos ſcrofa, aliquot porcellos, ore leporino ſive bifurcato labio notatos, enixa eſt; quos, quia ob hanc cauſam ſugere, atque ita nutriri non potuerunt, in præterfluentem Danubium abjicere neceſſum fuit. Cauſam monſtroſæ hujus efformationis, porcæ Dominus aliique rei pecuariæ gnari, dixerunt fuiſſe imaginationem & terrorem, quo porca prægnans, in agris & campis paſcens, à lepore de improviſo ex latibulo ſurgente fugâque ſe proripiente, perterrefacta fuit. Utrùm occulta qualitas, vel potiùs illud locum hîc inveniat, quod à quibusdam affirmari ſolet, ſi nempe contingat mulierem gravidam (quod etiam de beſtiis dici & intelligi poſſe puto) ſedem leporis transiiſſe, fœtum tunc labio bifurcato, leporum inſtar, notari? hæreo. *Olaus* quidem *Magnus lib. 18. Hiſtor. Gent. Septentr.* fidem aliquo modo dictis fœnerari, videri poſſet, dum ſcribit: Eſum, vel ſaltum ſuper caput leporis factum, gravidis eſſe noxium, infantesque leporino (diviſo ſcil.) labio notari, docetque ibidem, quomodo huic malo ſit medendum. Notum eſt ex *Moyſe* & Hiſtoria Jacobi, quid Patriarcha hic magnus, virgis & baculis

ſuis bicoloribus & variegatis in ovibus ſoceri ſui Labani effecerit; ibi tamen nullus terror, ſed aſpectus repetitus virgarũ diverſorum colorum in agnis cauſa dicitur. Occulti aliquid hîc ſubeſſe, credi poteſt, quia ſolus terror vix hoc præſtare potuit, quia non credendum, ſuem, leporem inopinatò ſurgentem, celerrimâque fugâ non caput ſed terga monſtrantem, tam accuratè, præſertim ejus faciem & os contemplatam fuiſſe, nævumq́ ita prolibus ſuis impreſſiſſe.

SCHOLIUM.

MErentur hîc adduci, quæ *Guil. Harvæus exerc. 69. de generat. animal.* animadvertit, ubi in damarum fœtu, dum agit de ejus generatione, ut ſe in tertio à coitu menſe habet, buccas & labia, ceu partes cutaneas, ultimò perfici ſcribit, addens: *in omnibus fœtibus (etiam humano) paulò ante partum, oris rictus, ſine labiis & buccis, ad utramq; aurem protentus cernitur. Eandemq; ob cauſam, niſi fallor, multi naſcuntur cum labro ſuperiori fiſſo (Angli harelipt. i. e. leporina labia habentes nominant, qualia ſcil. lepori & camelo ſunt) quia in fœtus humani formatione ſuperiora labra tardiſſimè coaleſcunt;* atque *exercit. 56.* omnium ultimò in humano fœtu lineam illam coaleſcere teſtatur, qua labia ſuperiora committuntur. Hinc etiam trahi huc fortè poſſent, quæ *Petr. Borellus cent. 1. hiſt. 71.* de ſeptimeſtris partus notis, ex relatione obſtetricis, monuit, tales nempe, præter auriculas, habere labia quodammodo imperfecta, cùm rubra valde ſint & ſanguinea, imò & ſanguinem quandoque reſudent. Quanquam illud, quòd paulò ante partum oris rictus adhuc ſine labiis & buccis eſſe dicatur, paulò liberaliùs (nî error aliquis ſcribæ vel typothetæ ſubſit,) proferatur; cùm experientia nos contrarium edoceat, & ipſi octimeſtri fœtui nihil horum deeſſe, non uno exemplo certus, ipſe ſciam. Conſtat tamen hinc faciliùs, quomodo in humano fœtu, ab imaginatione materna, in primis graviditatis menſibus, labiorum,

quæ

quæ leporina dicuntur, vitium promtè satis fœtui imprimi, aut etiam circa finem gestationis adhuc laxiùs cohærentia minori cum difficultate iterum divelli queant. An autem in hac Observatione dicemus, scrofam quacunque de causa vehementiùs perterrefactam tum temporis fuisse, quo labia fœtuũ in utero nondum per naturam coaluerunt, sicque à terrore isto, in ipsos fœtus derivato, sanguinis & spirituum aliquem ad centrum regressum contigisse, unde etiam motum sanguinis in labiis porcellorum moram fuisse passum, & labia ipsa hinc exsiccationem subiisse? An verò leporem in dumeto aliquo dormiturientem, & à superveniente scrofa excitatum, præ fortuito metu, versus caput ejus exsiliisse, divinare licebit? ceu simile quid in timidiusculis itidem animalculis, muribus, in cista aliqua latitantibus, & subitò excitatis, quandoque contingere novimus, ut in faciem accedentis hominis, priusquam terga in fuga vertant, prosiliant, non tam vindictæ cupidine, quàm ex subitaneo metu confusæ?

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO LXXXV.
D. PETRI ROMMELII,
De
Mortis præsagio.

NOn desunt hinc inde apud auctores tam medicos quàm historicos varia exempla eorum, qui eodem mensis die, quo ante plures annos in lucem editi fuêre, iterum mortalitatem exuerunt; eorumque qui sibimetipsis diem & horam quasi, futuræ beatæ analyseos prædicere potuerunt. Non ero prolixus in colligendis & exscribendis ejusmodi historiis, passim, ut dixi, obviis, sed binas hîc indicâsse sufficiat. Mulier plebeja, Barbara Schmutzin, vi-

dua ſexagenariâ major, ultra triennium valetudinaria & cachectica, jam ante biennium aſcitica facta, & à me, DEO benedicente, integrè reſtituta, poſt plures in rebus naturalibus commiſſos & iteratos errores, hac præteritâ æſtate variis iterum doloribus & ſymptomatibus, quæ illam denuo lecto affixerunt (absque tamen hydropis recidiva, vel ſaltem minimo ejus indicio aut metu,) moleſtari, inſuperque medicamenta ferè omnia negligere, ſusque deque habere, indeque magis ac magis viribus deficere, conſumi & cymbæ Charontis adpropinquare cœpit. Hæc aliquot ante obitum diebus, (ſemper integrâ, usque ad ultimum ferè mortis articulum, ratione utens) me præſente, adſtantes, futuros ſuos hæredes, fictas partim lacrumas fundentes, bono animo eſſe juſſit, dicens: Ne contriſtemini Amici, nec opus eſt hodiè lachrymari, ſcio enim, me ante diem (*nî fallor*) Martis, qui erit recordatio diei mei natalis, non morituram; quod etiam juxta ejus prognoſticon factum, nam eodem menſis die, ut dixerat, quo nata erat, defuncta eſt, & ſic dies natalis, illi etiam fatalis extitit. Altera ſic ſe habet: Civis honeſtus, Vir ob priſcam & Germanam fidem optimæ famæ, 68. annos natus, à morbo, quem ex infortunato cum equo caſu contraxerat, ut ſibi videbatur reſtitutus, poſt aliquot præterlapſas ſeptimanas, denuo ægrotare, indiesque infirmior fieri, ac de reconvaleſcentia tandem dubitare cœpit: uno die, cùm lecto ejus adſidens, varios cum illo, non tam illius valetudinem, quàm alias etiam res concernentes ſermones miſcerem, inter alia in hæc tandem prorupit verba: Ah Domine Deus, quàm immenſas ego tibi debeo gratias, pro tam innumeris in me indigniſſimum collatis beneficiis, quæſo te per Chriſtum Filium tuum, Salvatorem meum dilectiſſimum, animulam meam tam charè redemptam, brevi ut ſentio ex hoc meo ergaſtulo emigraturam, clementiſſimè propter meritum Filii tui ſuſcipere, ultimumque & maximum beneficium reliquis ſuperaddere velis &c. Ego illum conſolaturus, variis verbo-

verborum & solatiorum lenociniis, bono animo esse, mortisque timorem abjicere, item ratione adversæ valetudinis, meliora sperare jussi &c. At ille subridens regessit: Vanæ sunt & superfluæ tuæ consolationes, nec ego mortem timeo, sed illam potiùs, quia DEO meo ita placere scio, tanquam omnium humanarum miseriarum finem expeto, atque proximo futuro die 6. Augusti illam expecto, (erat 28. dies mensis Julii, cùm hæc diceret,) scio enim, me dicto die moriturum, & susequente die Solis, qui dies erit maximè serenus, cum sat grandi, funus meum comitantium, comitatu, sepultum iri; quæ etiam omnia ita, quomodo prædixerat, evenerunt: nam circa sextam matutinam, die 6. Augusti, seipsum precibus & dictis sacris apprimè huc facientibus (artem enim benè moriendi jamdudum didicerat) semper erigens & consolans, alienis consolationibus & admonitionibus (licet inter adstantes non deerant, qui tali officio consolatorio optimè fungi sciebant,) minimè indigens, liberis insuper, & circumstantibus pacem & mutuum amorem inculcans, paternamque benedictionem, ut optimam hæreditatem singulis impertiens, usque ad ultimum ferè vitæ suæ halitum, sensibus sensim deficientibus ratione tamen integrâ, loquebatur, donec tandem sine omni mortis metu & motu, tam placidè & dulciter, non moriens, sed blandè quasi obdormiens, animam exhalârit & Creatori reddiderit, apud omnes etiam adstantes, maximum, similiter olim obeundi, desiderium reliquerit. Suspicari aliquis de facto Astrologico prognostico, vel erecto aliquo themate natalitio hîc posset; sed nihil talium intervenisse certissimus scio: mihi enim & vita & actiones ejus præ omnibus aliis perquam notissima erat; fuit quidem homo plurimæ lectionis, sed non inter literatos numerandus, harum vanitatum ignarus, imò ut & omnium superstitionum osor & contemptor acerrimus, facetus aliàs, ast conscientiosus, cultûs divini rerumque sacrarum amantissimus, unde hanc instantis mortis præscientiam

 potiùs

potiùs inſtinctu & motu interno diviniori factam & adſcribendam eſſe cenſeo.

[Ulmâ 1685. 17. Octobr. Auguſtam Vind.]

SCHOLIUM.

CUr morituri ad præſagiendum apti? in ſuo *Jatroſoph. Miſcellan. tractatu 46.* explicare nititur *Joh. Bapt. Sitonus.* Quæ num ſatisfacere Curioſis queant, prudentiorum potiùs ſubjicere judicio, quàm ipſemet aliquid determinare volo.

(L. Schröck, L. F.)

OBSERVATIO LXXXVI.
D. SALOMONIS REISELII,
De
Vomitu cruento lethali.

NIcolaus Dauner auriga aulicus Stutgardienſis, emeritus, annorum nempe ſexaginta octo, habitu procero & macilento, crapulæ adſuetus, ab autumno usque Anni 1682. queſtus de doloribus in ſiniſtro ventriculi latere, ſentit duritiem ibi cum torminibus, revomit plerumque quod manducavit poſt dolores. Quæ ſymptomata à tumore quodam oris ventriculi, aut conſtrictione venire ſuſpicatus ſum. Itaque cum alvus per octo dies concluſa fuerit, Mannatam potionem dedi, hinc Clyſterem, quibus bene fuit evacuatus: mox ſuccum naſturtii aquat. cum ſero lactis, cui incocta rad. bryoniæ, impoſito inſuper Emplaſtro malactico. Fine Decembris, factis iſtis, per dies quatuor, mollior videbatur eſſe tumor. Nondum fert cibos, decoctum verò quamvis ingratum, non tamen rejicit. Clyſteres poſtea per vices repetiti, & rad. lil. alborum in lacte coctæ alvum ſolverunt, datæ ſcilicet ad emolliendum tumorem. Anno 1683.

Januarii

Januarii initio atra copiosa vomit, hinc nono die cruentis mista & fœtida. Nihil sumsit cibi, solo vini vitro contentus & restauratus; tredecimo, cùm per multos dies alimentis abstinuisset, totus consumtus, matutinâ sextâ moritur.

SCHOLIUM.

APerto abdomine, omentum sinistrorsum sponte reclinatum erat, dextrorsum intestinis nudis manentibus. Pancreas durum glandulis magis quàm naturaliter rotundis, constans, affixum ad fundum stomachi, nullum enim aliud apparuit pancreatis signum, utut multæ satis grandes glandulæ & ad spinam dorsi & in mesenterio in conspectum venerint. Stomachus ipse venas valde tumentes ostendit extrà. Pylorus externo tactu durus, & citra hunc dura quædam linea. Quales infra stomachum glandulæ fuerunt inventæ, tales quoque supra stomachum, ita ut inter has angustatus fuerit dimidius, reliquâ sinistrâ parte tanto ampliore factâ & assurgente ad epar repressum, pluribus tamen hic sed minoribus & instar cannabis grana, sparsis glandulis. In cavitate ubi venæ quoque valde tumebant, materia cruenta, subnigra fluida, acidum olens, qualem excrevit demùm pridiè morbis & antea copiosissimè ad mensuras multas. Membranosa quoque puls & viscida erat admista, credebaturque membranam illam ventriculi tunicis adhæsisse, quia asperæ fuerunt alicubi.

Hepar sanum, & boni coloris. Lien pallidus. Mediastinum tenue & quasi simplex. Pulmonum dexter lobus inferiùs parùm sterno affixus. Musculi omnes consumti. Hic in dextro cubito ichorosum olim fluxum habuit, qui tandem juxta alia medicamenta fonticulo inusto paucis mensibus ante mortem siccatus & repressus fuit.

Quæritur nunc: an ille sanguis copiosus vomitu rejectus in cavitate latuerit, an in vesicula singulari, quæ tandem rupta fuit, veluti in Natta: Dein unde affluxerit, an ex liene, qui pallidus

pallidus & quaſi exanguis videbatur, & vaſa ad ventriculum tendentia valde diſtenta, an aliunde? cum nota nulla aperti alicujus vel eroſi vaſis fuerit, non facilè licuit conjicere: neque propter feſtinatam ſectionem vacavit inquirere.

Fig. XXX.

OBSERVATIO LXXXVII.
D. SALOMONIS REISELII,
De
Araneæ ictu lethali.

ANno 1683. Menſis Septembris 10. die vir robuſtus Goppingæ, oppido Acidulis celebri, dum in horreo eſſet, ſenſit in collo aliquid titillans. Tetigit & compreſſit eò delapſam araneam, unde ardere & pungi ſentiebat. Talia verò non advertens, altero die abiens ruri hilariter bibit, tertio inflammatio colli; quarto etiam pectoris accedit cum deliquiis, cui Tonſor Nutritum lithargyrii impoſuit; quinto Medicus accedens ſudores præcipit, & Theriacam imponit, ſexto moritur.

OBSERVATIO LXXXVIII.
D. SALOMONIS REISELII,
De
Pomi eſu in terram lapſi noxio.

IDem Medicus & Phyſicus Goppingenſis Martinus Naskosky, tum temporis referebat, quod puella jam adulta ab eſu pomi in terram delapſi non multò poſt vomitum & diarrhœam aliaque circa cardiam ſymptomata paſſa fuerit: quo ipſo ego ipſi narrabam, quod, cùm pomum ſub arbore delapſum non decorticatum non devoraſſem quidem, ſed ſuccum

ſuccum ad ſitim & æſtum levandum in citata equitatione ſumſiſſem, ſenſerim ſtatim poſt & per dies aliquot in inferiori labro primò veluti capillum inibi hærentem, dein pulſantem quendam tumorem veluti à venula ſeu vermiculo latente, cum tamen nullum viderem tumorem. Quod ſymptoma tamen intra paucos dies ſine ulla alia noxa evanuit. An à rore ſeu pruinâ maligna, an ab inſecto aliquo noxio pomum infectum fuerit, dubium eſt.

[*Stutgardiâ 1685. 14. Novembr. ad Helianthum.*]

OBSERVATIO LXXXIX.
D. BENEDICTI HERMANNI,
De
Singulari Epilepſiæ Infantilis cauſa.

VExatio dat intellectum: πολυθρύλλητον hoc & mihi haud ita pridem ſe verum probavit, cùm menſe Aprili proximè præterito Filiolam lectiſſimam mihiqúe chariſſimam, vix octavum ætatis menſem emenſam, nec ultra quatriduum ægram, dura mihi Fata ex improviſo eriperent. Erat nempè, quamdiu vivebat, optimè ſana, vegeta, benè colorata, ſanguinis ſuccique plena, donec d. 11. Aprilis circa nonam veſpertinam deſubito clamore & ejulatu totas repleret ædes, ſatisq; ſic innueret, ſe non levibus internè torqueri doloribus, toto mox corpore flaccidior, caput vix erectum ſuſtinebat, calore p. n. æſtuabat, vomitu rejiciebat aſſumta, eâ quin etiam nocte vel ſepties dejiciebat, hisque perſeverantibus ſymptomatibus poſtridiè acceſſére convulſiones, quæ adeò exagitabant tenerum ejus corpuſculum, ut tantis inſultibus ferendis impar, & fruſtrà in auxilium vocatis vel ſelectiſſimis remediis, d. 14. Aprilis redemtam à Salvatore ſuo animulam, & Sacro Spiritûs S. Lavacro ablutam, Creatori ſuo redderet. Maximo

itaque mœrore affectus, in Physicam tàm subitæ metamorphoseos causam inquirens sollicitè, cui hanc adscriberem rescire nil aliud potui, quàm quòd Uxor charissima pridie morbosæ hujus accessionis nil mali cogitans, squamosam illam in vertice crustam, ex continuis per cranii hiatum elevatis, & per aërem externum coagulatis vaporibus natam, ut emolliretur & tolleretur posteà, butyro inunxerit: Cumque meminerim, ante hos tres annos à simili inunctione in filiolo etiam convulsiones, licet non lethales, esse subsecutas: Uxor etiam admonita in memoriam sibi revocaverit, & binos filiolos in primo suo conjugio susceptos brevi post ejusmodi inunctiones convulsionibus extinctos: non dubitavi in hanc ipsam inconsideratam inunctionem (quæ oleosis etiam aliis fieri solet) præcipuam hujus mali causam procatarcticam, mihi hactenus non lectam, conjicere. Cogitavi siquidem, quemadmodum charta bibula sibi relicta, liquoribus aquosis, salsis, spirituosis facilem; inuncta verò oleo vel aliâ pinguedine difficilimum concedit transitum: ita & obstructi ab inunctione istâ cutis verticalis pori fuliginibus vaporibusque heterogeneis consuetam, & ab ipsâ Naturâ solicitè fabricatam viam denegant, qui adeò intra cerebrum coërciti, & tàm quantitate quàm qualitate nervoso generi infensi, in hoc sese retrogradi insinuant, spirituum humorumque motum turbant, Archæum irritant, qui molestos sibi hospites excussurus omnia tentat, vomitus sedesque movet, sanguinis motum accelerat, convulsiones concitat, sed perturbatâ tandem totâ animali œconomia delassatus victusque fatiscit. Meritò itaque mos iste inungendi perquàm noxius, & mulierculis sub specioso, sordes nidum pediculis præbentes tollendi, titulo imponens inculpatur, &, si omninò illa crustæ remotio necessaria aliquando videatur, consultiùs vel liquoribus magis resolubilibus, aqueis aut spirituosis, peragitur, vel ad omnimodam cranii coarctationem differtur.

SCHO-

SCHOLIUM.

INgeniosam hanc & rationi conformem conjecturam meritò Hippocraticam dicemus, cùm divinus Senex *libr. de morbo sacro*, in fœtu pituitoso, si ulcera in capite &c. erumpant, salutis spem denunciet, illi verò, qui purus fuerit, & neque ulcus ullum habuerit, periculum præsagiat, ne scil. is comitiali morbo corripiatur. Ex quo patet, quàm benignè Natura mater cum puerulis agat, dum causam illam, tanti morbi productricem, è corpore in partes externas eliminat; quam itaque in corpus repellere, non potest non maximum discrimen adferre; cùm non tantùm humoris copia, sed inprimis ejusdem etiam acrimonia cerebro & nervosis partibus quammaximè adversetur; quam nempe acredinem Veterum etiam nonnulli expresſè nominant, & salsam crassamque pituitam accusant, à lacte eâdem qualitate donato generatam. Ne autem gratis hæc dicantur, exemplum de epilepsia ex achoribus repressis inducta apud *Jerem. Martium, observ. med. 24.* legi potest; quo respectu etiam communiter Practici, remedia adstringentia, frigida, & materiam in corpus repellentia, esse fugienda, innuunt. Interea tamen eosdem nihilominus inunctionem cum oleosis, quale butyrum est, in hoc adfectu commendasse, legimus: sic *Marcellus Cumanus* plurimos infantes, uti *obs. 23.* apud nostrum *Welschium* in *Sylloge observ. medd.* testatur, hoc modo curatos vidit, lavando caput cum decocto hordei, malvæ, & hederæ, imponendo dein caules leviter torrefactos, & indè caput ungendo cum butyro loto; Confer. etiam *Bald. Timæi lib. 5. cas. med. 3.* Verùm cùm hæc non nisi post aliorum, abstergentium, & quæ Antiquorum methodus utplurimum præsupponit, universalium, eaque inter præcipuè purgantium usum, adhibita fuerint, eò minori etiam cum periculo id factum fuisse, credibile est. Hinc est, quòd Nob. *D. Joh. Dolæus Encyclop. med. lib. 6. c. 11.* lotiones & inunctiones non statim esse ad-

esse adhibendas, moneat, sed demum, datis aliquamdiu purgantibus & expellentibus; varia dein unctuosa præscribens, & inprimis butyrum geranii virtute impraegnatum, ad totum caput illinendum, ceu propriâ experientiâ comprobatum medicamentum, commendans.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XC.
D. BENEDICTI HERMANNI,

De

Euporisto externo in doloribus tumoribusque artuum.

ANno præterito Textoris servus viginti aliquot annos natus dolores primùm vagos per totum corpus oberrantes sensit, qui postmodum fixi magis, dextram potissimùm manum, pedemque sinistrum, ab ischio ad plantam usque, adeoque spatio etiam inter juncturas medio, occuparunt, ita ut, si vel manum vel ejus digitos flectere tentaret, quamplurimis in eâ parte compungi aciculis, si verò pedem versùs abdomen retraheret, acutorum instar cultrorum sensum in hoc sibi percipere videretur, pedi etiam huic absq; insigni dolore insistere vix auderet, nullo interim in partibus affectis vel tumoris vel mutati coloris apparente vestigio. Obtundendis his acrium humorũ spiculis varia opposui, tàm interna præcipitantia dicta, cinnabarina, anodyna, diaphoretica, purgantia, quàm externa lumbricalia, salina volatilia, spirituosa, camphorata, &c. vix ullo cum notabili levamine. Suadeo tandem recentia Raphani rusticani folia, ad succum eliciendum parùm contusa, instar cataplasmatis manui affectæ applicanda, eo quidem cum successu, ut primùm sub aliquot horarum inhæsione non solùm vix ferendum contraherent fœtorem, sed & post-

& postmodùm, novis semper substitutis, haud procul ab infimo minimi digiti articulo ulcusculum excitarent, quod acre sensim & flavescens stillavit serum, subsequente mox & doloris remissione, & liberiore manûs motu, & spontaneâ tandem ulcusculi hujus occlusione. Cùm verò tùm temporis, mense sc. Octobri, ob ingravescens quotidiè hibernum frigus, & tectas nive plantas, vegeta non suppeterent folia ad idem experimentum in afflicto quoque pede prosequendum; hoc demùm anno suo Marte, illud in hoc pede reassumsit, eodem quo in manu, i. e. peroptato cum successu, simili etiam suprà genu excitato fonticulo, omnem doloris causam fundente, eaque fusâ sponte coalescente. Aliâ vice, cùm Ancilla mea tumorem pedis erysipelatodem incurreret, cum tensione summè & dolentem & rubentem, isque tàm internis quàm externis, acidum erysipelaceum aliàs debellantibus, & liberum hinc humoribus stagnantibus motum reconciliantibus vix auscultaret; meo suasu parti affectæ, jam ad colorem fuscum inclinanti, Raphani rusticani recentia folia leviter contusa imposuit, prioribusque sensim exiccatis alia substituit, eâ felicitate, ut brevi omnis dolor, rubor, tumor, insensibiliter discuteretur.

[Memmingâ 1685. 27. Nov. Augustam Vind.]

SCHOLIUM.

NOb. *D. Thom. Bartholinus* in *addit. ad Diss. 4. de medic. Danor. domest.* Nobilem quandam feminam doloris dentium remedium quærere, scribit, ex raphano rusticano contuso, venis cubiti lateris adfecti imposito; cujus remedii effectum dilucidat Exc. *D. Hermann. Grabe* in *tract. de arcan. medic. non arcan. pag. 190.* & cauterii vicē quodammodo sustinere judicat, quo lymphæ particulæ tenuiores & acriores absorbeantur & educantur. Sic easdem radices ischiadicis quoque impositas laudat *Joh. Theodorus Tabernæmontanus* in *herbas.* Quæ omnia, ceu & reliquas virtutes eidem adscriptas, sali volatili acerrimo, quo

mo, quo vegetabile hoc pollere, vel oculorum fide, quibus ſæpe lachrymas ejusdem comeſti vel contuſi ſpicula exprimunt, adjudicanda eſſe, nemo diffitebitur.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XCI.
D. JOH. GEORG VOLCKAMERI, Sen.
De
Chiragrâ flatulenta.

VIr præcipuæ authoritatis & integritatis, Senator apud nos graviſſimus, de compreſſione pone ſcrobem pectoris, ſiniſtrorſum, fuit apud ſuos conqueſtus medicos. Illi fluctuationis illius moleſtiam ſub papilla læva animadvertentes, lienem affectum eſſe aſſeruére, ignorantes veram lienis ſedem ſub ſcapula ſiniſtra, & ſuperiore ſtomachi orificio deliteſcentem. Nec enim lien propter denegatam ipſi cavitatem flatus in ſe fovere poteſt, ut neque hepar: ſolida nimirùm ſunt utraque parenchymata: ventriculum verò tot ructibus impletum nôrunt ii, qui noctes diesque ſuo indulgent genio. Variis proinde medicamentis carminativis Dominum illum, podagricis interdum tormentis ante miſerè divexatum aggreſſi ſunt, irrito licet conatu. Tandem ſupra axillas utrinque exorti ſunt tumores ſat inſignes, non usque adeò dolentes, qui fotu emolliente tentati non ſublati fuére: Compreſſi verò ſub manibus cedere cœpére, ſecedentibus illis deorſum per brachia ad extremos usque digitos, levi attritu fuére promoti. Manus utraque inde tumidior reddita paulatim ad ſolitam redire cœpit formam, ſubſequentibus doloribus arthriticis, nihilo quàm ante modeſtioribus. Tali deinde quotannis flatulentâ usque ad obitum ſuum, certis tamen temporibus, fuit correptus Chiragra.

SCHO-

SCHOLIUM.

FLatus arthritidis esse caussam, Medicorum nonnullos statuisse, notum est, in contrariam tamen sententiam aliis majori numero euntibus. Et quamvis *Hippocrati* in *libr. de flatib. in spiritu*, ut *Celsi* verbis utar, sive flatu, *omne vitium sit;* atque obfirmatorum & inhærentium morborum, qualis esse arthritis censetur, causam à flatibus dependere, cuivis esse manifestum, spiritumque, ubi ad loca tenera & inadsueta incubuit, adinstar spiculi infixi se habere, *ibidem* innuat, cùm tamen in *libr. de vet. medic.* amarum, salsum, dulce, acidum, acerbum &c. morbos facere & hominem magnopere lædere, idem doceat, eo ipso spiritus hos sive flatus non simpliciter ita consideratos, sed ut spiculis variis armatos, esse accusandos, supponere videtur. Et sanè uti flatus in corpore humano à diversorum salium, quale est acidum & alcalinum, violento concursu & lucta generari, manifestis indiciis modernorum Medicorum solertia comprobatum dedit: ita etiam in arthritide flatus, si qui subsint, de simili impetuoso salium conflictu testantur, à quorum salinorum corpusculorum spiculis, dum à debita proportione aut unione cum cæteris partibus recedunt, membranosisque articulorum partibus se insinuant, dolor ille utplurimum producitur. Dico, utplurimum; etenim flatus quoque violenter nervosas partes distendendo, aut etiam ab invicem divellendo, aliquem posse dolorem concitare, vel colici cruciatus, sæpe à solis flatibus retentis dependentes, evincunt. Unde in hoc quoque casu, à Nobilissimo nostro *Dn. Helianthо* proposito, raritate maximè se commendante, licet flatus in brachiis arthriticis substitisse, satis clarum exsistat, salia tamen inimica, articulos lancinantia, nihilominus unà adfuisse, dolores acerbi, flatibus jam aliorsum regressis, superstites loquebantur. Quomodo verò flatus hi, levi manus attritu, ab axillis per brachia ad extremos usque digitos ferri potuerint, paulò obscu-

rius esse

rius esse videtur: num procreati à crudorum vel vitiosorum, aciditate atque lixiviali sale peccantium, humorum effervescentia in manum articulis flatus, sensim musculos inter & cutem se insinuarunt, porosque ubivis obvios & cavitates ita ingressi, easdem sensim magis magisque distenderunt, atque in naturali tono, & arctiore cohæsione immutarunt, sicque ulteriùs progressi usque ad axillas adscenderunt, ubi collecti, faciliùs dein, manûs operâ adacti, versus principium suum sive manum extremam, per patentiores jam vias recesserunt? Differt hic casus à morbo illo, quem *Abulcasimus*, vulgo *Albucases* dictus, Nakir (vid. *nostri Georg. Hieron. Welschii exercit. de vena Medin. cap. 2. pag. 49.*) vocat, & vel eundem, vel cognatum tamen arthritidi vagæ scorbuticæ esse adfectum, præter alios, Exc. *Dn. Möllenbrock tract. de ea*, adserit. Licet enim *Albucasimus* in eo parvam inflationem in vena brachii mulieris cujusdam viderit, cùm tamen dolor conjunctus ad humerum adscendisse, & postea in alias quoque corporis partes transiisse dicatur, hanc à sanguinis vitiosi effervescentia subortam inflationem in ipsa vena hospitium habuisse, credibile est; quem locum etiam eidem adsignat Ill. *D. Paulus de Sorbait*, qui in vi-ro dolorosum hunc tumorem, sub flatus furiosi nomine, à metacarpo per venas instar vermis ad humerum usque adscendentem, *cap. 1. Observation. rarior. pag. 725. Operum suor.* proponit.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSER-

OBSERVATIO XCII.
D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Senioris.

Subitus terror quandoque ægris saluti fuit.

FOemina quædam Oenopolæ conjux, continua graviter febre ægrotavit cum summâ virium prostratione. Illa quasi nullo ad resurgendum nisu decumbens in conclavi sola, dum ab agnato visitaretur, qui propè lectum sellæ insidens amico illam alloquio adjuvare studebat, & aliquandiu, ne sola prorsus relinqueretur ibi morabatur, protinus de sella decidit epilepticus; Consternata nimium, neminem licet quantum poterat, vociferata fuisset, evocare statim in auxilium potuit. Tandem tamen, redeunte paulatim ad seipsum agnato suo, venére, qui humi prostrato auxiliares porrexére manus: Illa verò ab eo tempore vires recuperare suas, & integræ restitui sanitati cœpit. Alia quædam matrona ex longo decubitu summa fuit debilitate oppressa, ut etiam pulsus jam intermittens spem omnem sanitatis decollare videretur, ideòque adstantibus proximam noctem periculo non carituram prædixi. Illa ipsâ nocte in somnio vidit egenam stipem ab ea de fenestrâ petentem. Cum verò manum sinistram auro repletam abscondere in dorso conaretur, cum dextra verò eleemosynam porrigere vellet, propter ruinam pavimenti cui institit, subitaneam, se lapsam cum summo terrore credens expergefacta fuit. Altero insequente die rediens pulsum ita vegetum observavi, ut integram eidem polliceri sanitatem non dubitaverim, quam à decem & quod excurrit, annis inviolatam hucusque servavit.

[Confer : *Anni præcedentis observatio 93.*]

OBSERVATIO XCIII.
DN. ANDREÆ CLEYERI,
De
Japanensium arbusculis Tzudzinsic dictis.

CUm ante annum in Japanensis Imperii portu, Nangasaki dicto, degerem, missus eò ad Imperatorem Japanensem ab Illustr. Societate Belgica Protolegatus, permultas ibi inveni plantas observatu dignas, quas delineari & suis coloribus illustrari curabam. Inter Floræ autem Japanensis delicias primæ mihi sunt, quas Japanicè vocant Tzudtzinsic, Arbusculæ floribus elegantissimis iisque variis refertæ. Non excedunt mensuram trium pedum. Folia ejus lata, glabra, acuminata decidunt tempore autumni, & denuò cum floribus suis Vere prodeunt. Flores sunt toti vel rubri, vel albi, vel lutei, purpurei vel ex his coloribus mixti, similes iis, qui cernuntur in Mirabili Peruviana. Flos uti in Anemone, simplex est, sine odore ullo. Solent Japanenses in hac Arbuscula alios flores elegantiores vel viginti specierum diversarum insitione propagare, ut eò magis elegantiâ florum superbiat. Hinc fit, ut eas in vasculis porcellaneis plantatas ante eorum ædes pro spectaculis exhibendis collocent. Altera species priori & magnitudine & varietate florum & virtute æquat, nisi quòd folia separatim & flores seorsim suis caulibus producat.

[Ex literis Cleyerianis ad D. Mentzelium communicata 1685. 30. d. Novembr.]

Fig. XXXI. & XXXII.

OBSER-

Iapanensium Tzudtzinsic duæ species.
fol. 186.







OBSERVATIO XCIV.
D. BERNHARDI ALBINI,
De
Ovo humano, è dextro teste pendente.

DIe 15. Octobr. 1685. ad puerperam juvenculam, quæ, pridiè puellam enixa, alium adhuc mortuum in utero habebat fœtum, accersebar; quæ, cùm sequente die fatis concessisset, à me secta, exhibebat testes, ovis turgidulis, pellucidis & copiosis refertos: è dextro teste pollicis latitudine, mediantibus vasis sanguiferis, versus tubam Fallopianam, ovum pendebat, quod magnitudine pisum majus adæquabat, & vasis sanguiferis copiosissimis refertum erat, analogum illis ovis, quæ gallina per aliquot dies incubavit, in quo mira vasorum sanguiferorum texturam reticularem, (adhuc enim illud asservo) cum admiratione videre licet, & liquor in eo contentus non adeò, ut reliquorum pellucidus, sed turbidus erat.

[Ex literis ad D. Mentzelium missis.]

OBSERVATIO XCV.
DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI,
De
Fringilla albicante.

STupenda prorsùs est Dei T. O. M. providentia, quâ in primævæ Creationis benedictione, de quavis minimarum quoque avicularum Specie conservanda ita solicitus fuit, ut suo quævis habitu optimè discernatur & cujuslibet, ut ita dicam, individua quoad extima corpusculorum integumenta eodem ferè colore gaudeant: Adeò quidem, ut in

 prover-

proverbium abierit, ex plumis internosci avem, man kenne den Vogel an den Federn. At verò ut in humanis, sic & in aliis sæpè ludit Divina Potentia rebus, naturaque sueti sibi tramitis subinde obliviscitur. Elegans hujus rei exemplum nuper vidi in illâ fringillarum specie, quæ Nostris der Blutfinck audire solet, & ob cantûs, qua homines æmulari amat, dulcedinem, magno sæpe in pretio habetur. Harum 5. genitali adhuc nido contentas venum haud ita pridem exponit rustica quædam puella, quas inter erat, quæ tota plumarum compage prorsus candicabat, exceptis saltem oculis & rostello, sanguineô ferè rubore tinctis. Avis erat elegantissima, unà cùm cæteris ab Amico, mihi domi notô, tolerabili satis pretiô coemta & à mirabunda civitatis nostræ plebecula ostenti loco habita. Cùm verò brevi post (ut fieri solet) exspiraverit, impetrato ab Amico corpusculo pellem detraxi pennis suis obsitam, quam in fumô exsiccatam speciebus quibusdam corruptionem arcentibus suffarcinavi, interque alia Naturæ collectanea adhucdum conservo.

SCHOLIUM.

HAud equidem de pane lucrando sunt hæc talia; cùm tamen ad specialiorem Physices partem aviumq; historiam suum quoque symbolum addant, hujus quoque rei mentionem facere non dubitavi, cùm id & aliis in Præcedentibus Ephemeridum Annis non displicuerit. Huc enim pertinet *Corvus* ille *albus* Wetteraviæ *Ephem. Germ. Dec. 1. An. 3. observ. 57.* *Aquila* item *alba* Cnöffelii *Dec. I. 4. & 5. obs. 58.* Variæ *aves* p.n. *albæ Ejusdem anni obs. 184. Aves Canarienses albæ* Dn. Schröck *Dec. I. An. 6. & 7. obs. 230.*

OBSER-

OBSERVATIO XCVI.
DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI,
De
Ridiculo Uromantiæ exemplo.

QUidam Artis Pharmaceuticæ Studiosus eôdem quo hæc scribo annô, me convenit & oblatâ urina de fratris sui Germani valetudine consulit. Cùm verò in prævio priùs discursu obstinatè satis responderet, nec ulla ferè quæstione sibi aliquid extorqueri pateretur, generalia tandem scorbuti symptomata ipsi recensebam, cujus haud pauca in urina indicia erant. His equidem faciliorem sese præbebat, pro ulteriore tamen satisfactione sciscitabatur, annon ex urina pariter conspici posset, si quis ligna findendo, membraque fortius justô distendendo corpori suo incommodaret: **Ob man nicht auch sehen könnte / wenn einer Holtz gehauen / und sich weh gethan?** Id enim fratri paulò ante contigerat. Ridebam stupidam hominis simplicitatem & tacitè mecum execrabar splendidam Medicorum miseriam, qui ab infimæ plebis opinione pendentes, panem quotidianum ex abjectâ ejusmodi & incertâ Uromantiâ, summis licet ingratiis sæpè quærere tenentur.

SCHOLIUM.

PUrgatorio ferè comparat Uromantiam animosus *AMMANNUS, in Parenæsi ad discentes.* Utinã verò essent, qui huic Augiæ stabulo repurgando animum admoverent? Quis enim absque conscientiæ vulnere tot suo proximo glaucomata objicere poterit, quot ii sæpe solent, qui ob turpissimi lucelli pretium ea se in urinæ liquore conspicere palam profitentur, quæ hominum sensus prorsùs superant. Novi & optimè novi Practicum magni quondam Nominis, qui, si Ventriculum

fortè malè habere observaret, hæc ferè ex urina profiteri solebat: **Der Magen ligt im Leib wie eine Waschlumpe.** Alius Phthisicis atque tussientibus hunc sæpe palpum obtrudebat, ut pulmones in coagulo quodam saponiformi natare assereret: **Die Lunge liege in einem Schaum wie Seiffenwasser.** Quibus similia ferè stratagemata docet Author *Machiavelli Medici MSS.* qui multis est in pretio. Quæritur, an hæc talia salva conscientia fiant? Dubito herclè, quin prorsus nego. Novi equidem, quô se purgant, dicterium: Volenti non fit injuria. Novi & distinctionem Ethicorum inter mendacium malitiosum, officiosum & jocosum. Vereor autem, ut coram supremo, quod restat, judicio, hæ valeant sequelæ, ubi nec Plato nec Aristoteles distinguere noverint. Optandum E. foret, ut unanimi Medicorum consensu summus hic & detestandus Uromantiæ abusus prorsus eradicetur & non tam bursæ, quàm conscientiæ consulatur, quæ auro contra pretiosior æstimanda.

OBSERVATIO XCVII.
DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI,
De
Hæmorrhoidibus Pueri fluentibus.

UT in sexu sequiori præmaturus sæpe menstruorum fluxus in tenerrimis quoque annis observari solet, ut plura hujus exempla referunt *Præcedentis Decuriæ Anni.* Ita quòd mage mirùm est, in pueris subinde hæmorrhoides officium suum pariter obire satagunt, quæ adultæ aliàs & declinantis ætatis beneficia sunt. Elegans hujus rei testimonium habet *Annus IX. & X. Dec. I. Obs. 178. Ephem. Germ. Cur.* ubi hæmorrhoidum cæcarum dolor in puerulis 3. vel 4. annorum legitur. Fluentes verò hæmorrhoides haud ita pridem observare licuit in puello 8. ferè annorum Per-Reverendi Dn.

J. P. Eck-

J. P. Eckhardi, Paſtoris & Diaconi Megalindani, qui menſtruis ferè periodis excretionem ejusmodi in filio ſuo obſervans ejus gratiâ me conſuluit. Cùm verò nil hactenus mali inde perſentierit puer, totum hoc negotium naturæ potius relinquere, quàm beneficio ejus obicem ponendo aliis fortè incommodis fores aperire malui.

SCHOLIUM.

STrictè nimis hæmorrhoidum vocem acceptum hactenus à Practicis Generalioribus obſervo, quæ generaliter quamlibet notat venam in cavitate quâdam p. n. protuberantem. Sic *narium hæmorrhoides* ex Arabum doctrina obſervat *MARCUS AURELIUS SEVERIN de reconditâ abſc. natura p. m. 290,* Quas alii cùm polypo confundere ſolent. *Uteri* pariter *hæmorrhoides* hinc inde proſtant apud Clinicos, & recordor quibusdam abhinc annis easdem in muliere quadam Francof. curatas eſſe à Cl. Viro *Dn. JOH. DAN. HORSTIO*, νῦν ἐν ἁγίοις, quod ex vivâ ejus relatione habeo. Dum interim à potiori fit denominatio, hæmorrhoides inteſtini recti, per excellentiam ita dici poterunt, ob ſuetam venarum illarum notationem Anatomicis communem, à quâ tamen argumenta ducuntur admodùm infirma.

[A. 1685. 1. Decembr. Francofurto Auguſtam miſſæ.]

OBSERVATIO XCVIII.
D. GEORGII HEINTKE,
De
Mercurio diu in corpore latente.

MUlieri temperamenti Phlegmatici, præterpropter 49. annorum, aliquando copioſis maculis ſcorbuticis cum alvi obſtructione validiſſimâ affectæ, poſtquam laxantibus & clyſmatibus ipſa per 14. ferè dies fruſtrà

ſe con-

ſe tentaſſet, dedi binis vicibus ℥v. Merc. vivi, ſicque conjunctim ℥x. cum laxantibus & ſtomachicis permiſtas; ſed ſine fructu; hinc tertiò porrexi potiunculam, ex reſina Jal. c. Vitell. ovi ſubactâ, & purgata fuit ſufficienter, hinc aliis ſucceſſivè ad morbum reliquum directis, alterantibus &c. neceſſitate urgente repetitæ fuére aliquoties laxationes, & convaluit, non tamen ſine levi ſeu aliquali indicio ſalivationis. Poſt 2. ſeptimanas ab aſſumto Mercurio è lecto ſurrexit, probè comedens & egerens munia ſua obiit, libera à ſalivatione viſaque reſtituta. Sed poſt iterum 14. dies aliquando ſedens in Gynæceo ſurgens præterpropter, tota hauſta copia Mercurii excluſa fuit, cum ingenti riſu muliercularum neſcientium, quid in pavimento ſe manifeſtaret. Id mihi relatum miratus fui, *quòd tam diu in corpore, tot adhibitis laxantibus & fortiore purgatione, item clysmatibus cum dejectionibus etiam ſolius naturæ beneficio ſubſecutis, Mercurius latere potuerit ſine copioſiori & diuturniori ſalivatione.*

[Uratislaviâ 1685. d. 8. Decembr. ad D. Helianthum.]

SCHOLIUM.

HYdrargyrum vel Mercurius, ob maximè mobilem ſuam naturam vivi nomen adeptus, dum rotundis ſuis & ponderoſis particulis, loco ſtare neſciis, facilè huc illuc fertur, ad ventrem obſtructum penetrandum & reſerandum quomodo conducere queat, haud difficulter hinc colligitur. Si tamen excrementis viſcidis & copioſis alicubi implicetur & obruatur, aut etiam in parciori doſi, quàm quæ ſcybalis inteſtinalem fiſtulam infarcientibus, penetrandis ac propellendis, inteſtinisvé dilatandis ſufficiat, propinatus fuerit, aut etiam in cæco inteſtino ſubſtiterit (uti fortaſſe in hoc Caſu delituit, usque dum tandem motu corporis agitatus, vel cùm mulier illa ſederet, ex burſula iſta compreſſa extruſus fuerit,) haud mirum, ſi aliquandiu

quandiu in corpore delitescat. Sic memini, A. 1684. d. 22. Junii, Matronæ cuidam septuagenariâ majori, ex vasta & antiqua umbilicali hernia in iliacum adfectum incidenti, à Collega meo, Exc. *D. D. Vito Riedlin*, me itidem, in consilium propterea vocato, haud dissuadente, fuisse exhibitas Mercurii vivi sex uncias, sine ullo tamen effectu; eâdem etiam dosi sequenti die, sed frustrà pariter repetitâ; & quamvis enematum, aliorum laxantium &c. usu per aliquot dies contra rebelle malum strenuè insuper depugnatum fuerit, præter excrementa paucissima liquidiuscula, nihil tamen excernere, neque ullam interea salivationis alteriusvé mercurialis operationis indicium præbere visa est, sicque post novem dierum decursum animam Creatori suo reddidit; nobis verò, aperto post mortem abdomine, ex intestino ileo, liquidis fecibus maximè distento, livido & in umbilicalis cutis extensione reposito hydrargyrum, quod hauserat, colligendum reliquit. Scilicet hujus particulas in minimas atomos non disgregatas, aut etiam salinis corrosivis spiculis haud armatas, sed sibi relictas atque unitas, in cavitate ventriculi aut intestinorum si hæreant, noxam corpori haud inferre, tot iliacorum & alvo obstructorum exempla, quibus feliciter fuit exhibitus, testantur; quæ inter maximè huc quadrat militis, cujus in *Ephemer. nostr. Dec. I. Ann. IV. obs. 76.* mentio facta est, qui 20. unciarum pondus epotum, sexto demum die sine ullo incommodo, à diuturna mora metuendo, excreverat. Quam sextiduanam moram etiam, in minori quidem pondere à Parente meo exhibiti, vir quidam pingendi arte præstantissimus quondam absque ullo incommodo hîc expertus fuerat. Ubi verò in ipsum sanguinem, subtilissimas in atomos resolutus, penetravit, serum fundendo & agitando, varios in corpore effectus producere solet; quos inter inprimis, dum serum ita turgescens ad consuetas excretorias vias copiosius deducit, salivatio subsequitur. Unde in hoc Excell. Dn. Autoris Casu, vel à sero in intestina per ductus

solitos deposito, aut etiam ab adsumpto aliquo medicamento, cibo potuvé quasdam mercurii particulas fuisse solutas, sicque dein in vasa lactea receptas, vel globulos ejus aliquo muco vel excrementis intestinalibus involutas, interiori intestinorum parieti adglutinatas, ac ita per eorum poros in sanguinem penetrasse, & salivationem aliqualem excitasse dicemus; non secus ac in mercuriali dicta inunctione per cutis poros idem insinuare se aliàs consuevit. Quomodo verò Mercurius stomacho ingestus, ex eo ad intestina, ob grave pondus suum, deferri queat, cum utrumque illius orificium in æquali situ locatum, non in fundum terminetur, sed eminentiori loco oriatur, si quæritur: Decubitum ægri & motum in lecto, qui in torminibus illis satis inquietus esse utplurimum solet, dum justam ipsi agitationem conciliat, & progressum per anfractuosas vias promovet, ad exitum multum tribuere arbitror, præcipuè si lateri dextro æger incubuerit, sicque per pylorum recta in intestinum duodenum via aperiatur. Ridicula autem exclusio mercurii in Observatione nostra recensita, alterius cujusdam memoriam mihi revocat, dum haustum à pictore superiùs memorato hydrargyrum in fundo solii, cui idem pro impetranda & feliciter etiam subsecuta alvi apertione insederat, ancilla, post aquæ pro balneo adhibitæ effusionem, conspicens, aliquem argenti se reperisse thesaurum crediderat, à fugitivo tamen illo & manibus sese illico subducente servo delusa, aliorumque risui exposita. Nec possum quin & me ab improbo illo ferè deceptum aliquando fuisse, referam; videlicet cùm reculas meas, quas ex Italia redux, cistæ majori inclusas, per aurigam Patavio huc deferri curaveram, perlustrarem, in porulis quorundam carie hîc illic exesorum ossium viri marasmo senili defuncti, atque privatæ meæ sectioni à Nob. *D.D. Antonio de Marchettis* gratiosè concessi, quæ pro sceleto conficiendo ex arte mundaveram, inque minori cistula, majori illi inclusa, reposueram, mercurii vivi globuli sese conspiciendos exhibuerant;

rant; unde cùm in cadaveribus nonnunquam hydrargyrum, ab adhibita quondam ejus inunctione residuum, fuisse inventum recordarer, (prout tremulas hujusmodi guttulas circa juncturas vidisse se, *Nicol. Fontanus respons. & curat. med. pag. 100.* atque in ossibus *Joh. Langius lib. 1. epist. med. 43.* testantur,) & ex ossium carie, virum illum lue venereâ infectum, dictaque inunctione fuisse curatum, suspicarer; facilè rariores inter casus hoc phænomenon reposuissem, nisi mox vitri, quod mercurio vivo resuscitato impleveram, & minori illi cistæ, ad explenda vacua spatia, juxta cum aliis rebus indideram, recordatus fuissem, cujus etiam globulos per orificium non satis arctè obturatum penetrare, sicque ossium poros ingredi potuisse animadverti. Nemo hîc mihi vitio vertet, si verba magni *Dan. Sennerti*, â gallina aurea Windleriana decepti, ex *lib. 21. Med. pract. part. 1. cap. 15.* huc posuero: *Casus hic omnes naturæ scrutatores meritò monere debet, ne causas rei & τὸ διότι priùs quærant, quàm τὸ ὅτι sit manifestum, & de re ipsa planè constet.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO XCIX.

D. JOH. CONRADI PEYERI,

De

Ruptione diaphragmatis ab immodicâ ventris extensione.

NOtum est, & *Plinio* quoque observatum, pecorum ventres vel pabuli nimietate, vel assumta aliqua re extranea & venenata interdum usque adeo distendi, ut fracto fibrarum robore crepent, aut rumpi periclitentur. Retulimus idipsum in merycologia nupera, & ruminationis impedimentis annumeravimus. Rarum verò adhuc, nec scriptorum ulli quantum scio commemoratum, immodi-

co distentu non tam ventrem quam diaphragma dissiluisse. Excidii specimen, commentationis nostræ quoddam quasi supplementum, quod neque incuriosum videatur, neque prorsus inutile, *Ephemeridibus* tradere allubescit. Prægnantem ovem enormis tumor abdominis hac æstate ad cibi fastidium, ruminandi impotentiam, anhelationem perpetuo increbescentem, tandemque veterinario nihil proficiente ad ultimum vitæ redegerat exitium. Quem casum observans eximia doctrina & sagacitate medicus nostras *Alexander Stokarus*, peculiare morbi genus subesse ratus, cadaver nobis dissecandum subministravit. Inciso abdomine prorupit magnus venter, impense flatu turgidus: manibus tamen fortiter compressus nihil per œsophagum reddidit, adeo pertinaciter occlusum erat orificium. Tumebant etiam cæteri ventriculi. Secundus autem, quem Kekryphalum Græce vocant, non spectabatur in abdomine; verùm mutato situ ad thoracem penetraverat, mediis adscriptus pulmonibus. Transitus erat ei per rupturam transversam diaphragmatis, in parte superiore carnea, inter costas & tendinem medium seu centrũ nerveum. Magnitudine palmum excedebat hiatus, laceris fibris utrinque dependulis. Liquet ergo novo hoc experimento, quantam fibris inferat vim musculorum justo vehementior expansio, cui tamen rectæ quantumvis crassæ & robustæ fibræ citius succumbunt spiralibus etiam tenuioribus. Quæ ratio me simul adducit, ut credam, ruminantium ventrem utut tenuis fragilisque videatur, rarenter nec nisi validissimo conatu disrumpi. Deinde constat etiam, quæ causa sit difficilis respirationis in ascite, cur denique præpingues homines suminato abdomine, etiamsi vitio caruerint pulmones, plurimum anhelent.

OBSER-

OBSERVATIO C.
D. JOH. CONRADI PEYERI,
De
Motu inteſtinorum.

ACcidit nuper me viragini aſſidente, cui menſtrua defecerant, ut rugitus per vices in ejus ventre oborirentur, aliis etiam exauditi in eodem conclavi diſtantibus. Qua occaſione retulit illa mihi, hujusmodi ſtrepitu inteſtinorum tumultuoſo identidem ſe infeſtari, durante interdum per horas aliquot, atque in omnes abdominis oras ſurſum deorſumque ac ad latera ruente, mane potiſſimum; nullos tamen ventris crepitus, neque dejectionem poſtea ſequi. Hæc igitur mecum penſitans experientiæ omnino conſentaneum reperi, quod alibi jam aſſerueram, inteſtinorum, præcipue tenuium, motum non tantum recta deorſum à pyloro verſus anum, ſed etiam reciprocatione quadam ſurſum vergere, ſic ut materies in iis ultro citroque agatur. Iſtam vero ſententiam experimentis & rationibus aliis atque aliis à me ſtabilitam & defenſam *Theodulus Kemperus* vel potius *Joh. Erneſtus Richelmannus* diſſertatione peculiari de valvularum ſtructura & uſu *Cap. II. §. IV.* rejicere voluit, quaſi autopſiæ contrariam, dum ſcripſit: *Valvularum conniventium in jejuno & ileo uſus eſt, ut remorentur alimenta, ne cito nimis præterlabantur, ſed ut intra duas ubiq; illarum contignationes, tanquam ventriculum ſingularem, ulterius ſolvantur, digerantur (quare & hic maxima glandularum copia adeſt) & ut chylus in vaſa lactea eo commodius exprimatur. Harumq; intuitu non opus eſt, ut cum Peyero heic motum periſtalticum naturæ ſtatuto ſurſum quoq; ferri ſtatuamus; quippe* αὐτοψία etiam refragatur. Nihil facile adſtruo, quod rerum natura non ſuadeat, nec dictet evidentia, qua maxime ſtandum anatomicis. Arbitror autem argumenta mea eſſe

 ejusmo-

ejusmodi, ut non prius dimovear sententia, quàm solide quis confutaverit. Profecto tenuium intestinorum valvulæ neque tanta sunt amplitudine, neque eo pollent robore, ut alimenta tanquam carcere claudere ac detinere possint. Moram tamen aliquam huc illuc ruentibus injiciunt, ac velut repercutiunt illidentem chylum, quemadmodum torrens crebris frangitur & languescit repagulis: fitque hoc ideo, ut bilis & succus pancreatis atque humor peculiaris intestinorum cum cibo penitius commisceatur. Cujus permistionis gratia valvulæ chylum remorantur aliquantillum, neutiquam ut in ventriculo concludunt. Alias dum fervet concoctionis opus, spiritibus ubertim affluentibus, & bile simul ex hepate affatim profusa, concipi nequit intestina quiescere. Quodsi vero tunc deorsum tantum commoverentur, materiem ex alvo omnem ocyus propellerent, magno nutritionis detrimento. Nec video an quisquam probabiliter statuere possit, valvulas motui intestinorum tantopere resistere, ut earum conatus superet ac eludat nixum validum impulsionemque fibrarum spiralium circulariumve, quibus intestina stipantur. Quid quod ipsæ valvularum fibræ à fibris intestinorum dependeant, nec admodum differant positu. Quod denique omnium evidentissimum ac prorsus ineluctabile videtur, ab autopsia repetam: constat omnibus in zootomia paulum exercitatis leporino generi avibusque compluribus & piscibus intestina cœca esse prælonga & varie intorta, utplurimum materie farta nec valde tenui nec perquam crassa, ac illi plane simili quæ stabulatur in vicinia. In hæc vero intestina anne, quæso, ingredi quicquam aut ex iis egredi rursum poterit, nisi reciproco fibrarum motu per naturam ultra citrave fuerit impulsum? Quare cum alternæ motionis hujus vicissitudinem manifesto demonstraverimus, non putamus eam temere esse rejiciendam.

OBSER-

OBSERVATIO CI.
D. JOH. CONRADI PEYERI,
E Muribus atrophiæ remedium.

FElium præda mus, animal domesticum, nihil quidem commodi mortalibus, nocumenta vero plurima afferre vulgo creditur; quippe vel solo adspectu aut inopinata præsentia territans interdum non mulieres tantum, sed etiam viros. Nobis autem mage animatis, atque aliter quam vulgus sentientibus, nulla res creata tam vilis aut perniciosa videtur, quin ad utilitatem aliquam ab humano possit ingenio converti. Eximium sane est ac perquam curiosum, quod nunc commemoro, sanatam atrophiam particularem desumto à muribus remedio. Cùm enim præterito Vere textoris uxor juvenca in pago urbi nostræ vicino ad cataractas Rheni gemellos uno partu edidisset, ad consuetos labores à puerperio reversa, coxam dextram sentit dolere ac impediri gressum. Dolore postea augescente, noctu potissimum, ac per intervalla vehementius affligente maritus imploravit opem medici. Hic operam pro virili parte daturus, ut ischiadem tolleret, usitata remedia incassum adhibuit. Tandem observatum est crus ipsum decrescere atque sinistro tenuius reddi. Compararunt ergo sibi medicastri nostratis amuletum, à multo jam tempore famosum, constans è gnaphalii montani foliis & radicibus filicis certò die ante Solis ortum quæsitis. Verùm & hæc spes illos frustrata est. Novissimè fortuito transiens extera mulier suasit murem vivum caperent, & filo in acu per ejus tergũ trajecto de contignatione tamdiu suspensum relinquerent, donec commoreretur. Postea detracto filo vincirent femur, qua parte maximè doleret: isto namque auxilio insperantes plurimos revaluisse. Obtemperant monito, & faustissimo successu profligatum morbum experiuntur, super-

stitione

ſtitione nulla, nullo etiam incantamento. Itaque cognoſcimus in viliſſimis ſæpe rebus ſtupendarum virium medicamenta latere. Mirum vero in eodem animali atrophiæ remedium inveniri, quod annonam nobis victumque ultro depaſcitur atque conſumit.

SCHOLIUM.

QUàm varia exſpectare à muribus Medicina queat ſubſidia, prolixè diverſis ex Autoribus enumeravit Cl. *Conr. Gesnerus* in ſua *quadruped. viviparor. hiſtoria*; vim etiam eorum antepilepticam recenſet *Hieron. Reusnerus obſ. med. 152.* ut & *notis in illam* noſter *G. H. Welſchius*; quid in urinæ incontinentia præſtare queant, Ill. *Dn. Præſes* noſter in *Dec. I. Ephem. Curioſ. Ann. VI. obſerv. 88.* ut & Exc. *D. D. Sommerus* in *Dec. II. Ann. II. obſerv. 173.* conſignarunt. Cæterùm quid in doloribus arthriticis valeant, *Plinius lib. 30. hiſt. natur. cap. 9.* edocuit, dum podagras à muribus diſſectis impoſitis leniri ſcripſit; in ipſo coxendicis morbo ex muſcerda remedium, ſuperſtitioſum tamen & ridiculum *Marcellus* commendat. Qua ratione verò in Obſervatione noſtra expoſitum murinum remedium hoc coxæ morbo laborantes juvare queat, aliis, & ipſi curioſiſſimo noſtro *Pythagoræ* dijudicandum relinquere malo. Num fortè ad Helmontiani amuleti, quod ex bufone paratum in *tumulo peſt.* deſcribit, operandi modum recurrere licet? dum terror bufonis, quem viſo homine concipit, interimere & annihilare ſtudet ideas territi Archei humani; unde & terror muribus innatus, inque filum, quod per tergum eorum trajicitur, derivatus, ideas Archei humani, ſive ſpiritum à dolorificis infixis ſpiculis perterrefactorũ annihilet, ſicque dolorem abigat; id quod tamen, nî alterum illud ſuppoſitum, bufoninum nempe amuletum, majori certitudine roboretur, ipſe pro certo venditare minimè velim.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSER-

OBSERVATIO CII.
D. JOH. CONRADI PEYERI,
De
Febrium tertianarum & quartanarum intermittentium remedio.

FEbribus tertianis intermittentibus & quartanis varia parant remedia, in quorum possessione tanto major gloria, quanto morbi sunt contumaciores & sanatu difficiliores. Nuperrime rursus increbuit à multo tempore neglectus cortex Peruvianus, Anglis Gallisque de novo concelebrantibus, atque medicaminis Talboriani omnium sermone prædicati fundamentum perhibentibus. Quo factum, ut medici certatim imitantes ejus rei periculum facerent. Quidquid vero narrent alii aut opponant, præsidium in eo reperi certissimum. Corticem tenuissime tritum cum extracto trifolii aquatici, quod aliqui fibrinum nominant, in pilulas redigo pisi vulgaris magnitudine. Quinas intermissionis tempore haustim cum vino aut congruo liquore alio propino ter de die, si tertiana, quater si fuerit quartana, donec paroxysmus novus accesserit. Eo finito pergendum ut ante. Nec facile postea insequitur febris, nisi aliquando in quartanis; quæ si ingruat porro continuandum est. Paroxysmis autem evanescentibus per octiduum adhuc mane & vesperi sumenda dosis pilularum, rursusque quolibet mane per aliud octiduum. Nullus sic imminet recidivæ metus, dummodo insignis error in victu non fuerit commissus. Ab initio re hortante emetica præmitto, tandemque diuretica, quod observaverim materiam heterogeneam sæpissime cum lotio evacuari. Subjungi etiam possunt majoris securitatis ergo leniora cathartica. Trifolium denique fibrinum ideo mihi videtur aptissimum, quod eundem saporem quem cortex ille

peregrinus gustatu referat, neq; tantopere ingratum sit quam gentiana & centaurium.

[Scaphusiâ Augustam Vind. 1685. 11. Decembr. allatæ.]

SCHOLIUM.

ET hujus Trifolii fibrini salutarem in febribus vim etiam commendat Exc. *D. Joh. Val. Willius* in *Act. Med. Hafn. Barthol. Volum. 3. obs. 75.* Porrò vid. *Dec. I. Eph. an. 4. 5. fol. 133. & Dec. II. f. 170.* A. II. & A. III. p. 60. D. [illegible]

(L. Schröck, L. F.)

OBSERVATIO CIII.
D. D. HERTII,
De
Rara suffocationis causa.

PUer quidam nobilis, postquam ex lapsu graviori pectoris sinistrum latus non parùm læsisset, de dolore pectoris obtuso per plures menses conqueri cepit, cum aliquali saltem respirandi difficultate, appetitu interim constante, Pueroque in cæteris satis alacri, adeò ut parentes eum magis morbum fingere, quàm revera ægrotare existimarent, donec tandem de morbo indies increscente meliùs informati, varios Medicos consuluerunt, medicamentisque usi selectissimis, sed frustrà & sine ullo levamine; postremo morbi decursu somnum nonnisi mensæ decliviori inclinato capite capessere potuit, cumque aliquando uvas liberaliùs ingurgitasset, subitò suffocatus periit. Recluso thorace, molem quandam carneam pendulam pleuræ & costis proximè adhærentem invenimus, quæ dissecta duo ossicula persimilia illis, quæ in corde cervi reperiri solent, primò non adeo dura, sed nunc durissima exhibuit; ab hoc sanè corpore in pulmones incidente, eosq; comprimente & respirationem impeditam, & mortem illatam fuisse certum est.

OBSER-

OBSERVATIO CIV.
D. D. HERTII,
De
Ardore manuum ac pedum intolerabili.

VIdi hîc locorum Virginem 26. annorum, quæ diu affligebatur ardore ſive æſtu manuum ac pedum dolorifico ferè intolerabili, nullis remediis cedente. Plurimorum enim conſilio ſine ullo ſucceſſu uſa, adeo ut deſperata quaſi proprio auſu manus pedesque aquæ frigidiſſimæ immitteret per plures dies, eamque incaleſcentem (brevi autem incaleſcebat, quod admirandum, quaſi actuali igni fuiſſet appoſita) renovaret, continuaretque tamdiu, donec vigore vitali totaliter proſtrato, pedum & manuum gangrænâ fuerit correpta, omnesque digitos in pedibus, plurimos in manibus amiſerit; ſingula iterum conſolidata, præter dextrum pedem carioſum, adeoque ferro extirpandum, quod remedii genus hactenus recuſavit.

SCHOLIUM.

LYmpha per totum corpus circumflua uti de aciditate naturaliter participare ſtatuitur, cujus acorem in glandulis ſpiritus animales ibidem occurrentes temperent: ita vigoris ſui defectum illi ſi patiantur, ſicque lymphæ acorem non ſatis mitigare valeant, aut ejus in obvias partes furendi impetum non refrenent; aut ſi viciſſim ſpiritus iſti aliàs, ſive cerebri, ſive partium, ad quas perveniunt, vitio qualitatem peregrinam alcalinæ æmulam induant, à debiliori hîc lymphæ acido non ſatis ſaturandam; aut ubi lympha juſtò acidior exſtiterit, & ſic ubique debita ac naturalis ſalium horum proportio deſideretur, hoc vel illud prædominium habens in partes

obvias agere, illas vellicare, agitare, & ita calorem inducere haud desinet; quanquam & idem accidere queat, si utrumq; excesserit, sic enim impetuosiùs congrediendo eundē calorem excitare poterit; ceu simile quid ex. gr. in spiritûs vini, cui spiritus animales comparari à quibusdam solent, rectificati, cum puri spiritûs nitri, cujus indolem ob acorem lympha quodammodo repræsentat, mixtura videmus; utpote quæ tantam in liquoribus istis salium agitationem & calorem producere valet, ut vel in flammam ipsam erumpat. Et tale quid in præsenti casu etiam contigisse, videtur esse verosimile. Cùm verò liberalior aquæ frigidæ usus non tam naturam salium horum peccantium enervet, quàm congressum eorum impediat, motumque in vasis reprimat, à quo consequenter ipse etiam sanguinis motus cohibeatur necesse est, quomodo is gangrænam partibus inducere queat, facilè hinc colligitur. Confer. *observatio 57. Ephem. harum Anni præcedentis.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO CV.
D. D. HERTII,
De
Plica Polonica.

Vidi ante aliquot septimanas infantem quatuor circiter annorum, triplici plicâ Polonicâ laborantem, unam in vertice, alteras in bregmate habentem, cui Parentes tres prædictas plicas præciderunt sine omni noxa, & quod admirandum, unius trihorii spatio plicæ abscissæ de novo sunt conspectæ intricatissimæ, ut nullo artificio extricari potuerint.

[*Ex literis ad Dn. Lic. Valentin.*]

Conf. inprimis *Dec. I. Ephem. nostr. Ann. VI. observ. 138. & dec. 2. anni 2. obs. 1.*

OBSER-

OBSERVATIO CVI.
D. CHRISTOPHRI SCHRÖDTERI,
De
Extractione fœtus vivi matre vivâ unco ſtateræ.

COnradi Wegners Ruſtici Bruderdorffenſis in Præfectura Durgunenſi Ducatus Meclenburgenſis Uxor, quadraginta annos nata, primipara, 13. Calendas Februarii hujus 1685. anni conatum pariendi, absque ullâ, ob viarum anguſtiam, promotione, per triduum fermè cum doloribus partus ſuſtinuit quàm atrociſſimis. Copioſæ adſtantes cum obſtetrice Mulierculæ de vita matris & fœtus deſperant, triſti præſagio feſtinant, marito anxio rotundè & ruſticè indicant, dubiaque perculſæ ſolicitudine ad patienter ferendum animum deponunt, quod mater poſt inſignem totius corporis diu durantem horrorem, nec conatum nec motum fœtus ſibi amplius ſupereſſe affirmaret; Exhorruit miſer hoc triſti prognoſticô extrema cuncta ante obitum uxoris tentanda reputans, obſtetricem querula voce ita alloquitur: miſer ego, qui intra annuum ſpatium bis à Deo eodem crucis onere affligor! (ad ſecunda enim vota, nondum exactâ iſtius anni revolutione, tranſierat) contendo atque efflagito, ut fœtum, quem putamus mortuum, hoc unco ſtateræ manu apprehenſo, ope iſtarum muliercularum, ut viâ hâc quamvis dubia, uxorem meam mihi vitâ meâ chariorem, ab onere per Dei gratiam diſſolvas. Huic deſiderio toties reiterato, in extremo miſeræ vitæ periculo morem gerens obſtetrix, uncum ſtateræ ſingulari divinâ providentiâ, caſû nuchæ fœtus tam providè applicat inſcia, ut eundem fœtum vivum & innoxium leviter quamvis vulneratum rarô & inaudito exemplo extraxerit ſa-

tis robustum, ita ut in præsens tempus adhuc sanctissimo Numini exacta laude, gaudeat incolumitate.

[Attestantibus Pastoris illius loci Domini Jonæ Buceri, quas possideo, literis.]

OBSERVATIO CVII.

D. CHRISTOPHORI SCHRÖDTERI,

Exclusio fœtus mortui ex parte jam putrefacti & post obitum matris inventi, ultimo naturæ conatu facta.

NObilis quidam in vicinia Pomerania 30. circiter annorum primipara Anno 1680. post tot in partu per spatium novem noctium dierumque exantlatos dolores, fœtu, jam in utero putrescente, ut ex summo fœtore constabat, nono die me in consilium vocat, sed frustrà omnia, etiam ipsius unci applicatio, qui ob vires exhaustas, succumbente naturâ, in usum trahi non poterat; Undè circa vesperam eodem die, quo vocatus eram, placidè in Domino exspirat: Astantes igitur circa lotionem corporis laborant solicitæ, quicquid abluendæ immunditiei esset, decernunt. Hisque & aliis circa curam talem exactis, fœtum putrefactum, ex insperato intra femora defunctæ matris inveniunt, ultimo providæ Naturæ conatu exclusum, quem nulla ars manusq; adstantium sedula poterat promovere: Sic & hodie mira in natura fiunt.

[Ex communicatione Dn. D. Günth. Christophori Schelhammeri, Noribergam in principio Anni 1686. delata.]

OBSER-

OBSERVATIO CVIII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Fœmina, quæ limpidam aquam copiosè ex ore rejecit.

QUædam honestissima hujus loci Matrona magna cum virium debilitate insignem aquæ limpidissimæ copiam ejecit: (similem casum in mea dilectissima Matre sum expertus,) hæc jam bis isto fluxu, & quidem summa cum virium prostratione laboravit. Mirum autem est, quo loco sit tam limpidus scaturiens fons, & quidem cum tam insigni copia? limpiditate enim suâ fontanam superat, omnis odoris & coloris expers, totoque cœlo ab urina differt: neque caret admiratione, quod huncce aquæ effluxum tanta comitetur virium debilitas, quæ & tanta est, ut animam agere videatur. Si conjecturæ locus, forsan vasa lymphatica oscula sua aperiunt, & istam lympham evacuant: necesse etenim, ex loco aliquo notabili promanet hic liquor, qui cæteroquin vires ita haud debilitare posset. Quod si duntaxat ex vesica, alioque loco sentinæ corporis excipiendæ destinato proflueret, hoc viribus integris & salvis fieret. Concludo ergo, ex loco profluere spiritibus vitalibus pleno, qui unà magnam jacturam patiantur, unde debilitas. Omnis enim debilitas spirituum jacturæ vel vappescentiæ effectus est, imò & ipsa mors nil aliud est, quàm spirituum vappescentia. Plura addat Academiæ nostræ *Celsus.*

[*Kiliâ Noribergam in fine Anni 1685. allata.*]

SCHOLIUM.

UT desiderio Nob. Dn. Autoris, & ita sine contradicendi aut temerè censendi animo, qua suspicione nemo bonorum me

rum me onerare jure poterit, satisfaciam, existimo, limpidum hunc humorem ex ore profluum, non alium agnoscere fontem, quàm ex vasorum lymphaticorum, limpidissimo utpote sero turgidorum, numero dicta salivalia; sive jam patentiora tantùm Warthoniana, Stenoniana, & Bartholiniana, (qua ratione in Studioso domestico, cùm linguam manè attolleret, ductum talem sublingualem, adparuisse refert celeberrim. *Thom. Bartholinus cent. 4. epist. med. 27.* lympham copiosam rivuli instar extra os profundentem; atque ex vasis etiam salivalibus superioribus, ab inunctione mercuriali humorem hunc insigni cum impetu prosiliisse vidit Nob. *D. Joh. Conr. Brunnerus*, ut in *diatrib. de lymphæ & pancreat. usu cap. 12.*) sive minora etiam illa numerosè in palati, labiorum, imò reliqua faucium glandulosa tunica occurrentia, nomine hoc donare unà velimus. Cùm verò lympha in ductibus his contenta, ex arteriis, spirituosissimum sanguinem vehentibus, in glandulas proprias fuerit separata, ibique etiam spirituum animalium per nervos ad hasce protensos excurrentium connubio vigorata, si justò copiosior excernatur, magnam simul spirituum contingere debere jacturam, & consequenter virium prostrationem, hinc elucescit. Id quod eò minùs mirandum, cùm salivalem hunc humorem non simpliciter excrementitium, sed maximè utilem esse, nemo negare queat; quamvis & excrementa vitales ac animales spiritus contineant, (confer. *schol. observ. 81. Decad. II. Ephem. nostr. Ann. I.*) unde in pure empyicorum, & sero hydropicorum per paracenthesin evacuando ne nimis prodigi simus, monere solent communiter Practici, experientiâ pariter edocti, & Hippocraticâ autoritate *sect. 6. aph. 27.* suffulti; non secus ac ipsius urinæ largam nimis excretionem esse periculosam, in *scholio obs. 79. Eph. dd.* exemplo probavi; & de pure quoque ex magno abscessu educto *C. Celsus lib. 2. cap. 7.* olim edixit: *sive aqua inter cutem quem implevit, sive in magno abscessu multum puris coiit, simul id omne effudisse æquè mortiferum*

tiferum est, ac si quis sani corporis vulnere factus exsanguis est; ut de immodica sudoris & seminis excretione, magnam spirituum jacturam, & hinc virium prostrationem inducente, nihil dicam. Et hæc virium debilitas eò magis comitari copiosum hoc lymphæ profluvium debet, si causa in sanguine minùs temperato, minùsque ob spirituum paucitatem vegeto, atque hinc in abundantis sui seri dimissionem eò magis proclivi resideat: qua ratione immoderato ejusmodi ptyelismo, diu noctuque per aliquot menses perseveranti, apud *August. Thonerum* in *observ. med. pag. 145.* in viro tandem hydropem; atque in sene cum crurum sphacelo ipsam mortem, apud *Joh. Helvvigium obs. med. 64.* ut & in alio apud nostrum Exc. *Avicennam pag. 17. Regni animal.* successisse contigit. Unde verò salivatio hæc ortum trahat, nî plures historiæ circumstantias noverimus, difficiliùs conjecturâ adsequi licebit; cùm & in massa sanguinea, copiâ seri gravata, & quacunque de causa ac impulsu ab hoc onere, non secus ac in critica etiam salivatione quandoque fieri solet, se expediente, rationem quærere liceat: & ipsis salivalibus glandulis peregrinum aliquod (si loqui ita liceat) fermentum innasci, aut saltem proprium, si quod habent, intendi queat, quod dein vel poros & oscula vasorum glandulis his implantatorum, magis dilatet, sicque ad emissionem largiorem, disponat, vel etiam secretionem copiosiorem ex sanguinea massà instituat; non secus ac in apophlegmatismis aliàs medicamentorum acrium ope, simile quid fieri consuevit.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO CIX.
D. JOH. MICHAELIS FEHR,
De
Carina Nautili elegantiſſima.

COncha hæc Nautili carina dicta, ab Haliæeto ſive Aquila marina prædam quærente ex aquis cum Incola ſuo, polypo piſce, in ſublime abrepta, ſed ab Unguibus Avis polypo ſolùm innexis ſoluta, in littus Ambonicum fertur & à Piſcatoribus loci *Domino Georgio Eberhardo Rumphio*, Germano Hanovia-Franco, Batavorum in Indiæ orientalis Inſulis Hiſtorico affertur, qui Eandem ſtatim ciſtulæ ſantalinæ incluſam, mihi S. R. J. Acad. Nat. Cur. Præſidi miſit, pro collato ſibi Plinii agnomine, cum adjecto diſticho:

Argonauta, Tibi donatur Eoa carina,
Quam maris Ambonici Nautilus incoluit:
Sit munus PlinI veſtro modo munere facti,
Gratus ob id Vobis Rumphius eſſe cupit.

Elegantiſſima autem hæc concha etiam apud incolas in magno habetur precio, quia propter ſubtilitatem rarò integra reperitur, puriſſimi argenti aut perlarum Orientalium inſtar pellucida, ac limpidiſſimis ſtriis artificioſiſſimè contexta, ipſum biennium terrâ marique incolumis jactata eſt, at fractâ, quâ Hamburgo Berolinum advehebatur, in Albi flumine navi, cum ciſtula ſua in aquas juxta cum reliquis pretioſiſſimis mercibus mergitur, ſed ex fundo fluminis feliciter extracta, atque à *Domino Chriſtiano Mentzelio*, Conſiliario & Archiatro Elect. Brandenb. Acad. N. C. Apolline, exſiccata, nihil damni paſſa eſt, præter maculas quaſdam luteas, quibus ab impura aqua exterior ejuſdem cortex nonnihil livoris attraxit, intùs foriſque autem niveo ſplendore refulget tota. Amboina ſive Ambona verò eſt Inſula Indiæ Orientalis inter Moluccas primaria,


caryo-

Carina Nautili.

f. 211.


Fig. XXXIII.

Fig. XXXVII.



fol. 339.





ria,
caryo-

caryophyllis aliisque aromatibus refertissima, Batavorum Imperio cum munitissimo castro, Victoria dicto, subjecta.

Concham prælaudatus noster *Apollo*, donum verè regium & ad invidiam usque elegans, etsi non aureum, ob raritatem tamen & mirabilem naturæ artem auro carius & charius vocare sustinet, quæ non nisi in Magnatum aliquo Gazophylacio asservari mereatur; AUGUSTISSIMO itaque IMPERATORI hac cum Epigrapha offerre eam ausus sum:

Victoriosissime Imperator LEOPOLDE.

Hac TIBI VICTORI gratatur, MAXIME CÆSAR
Dux Avium prædâ, littore ab Ambonico:
Argonauta offert, Academia læta triumphat,
O nostri vivas Dux LEOPOLDE chori!

Sacræ Cæsareæ Majestatis

Humillimus servus

S. R. J. Acad. Nat. Curiosorum I. Adjunctus jam 20. annorum Præses secundus, d. Argonauta.

Joh. Michaël Fehr, M. D.
Physicus Svinfurt. Ordinarius, Urbisque Imperialis Prætor.

Svinf. Cal. Jan. 1686.

Fig. XXXIII.

OBSERVATIO CX.
D. GEORGII EVERHARDI RUMPHII,
De
Ceraunia ſpathula metallica.

MItto quoque ſub numero 81. Ceraunia metallicam: hujus parem Magno Duci Hetruriæ quoque miſi. Rem miram, Europæis forſitan inauditam, &, prout quotidiè experior, prorſus incredibilem; mihi tamen diligenti inquiſitione & ſufficiente teſtium examine ſatis exploratam. Hæc itaque Ceraunia, ſicuti vides, ex ære conſtat non puro, ſed neſcio quibus ſordibus & auri particulis permixto, eaq; tali figura, quali conſpicitur, gravi tempeſtate per fulmen dejicitur. Contingit id maximè in Inſula Celebes, nobis verſus Occidentem propinqua, ubi multi montes metallici, ferrum, æs, & aurum ferentes, è quibus conjectura eſt, vapores cum particulis metallicis, ſaxeisque in nubes tolli, & illic in igne fulmineo concentrari, unde Cerauniæ dejiciuntur, modò lapideæ, modò æreæ, modò ferreæ, rarò etiam aureæ, ſæpè etiam è pluribus mixtæ. Metallum hoc fulmineum plerumq; impurum eſt, primæ fuſioni ineptum & difficulter tractabile. Indi plerumque aurum admiſcent, & annulos ex eo faciunt, quos contra varios morbos & ad victoriam conſequendam geſtant. Idcircò Ceraunias hujusmodi nec pretio, nec precibus ab illis redimere poſſumus, niſi vel aperto bello, vel clanculũ per amicos, qui clam ſuis Magnatibus illas nobis vendunt. Non ita diu eſt, quod illas poſſideo, quare nulla, adhuc experimenta proferre poſſum, quæ tamen incolæ ad ſtuporem usque jactant. Si quid tale in Europa notum aut viſum ſit, rogo, ut mihi communices.

[Ex literis ad D. Mentzelium miſſis ex Amboina Inſula die 30. Auguſti anno 1683. & hinc Auguſtam 1686. d. 16. Januar. delata.]

SCHO-



Ceraunia spathula metallica ad magnitudinem æquatam delineata.

Fig. XXXIV.
fol. 213.

Anni IV.

SCHOLIUM.

DAri meteora metallica & deturbari quandoque deorsum ex censu mineralium lapides & id genus alia, apud me dubitandi rationem non invenit, nec ab experientia multorũ id alienũ est. Sic *Hermes noster primus, p.m.* chrysocollam tempestate vehemente detrusam ipsemet oculatus testis Academicis nostris monumentis in æternam sui memoriam nobis & posteris sacravit. Sed Jovem ceraunium per æthereum aliquem Vulcanum in altissimis montium jugis spathas æreas & metallicas omnis generis tam artificiosè fusas & fabricatas, cum fulmine suo in terram ejaculari, id mecum in aula nostra ægrè credunt, quicunque κεραυνὸν hunc, vel telum hoc ceraunium intuentur. Verùm enim verò quidni fidem habeamus viro fide digno? & quid non accidit quotidie, quod captum plurimorũ superat? Curiosam hanc spathulam imposui chartæ & ductis circumcirca terminis calamô scriptoriô ad magnitudinem æquatam delineavi: ei schedula est appensa cum hac inscriptione belgica: Diß kupfferne Schifflein ist mit dem Donner heruntergeschlagen / fast eines Fadens tieff in die Erden / auf Corsora der Oost Küsten auf der Insel Celebes. Ceraunia hæc spatha ponderat ferè uncias undecim, splendet æs ad luteũ aurichali colorem ad cujus manubrii latera striæ sive lineæ aliquot tanquam arte factæ incurvantur: superior pars tenuior & in acumen rotundum desinens plena est foraminulis non perviis, adeò ut formam sive modulum, cui æs illud mixtum infusum fuit, non admodum lævè & tersè confecerit, quicunque fuerit, æthereus ille Chemicus.

[*D. Christian. Mentzelius.*]

Fig. XXXIV.

CÆterùm cùm, præter hanc Cerauniam spathulam metallicam, plura exotica laudatissimus Dn. Rumphius ad me

ex Insula Moluccarum Ambona An. 1683. mense Septembris miserit, eandem cum rarissima illa *in priori observatione descripta* Nautili carina sortem perpessa, Catalogum eorum hîc subjicere volui, quorundam descriptionem in posterum daturus, quæ verò in appensa notatæ modò carinæ schedula consignavit Dn. Rumphius, cum Lectoris curiosi venia repetiturus:

1. Cassis cochlearum maxima. 2. Cassis rubra. 3. Murex ramosus. 4. Unguis odoratus major vulgò, Blatta Bizantina. 5. Tribulus, 6. Haustellum 7. Murex minor, 8. Cassis verrucosa. 9. Harpa. 10. Auris gigantum. 11. Umbilicus major. 12. Umbilicus marinus minor. 13. Furnus cochlea. 14. Trochus. 15. Trochus longævus. 16. Laciniata cochlea. 17. Nautilus major. 18. Nautilus minor s. tenuis. Elegantissima & rarissima hæc est concha, apud Incolas magno in pretio habita, quia rarò integra reperitur. Hujus incola similiter parvus est polypus (ut Nautili majoris incola) cujus duo posteriores cirri latas habent palmulas, quibus carinam suam gubernat, dum in mari remigat; flante verò vento membranam inter priores pedes extendit, & ita velificat. Duo reperiuntur in peculiari capsula, quorum majorem dono mitto Dn. Præsidi Nostri Collegii Johanni Michaeli Fehr, dicto Argonautæ, in exiguum monumentum & gratitudinis symbolum pro concesso testimonio. Rogo igitur Dn. Christianum Mentzelium, ut Carinam hanc prædicto Domino Suinfurtum transmittere velit.

Carinæ huic mirabile quid contigit: in mari velificans ab Aquila marina sive Haliæëto prædam quærente in auras evecta est, unguibus verò carnem polypi forsan tenens, carinam demisit, quæ in subjectum littus cadens, miro successu nihil damni accepit, præter exiguam portiunculam, quæ, ut vides, in anteriori margine facta est, ipsa verò carina statim à piscatoribus sublata & ad me perlata est. Habet igitur Dn. Argonauta Carinam, quæ instar Palladii è cœlo delapsa est, sed ni-

ſed nimis anguſtam, ut aliquot Illuſtres Argonautas in Colchidem vehat. Noſtris Malais vocatur, Ruma - Grorita. i. e. domuncula Polypi, noſtri Carinam Nautili appellant. Alia minor eſt, & in prioris ventre continetur, quam Dn. Mentzelius pro ſe retineat, majorem enim nunc mittere non poſſum, quia quas poſſideo fractæ & parvæ ſunt, rariſſimè enim integra reperitur. Utraque Nautili Carina conferatur cum illis, quæ in Mari Mediterraneo reperiuntur, & apud Authores deſcribuntur.

19. Cornu Ammonis, 20. Cochlea picta, 21. Buccina Tritonis. 22. Pſeudo purpura. 23. Unguis odoratus minor. 24. Fuſus. 25. Turris Babylonica, 26. Strombus, 27. Corona Papalis. 28. Cymbium. 29. Voluta Marmorata. 30. Voluta muſicalis, 31. Voluta cerea, 32. Voluta aculeata. 33. Attagen. 34. Epidromos. 35. Heptadactylus. 36. Pentadactylus. 37. Porcellana guttata. 38. Porcellana litterata, 39. Ovum. 40. Caurium vulgò Cauri, vel Caudi. 41. Caurium granulatum. 42. Cylindrus. 43. Auris marina. 44. Solea. 45. Denticulus Elephantis. 46. Chama ſquamata. 47. Chama ſtriata; 48. Chama lævis. 49. Chama literata. 50. Candiſca. 51. Tellina gari. 52. Tellina virgata. 53. Unguis ſive dactylus. 54. Fragum rubrum & album. 55. Roſtrum anatis. 56. Muſculus arenarius. 57. Pholas. 58. Pinna. 59. Marculus. 60. Oſtrum echinatum. 61. Accarbarium nigrum ramoſum. 62. Hippuris ſaxea. 64. Flabellum. 68. Erica marina. 66. Abies marina. 67. Lithodentron calcarium. 68. Amaranthus ſaxeus. 69. Fungus ſaxeus, 70. Radula ſaxea. 71. Caryophyllum ſaxeum. 72. Saxum calcarium. 73. Tuber regium. 74. Sagitta marina. 75. Caput Barbiruſſæ. 76. Sperma ceti in maſſa, 77. Ambra nigra impura. 78. Ambra nigra pura. 79. Dammara Silanica, 80. Dammara alba Ambonica. 81. Ceraunia metallica. 82. Chamites. 83. Calappites. 84. Reticulum ſaxeum. 85. Ramula. 86. Dammara canarina. 87. Umbilicus.

88. Echi-

88. Echinometra digitata. 89. Ejus digiti lapidei. 90. Fragum album ſuperius indicatum. 91. Dupa. 92. Echinus marinus tenuis. 93. Avicula. 94. Piſcis arcularius. 95. Fructus Rottanus major. 96. Fructus Rottanus minor. 97. Pila lapidea. 98. Dactyli Idæi, 99. Pecten Jacobæus. 100. Canarium ſylveſtre. 102. Idem Sylveſtre. 103. Cruſta accardarii. 104. Quadra Saguava eſt panis Ambonicus è medulla cujusdam Arboris Sagus dicta confectus &c.

Cuilibet rei peculiaris ſpeciei appenſa eſt ſchedula cum ſuo nomine.

Rumphius.

Nomine Rumphii ſubſcriptum
Hendrich Schröder.

OBSERVATIO CXI.
D. PETRI ROMMELII,
De
Menſtruorum retardatione.

Quam utilis imò neceſſaria ſit ſexui ſequiori menſtrua purgatio, tanquam præcipua ſanitatis cauſa; quot & quantorum è contra morborum & periculoſiſſimorum ſymptomatum author exiſtat purgatio hæc, vel imminuta vel inordinata, immoderata vel etiam ſuppresſa &c. nemo eſt quem lateat, totoque die id Practici experiuntur; unde minime ſuccenſendum videtur Virginibus Hiſpanicis, barbaricisque mulieribus aliis ſibi invicem magnificè de menſium fluxu gratulantibus, linteaminaque virgineo cruore madida & tincta glorioſè oſtentantibus; multo minus contemnenda feminarum noſtratum ſedula ſolicitudo, qua omni conamine ſtudent, quò nulla huic fluxui menſtruo injiciatur remora,

mora, ipſæque, hoc ritè ſe habente, integra fruantur valetudine. Inveniuntur tamen & virgines & maritatæ, quæ ſine ullius periculi metu, aliquando hoc lunare debitum, non ſiſtere, ſed inſtantem jam fluxionem, ad aliquot dies morari & retardare ſatagunt. Non credidiſſem hoc fieri poſſe, niſi iteratæ experientiæ aliter me docuiſſent & credere jusſiſſent. Non enim recordor me unquam legiſſe, inſtantia menſtrua pro lubitu, & juxta arbitrium fœminarum, imò ſine noxa, retardari poſſe, menſesque jam jam inſtantes exitumque parantes, uſu alicujus medicamenti tam obſequioſos eſſe, præfixumque terminum tàm adcuratè obſervare, & ad nutum quaſi imperantis expectare. Novi virgines & uxores honeſtas, quæ quando vel conviviis & feſtis nuptialibus, aliisque hujusmodi ſolennitatibus, unum vel alterum diem duraturis intereſſe conveniebat; vel iter aliquot dierum aggrediendum erat, præ foribus jàm expectantem menſium ordinarium fluxum (ad evitandum conſuetas moleſtias, utque eò melius & hilarius choreis, epulis & comeſſationibus, vel & itineri expediendo, & neceſſariis occupationibus vacare poſſent) eſu trium, 4. 5. 6. 7. & plurium etiam (ad numerum nonarium aſcendendo) granorum piperis albi, ad totidem dies retardarunt Catamenia ipſis, commodiori tempore, celebraturæ. E. g. ſit craſtina dies terminus tributi lunaris ſolvendi, adſintque jàm conſueta ſigna, tormina, dolores, & alii fluxûs inſtantis ordinarii prodromi, tunc ſtatim prædicta grana integra, tot numero, quot dies à menſtrua purgatione immunes adhuc eſſe deſiderant, deglutiunt, & voti compotes fiunt: nam numerus dierum exactè numero granorum deglutitorum reſpondet. Mirum ſanè λευκοπέπερι, aromati nobiliſſimo, quod Magnatum menſis in India inferri ſolet, & quo, ut nos ſale culinari, utuntur, tali virtute menſtrua retardandi, præditum eſſe, præſertim cum *Dioſcorides* aliique virtutem potius contrariam, urinas nempe (menſes) ciendi, partum accelerandi & promovendi adſcribant, ni po-

tius, ut in plurimis aliis, superstitioni hîc aliquid tribuendum. An verò semper successurum sit hoc, ut superius dixi, repetitum experimentum, non ausim arrogantius affirmare, sed aliorum etiam Experientiæ & limatiori examini relinquo.

[Ex literis ad D. J. Paulum Wurffbainium, 2. Decembr. 1685. datis.]

SCHOLIUM.

APud nos quoque feminis quibusdam secretum hoc innotuisse, scio; quo de tamen cùm experimentum sumere eædem dubitaverint, aliud non addere volo, quàm *Ludov. Septalium in comm. in Aristot. problem. Tom. 1. sect. 1. probl. 43.* cùm propriè dicta diuretica urinam movere eâ ratione dixisset, quòd crassitiem humorum ingenti caloris vi non solùm extenuent, sed sanguinem ipsum etiam fundant, ejusq́ue tenuem & aquosam partem secernant, hisce piper quoque adnumerasse; id tamen menses ciere non solere, aut certè quam minimum, addens, propter nimiam exsiccandi facultatem. Quæ si majori probabilitate dicerentur, prædicatam piperis virtutem aliquo modo detegere possent. Sed nollem his immorari. Cæterùm si effectus ille revera ita se habeat, nescio, quid aliud dicere liceat, quàm fermentum illud uterinum, quo sanguis in menstruum illum ὀργασμὸν cieri solet, à piperis albi specifica & nostri intellectus imbecillitati abstrusiore virtute (quales sanè omnino negare in aliis quoque haud possumus,) sopiri, ac ita pro majori minorive adsumti piperis quantitate vel granorum numero, per brevius longiusvé temporis spatium ligari, usque dum discussâ illa ac evanescente, ad pristinum genium redire valeat.

(L. Schröck, L. F.)

OBSER-

OBSERVATIO CXII.
D. CHRISTIANI LUDOVICI GÖCKELII,
De
Abſceſſu inguinis periculoſo curato.

D.II.A.V.ob.X p.19.

LÆſionis in corpore *magnitudo* ex partium nobilitate fluit; inteſtinorum vulnera quis omnia à lethalitate vindicabit? *Modus* tamen *læſionis* limites hîc ponit notabiles jubetque, quæ circumſtant, conditiones attentè trutinare. Ut de vulneribus cæſim punctimve immiſſis ſileam, quantum inter ſe differunt foris & intus, ſenſim & cum impetu eidem quamvis membro, in loco licet eodem inflicta. Natura interim arbiter horum optimus eſt & quovis judice certior. Non facit nec patitur hæc ſaltum; hoſtem, qui per interpretes veluti agit & dat inducias, oppugnat & fugat nonnunquam, ἀθρόως invadentem ipſa fugit vitæque diſpendium in prædam non rarò relinquere cogitur. Iſtius exempli copiam obſervatio ſequens pathologica porrigit, quâ fidem nuperrimè datam liberabo. Virgo ruri nata in pago Algersdorff/ 26. annorum, menſe Majo anni ferè elapſi cruciatus enormes in abdomine, circa umbilicum præprimis, per intervalla ſentit, pauſam ad tempus laboribus conſvetis injicientes. Urget quandoque vomitus ventriculô nunc inani, nunc cibis refertô, munia autem ſua paroxyſmo velut exantlato repetit; appetitus bene ſe habet, quin ſolito major eſt. Parentes malum pro colica habent & hauſtum frigidæ è proximo lacu æſtuanti nuper ſtomacho ingeſtum in culpam vocant, parum de remedio ſolliciti. Junio ſubſequente abſceſſus in inguine dextro à nucis juglandis ad pugni molem excreſcit, adhibitis emollientibus rumpitur, proſilitque ſimul ac ſemel materia purulenta fœtoris teterrimi ad libram unam & amplius. Poſt dies aliquot lumbrici in conſpectum prodeunt, quorum decem à Chirurgo

 per

per vices eximuntur, singuli viventes & spithamæ longitudine haud inferiores. Repurgato sic maximam partem ulcere, paucis à pastu horis quotidie magma primò chylosum elabitur, sequuntur summo cum ardore assumtorum recrementa lymphæ ichorescenti immersa. Molestissimo huic non minus, ac periculosissimo affectui ut consuleretur, interne travmatica anthelminticis maritata propinavi successu adeò felici, ut fluxus ille chyloso-stercoreus (sit venia verbo) indies imminutus, penitus tolleretur; externè præter emplastra appropriata in arcenda verminosa putredine mirè se gessit balsamus sulphuris terebinthinatus cum oleo tartari fœtido mixtus & instillatus calidè. Hisce Divini Numinis gratia ægra pristinam sanitatem recuperavit nullius rei, quàm frigoris impatiens.

Consul. *Ephemer. harum Dec. II. Ann. I. observ. 126*, ut & *Ann. III. obs. 55.*

OBSERVATIO CXIII.
D. GEORGII HANNÆI,
De
Raro post Quartanam Symptomate.

DUm sedulus in Rorismarini (cujus Analysin graphicam, juxta Methodum Curiosorum, quantum meæ indultum est mediocritati, Deo favente, daturus sum propediem, in mea LIBANOTIDOGRAPHIA,) vires inquiro, hinc aliis atque aliis nobilitatum virtutibus cum voluptate observo. Certè, usum Olei Rorismarini (ut cætera, huc spectantia, nunc reticeam,) me suadente, admodum proficuum nuper expertus est aliquis, de immani Ossis coccygis dolore adeò querulus, ut, quò se verteret, nesciret: illum enim tam feliciter sopivit, modò ter vel quater illitum, hoc Oleum, ut optatò evanuerit, quasi admotô incantamentô. Et hic ipse ægrotus

ægrotus fassus est etiam, se, post diuturnam Quartanam, solitò factum salaciorem. Quoties autem, in amplexu Conjugis, sperata frui gestit voluptate; toties, ad effluxum genitalis liquoris, sentit in Urethra intensissimos dolores, à quibus tamen, extra hunc actum, liber est atque immunis. Spolium est invisæ Quartanæ, præbens indicium Acidi, nimiùm in corpore dominantis: accedunt quoque salia scorbutica, quorum cum acido lucta excitat subinde in ipsius pedibus pustulas satis molestas. Ego suasi, ut Alterantia Evacuantibus interpolans, illud Augiæ repurgaret stabulum, odiosumque Priapo tolleret fastidium, quô, ultra biennium, nauseosus fuerat.

OBSERVATIO CXIV.
D. GEORGII HANNÆI,
De
Abortu Bulliformi.

PEriculosus apud nos fuit Puerperis hic, quem modò terimus, Annus! neque enim meminimus, per Annos benè multos, vel plures Puerperas, aut tristiùs laborasse in partu, aut spiritum Egeriæ reddidisse atque Pertundæ; vel plures Obstetricum auditas querelas, de malè dispositis ad partum infantulis, Pertundæ injuriâ, quàm hoc ipso Annô, sive id factum fuerit occulta Numinis lege, sive irâ Olympi. Hinc non solùm multa audivimus Gynæcea miserandis personuisse parturientium gemitibus; sed & varia, proh dolor! suas Dominas, vel non pares partui, vel à partu recentes, vel abortantes, modò seriùs, modò ocyùs, remisisse ad umbras. Una, præ cæteris, mihi heic memoranda abortiens. Uxori Pistoris, 13. antea liberorum matri, sistebatur sua sponte lunare tributum, unde se gravidatam suspicata est, intumescente sensim, una cum Mammis, ventre, per septimanas octodecim. Dum hæc fiebant, affligebatur in tantum valetudo ipsius, ut lecto ali-

quot menſes affixa teneretur, Quatuor ante Feſtum Paſchatos, proximè elapſi, ſeptimanis, in ipſo ſcilicet menſe quarto poſt prima hominis (ut ſuſpicabatur,) inchoati indicia, ſolvuntur occluſa muliebris profluvii repagula, continuatâ, nec intermiſſa, vacuatione, donec tertiâ Paſchatos Feriâ ipſum Partus tempus inſtat & urget. Advocata ſuæ Artis callentiſſima Obſtetrix, partui vicinam graviſſimè afflictam offendit, & de atrociſſimis ſuis doloribus, ventriſque lancinationibus, quales antea nunquam perpeſſa fuerat, immane quantum, conquerentem, nihilque in votis habentem prius, quàm ut Lucinam prævalidè anteverteret Obſtetrix, cruciatus tantos, vel millies expetitâ morte, ſi aliter non poſſet, finitura. Tandem, per ruptas interiùs cataractas fluere ſponte cœperunt aquæ, partus prænunciæ, novos ſecum afferentes dolores, & quidem prioribus adhuc truculentiores. Nec ita multò poſt, non ſedit Uterus, ſed, cum fœtore mephitico, effundit, mirum dictu! magma oculeum, (bullulis, quas conflant ex aqua & ſmegmate pueri, quàm ſimillimum,) & quidem in tanta copia, ut tres implevíſſet cantharos, atque eò ampliùs. Cum jam illuc perventum eſſet, ut exploraret Obſtetrix, intusne latitaret Secundina quædam; extraxit aliquam membranam, in qua inuſitatus hic habitaverat Abortus, ceſſantibus brevi torminibus. Tale ſpectaculum quia nunquam viderat Obſtetrix, quæ aliquot millenis præfuerat parturientibus, nihil certi de eo ſtatuere auſa fuit. Sed aderat mulier ætate ſenior, nec inficeta, quæ pro ſeminio hoc habuit canino, ut ut ad ſpermatis ranarum analogiam propiùs, me judicè, acceſſiſſe videatur. Niſi fortaſſe impuri Uteri pituitoſum viſcum, ita, per fermentationem animaverint incluſi flatus, ut inde olida ſurrexerit ſoboles, ſatis infauſta. Verùm de non viſis, iiſque, miraculo vicinis, judicare, difficillimum eſt. Ipsâ fœmina hodie ſalva vivit, licèt in menſe Auguſto hujus ipſius

Anni,


Ovum gemellum.
fol. 223.
Fig.
XXXV.
Figuræ
XXXVI.
fig. 1.
fol. 288.



Anni, eandem iterum cantilenam cecinerit, ſed ſuaviore modulamine.

Confer. Anni præcedentis Obſerv. 157.

OBSERVATIO CXV. D. GEORGII HANNÆI, *De* Ovo Gemello.

OVum ovo innatum obſervavit olim maximus Præceptor meus, Divus & Illuſtris D. Th. Bartholinus; ego Ovum ovo adnatum poſſideo, quod hôc Anno peperit apud nos, non Leda, ſed Gallina. Subventaneum eſt utrumque, ſed vitello pleniſſimum, cum interjacente collo, non flaccido, ſed rotundiſſimo, utriusq; ovi conjungente vitellos,

Fig. XXXV.

Plura de Ovis nunc ſcribere mei non fert inſtituti ratio, potiſſimùm, cum Oologiam ſatis accuratam Erudito promiſerit Orbi Excellentiſ: Oribaſius, cujus elegantiſſimæ purpuræ hanc meam modò aſſuere volui laciniam. Vide Athanaſ. Kircheri Mundum ſubterraneum *tom. 2: lib.8. cap.8.*

OBSERVATIO CXVI. D. GEORGII HANNÆI, *De* Bilis Deliramentis.

QUæ de Catarrhi Deliramentis jampridem commentatus eſt Ingenioſus *Helmontius*, novit ſatis Eruditus Orbis; nunc pauca delibabo de Bilis Deliramentis, cujus

cujus ferociam nuper vidi in quodam Generoſo Barone. Hic, immodico exagitatus & prorſus intolerabili dolore, ventriculi acriùs vellicante orificium, nec quieſcere potuit, nec dormire; aderat Alvi obſtructio, Siti, Anorexia, & Vomitu, (quoties nauſeanti aliquid ingerebatur ſtomacho,) nimium moleſto comitata. Ego in auxilium vocatus has turbas Bili adſcribendas prædixi, ejusque ſalibus oleoſo-volatilibus cum ſucco pancreatico confligentibus, cujus indicium manifeſtum præbuit, præter alia, Icterus larvatus, qui, (quod mirari licet,) quavis horâ ſæpiuſculè & apparuit, & disparuit, quaſi myinda luſurus. Neque levem mihi ſcrupulum injecit ex atro virideſcens urinæ color, oleaginoſa inhorreſcens ſuperficie, unde adſtantes mortem certiſſimam præ foribus, ceu ipſum ante portam Hannibalem, metuebant. Verùm ego, qui, ſæpiùs fallentia, Uromantiæ prognoſtica adeò ſuperſtitioſè nec miror ubique, nec moror, nondum omnia planiſſimè conclamata monui, licet ferale pallens ægrotus ipſemet ultimam & exſpectaret, & præ doloribus expeteret, fatorum petitionem. Nec promiſſis, Deo gloria! excidi. poſtquam enim ferocientem, & quaſi in furias actam, compeſcuiſſem Bilem, evanuit funeſtus iſte dolor, mox liberaliùs ſe manifeſtante, qui intra ſiparium hactenus delituerat, Ictero, donec, poſt tot hoſtium deſideratum exſilium, ovans cum triumpho rediret ſanitas.

[*Othiniâ Auguſtam Vind. 1686. 17. Jan. allat.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXVII.
D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
De
Aloës vi ad εὐθυκίαν.

CUm hepar anguillæ tantopere deprædicet *Helmontius*, idque virtutem ſuam unicè ob fel junctum exerceat, cogitavi id convenientius præſtari poſſe à felle vegetabili, externo quaſi. Dictum factum. Remiſcui aloës Socoterinæ aliquot grana pulveri ad partum ex borace, croco, cinnabari nativa, oleo cinamomi, ſuccino, cum feliciſſimo & præſentaneo ſucceſſu per aliquot annos.

[*Jenâ Auguſtam 1686. 20. d. Januar. allata.*]

OBSERVATIO CXVIII.
D. JOHANNIS DOLÆI,
De
Exanthematibus ſcorbuticis nigerrimis, totum corpus defœdantibus.

AD felicem morborum curationem inſtituendam cauſarum notitiam perquam eſſe neceſſariam, nemo cordatiorum Medicorum ibit inficias, quàm verò abſtruſum ſit hoc cauſarum ſcrutinium, Practici mecum ſæpius toto pectore ingemiſcentes experiuntur, ceu hîc quoque caſum referam: Puer nonum nondum egreſſus annum, aliàs ſanus absque ullo præcedente frigore, calore, nullo capitis dolore aut corporis laſſitudine manè ſurgens totum per corpus lividis & nigerrimis maculis & puſtulis conſpurcabatur, quæ in ipſa lingua, labiis & tota faciè apparebant maxima in copia: Parentes ad me deferunt filium, quem nudum aſpexi, mirum dictu!

dictu! dorsum non aliam præ se ferebat faciem ac si fustibus fuerit dedolatum, interspersis maculis truttæ maculis non absimilibus. Unde hæc subitanea pustularum eruptio orta sit, meretur meditationem; puer tamen intra paucos dies antiscorbuticis medicamentis pristinæ restitutus fuit valetudini.

SCHOLIUM.

CUm venia Nobil. D. Autoris conjecturam meam adponere de hoc Casu si liceat, existimo, quòd, uti massæ sanguineæ per naturam insunt variæ particulæ, quibus aliæ sæpius se jungunt heterogeneæ, quæ tamen arcto connubio sociatæ & à benignis reliquis quantitate superantibus quasi subjugatæ, placidè per corpus circulantur, ita quamprimum quacunque de causa excitatæ & exaltatæ secessum ab iis moliuntur, variorum symptomatum causæ fieri possint. Unde in hoc puero, scorbuticâ labe infecto, impuras ejusmodi partes sanguini fuisse permistas, hariolari liceat; quæ sive mole suâ nimis adauctæ, sponte à reliquis tandem secedere aptæ, sive à cibo aliquo ingesto, aliavé causa externa non ita obvia aut animadversa commotæ fuerint, dum per corpus cum reliquo sanguine circulum obeunt, ad cutem quoque delatæ fuerunt, in cujus emunctoriolis subsistentes & coagulatæ maculas istas & pustulas hac suâ stagnatione præsentarunt; etenim dum laxiùs sanguini probo cohærent, aëris cutem undique ambientis occursu, aut alia aliqua etiam occasione ab unione cum sanguine divelli, à spiculis suis acidis, quibus turgent, utpote sui juris jam factis, condensari, atque ob hanc crassitiem suam, porulorumvé ineptitudinem, quia neque venularum in oscula recipi, neque per insensibilem transspirationem difflari aptæ, subsistere ibidem possunt. Inesse autem sanguini scorbuticorum utplurimum tale acidum, quod sanguinem coagulandi vi pollet, Medicorum modernorum unanimis ferè est sententia; sic grumosum sanguinem in duobus scorbuticis observavit *D. Joh. Theod.*

Schen-

Schenckius hiſt. de ſero ſangu. cap. 5. & in ſcorbuticis vaſa omnia ſanguifero chylo coagulato repleta videri, *D. Richard. Loverus cap. 2. de cord.* teſtatur. Cùm verò hæc particularum vitioſarum à ſanguine ſeparatio, & acidi ſalis eliquatio vix absque aliquâ ſanguinis effervecentia accidere queat, mirum, quòd nullus caloris, frigoris &c. ſenſus antea in puero fuerit obſervatus; unde ſi motum hunc ſanguinis, nocturno utpote tempore inſtitutum, in ſomno contigiſſe, & ita minùs fuiſſe perceptibilem, dicere non liceat, ſaltem, eam nonnunquam laxiorem cum ſanguine unionem fuiſſe particulis iſtis heterogeneis, dicemus, quæ absque notabili motu diſſolvi potuerit; qua ratione etiam variolas & morbillos quandoque ſine alio ſanitatis notabili obſervato detrimento, non advertentibus ægris, erumpere notum eſt, & hoc ipſo tempore apud nos uni alterive ſic erupiſſe ſcio. Quàm levi autem de cauſa morboſæ ejusmodi in ſanguine deliteſcentes efflorefcentiæ ſæpe excitentur, experientia crebriùs loquitur; exempli loco eſſe poterit Conſul Serveſtanus, cujus *Phil. Salmuth cent. 3. obſerv. med. 28.* mentionem facit, in quo puſtulas ſcorbuticas nigerrimas poſt nimium vini meracioris potum primùm erupiſſe vidit; & ſolam per hortum matutinis horis, ineunte vere, deambulationem easdem copioſiſſimas in pedibus Matronæ nobiliſſimæ, ſine graviori incommodo, aliquoties elicuiſſe memini.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO CXIX.
D. JOHANNIS DOLÆI,
De
Tumore volatili.

Puella 5. annorum poſt variolas in manus tumorem incidit, præſcripſi linimentum diſcutiens ex ol. chamomill. aneth. deſt. &c. quo perungebatur manus; ſed quid fit?

peractâ inunctione tumor evanuit, & cubitum petiit; cubito inuncto, iterum manum jucundo spectaculo infestavit, quod aliquoties repeti curavi, tandem puellæ hydragogum exhibui, quo facto penitus tumor sublatus fuit.

OBSERVATIO CXX.
D. JOHANNIS DOLÆI,
De
Infausta inunctione mercuriali.

BArbitonsor quidam inter gregarios Stolz dictus militem quendam arthritide vaga laborantem unguento mercuriali inunxit, & quidem totam spinam & omnes articulos, à quâ inunctione miser miles adeo largam sustinuit salivationem, ut omnes dentes eximere potuerit; dein aliquot post dies accessit sphacelus, à quo lingua, gingiva, fauces, maxillæ, imò tota facies cum maximo fœtore absumebantur, & sic æger tristi certè spectaculo vitam miserè amisit.

[*1685. 21. Decembr. Cassellis Augustam Vind. missa.*]

SCHOLIUM.

QUamvis arthriticorum aliquos salivationis mercurialis beneficio fuisse restitutos, inprimis duo Lycei Salani lumina, beat. *Guern. Rolfincius ord. & meth. med. spec. comment. lib. 6. sect. 3. cap. 1.* & *D. Georg. Wolffg. Wedelius lib. 2. de medic. facult. sect. 2. cap. 12.* testentur, non semper tamen curam hanc conducere posse, atque in arthritide inprimis vaga, turgescentibus humoribus, nec corpore priùs satis disposito, plenam esse periculi, nemo Medicorum diffitebitur. Unde conferri hîc merebitur casus, quem recenset in *cent. 5. observ. med. 76. Nicol. Binningerus;* quibus add: judicium *Francisci de le Boë-Sylvii prax. med. lib. 4. tract. 8. §. 171. & seqq.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXI.
D. JOH. JACOBI HARDERI,
Ad Illuſtrem
FRANCISCUM REDI, Nob. Aretin.
De
Viperarum morſu Diſſertatio.

JAm in experimentis circa viperas faciendis occupamur, viſuri quid ipſarum morſus venenatus poſſit. Heri quidem in columbâ, cujus alam ſiniſtram una momorderat, funeſtum ipſum comperimus, alâ mox intumeſcente, & ſanguine extravaſato gangrænam unà inducente, cum ſpiritus diſpendio, præcedentibus aliquoties motibus epilepticis: circa præcordia verò, ſanguis rutilus magis & fluidus, quàm coagulatus exſtitit. Morderi hinc curavimus ſub veſperam aurem ſiniſtram canis mediocris magnitudinis, ab unâ alteravé, qui deinceps ingenti vomitu corripiebatur, per alvum dejiciebat fœtida, atque cùm urinam cruentam copiosè reddidiſſet, ſex circiter horarum ſpatio interiit. Sectioni, quam primo mane die ſeq. inſtituimus, adfuére Viri aliquot Excell. & Clariſſ. Inter integumenta abdominis communia & muſculos, ſanguis extravaſatus paucus hîc illic conſpiciebatur: paulò copioſior in epiploo. Viſcera imi ventris nullam labem monſtrârunt: Ventriculus & inteſtina tantiſper diſtenta: In renibus ſanguinis extravaſati veſtigia nulla. Urinæ verò tenuis & cruentæ idoneam adhuc copiam veſica exhibuit. Mediaſtinum ſanguinem extravaſatum & coagulatum variis in locis oſtendit, cujuſcemodi pulmones penitus caruerunt. Cordis thalamus dexter cum auriculâ prætumidus ſed non renitens, inciſione factâ, ſanguinem ſummè tenuem & acrem fudit, qualem etiam in vaſis majoribus, venis æquè ac arteriis offendi-

mus. Similem quoque stillavit auris vulnerata incisa. Eodem manè morderi curavimus canem alium majorem, in crure sinistro, hinc etiam in pudendis: Viginti hic horas substitit antequam corrueret: ab initio equidem evidentis noxæ nihil comparuit, post meridiem verò, crus, quod summopere intumuit, affectum claudicare, & salivare per vices cepit: sub vesperam alvum dejecit vehementius: totâ die nihil comedit sed quietus jacuit: urinam hinc cruentam minxit, tandemque alterâ die postquam motus epileptici ipsum haud obscurè vexassent, periit. Separatis integumentis, præsentibus Viris Excellentiss. *DD. Jo. Rod. Burcardo DD. Rothio* aliisvé, musculi cruri affecto interius incumbentes, planè denigrati fuerunt ac gangrænati, sanguine ad adspectum grumoso, fluido tamen, ex læsis vasorum osculis stillante: similem quoque in abdominis musculis, anterius & interius, maximè ponè pudenda observavimus. Abdomine aperto, in abdomine & mesenterio, sanguis grumosus copiosè satis deprehensus fuit. In hepate nulla manifesta labes: vesicula fellis liquore suo tumuit. Renes salvi ac incolumes, nec vesica urinaria ita sanguinolenta. Thorax reseratus sanguinem extravasatum & coagulatum, pariter hic illic ostendit, in cordis præprimis auricula & thalamo dextro, ubi insigniter grumuerat: similem quoque in vasis huic appensis comperimus. Eâdem quâ canem hunc vulneravimus die, animum subiit capite viperæ abscisso, vulnus alæ columbinæ infligere; experturi quid inde eveniret: bihorio ergò pôst cùm ala itidem intumuisset & gangrænam concepisset, vidimus motus convulsivos illam prehendere tandemque corruere, liberatâ à funesto hoc exitu gallinâ, quam vipera alia momorderat, ope ferri igniti, quod è longinquo parti vulneratæ applicuimus, & incolumi persistente capellâ, quæ â tot morsibus inflictis, citra ullam medicamentorum exhibitionem, nihil prorsus detrimenti sensit, felicior in hoc cane alio, qui ex aure morsu vulneratâ, haud dubiè succubuisset, nî

sale

ſale viperar. exhibito, mali vires infractæ fuiſſent; multum etenim auris intumuit, ipſeque laſſus, mali ſerpentis enormitatem monſtravit.

SCHOLIUM.

NIhil eſt noſtro judicio, quod mentem veritatis avidam, magis oblectet atque in cognitione rerum naturæ magis confirmet, quàm curioſa experimenta, præcipuè de iis rebus, quas priſci ſcriptores aut omiſerunt penitùs, aut ancipiti ac diversâ ratione expoſuerunt. Identidem tamen officit etiam, turbatque experimentorum contrarietas atque diſſenſus, licet enim illa quandoque facem veritati illuſtriorem accendant, accidit nihilominus ut ipſa non rarò ſint ſuſpecta & dubia: De viperarum ſanè morſu elegantiſſima argumenta *Vir Nobiliſſ.* in medium protuliſti, quibus cum non parum refragari videremus Cl. *Charras* in ſuâ viperæ Anatome, in rem præſentem ire nobis libuit, viperas ſubminiſtrante peritiſsimo *D. Eglingero*, Pharmacopolâ quondam noſtro, qui eas ad theriacam conficiendam, è Gallia adferri curaverat: Antequam autem utriusque Veſtrûm ſententiam excutiamus, effectus in noſtris animantibus productos, tantisper rimabimur: utque ab animali mitiſſimo ordiamur, columbæ ala, venenati morſus damnum mox luit, irritatis partium membranoſarum & tendinoſarum incolis, in quos ſanè vel maximè vim ſuam hoſtis hic exercere videtur, ſanguinisque, maſsâ infectâ, cujus portio extravaſans, gangrænam funeſtam induxit: nec immunes evaſére canes, licet alter paulò diutiùs ſubſtiterit, cujus cauſam equidem, nunc in parte morſui magis reſiſtente, nunc in ipſius veneni citiore vel tardiore communicatione quærendam arbitramur. Uterque vel ſalivavit, vel vomuit, alvum dejecit vehementius, & cruenta minxit, evidenti indicio mali cùm fibras nerveas, ſpiritumque animalem illicò aggredientis, & in motum impetuoſiorem concitantis, unde cùm œſophagi, tum

gi, tum ventriculi & intestinorum fibræ ad expulsionem stimulatæ fuerunt, tam ipsum vitæ principium massam humoralem graviter fundentis, unde sanguinis nimiùm attenuati particulis serum imprægnatum, urinæ tincturam sanguinolentam conciliavit, cujusmodi à spiritu nitr. aëreo incitato, cordisq; machinâ in motum velociorem actâ, malum quandoque subsequitur. Clariora hujus effectus vestigia sectione prodierunt, in cane præcipuè priore, utpote cujus thalami cardiaci, cum vasis appensum, sanguinem tenuem & acerrimum fuderunt: in altero vim suam præcipuam lusit, in crure affecto, vasisque istud cum partibus vicinis perreptantibus; præterquam enim quòd musculosæ partes intumuerunt, denigratæ fuerunt insuper, à liquoris & sanguinis eô infecti corruptelâ, qui fluidus ex vasculis singulis prorupit, aliquâ ejus portione in partibus reliquis (crasi destructâ) nunc grumescente nunc fluiditatem concipiente, cujusmodi effectus, rationi consonus omninò videtur; nec enim fieri potest, quin solutis particularum combinatione & motu legitimo, aliquæ heic illic sese prehendentes, grumescant & in motu subsistant: Eandem noxam intulit alæ columbæ viperæ caput abscissum, gallinâ ope ignis, veneni communicationem cohibentis liberatâ, cujusmodi emolumentum sal viperarum, cani ultimo attulit. Mirum verò capellam nihil damni prorsus sensisse, animal quod etiam cicutam innoxiè comedit, cujus rei causam alii pro lubitu explicent: id apud nos ratum est, non modo exugendo vires ejus infringi, aut ignearum particularum ope extrahi subtiles veneni particulas posse, sed etjam quod supra innuimus, variâ trituratione subigi, mucoque involvi, imò partem nunc minus commodam esse, aut aliter resistere, ut venenatus liquor osculis vasorum decenter instillari nequeat, quandoque etiam vires suas eundo amittere, inprimis ubi vipera fuerit fatigata, à frequentiore morsu: Imò ipsius massæ humoralis talem posse esse διάθεσιν, cui enervandæ ilicò, tale venenum

nenum non sufficiat: De activitate autem hujus liquoris, nunc majore, quæ præter regionis diversitatem, ab ipso etiam materiæ solaris copiosiore influxu (unde animalis istius vivacitas vel torpiditas) pendere videtur, evidenter fortè testari possunt, experimenta, imminente boreæ tempestate, in pharmacopolio præstantiss. *D. Frey*, Art. pharmaceut. Magistri iterata; tum enim vulnera canibus inflicta, præter partis intumescentiam, unde difficulter incesserunt noxam nullam intulerunt, quæ quidem subsequi debuisset, si in sola spirituum ex morsu irritatione, nocivi insultus deducendi essent. Periit tamen ex morsu graculus, motibus convulsivis, corculique palpitatione confestim insequentibus, cum alæ qualicunque intumescentiâ & gangrænatione. Atque in funestæ hujus labis causam, malique genium & fontem, jam penitius est inquirendum: Tu Vir Nobiliss. in Tuis *de viperis observ.* liquorem flavum quem glandulæ vaginales suppeditant, potissimùm in scenam trahis: Verba *pag. 23. & seq. Edit. Amstelod.* ita habent: Sed prætermis- „ sâ hac digressione, redeo ad descriptionem liquoris illius flavi, „ qui intra vaginas dentes contegentes invenitur. De hoc cum „ ore assumptus, neque hominibus neque brutis lethalis, per- „ gam inquirere, an fortassis vulneri instillatus, causa mortis exi- „ stat. Et verum est, spatio trium quatuorvé horarum, mor- „ tuos esse omnes gallinaceos, omnesque columbinos pullos, „ quorum vulnera eo infecta fuerunt, tamque necare liquorem „ viperarum vivarum, quàm desumptum è palato & vaginis vi- „ perarum mortuarum, etiamsi mortuæ sint ante 2. vel 3. dies, „ quod ipsum in *Epist. ad Eruditiss. Bourdelotum & Morum* confirmas. Equidem de liquore isto seorsim nulla fecimus experimenta, id tamen Tuæ, Vir omni laude dignissime, sententiæ stabilimento esse videtur, quod nî pars à liquore maduerit, sanguinemque stillarit, symptoma pejus inde subsequi nunquam viderimus, infallibili communicationis cum cruore necessariæ argumento: Columba quoque quæ à capite viperæ abscisso

vulnerata interiit, liquoris nocivam vim ſatis prodit, cui morſus ſolus utcunque inſufficiens eſſet, imò ineptus, ſi ſæpe laudatam in experiundo induſtriam tuam conſideramus. Clariſſ. *D. Charras* qui poſt Te eadem experimenta tentavit, morſu plurima animalium internecioni dedit; nec enim quòd quidam canes evaſerunt, ad illius impunitatem argumentatur, cùm ipſe viderit, à vipera vivaci, ſi partem imprimis laxam, aut vaſculis ſanguiferis copiosè inſtructam momorderit audaćtius, interitum ilicò afferri: De liquore verò paulò aliter ſentit; Enim verò quòd hic ore animalium abſumptus, & pergulam in ventriculum trajectus, pejus malum non inducit, mucus quo dictæ partes oblinuntur, in causâ eſſe poteſt, ejusdemque poſtmodum & ſubactio & cum particulis aliis comixtio, unde pari ſinceritate cum cruore impoſſibile miſceri poteſt (videſis quæ alibi de cantharidibus memoravimus.) Corruunt hinc primùm *Charraſii* experimenta de panis taleolâ, quæ cum ſuccum flavum è gingivis ſex viperarum irritatarum exhauſiſſet, cani famelico innoxiè objecta fuit, hujusque impuni ab hominibus etiam per os aſſumptione. Id verò majoris momenti eſt, quod prædictus Vir Clariſſ. aſtruit ſuccum flavum in veſiculis contentum partique vulneratæ citra morſum inſtillatum, nullum gravius ſymptoma induxiſſe, contra quàm Illuſtris Aretine experimentis iteratis, ſupra laudat. ad *Abbatem Bourdelotum Epiſtolâ* comprobaviſti; Arduum ſanè negotium nec expeditu facilè, ubi propria experientia deficit: In partes verò tuas ut eamus, plura ſunt quæ nos movent; partim liquoris à ſpiritu animali viperâ excandeſcente major actuatio unde morſu maſſæ humorali immiſſus, turbas funeſtas infert, quâ cadere utcunque poſſe videtur, ni extractus, in momento ferè vulneri recenti inſtilletur; volatile enim illud eſt & in auras abit citiſſimè, à quo ſingulæ liquoris particulæ, ſiquidem vivaces fuerint, acrimoniam nocivam acquirunt; partim rationum quibus *D. Charras* labem lethalem evincere ſatagit, obſcuritas:

ritas: vult nempe viperæ phantaſiam ab idæa vindictæ quam ſibi finxit, irritatam, motum quendam inexplicabilem ſpiritibus conciliare, atque vi impellere, per nervos eorumque fibras, verſus dentium cavernulas, quaſi infundibulum, exinde in ſanguinem animalis demorſi deferri mediante foramine ab iis inflicto, unde cuncti effectus emergant! Aſt æquè craſſa eſt hæc viperæ phantaſia, quàm idea vindictæ, imò *D. Charras* ratiocinium: cur quæſo illam ſibi fingit demum, mali illati conſcia? ecquis ipſam edocuit, ſpirituum exploſioni per dentes perforatos viam eſſe? quàm facilè non avolarent animali ad morſum ſeſe componente? quis fibrarum nervearum multam ſeriem in cavernulas ipſorum inferri ipſi monſtravit? Stagiræ hæc nata videntur, & multo magis inexplicabilia eſſe, necdum veritati congrua quàm eſt ſpirituum motus: Atrox ſanè evadit iſte & concitatur animali irritato, ceu iſtud convulſiones celeres, cum linguulæ protenſione oſtendunt. Inde verò vel phantaſiam vel ideam vindictæ non arguit: Cogitet *D. Charras* animal unumquodque ſui defenſionis & conſervationis ſtudioſum eſſe, indeque ſingulari providentia ſummi Opificis, motibus certis gaudere ac inſtrui, quibus inimicum depellat, quem nec novit nec nôſſe poteſt: perpendat aculeos aliorum inſectorum, liquorem ictu immittere, quem de ipſis pendulum in apibus & veſpis ſæpe numerò vidimus, cùm tamen æquè perviis, ſpiritus animalis ad vindictam concitatus ſuffeciſſet, & probè conſideret, huic exploſioni, in capitibus quindecim viperis præſciſſis, & per quatriduum in vaſe vitreo coacervatis, locũ amplius non fuiſſe; fuiſſe tamen enecationi quinq; gallinaceorum & quinque pullorum palumbinorum, ceu Tu feliciter obſervaſti: ut ſileamus *D. Charras* nunquam veſiculas illas, è quibus liquor nocivus jugiter ſuffunditur, penitus reſecuiſſe, quò de præconceptâ & efficta hâc ſpiritus irritati per denticulos concavos exploſione, ſymptomatum quorumvis unicâ matre, ipſe melius conſtaret: Nova certè & inaudita opinio, quæ

 nio, quæ

nio, quæ hanc dentium cavitatem, ejusmodi tutelæ loco insectis pluribus datos esse pronunciat. Verum enim verò ne philosophemata ipsius tantum rejecisse videamur, datâ occasione, succo ipso plura tentabimus, quamvis de morsu à capitibus viperarum præscissis illato, experimenta cum nostris non conveniant: Sed satis de his, de naturâ liquoris hujus adhuc quædam delibabimus; quam alkalinam acerrimam esse, sanguinis fusio & tenuitas, cum partium vulneratarum gangrænatione, mictio sanguinolenta, aliaque, nobis persuadere optimè possunt, nec obstat magnopere, quod in cane altero sanguis circa præcordia coagulatus fuit; lentius enim in illo labes nociva serpsit, inque parte ipsa fluidum fundendo acrimoniam suam prodidisse verisimile fit. Quis autem non novit sanguinis crasi ita dejectâ, dum heic summam fluiditatem induit, alibi sæpenumero coagulari, ceu supra jam innuimus; Ipsemet *D. Charras* iis qui in spiritibus animalibus, arcanam quandam latere aciditatem credunt, respondet, acidum istud in massâ sanguineâ generari potuisse, ab ipsiusmet partibus, quæ disgregationem & dissolutionem passæ sunt, cùm à veneno infectæ fuére & corruptio ipsas invasit, videsis cap. 1. turbato itaque motu massæ humoralis, ejusque crasi à liquore morsu præcipuè communicato dejectâ, quis non videt varios effectus haud difficulter succedere; Id verò mirari subit, modò nominatum Virum Doctiss. *ibid. loci* adjicere: *Neque etiam vipera inter animalia, sola morsu lethifera est, quæ in rabiem aliquando transeunt, si in iram concitata fuerint: fidem faciunt canes, lupi, quin imò & homines ipsi*: At unde in his spirituum excandescentium explosio, dentibus ita perviis non existentibus? Vereor ut sibi ipsi similis heic sit, quod de *D. Redi* incautius dixerat; Etenim aut aliunde illa petenda est, quod etiam in viperis obtinebit, aut morsum liquor salivalis irâ aculeatus, activitate suâ præcipuè sustentat. Contrà acidæ naturæ venenum hoc esse, sal volatile viperarum, quod vulneratis solatio esse solet, probabiliter

biliter evincit, cùm aliter non juvet quàm ſpiritus animales promptiſſimè inſtaurando & coagulum præcipitando, à fermenti venenati contage oriundum: Sed etiam ſuccus citri, qui alkali non eſt, teſte Clariſſ. *Hofmanno*, morſui venenato medelæ eſt, & quæ ab acido corrumpuntur partes carnoſæ, rubent magis, nigredine (quam in cane altero deprehendimus) contrarium ejus inſequente; fortè etiam volatilia ſanguinis grumeſcentiam, quam ex ejus fuſione aliquibus in locis neceſſariam conjecimus, tollendo juvant, ut difficile ſit utrinque, ſententiam infallibiliter dicere. Commodè de his liquor ipſe ſanguini inſtillatus plura & certiora docebit.

OBSERVATIO CXXII.
D. JOH. JACOBI HARDERI,
Anatome Muris alpini.
Ad Virum Celebratiſſimum
JACOBUM WALDSCHMIDIUM
Archiatr. Haſſiac.

ANnô 1682. quum in thermis Fabarienſibus Venator loci, qui nuper Rupicapram attulerat, murem alpinum vivum adhuc donavit, auriculis urſi, colore leporis oblongiuſculô, ceu quoque pedum digiti ſunt, magnitudine cuniculi. Ventriculi & inteſtinorum facies, Porcelli Indici ferè ſimilis erat: Simplex illa fuit, tenuis membranaceus, à cujus ſiniſtris Lien rubellus, longiuſculus, teres, à dextris verò hepar quatuor lobis conſpicuus, cujus cavum cyſtis fellea occupavit: Meſenterium pingue, cujusmodi pinguedine etiam capſulæ, atrabilariæ infarctæ erant: Renes phaſeolum perbellè imitabantur: Ovarium elegans: Cor cum pulmonibus uti in aliis hujus generis animantibus: Anno ſequenti urgente brumæ ſævitiâ, allati nobis fuerunt ex

 Valleſiâ

Vallesiâ Musculi duo dormitantes, & in semetipsos prorsus revoluti, ut instar pilæ quocunque libuerit, illos volutare licuerit, respiratione manu abdomini adhibitâ vix perceptibili: Paulatim tamen in loco calido detenti, per corporis blandam expansionem vitæ indicia exhibuerunt, & quod adhuc magis oculos recreabat, post meridiem in camera lucidâ Solis radiis expositi, alacriter renixerunt, & discurrerunt; iisdem verò recedentibus, paulatim ad pristinum morem obdormierunt: In utriusque sectione præter modò nominatas partes plurimas glandulas mammarias æmulantes, in dorso cervicem versus conspicati fuimus.

SCHOLIUM.

Muris alpini enutritione, & hinc Sectione Excell. *Velschius* etiam delectatus fuit, ceu videri est *Observ. 1. Ann. 1. Ephemerid. German.* Et Clarissimus *Fabricius Hildanus Observ. Chirurg. Cent. VI. obs. 97.* plura de animali hoc lectu non minus jucunda, quàm utilia commemorat. Sunt denique Authores alii, inter quos præprimis est *Stumpfius in suo Chronico*, qui de ipsius docilitate multa debuccinant, quibus fidem prorsus non denegamus. Naturæ providentia est, & hujus Authoris, sui tutelam animantibus variè commendantis, quod sub terrâ se tam artificiosè abscondant, parentque domicilium adversus hostem externum, quo ipso equidem quam graviter ejus dictamini obsequantur rationis experta, homini palàm fit; Nec verò locum tutiorem in alpibus degens, totamq; hyemem stertens, quærere potuisset, quàm terræ reconditos sinus; boreæ enim spicula cohibendo, & figendo sanguinis, in quo vita ipsorum consistit, motum, destructionem protenùs inferrent, à quibus immune tantisper persistit, in specubus delitescens, foribus terrâ fortiter obseratis; Id autem asserere nondùm audemus, quod aliqui audacter contendunt, animal humi stratum, & instar plaustri fœnô onustum, ab aliis caudâ appre-

apprehensâ ſpecum verſus trahi, cujus indicio ſit dorſum pilis denudatum: Scimus iſta à venatoribus perhiberi, ſed num teſtes oculati ſint, ignoramus. Geſticuloſum ſatis eſt, & feſtivum animal, ſuæque alimoniæ ſtudioſum, quam tamen æſtivo tempore ſibi parat facilè unumquodque: Nec caret ſuis inſidiis, quas ingruente hyemis ſævitiâ frequentiſſimas eſſe, nobis conſtat, attendunt ſiquidem ad foveas ipſorum alpium incolæ æſtate, & inde tempore opportuno mures iſtos dormitantes multo numero capiunt: Habet etiam uſum ſuum dorſi caro glanduloſa (quam munimenti loco inſervire, dum dicto vectionis officio funguntur, *Hildanus* auguratus eſt) eumque nobilem, materiæ viæ oleaginoſæ, ſulphureæ, in pinguedinem deinceps transeuntis ſecretionem paulatinam, cujusmodi etiam in abdomine, & pellem inter & muſculos copiosè ſequeſtratur, imò tantùm non ibi in certas quaſi veſicuals reconditur, quod æſtivo tempore ubi pabulo ſaginantur, animadvertere eſt faciliùs, quam hyemali, cùm per pluſculum tempus dormierunt; tunc enim illa ſenſim funditur, perque vaſa convenientia reſorbetur, profluere, nec eſcam pariter accommodatam, vel ſapidam præbent, quod etiam de cochleis ſui tempore demonſtrabimus: Illuſtrationem verò nî fallimur, merentur, quæ laudat. Obſervat. *Hildanus* memorat. *Primò* inquit *occurrit pellis, in qua raritas & paucitas pilorum & lanæ, obſervatione digna eſt; Unus enim cuniculus, qui magnitudine murem alpinum exæquat, hoc tempore hyemali plus habet crinium & lanæ, quàm duo mures alpini: Putasné hoc ſine cauſa à Summo Genitore ita factum fuiſſe? minimè. Quia enim animal hoc in Autumno ſe abſcondit, & per totam hyemem in cavernis profundis, & calidis dormit, & non niſi in fine Veris, quando aër iterum incaleſcit, ex locis iſtis ſubterraneis, & calidis prodit, ſuperfluum fuiſſet, ſi crinibus lana, uti reliqua animalia, quæ dies noctesq; aëris inclementiæ, imbribus ac nivibus expoſitæ ſunt, veſtitum onuſtumq; fuiſſet: Superfluum, inquam non ſolùm, verùm etiam damno-*

damnosum id fuisset: Calor enim ille externus & adventitius calorem innatum exstingueret, humidumq́ radicale animalis absumeret, &, vix ad æstatem superviveret: Scribit Excell. Gesnerus se murem alpinum dormiturientem initiò hyemis in vas ligneum, scandulis abiegenis concinnatum & fæno semiplenum, addito suo operculo deposuisse, & post dies aliquot mortuum repperisse: Causam fuisse respirationem exclusam existimat Gesnerus; Ego potius calorem illum nimium fæni & vaporem sulphureum in ipso contentum mortem acceleràsse arbitror: In ipsis enim montibus, ut item Gesnerus testatur, aditus cavernarum tàm solidè arcteq́ occludunt, ut mirum sit, quî fiat, quod respiratio iis non intercipiatur: Hæc ille: quibus vereor, ut nostra sententia prorsus consona sit. 1. enim nostri hyemales hospites pelle satis pilosa, quamvis teneriore fuerunt instructi: argumentum verò, quod de aêris inclementiâ, imò caloris innati exstinctione, humidique radicalis absumtione depromit, forsan huc totum non quadrat, etenim nec cuniculi. Borea sæviente suis in cellulis delitescere detrectant, nec calor ille externus, quem pili exhibere possunt tantus videtur, qui in foveis alpinis detentum animal, quarum exterior facies riget & congelascit sæpius extinguere valeat, quinimo antiperistasis Aristotelica contrarium potius evincit, terræ finibus internis per hanc satis calidis existentibus, unde fluidi motus longè vegetior esse deberet, quâm verò in dormitantibus deprehenditur, ipsa quoque naturæ providentia, quâ spicula brumæ subterfugiunt, ceu summè nociva, motumq́ue vitalem interceptum simile quid dictitare videtur, pariter secundò aliquantisper miramur, quòd cum fœno Excell. *Gesnero* contigit, cùm aliter non, quàm isti involuti, vasique ligneo inclusi ad nos advehi citra damnum consueverint, valeretq́ue maximè vapor fœni sulphureus, nî tum temporis præcipuâ ex parte deferbuisset, credimus tamen, eo prorsus non rejecto, loci regionivé rationem heic habendam esse, nec enim apud nos contra frigus ita

gus ita obmuniendi videntur, uti in locis alpinis, ubi particulæ deleteriæ magis urgent; Utque hinc ad dormitationem ipſorum aliquid dicamus, dubii ſumus valdopere, an reſpiratio iis quodammodo non intercipiatur, ceu jam ulterius ibimus illuſtratum: Conſtat eruditis cùm ex inſectis tùm volatilibus plurima, quæ hyemali adventante frigore, tantùm non emoriantur, varieque ſeſe recondant, Solis ſub adventum, cum primis æſtatis delitiis blandè revictura, imò eſſe etiam animalia grandiora inter, quæ aëris uſuræ, quamvis aſſueta, imperfectorum tamen more, per hyemem latebras quærunt, in quibus tutè ſtertere, & mutatâ ſcenâ mortem obſtinatiſſimo ſomno referre poſſint: In hiſce monente Excellent. *Pechlino* illuſtr. *de alimenti & aëris defectu meditatione*, hoc notari debet, alia unam & perpetuam, hyemem domire, alia exactis temporum periodis, movere ſe nonnihil & inſtructâ ante ſomnos penu ali, vel ex ſuo ipſorum corpore delibare, ſi Diis placet, quod deinde ſuſtentet & inferciat pellem; de ultimo genere, quid ſentiendum, dicere heic non vacat. Ad primi generis mures alpini referuntur, de quibus præfatus Vir Celeberr: ita nobiſcum judicat: *De Mure alpino, de Erinaceo quoque noſtratibus, eos abdi certiſſimum eſt, circa Martini feſtum, & nares pedum anteriorum cavis ceu manibus excipere, cætera profundo ſomno ſepultos nil aliud, quàm mortem ſimulare, quod adeo etiam in vivis deprehenditur, ut quo magis tundas, verberes, torqueas eò minùs ſenſum ſuperſtitem, & vitalem motum manifeſtent, imò ad ſæviſſimos ferri, ignium cruciatus, ſpinoſisſimo illo & in orbem collecto corpore obdurent: de quibus videri poteſt in actis Hafnienſium, Vir incomparabili eruditione Olaus Borrichius, delitium noſtrum. Illud autem animal modò lentum, nunc jubente impetu pernix, inediam diutiſſimè tolerat, atq; imminutâ reſpiratione, ſanguinisq; motu abditur, ad Martii demum calorem reviviſcens, murium domitor acerrimus. Hic tamen nemo exiſtimare debet, animalia in iſto corporis habitu nihil ſpi-*

 rare

rare vitæ; ſpirant enim profectò, ſed lento & indeprehenſo motu: Et ſanè materiæ ſolaris in hæc inferiora influxus adeo neceſſarius, ut ferè ne per momentum quidem, corpora noſtra illo carere poſſint: In plantis res ſatis evidens eſt, quæ quò uberius illius motu fruuntur, reſeratis terræ propriisque poris, ad motum vivaciorem concitato ſucco alibili, promptè germinare incipiunt, cùm prius per hyemem tantùm non emortuæ obriguerint: Id ipſum quoque in corporibus noſtris patet, in quibus eò vegetior eſt fluidi motus, ac promptiores ſingularum partium actiones, quo illius præſentiâ ad votum magis beamur, humoresque motu impertito ita diſponuntur, ut organa ſuis muniis felicius fungi poſſint; cùm è contrà Brumâ ingruente imminutum per Solis receſſum ejus motu & præſentiâ à particulis rigidioribus pori ſtringantur, occludantur, fluidumque ipſum cogatur magis & torpeſcat: Quod ipſum Artis noſtræ Parentem latuiſſe non poteſt, quin hic *ſect. 2. aphor. 25.* *Οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.* Quid mirum ergò ſi muſculi noſtri obdormiſcant, ab externi hoſtis injuriis immunes, ſi ex fluidi ſubtilis imminuto vivifico influxu magis vitæ animalis indicia non edant, quàm ob maſſæ humoralis viſcoſitatem aliquam, cui in motum celeriorem agendo, illud ob ſui paucitatem minus ſufficiat? Perirent certè animalia iſthæc ob alimoniæ, quam durante brumâ ſibi difficillimè, imò non citra periculum pararent defectum, ſi priſtinos motus, in terræ ſpecubus detentis, fluidum ingeminaret, ſatius longè imminui ipſum, & ſingulari Dei providentiâ, coagulum nocivum materiæ ſubtilis influxu impediri. Satius fibram motricem feriari, ſpirituque irrorante; quem nares aliàs copiosè receperunt, muſculos multâ ex parte orbari, reſpirationemque imminui, quàm ſanguinis impulſu, vaſa in pulmonibus & partibus muſculoſis adimpleri, aëriſque uſu ſanguinem nimium rareſcere, qui deinceps novo fomite non accedente, cum vitæ animalis diſpen-

dispendio, fatiscere necesse haberet, imò satius in isto statu, Endymionis instar tamdiu stertere, donec itu redituque caloris subterranei & solaris, motum à fluido subtili novum accipiat, qui deinde in solida perinde ac liquida transeat, vitamque instauret; succrescente paulatim novo victu conservandam: Ut proin nonnisi superficiariam respirationem in iis agnoscamus, in quâ diaphragma non multùm figuram mutet, imò ita movetur, ut explorari motus ille difficulter possit: Propterea autem à motu omni cor non cessat, ceu Illustris *Harveus* suspicatus est *Exercit. 51.* qui inde sanguinem particulam sanguinis principalem, Cor verò & vasa transmittendi & distribuendi gratiâ extructa esse, evincere satagit, in quo posteriore adversarium magnopere habet neminem; motum autem à particula hac principali minus feliciter separat, utpote quo ablato prærogativa ista desinit: Jam verò quî possibile sit, sanguinem vasis suis contentum in motu concipere, negato obscuriore vel cordis arteriarumvé motu, qualem vel ante puncti salientis comparitionem, in ovo incubato necessarium statuimus, alii judicent, quî sine isto conceptum nec esse nec subsistere posse nobiscum nôrunt. Ast à capite, quòd ajunt, seu vitâ, ad caudam transimus, quâ Marmotas (sic enim animal nostrum appellat) penè destituit *Scaliger Exercit. 203.* Verba ipsius ceu quæ in cæteris descriptionem nostram confirmant heic apponemus; *Quare, inquit, ex tuâ Philosophiâ, rectissimè horum animantibus Marmotas attribuisses, ibi enim frequentes; quarum Plinius cùm nullam fecerit mentionem, hîc ultrò earum naturam scribere constituimus: Melis sunt magnitudine & pilo, caudâ enim nullâ penè: eundem quoq; ad modum crura brevia, aures brevissimæ, auriculis curtissimis, atq; ad adspectum nullis; Ungues longi, acuti, firmi, unci nigri: Leporum capita non malè suis capitibus referunt, hybernos totos menses sopore transigunt &c.* Similiter etiam *Cardanus l. X.* in historia murium, alpinos recenset, àque Mediolanensibus Marmotas vocatas,

juxta tamen cum muribus præter nomen nil commune habere asserit: Omnes sanè quotquot vidimus & secuimus caudam humi pendulam habuerunt, valdeque ambigimus an in isto genere alii sint, ἄκερκοι, caudatuli alii? Utrumque quis reluctante αὐτοψίᾳ asseverabit, quam fide æque si non magis dignam censemus ac *Johannis Struiis* Scriptoris novitii, qui in suis peregrinationibus Lugduni gallicè editis, homines caudatos in formosâ insulâ prope Sinarum oram non paucos observari asserit. D.1.A.IX et X. p.456

OBSERVATIO CXXIII.

D. JOH. GEORG. SOMMERI, Opera DEI admiranda & glorificanda.

De anni 1684ti hyemis rigidissimæ, deque subsequentis veris & æstuantis æstatis effectibus, v. gr. de maribus citra solitum solidâ glacie obductis, de multis frigore perditis hominibus, brutis, arboribus, aliisque vegetabilibus; item de morbis & morte hominum atque brutorum aëre præcalido spiritibus ferè effœto inductis, de fontium exiccatione, urbium, pagorum, sylvarum & cespitum numerosis incendiis, de frumento æstivali in terra propter defectum pluviæ plurimam partem sine germinatione jacente, post messem autem, exortis pluviis, denuo progerminante, eodemque autumno in ipsas luxuriantes aristas excrescente &c. procul dubio Curiosi multa admiranda posteritati relinquent.

Ego hæc insolita piâ speculatione considerans inter alia non semel admiratus sum, quod dicto anno à tempore sementis vernalis usque ad & post ipsam messem cœlum nostrum nec guttulam pluviæ, nec noctu quicquam roris in fruges tunc adolescentes demiserit, & propter Solis fervorem valdè intensum terra ita fuerit are- & rarefacta, ut segetes radicibus suis vix so-

vix ſolo hærentes tantùm non penitus exaruerint, maximè cùm profunditate terræ ulnam, & quod excurrit, infra ſegetum radices, ab agricolis explorata, non niſi pulverulenta terra, & ne minima humiditatis nota ad ſenſum advertenda fuerit, eadémque de cauſa multæ etiam arbores ſtatu cœli hoc ſicciſſimo, pingui ſuo humore nutritìtio depauperatæ, contabuerint, multáque pratorum tum pinguium, tum ceſpitum compita quaſi canitie marceſcente obducta, penitus exaruerint; imò quod majus eſt, quod contrà factum, ut frumenta hyberna potiſſima culmis & ſpicis luxuriantibus feliciter ſuccreverint, & grana polline, plus panis, quàm frumenta aliorum annorum elargiente, turſerint.

Quod ſanè teſtimonium eſt omnipotentiæ & immenſæ benedictionis divinæ, quo ipſo etiam verum eſſe demonſtratur, quod vulgò dicitur, benedictionem divinam, (vel potiùs modum & motum ejusdem,) non eſſe viſibilem.

Inter media autem, per quæ Deus hac in parte egit, & cauſas ſenſibus perceptibiles inprimis fuiſſe videtur ventus frigidus, quem Deus ex theſauris ſuis non rarò producebat. Quotiescunque enim *cælum*, ceu ſonant verba *Pſalmi 104. v. 3. aquis contignatum* apparebat, & ita nubes in aëre ſuſpenſæ, ſe in pluvias jam jam reſoluturas terræ aquis anxiè inhianti promittebant, toties inter ſeptentrionem & occaſum oriebatur ventus frigidus à Phyſicis *Cyrcius* vocatus, qui quamvis nubes diſpelleret, &, abs præeunte pluvia cœlum redderet ſudiſſimum, intereà nubium ſpiritu imprægnatus reficiebat vires omnium ſupra & intra terram viventium, qua de re *Hippocr. lib. de Natura Pueri* huc congrua reliquit, ſcribens: *Ex nubibus, quæ ſunt aqua continua, ſemper ſpiritus prodeunt, & terra, quæ aquam plus minusve ſemper in ſe continet, vento perflatur, & per eam ſpiritus percolatur.* Qua ratione ſcilicet terra crebrius novis ſpiritibus imprægnabatur, ſicque frugibus ſubinde nova vis vegetans & occultum alimentum afflabatur,

& ita frumenta, inprimis hyberna, ad vix expectatum maturitatis & perfectionis gradum feliciter pertingerent.

OBSERVATIO CXXIV.
D. JOH. GEORG. SOMMERI,
De
Dysenteria ex intensa aëris siccitate.

QUod *Hippocrates aphor. 16. lib. 3*, scribit, *per siccitates fiunt dysenteriæ*, illud non de simplici siccitate, sed de intensa & extensa aëris siccitate intelligendum est, ceu illud præter vocis pluralitatem contextus ratio, & è contrà multorum annorum sicca constitutio dysenteriam tamen nullo modo producens addocet. Quare liquidum est, cœli intensè calidi & sicci inclementiam, maximè diuturnam, & inprimis intenso frigore, sine singulari qualitate aëris interveniente media, permutatam, solam fieri posse dysenteriæ causam. Siquidem talis aëris contrarietas valde collidit temperaturam corporis humani, cujus sana & annosa hyparxis in qualitatum partium vitalium symmetria consistit, de quo *Sylvius Prax. med. Append. tract. 5. §. 70.* ita scribit: *Subitæ aëris mutationes, eæq; notabiles destruunt potenter hominis sanitatem, inter quas omnium pessima est frigus acre magnum æstum subitò excipiens.* Quorum effatorum confirmationem satis effectuosam suggesserunt anni 1666ti æstas & simul dysenteria per potissimas Europæ partes æstuans, ut & anni 1684ti hyems humorum vitia concentrans frigidissima, ver subsequens siccissimum, & æstas tota calidissima spiritus omnis generis dissipans, humores etiam per se acriores reddebat, fundebat & ad ὀργασμὸν disponebat, & demum, spiritibus exhaustis, omnium facultatum principum actiones labefaciebat. Quare Illustris noster *Hercules* in *Physiologia pag.* 154. ita scribit: *Aër à calore solis aut ignis externo nimio valdè attenuatus nec ad refrigerationem*

tionem sanguinis, multo minùs ad restitutionem spirituum sufficit, imò eosdem quovis modo atterit.

Harum causarum pedisequæ erant appetitus ad cibos maximè actu calidos dejectus & ad potum frigidum affatim ingerendum excitatus, & ita vigore coctionis & chylificationis fracto ad crudorum humorum farraginem materia suggerebatur, quæ cum humoribus acribus ex massa sanguinem per arterias meseraicas cum sanguine humorum motu exagitato in intestina depositis conjuncta importunas intestinorum Furias excitabant, & sanguinem cum humoribus per alvum exturbabant.

Hisce causis autem si aër corruptus etiam conspirabat, aut malum erroribus diætæ, v. gr. fructibus horariis, inprimis aëris vitio ad corruptionem dispositis aliisque facilè putrescentibus cibis, potu impuro, actu & potentia frigidiori, inprimis glacie, (ceu, effato Hippocratico, gravissima & pessima aquæ partè,) in isto fovebatur, eò etiam magis ventriculi & intestinorum facultas coctrix à priori vigore remittebat & retentrix relaxabatur, sicque etiam eò citius, malignius & periculosius in diarrhœam, dysenteriam, omnis generis febres & alia mala magis vel minùs contagiosa à solo aëris vitio prædicto produci apta incidebant. *[X. Jan. 1668.]*

OBSERVATIO CXXV.
D. PETRI CHIRAC,
Experimentum Anatomicum circa naturam Vomitionis.

EXperimentum nuper feci circa naturam Vomitionis explorandam, quod clarè, ut opinor patefacit actionem ventriculi in vomitu nullatenus esse in Contenta ejus; Dedi Cani in offâ panis mercurii sublimati corrosivi ℨj. quam

quam mox postea evomuit cum incredibili vomendi conatu ulteriori, tum temporis ipsi abdomen aperui sec. musculorum rectorum longitudinem, quo citò observarem quid in ventriculo fieret, verùm nullatenus observare datum motum adesse aliquem in ventriculo extraordinarium, motus enim peristalticus leviter ac confusè saltem apparuit cum contractione fibrarum ita debili & parvâ, ut quamvis nil esset in capacitate ventriculi (jejuno enim ventriculo ipsi bolus exhibitus erat) ille tamen inde incapax esset se vel ad vigesimam partem constringendi, prout fieri deberet ad evacuationem ejus per orificium vel superiùs vel inferiùs; interea tamen temporis inanis vomendi conatus sæpius recurrebat; unde ulteriùs mecum constitui ventrem apertum consuere, relicto non nisi exiguo foramine ad experiundum digito immisso quid ibi perageretur; hoc facto, continuatisque in Cane vomendi conatibus, nulla contractio in fibris ejus observanda fuit, sed solummodo quòd ventriculus esset planus ob pressionem viscerum ad inferiora ex motu diaphragmatis & constrictione musculorum abdominis, vel, ut verbo dicam, eo tempore quo vomebat canis nulla omnino erat contractio; tum ergo de novo ventrem aperui, rursusque aliquoties dicto modo clausi, verùm nil novi præter hactenus dicta observandum erat, nullis apparentibus indiciis alicujus constrictionis fibrarum ventriculi ad ejicienda contenta in eo foràs per orificium vel superiùs vel inferiùs.

[Ex literis ad Cl. D. D. Emanuel. König. 1686. 25. Januar. Augustam allatis.]

OBSER-

OBSERVATIO CXXVI.
D. MARTINI JOHANNIS HAESBAERT,
De
Matre fœcundâ, quæ ſtante matrimonio nunquam menſes paſſa.

PRæterita æſtate, Vir quidam egregius (cujus nomen uti petiit, ſupprimo) mihi præſentibus aliis, hiſtoriam retulit, cui nunquam ſimilem me vel legiſſe vel audiviſſe recordor, *Fabricius* quidem *Hildanus libr. Obſerv.* hiſtoriam de menſibus ſine noxa retentis refert: Verùm longè alia ibi res eſt, non fluxêre menſes durante virginitate neque in matrimonio & tamen peperit. Affinis quoque caſus eſt, quem alibi legiſſe memini, ubi nec durante virginitate neque in matrimonio fluxêre menſtrua, at ſterilis erat mulier. Hinc neminem experimentis vel leviter tinctum latere poteſt, quantum ad ſanitatis rationem conferant diſpoſita benè fermenta, & quantum contra damnum inferant eadem malè temperata. At nos hîc alium caſum obſervatu digniſſimum exhibemus, juvencula quædam eſt honeſta viginti annos ſeptem nata, judicis cujusdam uxor: Ea licet durante virginitate fluxu menſtruali laboraverit toto, matrimonii tempore (in quo tamen aliquot liberos peperit, quorum major pars adhuc in vivis eſt & iterum gravida) nunquam menſes paſſa eſt, mulier egregiæ formæ ſana atque vegeta. Unde hæc mixturæ turbatio procedat nunc dicendum eſſet, ſed me facilè excuſatum iri ſpero, ſi hoc in difficultatum pelago, in ſcopulos mediis in undis ſitos fortè impingam, videntes enim rem à nullo hactenus explicatam ejusque cauſam, ſacro adhuc tegi involucro hoc ſolùm dicemus quòd corruptioni usque adeò expoſita ſit corporis noſtri materia, ut eo ipſo momento, quo formari cœ-

pimus illicò corrumpi & alterari incipiamus. Sit ergò Oedipus, qui hæc divinet necesse esse. Ego rem Curiosis ulteriùs indagandam relinquo; Quid ulteriùs continget, Deo vitam & valetudinem conservante significabimus.

SCHOLIUM.

PRæter illud à *Guil. Fabricio Hildano* recensitum exemplum feminæ fœcundæ, quæ nunquam tamen menses passa fuerat, alia etiam leguntur apud *Dominic. Panarolum pent. I. observ. 17. D. Laur. Straussium de fætu Mussipont. pag. 99. Hieron. Reusnerum in Syll. obs. Welsch. obs. med. 99.* nec non *Ephemeridum nostrar. Dec. I. Ann. III. obs. 132. Ann. VI. obs. 64.* nec non *Dec. II. Ann. I. obs. 41.* Confer. quoque *Dan. Sennertus medic. pract. lib. 4. part. 2. sect. 2. cap. 1. quæst. 1. Joh. Prævotius de morb. uter. cap. 3.* & *Joh. Bened. Sinibaldus geneanthrop. lib. 6. tract. 1. cap. 11.* an mulier concipere posset, cui nunquam menses fluxerunt, ibidem quæstionem moventes. Rarum non minùs est, feminæ eosdem, cum gravida esset, tantùm prodiisse; ut ita, cum fluere inciperent, certa de imprægnatione fuerit, vid. *dd. Ephem. Dec. I. Ann. III. obs. 348.*

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSERVATIO CXXVII.
D. MARTINI JOHANNIS HAESBAERT,
De
Lumbricis inguina perforantibus. &c.

UXor cujusdam rustici, habitans in Ducatu Clivensi multorum liberorum mater, de atrocissimis, quos per intervalla in abdomine sentiebat doloribus conquesta, aliâs satis robusta & hucusque vix aliquo morbo tentata, tempore autumnali 1684. febre correpta, per aliquot septimanas, sine omni cibo, solo potu cerevisiæ secundariæ contenta,

tenta, denique vomitibus ſuccedentibus, cui diverſa adhibita remedia fruſtrà omninò fuêre: Nullum enim inde levamen ſentiens, lecto affixa permanens, pejora indies ſymptomata experta eſt, adeò ut ſibi jamjam ad plures abeundum putans, marito atque aliis adſtantibus extremum valediceret. Quid fit? maritus Chirurgi qui in proximo habitabat conſilium atque opem implorat, hic nihil aliud, niſi apertionem tumoris inſtituendam uti judicabat ita ſuadebat. Ægra cruciatuum impatiens facilè conſenſit, proximo itaque die Chirurgo ad ſe accerſito tumorem oſtendit, qui locum, quem expellendo oneri demonſtrabat officioſa natura, perforante manſit ægra exitio ſuo ſuperſtes, nullo ferè artis ingenio ex orci faucibus erepta. Nam facta apertione duodecim vermes quartam ulnæ partem præterpropter longi exiêre, dehinc applicatis idoneis remediis ne quid mali accederet pro viribus cavit, ſicque trium menſium ſpatio mulierem à moleſto illo tumore feliciter liberavit, quæ in hunc usque diem dum hæc ſcribo, bona fruitur valetudine.

OBSERVATIO CXXVIII.
D. JOH. THEODORI MOEREN,
Calculi inter duplicaturam peritonæi.

QUanquam penè mihi ſuperfluum videbatur ulterius loca corporis humani recenſere, ubi ſabuloſæ materiæ congeries ſpiſſo luteoque coagulo ex vaſis lymphaticis per Glandulas credo exſtillante in veros calculos abierit, præſertim cum Nobiliſſimus *Graſſius*, ut refert in ſuo de *ſucco pancreatico* tractatu, *cap.VII.* plus quàm vigeſies calculos in glandula pineali obſervaverit: & paſſim *Ephemerides* noſtræ curioſa Calculorum farragine turgeant.

Nolui tamen Obſervationem conticere, quam ad me nuper ex *Agrippinatum Colonia* ſcripſit Magnæ famæ & ſcientiæ

Vir *Johannes Baptista Lambsvverdt*. Facultatis Medicæ Coloniensis novum Columen in his formalibus:

A quatuor diebus aperui cadaver fœminæ miserè per annum decumbentis, & ut vulgò fertur incantatæ, sed inveni sacculum plenum calculis & arenulis inter duplicaturam peritonæi circa ejus glandulam enatum lumbaribus musculis annexum, Major ex illis pendit ℔. j. & ℥iv., tumor tantus erat in abdomine, ut se primo gravidam, ut & postea ejus Medicus fœtum mortuum in utero latentem putabat, sed culter Anatomicus noster veritatem, detexit.

OBSERVATIO CXXIX.

D. JOH. THEODORI MOEREN,

Vulnera Cerebri non statim lethalia.

NOn possum non quin identidem gaudeam & tripudiem ob seculi hujus nostri felicitatem, ubi solertissimis naturæ Curiosis indies obtrudantur amplissimæ materiæ, è quibus tanquam ex Abysso proliciatur prioribus seculis aut ignota, aut etiam oppugnata veritas, imò tam benevolè annuit fortuna, ut non simplex & una solùm observatio veritatem relinquat dubiam, sed multiplicatæ historiæ concordantia ejusdem propositionis dubiam ante veritatem luculentissime stabiliat & roboret.

Quam scrupulosam fidem habuit *Fabritii Hildani* cura Cerebri? quum ejusdem portiunculam quandam detraxerit, & quanquam plures de hac materia historias recenserit *Schenckius* aliique, præsertim & recentiùs *Ephemerides* nostræ, dubia tamen quibusdam mansit fides, at ego alterius infortunio certior redditus genuinam historiæ relationem referre volui.

Cum me Confluentiæ & ibidem ipsa Excellentiss. *Æoli* lactaret humanitas sub solutæ hyemis Epilogum, quo lapidicida quidam adolescens adhuc sexdecim circiter annorum, exscindendis

dendis lapidibus ad montis radicem novam daret operam, & nescio quo fato ab alto lapis ingens & irregularis in capitis latus sinistrum dicti adolescentis fecit impetum; evocatus è Confluentiâ Chirurgus qui eo vesperi simplicis vulneris ligatura contentus, graviora symptomata metuens jussit eum in civitatem deportari.

Altera die, manè cum alio Medico advocatus, juncto Chirurgo, unam impendimus operam. Convulsio erat dextræ utpote oppositæ partis corporis in similibus casibus fieri solita, ut habet *Bartholinus in Cent. 5. hist. anat. 2. & Helvvigius* mihi *fol. 70.* ubi variè de illo puncto discurrit in *additamento suo* Doctissimus *Schröckius*: aperto vulnere cum fractum esset cranium, utramque tabulam sed frustatim concisam exemimus, quibus partibus cranii in mensa conjunctis spatium volæ manus implevimus, horruimus vulneris istius immensitatem hiscentibus labiis & saltante instanter cerebro, manente tamen sibi præsente vulnerato.

Grandis hæc contusio & duram piamque meninges ruperat, ipsamque Cerebri substantiam confuderat, & sanguis se ipsis Cerebri glandosis cavitatibus inseruerat, quem stylo adaptato bombicino flore suaviter exsuximus vulnereq; depurato, debitis Medicamentis extra intraque adhibitis caput ligamentis involvimus.

Indies æstimavimus miraculum, protuberabat enim continuo suo pulsu Cerebri substantia ut ut fungosa, quæ sui cautam ablationem indies duplicatis etiam vicibus requirebat, ubi apto licet forfice non potuimus cavere, quin non quandoque gravem hæmorrhagiam causaremus, quæ cogeret, ut stylo etiam ad ipsos oculi tubos opticos descendente sanguinem è cerebri cavernis purgaremus, graviora sui alias restagnatione symptomata causaturum. Inter hos cruciatus & dolores craniique sæpe in molestas apices excrescentis dolationes, mansit ad omnium stuporem interturbatum judicium, ut nobis pro

 ligamen-

ligamentis firmandis acum quærentibus ipſe vulneratus in lecto jacentem & digito & voce monſtraret.

Cæterùm & Medicè & Chirurgicè tractatus jam videbatur natura poſt vigeſimum primum diem ſe ipſam juvare velle, & nobis de curæ felicitate gratulabamur, ubi ego ad negotia extra civitatem evocatus aliquot dies emanſi, cæteris ad curam ſufficientibus; at interea temporis advenerat vulnerati parens, qui ubi ſolus filio confabularetur quoque duceretur appetitu, quæreret, reſpondit filius ſe haleces crudos cereviſiamque affectare ſolita in ſanitatis ſtatu edulia: parens utrumq; adfert clanculo, avideque cum filio devorat; ſed altera die accedente Medico & chirurgo inventum Cerebrum in fœdum quaſi liquamen ſeu gelatinam abiiſſe, ipſaque adhuc die penè putridam (ſit verbo venia) emiſit animam.

OBSERVATIO CXXX.

D. JOH. THEODORI MOEREN, De

Eclipſi lunæ totali, quæ fuit Anno 1685. 10. Decembr. St. N. Veſperi poſt horam nonam.

VIx auſus fui ſimplicem hanc obſervationem in chartam conjicere, novi enim, quo inſtrumentorum apparatu ſextantibus, quadrantibus aliisque requiſitis machinis debeat excipi lunæ labor, non mihi *Tychonis* Uraniburgum nec nova *Hevelii* ſpecula, quibus tanquam in Camera obſcura diverſas lunæ phaſes, montes, maria, ſinus aut è *Ricciolo* Mathematicos diſtinguerem.

Tota noſtra menſuratio conſiſtit in denominatione duarum ſtellarum notiorum per perpendiculum in uno verticali. Praxis hæc ut ut ſimplex Curioſis aliqualiter ſatisfaciet, qui norunt ex ſtellis in eodem azimuth conſtitutis horam tempusque elicere.

Locus

Locus Obſervationis eſt *Mittelheimium Ringaviæ*, ubi poli elevationem obſervo $50^{\circ} -- 6'$.

Spem omnem obſervandi ademerant nubes, quæ tamen inſtante Eclipſeos tempore omninò è cœlo flante vento ab ortu autumnali, recedebant, ubi è muſæo lunam conſpicatus, eam tumere ſeu penumbram adeſſe obſervo, mox hortum intro & in uno verticali jam erant η & ζ Orionis & ipſo momento tubus ſeu Teleſcopium initium inſtare Eclipſeos ſuggerebat.

Cum media luna obumbrata eſſet in uno verticali, erat α Orionis cum Sirio; Initium Eclipſeos totalis erat, cum ipſa luna patiens cum meridionaliori cornu ♉ eundem in horizonte gradum ſecaret, item verticalibus α & η. item β & χ urſæ majoris.

Luna jam æqualiter ſanguinea alto pendebat cœlo non ſine meis variis interea cogitatis de ſecundaria iſthac luce, & verticales erant η & δ Orionis, ſtetit nunc luna in recta linea cum duobus cornubus ♉.

Redunte albidiore rubedine à parte orientaliore idem verticale ſubibant λ & ζ Orionis, item ν & ρ ♌is.

Momentum emerſionis accuratè erat azimuthalibus μ & η ♌is item α & δ urſæ majoris. Item β Orionis & χ cum μ leporis.

Revixerat jam media Cynthia & in idem incidebant azimuth ε Orionis & α leporis; item ν & δ ♌is.

Univerſum à Sole lumen recepit luna, & in eadem linea verticali erant α & genu ſiniſtrum Orionis; item ζ Orionis cum β leporis; item λ & regulus ♌is; item ε & ν urſæ majoris.

Reſtabat penumbra, quæ paulatim evaneſcens ſui ne ulla reliquerat veſtigia, dum in eodem verticali filum eſſe denotaret α & ζ urſæ majoris.

Si nunc quid valet *Procli* prognoſis de Eclipſibus lunæ, hæc noſtra utpotè in ſecundo Denario ♊ & ſub medium Eclipſeos in initio 19. gradus ſubſiſtens protendet repentinos

Exerci-

Exercituum motus, privatarum publicarumque rerum sollicitationes, ego ab hac minùs doctè exculta materia libenter abstraho.

OBSERVATIO CXXXI.
GEORG. CHRIST. EIMMARTI,
Eclipseos Lunæ totalis cum mora, celebratæ An. 1685. die ult. Nov. & 1. Decembr. St. Vet. Noribergæ habita, sub Elev. Poli

49°. 29′. 30″.

LUnaris hujus Deliquii phases quamplurimas ab initio ad finem usque considerare, ejusque potiora momenta cum aliis hûc spectantibus & conducibilibus apparentiis observare, invitante propitia Cœli serenitate, perquam feliciter contigit, etiamsi aër in horizonte nostro diebus aliquot ante & post densioribus nubibus ac tristiori peplo esset obvelatus, Cynthia tamen votis nostris desideratissimis gratè abblandiens, toto durationis in umbra tempore sese liberrimè conspiciendam præbuit. Cùm itaque Observationes, opitulantibus Amicis ac sociis, eâ, quâ fieri potuit dexteritate ac circumspectione peractæ, annotatæ, inque gratiam Curiosorum, quò eas cum alibi notatis ritè conferre queant, fideliter ante hac Typis mandatæ fuerint, Lector benignus, ibidem singula membratim suo quæque loco collocata, ut & circumstantias nonnullas alias ubertim descriptas, si lubuerit, internoscere potest: Quia vero paucioribus Typis excusæ sunt, ac proinde Viris Eruditioribus minus fortasse cognitæ, ut quoddammodo amplior earum qualium, qualium, usus evaderet, easdem hûc transscribere non incongruum fore judicatum est, quare præcipue ex illis in Synopsin redactæ, præsenti Tabula proponuntur.

Tabula

Tabula ad Phaſes creſcentes.

Ordo Phaſium.	Digiti Eclipt.	Tempora per culminantes fixas H. /. //.	Altitudines Lunæ o. /.	Azimutha ☾ Centri o. /.	Diſtantiæ ☾ à fixis. o. /. //.
		culm. lucida ♈.	limbi ſup. 42. 34.	ab ortu 15. 10. ad mer.	limbi occidentalis à luc. ♈ 46. 10. o.
immerſio in penũbrã denſiorem.		poſt culminantem lucidam ♈. o. 43. 38			
Phaſ. I.	o. $\frac{1}{2}$. ferè.	hinc. o. 4. 29.	limbi ſup. 49. 18.	26. 20.	
II.	1. $\frac{1}{3}$. ferè.		50. 18	27. 30.	
III.	2. & paulo plus.	culm. mandibula Ceti.	51. 18.	29. 20.	
IV.	3. $\frac{1}{2}$.		51. 32.	30. 5.	
V.	4. $\frac{3}{4}$.	culm. lucida lateris Perſei.	52. 19.	32. 30.	
VI.	5. $\frac{1}{2}$. circiter.		52. 40.	limbi occident. 34. 6.	ab humero Orionis 16. 25. 15.
VII.	6. o.	culm. in ſuffragine dextra Tauri.	54. 18.	36. 20.	
VIII.	8. $\frac{1}{4}$.		54. 23.	36. 55.	
IX.	10. $\frac{1}{6}$.		55. 48.	39. 30.	
X.	11. $\frac{1}{8}$.			41. 15.	
immerſio totalis.			58. o.	centri ☾ totaliter obſcuratæ 48. 12.	
		culm. Aldebaran.	poſt totalem obſcurationem 61. 1	62. 30.	
		culminat ferè in pede ſiniſtro, circa pectus Tauri.			ab Aldebaran 15. 6. o.

Altitudo Meridiana limbi ☾ superioris 63°. 23′. 50″. erat tunc hora per culminantes fixas supputata H. 12. 1′. 8″.

Transibat cum limbo ☾ orientali fixa occidentalissima in baltheo Orionis.

Eodem instanti distabat limbus orientalis Lunæ à Procyone 34°. 34′. 0″.

Tempore totalis obscurationis observata fuit diameter ☾ apparens 30′. 7″.

Proportio semidiametri coni umbrosi Terræ æstimabatur circiter dupla ad semidiametrum disci Lunaris.

Tabula ad Phases decrescentes.

Ordo Phasium.	Digiti Ecliptici.	Tempora per culminantes fixas.	Altitudines limbi Lunæ superioris.	Azimutha Lunæ. à meridie ad occasum.
I.	11. ferè.			
II.	9. $\frac{3}{4}$.	culminat humerus Orionis ferè.		cornu superioris. ° ′ 9. 20.
III.	8. $\frac{1}{2}$.		° ′ 63. 0.	13. 30.
IV.	6. circit.		62. 56.	17. 27.
V.	4. $\frac{1}{4}$.		62. 36.	21. 58.
VI.	3. $\frac{1}{6}$.		61. 55.	24. 50.
VII.	2. $\frac{2}{3}$.		61. 50.	26. 0.
VIII.	2. $\frac{1}{4}$.		61. 20.	centri ☾ 28. 6.
IX.	1. $\frac{3}{4}$.		61. 18.	29. 28.
X.	1. $\frac{1}{6}$. ferè.			30. 36.
XI.	0. $\frac{1}{6}$.			32. 24.
Emersio ex umbra.		culm. in manu sinistra Castoris.		34. 0.
Emersio ex penumbra.		culm. in dorso Castoris ferè.		40. 0.

OBSERVATIO CXXXII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Lapide animali è Sale Microcosmi vel Urinæ.

NOvit Curiosus Lector, me Tractatui de methodô balsamandi cadavera majora sine evisceratione adnexuisse caput integrum, quomodo parandæ sint variæ essentiæ & liquores chymici sine igne, sine destillatione, modis extemporaneis; & hoc quidem pro compendifaciendis sumtibus, ac laboribus tædiosis-periculosis, in ægrotorum, præcipuè pauperum, singulorumque curiosorum commodum, ac Artis nostræ honorem. Cùm autem perceperim, nonnullos Chymiurgos, & Chymicorum carbonum tractatores mihi indignari, quòd ob Publico communicatas similes enchirises eorum labores vilescant; imò ipsi pauperes reddantur; Et egomet nec ulli è proximi mei Familiâ nocere velim, constitui proponere, unum alterumvé medicamentum, laboriosum satis, diuturnam atque expertam exposcens manum chymicam, quod tamen certè tædiosam laboris tarditatem rarâ virtutis suæ gravitate ac penetrabilitate compensabit. Prodeat hîc igitur 1. salinum. De Salium naturâ & efficaciâ præmittere nonnulla, operæ esset pretium, nisi vererer, ne noctuas portarem Athenas; cùm moderni Pharmaciæ chymicæ Scriptores adcuratâ diligentiâ hoc enucleaverint, imò integri publicâ utentes luce libri illud edoceant & declarent. Duobus proinde saltem addo verbis, illum qui Chymiatriã hodiè profitetur, nec salia medicamentis tantùm-non omnibus in edomandâ morborum Hydrâ Lerneâ anteponit, nec intelligit, quantũ lucis hæc accendant reliquis operationibus chymicis, indignum sanè magnæ suæ Artis procla-

 mandum

mandum eſſe filium. Si itaque ſalibus in genere tantùm laudis competit, multò magis tali ſuperbire poteſt ac debet illud, cujus virtuoſâ efficacia per arcanam methodum adhuc magis ſit exaltatum, fixatum, concentratum. Inter talia primæ notæ eſt dictum Sal microcoſmi, quod chymicis lapis animalis audit, veluti è reliquis duobus aliis regnis etiam datur lapis mineralis & vegetabilis. Sequenti autem modô erit procedendum: Colligantur urinæ puerorum libræ 80. ad centum circiter, (nonnulli adcuratiùs rem tractari credunt, ſi labor ita inſtituatur Sole ingrediente in arietem) impone in cellam, vel locum à Sole immunem ad putrefactionem; (donec Sol ingrediatur Virginem) tunc ℞. cucurbitam magnam, infunde urinam putrefactam, ut pars tertia impleatur; deſtilla ex arenâ primô ignis gradu ſpiritum; dum phlegma vult prodire, (quod patet è guttulis collo cucurbitæ adhærentibus,) tolle recipiens; Spiritum optimè munias, ne quid exhalet; adpone aliud, auge ignem unô gradu, ut phlegma omne prodeat, (quod etiam ſeorſim ſervandum,) & remaneat liquor craſſus ſaltem in cucurbitâ; è quâ frigefactâ exime, deſtilla ex retortâ per gradûs ignis, donec prodeant guttæ ſanguineæ; tunc auge, ignem, donec nil ampliùs prodeat; hinc adhibe quartum gradum, ut retorta cum materiâ igniatur; refrigeſcat caput mortuum & deſtillatum, inde oleum ſerva optimè. Deſtillationem hanc ita continua, donec omnis urina abierit in ſpiritum, oleum & caput mortuum. Tunc illa ita rectifices: Spiritum indas cucurbitæ fortiori, deſtilla ex arenâ igne leni, ut impuritas & phlegma ſ. a. ſeparentur; refrigeſcat, ſpiritum & ſal volatile ſerva conjunctim in vitrô optimè munitô; continua deſtillationem, donec omnis ſpiritus ab impuritate ſit ſeparatus; & ita ſpiritum & ſal volatile conjunctim rectifica ſepties, vel tamdiu, donec nullæ remaneant fæces, ac omne in recipiens prodeat; & ſic ſpiritus cum ſale volatili fixatus eſt, & perfectus. Poſteà ℞. phlegma-

phlegmata, rectifica septies, vel donec nullæ fæces remanent; serva usui. Tunc ℞. caput mortuum optimè calcinatum, cum phlegmate tuô extrahe sal fixum, quod rectifica, donec planè fiat crystallinum, ac in calore leni fluat; sic enim redditur volatile, quod hîc necessariò requiritur; hoc serva, ab aëre optimè munitum. Hinc ℞. caput mortuum, è quibus sal extraxisti, calcina; aquâ communi edulcora, ut fiat terra mortua siccissima; Huic superfunde oleum tuum, (quod separetur ab adhuc admixtô phlegmate, quantum quidem erit possibile,) mixta optimè destilla successivè igne forti; dum nil ampliùs prodit, ℞. Bolum aliquem, hunc calcina optimè, edulcora, exsicca, cui infunde oleum tuum, destilla septies, uti in præcedenti factum, semper sumendo terram vel bolum recentem; ita purissimum fit, & deponit fœtorem. Postea ℞. omnes terras, calcina in tigillô per horæ dimidium, superfunde in vitrô aquam puram, & acquires aquam cœruleam, quam evapora, & habes sal viride. Jam sequitur conjunctio & fixatio: ℞. Olei rectificati part. 1. spiritûs, in quô solutum est sal volatile, partes duas, salis tui fixi partes tres, omnia seorsim serva; tunc ℞. hoc sal fixum, in phiolâ optimè munitâ imponatur arenæ, accende paulatim ignem, usq; dum fluat, uti gummi vel cera; tunc ignem statim supprime, ita tamen, ut phiola eôdem ignis gradu temperatô servetur. Jam ℞. oleum ponderatum, tolle phiolæ operculum, instilla guttam unam tui olei, & subitò rursus claude, donec materia quiescat, & olei guttam ingurgitaverit; hoc continua, donec oleum sali fixo sese univerit. Tunc ℞. spiritum ponderatum, infunde hunc guttatim ad sal fixum, ad quamlibet guttam, vitrum rursus obturando; id continua, donec omnis etiam spiritus infusus, sali fixo unitus, & in unam substantiam omnia fuerint redacta; Phiolam sigilla hermeticè, pone in Balneum in gradu ignis æquali, donec incipiat rubescere; tunc exime è Balneo & impone cineri, quæ æqualis cum materiâ contentâ sit altitudinis;

tudinis; ſtet in calore, donec acquirat ruborem pulcherrimum; Hinc impone arenæ, admove ignem per gradûs, ſingulis tribus horis augendo gradum; in gradu quartô ſerva ignem per 24. horas; tunc eſt fixum & abſolutum medicamentum incomparabilis efficaciæ, veluti vinum vendibile, hederâ neutiquam indigens, contra morbos herculeis clavis etiam aliàs non obedientibus; Doſis ſunt gr. ij. iij. Hujus remedii gran. j. libræ uni aquæ vel vini mixtum ſanguineô colore jucundè & utiliter imbuit. Poſſem heic nonnulla de ejus exaltatione ad opera alchymica adnectere, ſed ſufficiant jam Medicis medica à Medico; atque eſto hâc vice ſapienti ſatis.

OBSERVATIO CXXXIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Stomachico Poterii.

SErvandorum hominum artem legitimè exercere, atque labores ſuos fine laudabili coronare qui ſatagit, eò intendere animum neceſſe habet, ut ante omnia adcurata cauſæ morbificæ cognitio ipſi conſtet; deinde, ut genuinâ methodô aggrediatur morboſa ſymptomata; ac tandem, ut hoc perficere audeat mediantibus medicamentis penetrabili efficaciâ ac probatâ experientiâ ſeſe commendantibus. Cùm enim Divina Majeſtas Regale ſuum, lapidem Philoſophicum intelligo, ob cauſas varias in Tractatu de Tincturâ univerſali à me propoſitas, rariſſimè ac pauciſſimis innoteſcere concedat, Medicus rationalis ægrorum ſaluti, propriæque conſcientiæ ac honori conſulturus noctes atque dies eò laborat, ut medicamentis aliis efficacibus ſeſe muniat; Non aliter, ac prudenti & provido militi incumbit, ad expugnandum hoſtem ſuum non modò callere exercitia militaria, & debitâ generoſitate pollere;

pollere; ſed inſimul etiam armis eximiis & decenter paratis inſtructum eſſe; ſine hôc enim priores, laude ſuâ aliàs ſummè conſpicui, à ſcopô ſanè longiùs aberrare coguntur, oleum operamque perdendo. Inter ſimilia arcanæ virtutis remedia, ſtellas velut inter Luna minores emicuit Guidonis Poterii, Medici Romani celeberrimi, ſtomachicum quod vocat, quippe quod juxta plurima in ſcriptis ſuis propoſita teſtimonia plerisq; optatô effectu oppoſuit ſymptomatum generibus. Genuinam præparandi illud methodum ſummè occultavit, adeò, ut non pauci crediderint, cum Autore ipſo eundem in tumulum esſe ſepultum. Nihil ominus ex ore & colloquiô literariô multorum Chymiatrorum ſucceſſivè varia mihi innotuerunt, quæ adcuratè ventilavi, combinavi, ac in ſequentem formam Lectori curioſo coêgi: ℞. Nitri puriſſimi pulveriſati q. v. piſtillô ligneò agitetur per tempus, ut omnem perdat humiditatem; (NB. Alii nitrum arenæ mixtum tenuiter igne reverberii calcinant, poſtea arenam hanc nitratam in aquâ ſolvunt,) ſolve in aquâ pluviali; evapora in ſal, hoc denuò ita pulveriſa piſtillô ligneô, idque ſic aliquoties repete, usque dum fiat omnis ſaporis expers, ac egregiè cryſtalliſetur. ℞. hujus nitri, ſulphuris communis ana q. v. ſubtiliſſimè pulveriſata miſce; materiæ mixtæ ℥ß. per vices immittatur ollæ fictili non vitreatæ in anemiô priùs candefactô; & ſic perge, donec omne immiſeris, ſed olla ſemper undequaque candeat. Materiâ omni immiſsâ olla operiatur tegulâ, ne cineres vel carbones ingrediantur; impone carbones ad dimidii pedis altitudinem, & ſic relinque, donec vas refrixerit; tunc exime materiam ſubalbido rubeſcentem; quam denuò, ſi placet, aliquoties ſolve in aquâ pluviali, & coagula in cryſtallos puriſſimos. Per hoc ſal cryſtallinum extingui & ſuffocari materiam quamcunque febrilem, ſimiliumque adfectuum è ſanguinis & ſeri ſalſi p. ebullitione orientium experti teſtantur cum *Poterio* plures; Proindè ſcorbuticæ putredini hodiernæ magis-

magisque

magisque dolori ingravescenti obex erit incomparabilis. Si cuidam libuerit crystallos hosce generales contra hunc vel illum morbum reddere magis adpropriatos & exaltatos, pro lubitu suô per vias chymiæ cognitas ipsis admiscere poterit Lunam, Jovem, Martem, Saturnum; Confortans & purificans autem extraordinarium Tibi compones, si cum aurô denuò fluant. Obiter heic adnectendum censui optimè meritum nostrum *Georg. Hieron. Velschium, mictomim. Centur. 3. observat. 1. Ephemerid. Germanicar. Anno IV. adnexarum* quidem referre, Medicum quendam sibi detexisse, Poterianum hoc stomachicum constare è Saccarô rosatô & oleô sulphuris multiplicabili; Cum quò quidem neutiquam litigabo, sed suo abundare sensu concedam; & hôc eò faciliùs, quòd ipse laudatus noster Velschius adsensum ipsi non præbeat.

OBSERVATIO CXXXIV.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

De

Stomachico Poterii exaltato.

MEdicamento Poteriano in præcedente observatione fidelissimè descripto hederam extendere supervacaneum sanè judico; certius unicuique de hôc testimonium suppeditabit experientia, communis illa rerum omnium Magistra. Nihilominus, cùm inventis facilè sit addere, primicerius quidam Chymicus vires ejusdem mirumquantum augeri, & sanè non immeritò, statuit per regulum Martis stellatum prudenti manu Chymicâ ipsi adjunctum, aurô insimul non omissô. Mirabilem enim efficaciam huic regulo adscribunt modernorum Chymiatrorum nonnulli, ac inter sua arcana reservant Ita autem unitur ille Poteriano, ut paucis multa, crenâ tamen candidâ: ℞. reguli antimo-


antimonii martialis partes octo, auri purissimi partem 1. mixta optimè pone in crucibulo ad ignem, addendo successivè triplum dicti nitri Poteriani; fluant ita per 12. ad 15. horas; compositum frigefactum postea edulcoretur aquâ communi, aliquoties solvendo & coagulando; pro dosi unicum Tibi sufficeret granum.

OBSERVATIO CXXXV.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Cornu Cervi bezoardico.

CErvus inter quadrupedes animal sanè summâ admiratione ob plurimas causas dignum, non modò carne suâ speciale ornamentum est culinarium, sed etiam, & quidem præprimis morboso Generi Humano exhibet commoda innumera, è partibus suis spagyricè compositis Medicamentis laude insigni conspicuis. De hisce per ambages multa enumerare, extra meum est scopum; præprimis, cùm præter alios peculiari in Tractatu curiosâ elaboratione illud non ita pridem edocuerit Collega noster honorandus, *Dn. Joh. Andr. Grabe.* Hîc Egomet saltem intendo, ex ejusdem cornu, utpote potiore parte medicamentosâ, egregium publicare remedium. Virtutem igitur therapeuticam laudati Cornu cervini potissimùm consistere in sale volatili, Chymiæ etiam Tyrones non latet; sal hoc sibi soli ita liberum relictum, efficacibus privatur atomis, hisce successivè in aêrem evolantibus; Econtrà per acidum aliquod affusum figitur quidem; sed insimul bonam virtutis innatæ perdit portionem. De spiritu ejus, si ritè ac decenter sit depuratus & exaltatus, eandem ferre cogimur sententiam. Cornu cervi sine igne vel philosophicè (uti cum Pharmacopœis loquimur,) præparati qualitatem

coctione partim imminutam experimur; partim nimis fixa adhuc latitat. Cornu cervi ustum verò vix alias ampliùs in se continet operandi vires, quàm illas, quæ peraguntur absorbendo, & figendo ebullitiones cruditatum acidarum & sylvestrium, veluti quidem idem præstant creta, conchylia, aliaque communi modô calcinata.

Propterea sequens Tibi commendo, Curiose Lector, bezoardicum cervinum: Cape instrumentum ovale, (quod à figurâ suâ ovum philosophicum vocitant, ac à manu pictoriâ delineatum est;) in mediô manubrium pervium vel foramen



obtinens, libram I. ad II. capiens, immitte rasuræ C. C. puræ uncias aliquot, ut sexta vel ad summum quinta pars circiter vasis repleatur; foramen sigillô hermeticô optimè claude, impone arenæ, suppositô leniore ignis gradu, (cavendo, ne calor nimis augeatur, aliàs certè videbis atomos volatiles imprudenter commotas, carceris impatientes, vitrum in plurimas particulas esse divisuras (more bomborum novorum militarium) vitrum hoc singulis 10. ad 12. horis circiter invertatur, eô modô, quô Clepsammon horarius tractatur, quod duabus septimanis ita continuetur; tunc exime materiam circulatam, pulverisa & cribra; quod cribrationi non obedit, vitro Tuo denuò

nuò concrede, ac eô, quô dictum, modô, procede. Hâc methodô Salia volatilia & ſpiritûs eſſentiales à Naturâ inditi à compedibus modeſtè liberantur, cautâque hâc circulatione in ſeipſos agendo magis ita uniuntur, ut poſtea in reſiduâ corporis ſui parte amicè nidificentur ac reſtant. Sic acquiris medicamentum virtute ſuâ alexipharmacâ, ſudoriferâ, purificante, ſanguinisque cruditates generosè corrigente, dubiæ lapidis bezoar operationi longè anteponendum; Cùm negari neutiquam poſſit, horum plurimos fictitios, è gypsô, calce vivâ, &c. compoſitos hodiè ad Nos transferri per Judæos Luſitanos, aliosque fraudulentos. Monendus hîc adhuc eſt Medicus aut Chymiurgus, ſi in promtu non eſſet, nec facilè obtineri poſſet vitrum tale ovale, ſubſtitui poterunt duæ cucurbitæ parvæ, vel vaſa urinalia arctâ ligaturâ & combinatione, mediante veſicâ bovinâ humectatâ quadruplicatâ, conjunctæ.

OBSERVATIO CXXXVI.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Medicamentorum obſeſſo infanti exhibitorum effectu.

QUamvis me non lateat Medicorum non paucorum opinio, medicamenta incongruè & inutiliter exhiberi contra faſcina & incantationes, multò magis verò abſurdè obſeſſis ideò, quòd remedia naturalia in diabolum, utpotè incorporeum, ob proportionis neceſſariæ abſentiam agere nequeant. Alii tamen contrariam fovent ſententiam, cùm Divina Majeſtas tali etiam in ſtatu per medicamenta à ſe creata (precibus quidem præmiſſis & conjunctis,) gloriæ ſuæ augmentum expectet; adducuntque exemplum

Tobiæ junioris, per hepatis piſcini ſuffumigium ab Asmodi liberati; item Regem Saulum, *1. Reg. 16.* à diabolicis inſultibus Muſicâ Davidicâ aliquoties ſanatum. Plures inſuper veneficæ fateantur, herbam ac flores hyperici, aliaque vegetabilia, ac res phyſicas ipſis, ac earum operibus ſummè contrariari, imò eſſe intolerabilia. (Quâ de re conſulatur *Frommannus* in elimatô & lucernam olente *de Faſcinationibus opere*, item *Ganſius Tractatu de Corallis, p. 171.* ac alii.) Quæ ſententia mihi non videtur inconcinna; præprimis, cùm non deſint diverſi, qui hæc adhiberi poſſe ſtatuant limitando, licèt immediatè in diabolum ita ſemper non agant res phyſicæ; illud tamen fieri poſſe directè & mediatè, dum ſcilicet Satanas ad ſimilia ſua opera ſæpè uti ſoleat humore melancholicô, vel bile atrâ, quam vocant, aut impuritatibus maſſæ ſanguineæ ſummè incraſſatis, & corruptis, quas ideò nonnulli pulvinar diaboli vocitant; De quibus ac ſimilibus evolvendi *Melch. Sebizii* & *Hieron. Jordani* elegantiſſimi *de Divino in Homine libri.* Europa noſtra habet, de quô ſibi gratuletur, ac divinæ clementiæ operoſas reponat gratias, quòd Adamitico iſti hoſti noſtro rariſſimè permittat, ut tam manifeſtè inquilinos ſuos tali in ſtatu angat ac cruciet, veluti quidem olim accidebat Judæis; illudque adhuc hodiè experiuntur reliquarum Orbis partium incolæ, licèt divinum diabolo exhibeant cultum. Non inutile fore judicavi, producere raram hâc de re hiſtoriam, veluti eam olim curioſitatis gratiâ, adnotare placuit: Quinque ad 6. abhinc luſtris in pagô propè Delicium, (Delitſche) oppidum tribus milliaribus Lipſiâ diſtans, puellus ſexennis à Dæmone obſidebatur, qui miſerè eum torquebat, ſæpè blasphema verba ex ejus ore effutiebat, Verbique Divini miniſtros, ob preces & cantica peragenda alternatim accedentes eludebat, deridebat; inter quos tamen nonnullorum ob vitæ piæ ac honeſtæ integritatem extraordinariè conſpicuorum adventum indignabundus prædicens, præ aliis eos metuebat. Poſt aliquot menſes Satanas pro-

nas profert, ſeſe ob precum efficaciam cogi deſerere hoc hoſpitium; Econtrà autem velle diei ſequentis horâ 12. eôdem modô, intrare & tractare obſeſſi hujus Fraterculum I. anni. Quod & jam ita eveniebat; dictâ enim horâ ſexennis puellus incipit iterum naturaliter ſeſe gerere; minor autem, cùm tenerrimæ ejusdem ætati loquelâ uti per ſe non competebat, tunc cœpit miſerè angi, labia variè torquere ac alios inſolitos ac miſerabiles geſtûs & tormina oſtendere, cum vomitibus, abdominis elevatione flatuosâ, & ſimilibus. Mirandum miſerandumq; hoc fatum tandem ad aures celeberrimi Lipſienſium Medici, *D. Joh. Michaëlis* quoque deferebatur, qui ſucceſſivè ſequentia exhibebat Medicamenta; primò quidem potionem ex aquâ florum hyperici tiliæ, & fumariæ, cum eſſentiâ ſuâ fumariæ compoſitâ, flor. hyperici, & Tincturâ corallorum, ejusque Syrupô. Hâc aliquoties aſſumptâ totum corpuſculum acquirebat colorem variegatum è cœruleô quaſi ſubrubrum, aut lividum, fæcesque per alvum copiosè dejiciebat deterrimas. Hinc ſuffumigium totius corporis ſimul inſtituebatur, quod conſtabat è flor. hyperici piij. herb. & ſemin. antirrhini ℥ij. corallor. rubrorum, alborum, ac dentium Hominis demortui ana ℥j. His ita aliquot diebus peractis, diabolus aliquando concedebat ſomnum & quietem; per vices tamen denuò miſerè cruciabat innocentem; proinde interna potio dicta repetita; Atque ita anxiis ſymptomatibus, tumore item, ac colore abdominis lividô ſucceſſivè remittentibus, integra cœlitùs reddebatur reconvaleſcentia. Sæpiùs tunc dolebamus, quòd priùs obſeſſo, utpote magis adulto non fuerint propinata medicamenta, ut mediante ſolitâ loquelâ innotuerit, quomodo in horum propinatione ſeſe geſſerit Cacodæmon. Qualem ſeſe oſtenderit in juvene obſeſſô iſte idem, & quòd ille hâc ipsâ horâ, quâ exitum & deſertionem ejus hic promiſerat, fuerit mortuus, videre eſt apud *Binningerum, obſervat. Medicinal. Centur. 2. obſervat. 27.*

OBSERVATIO CXXXVII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Fascino recens-nuptorum sanato.

OB analogiam materiæ in præcedente observatione propositæ, ac medicamentorum morbo oppositorum, placet hîc subjungere, Cacodæmonem per amanuenses suos, veneficos, Neonymphis inter alia mala & hoc inferre, quòd non raro lectum ingredientes, opusque connubiale utpote primarium Conjugii scopum aggressuris, non modò inermes sint milites amatorii; sed etiam variis symptomatibus dolorosis vexentur, imò aliquando contabescant; & ita, dum homines generare intendunt, ipsis infeliciter mori cogantur. Tali in statu, uti antea plus vice simplici in meâ Praxi factum; paucas ante septimanas, dum hæc scribo, tali misello militi optatô effectu exhibui Tincturam meam corallorum mixtam Essentiæ flor. hyperici ex ejus extractô spiritu propriô factam. Sequens tamen simul amuletum adplicui, omissis omnibus quæ superstitionem aut impietatem olent. ℞. flor. hyperici, aquilegiæ, folior. herb. Paridis, capillor. Veneris ana piij. semin. aquilegiæ, hyperici ana ℨiß. granor. Paridis num. vj. Mercurii vivi in nucem avellanam inclusi ℨij. Mixta indantur sacculo è sindone, appendantur collo. Quicquid igitur de operatione similium remediorum philosophari etiam subtilissimè placeat nonnullis, suô quidem in locô relinquo; Ego tamen unum alterumque experimentum practicum antepono centum rationibus theoreticis.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVIII.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

De

Sanguine Apoplecticorum frigido.

QUantam caloris innati ventilantis, ac virtutis balſamicæ conſuetæ depauperationem, quantamque incraſſationem, præter ordinarii circuli ſui impeditionem patiatur ſanguis Apoplecticorum, inter alia è ſequentibus clareſcit: In duabus Matronis violentô paroxyſmô apoplecticô correptis obſervavi, dum pro ſanguinis ventilatione, ac in circulum ordinarium reductione ſtatim venam aperiri curaveram, eundem emiſſum mihi adſtanti improvisò in manum proſiliiſſe actuali præditum frigiditate, non ſine animi ſtupentis alteratione. Ambæ tamen cum Deô ſunt reſtitutæ, alternatim, ac ſucceſſivè exhibendo eſſentiam caſtorei volatilem, eſſentiã meam alexipharmacam è ſale fuliginis, liquorem C.C. ſuccinatum, ſal volatile C. C. & ſuccini, cinnabarim meam nativam fixatam ſuccino mixtam; elæoſacſarô item ſuccini & extractô theriacali linguæ impoſitis; non minùs capite, nuchâ, ac ſpinâ dorſi inunctis ſpiritu ſalviæ, rutæ, juniperi, ſalis armon. camphoratis; ſpirituque ſalis armon. naribus admotô. Deinde, poſt vires quodammodô reductas, non omiſſa laxantia, repetita ſudorifera, purificantia ac balſamum maſſæ ſanguineæ ordinarium reddentia, v. g. Eſſentia mumiæ aloëtica, Elixir proprietatis alcalicum, Eſſent. Terræ catechu; Fonticulus etiam cruri inuſtus &c.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIX.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

De

Sanguine è naribus frigidè ſtillante.

ARtificioſiſſimæ ac mirabiliſſimæ iſtius machinæ, Microcoſmum intelligo, œconomia vigere & ſubſiſtere neutiquam valet, niſi maſſa ſanguinea, ſingulæque partes calore innatô ac ſpiritibus vitalibus decenter conſerventur, ac quotidiè denuò quaſi balſamentur. Nihilominùs, veluti in Naturâ aliquando fiunt monſtra, ita etiam dictâ in Oeconomiâ rara aliquando contingunt, & inſolita. De frigidô apoplecticorum ſanguine in præcedente egi obſervatione; Meretur heic, ſubjungi, quòd alteri cuidam fœminæ ob cachexiam ſanguinis ſcorbutici inveteratam, varia ſymptomata patienti, narium etiam hæmorrhagia ſæpiùs acciderit, ubi quidem ſanguis modô inſolitô frigidus exſtillabat. Poſt diverſa in antecedente hiſtoriâ adducta remedia, putridam ſanguinis craſſitiem balſamicè reſtaurantia, ac cachecticam ſeri acrimoniam dulcificantia cautè adhibita partim alcalia, partim ſerum incraſſantia, v. g. Eſſ. mumiæ alcalica, Eſſ. Terræ Japonicæ, theriacalis, pulveres item martiales, ſulphurei, è præparatis è mumiâ, &c. vitales Archæi actiones in naturalem ſucceſſivè reducebantur ſuum circulum.

OBSER-

OBSERVATIO CXL.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Urina frigidè emissa.

SAnguinem actu frigidum apoplecticis per venæsectionem esse emissum, aliisque eâdem qualitate è naribus stillâsse, in præcedentibus declaratum est historiis. Notatu digna non minùs est sequens observatio: Quidam solitis melancholiæ hypochondriacæ, iisque variis hæreditariè molestatur symptomatibus. Crescentibus autem annis, crescunt eidem symptomata; præprimis verò ipsi augetur tartarus circa viscera chylo- & sanguificationi destinata ob imperfectam coctionem, necessariamque puri ab impurô separationem; Hinc ipsum sæpè invisunt dolores tam totius abdominis, quàm nephritici, item penis, tartarô mucosô simul copiosè per alvum & urinam exeunte. Unde aliquoties factum, ut, doloribus circa vias urinarias vehementer auctis, urinam actu frigidam prodire persenserit; quod quidem dictarum partium ob multas à cruditatibus acido-salsis passas injurias debilitatem, caloris innati ibidem inopiam demonstrat. Post exhibita tamen alternatim remedia balsamica, Ess. nimir. castorei volat. Ess. è sale fuliginis, mumiæ alcal. Elixire propriet. alcal. Ess. Terræ Japonicæ, cortic. aurantior. malvaticô juniperinô, sale volatili oleosô succini, & anisi, Tincturâ meâ corallorum; externè item applicitis cataplasmatibus è carminantibus, nervinis, nephriticis speciebus, spiritu item compositô externô in antecedentibus propositô, necessarius partibus calor egregiè renovatus est, ac revocatus.

OBSERVATIO CXLI.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Sternutatione violentissima.

SI Sternutatio unicâ saltem vice cuidam accidens Medicorum pluribus, & quidem non immeritò, audit apoplexia parva, nullus dubito, quin sequentem relationem insigni admiratione singuli sint percepturi: Ancilla 20. annor. experitur nimiam massæ sanguineæ tenuitatem, ac serosam salsedinem, inde ortos & similes, quos dicunt catarrhos; cætera sana, & negotiis suis peragendis idonea, corripitur à serô hôc acri nares p. n. petente ac stimulante improvisò sternutamentis uti vehementissimis, ita frequentissimis per integras octo horas, & quod excurrit, aliquot mille vicibus; & hoc quidem stimulô tam continuô, ut sermonem distinctum proferre, & medicamenta interna deglutire neutiquam ipsi licuerit, ob motum capitis, imò totius corporis concussi continuum. Proinde ad externa saltem remedia confugiendum erat; applicitô itaque clystere revellente è speciebus fl. & fruct. ac carminativis; cum electuarii hier. picr & agar. ℥j. nitri resin. ʒj. &c. per nares attractis incrassantibus & dulcificantibus ex oleô amygdalar. ac hyoscyami, admixtô opii extractô, mucilagine semin. cydonior. Capitis item partibus ac nuchæ illitô spiritu externô compositô aliquoties in præcedentibus allegatô, additâ extracti opii portione, successivè cessavit malum hoc symptoma, miserabile adstantibus exhibens spectaculum; Postea causa fuit correcta & remota per laxantia, sudorifera, sanguinem dulcificantia, ejusque serum tenuius ac largius incrassantia.

OBSER-

OBSERVATIO CXLII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Suturarum Cranii discessio ab adstantibus perceptibilis, à cephalalgiá contumaci.

UTi universa Microcosmi structura jure meritò singulos rerum naturalium scrutatores in extraordinariam rapit admirationem, ita globus huic impositus, caput intelligo, specialem meretur stuporem, in quô, præter plurima mirabilia alia, non minùs arctè, quàm artificiosè Cranii partes mediantibus suis fissuris cohærere voluit ac jussit Natura naturans, Deus. Coalitus hicce in adultis adeô firmus est, ut cruditatibus vaporosis aliqualis transitus difficulter ulteriùs pateat. Hôc tamen non obstante, aliquot in personis observavi, aliquando tam violenter ac p. n. ebullire atomos sanguinis impuri dolorosas, atque exitum moliri, ut subsecutæ suturarum Cranii divaricationes à quôlibet adstantium manifestô sensu percipi potuerint; (**daß man es knacken höret;**) Tali in statu partim obviam ivi symptomati dolorosè urgenti, partim causæ mordax illud serum capiti communicanti; Hoc autem peregi bonam partem per medicamenta in antecedentibus commendata interna & externa, v. g. Ess. castorei volatilem, in *Dissertat. meâ de Tincturâ univers.* descriptam, liquorem C. C. succinatum, sal volatile oleosum succini, &c. quæ volatilia tamen cum incrassantibus sunt alternanda, ipsisque addenda essentia opii, vel è succô hyoscyami, despumatione purificatô per spiritum verbenæ extracta; Aliis tamen palmam hîc præripere observavi uti omnia Cinnabarina (antimonii, & nativæ) succino, cranio humano, denti equi marino, spinis vi-

 perarum,

perarum, radic. pœoniæ, cum modicô laudani opiati mixta, ita præprimis Cinnabarini nativam Hungaricam meâ methodô præparatam, veluti in *peculiari Tractatu* descripta est.

OBSERVATIO CXLIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Idem adfectus in partu observatus.

QUæ jam jam in genere de suturarum Cranii digressione proposui, præprimis etiam in partu difficili accidere observavi; dum tumultûs isti uterini dolorosi, ad illum actum quidem necessarii, ob substantiæ nervinæ uteri consensum cum principiô nervorum (non aliter, ac chorda arctè extensa in unô locô tacta, per totum suum corpus motum & sensum statim experitur,) Archæum adeò in furorem sæpè concitant, ut partim convulsiones epilepticæ, partim cephalalgia contumax, suturarumque Cranii divaricationes sensibili sonô adstantium aures replente, non rarò inde succedant. Duro satis huic nodo commodum quærens cuneum, adhibui tam in præcedente observatione notata tamen mixta pro complexionum, symptomatum, ac circumstantiarum diversitate, quàm causam simul respicientia, nervosum genus & caput roborando, v. g. cinnabarinis succinô, &c. miscui cineres secundinæ, Sal succini volatile, pulverem borracis & similia. Vigilare autem jubetur Medicus prudens simili in casu, ne statim ob partum feliciter succedentem triumphum integram canat ante victoriam; sed debilitato postea consulat Cerebro per antea adducta; aliàs sanè œconomiæ Microcosmicæ interitum minantia instant incommoda.

OBSER-

OBSERVATIO CXLIV.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Dolor auris & capitis violentus, aliaque periculoſa ſymptomata poſt mictionem in aurem.

GEnuinam morbificæ cauſæ cognitionem dimidiam abſolvere partem in ſanandô morbô, veritati ſummè conſentaneum Ego ſemper credidi; imò hujus rei plurima è propriâ experientiâ producere poſſem exemplâ; proinde Philiatros ac novellos Practicos cautos hîc eſſe, ac vigilare, candidè moneo. E pluribus unicum hâc vice proferam caſum: Semiebrius quidam frivolâ ſtimulatus petulantiâ Socio ebrio inter pocula obdormiſcenti mingit in aurem. Expergefactus iſte, vaporosâ crapulæ narcoſi quodammodò diſſipatâ, ſentit dolorem auris, imò totius capitis tantum-non intolerabilem, ſuccedente delirosô capitis ſtupore, ac calore inſigni, ob lixivioſam urinæ, organa auditûs delicatiſſima parteſque nervoſas titillantis atque debilitantis, ſalſedinem. Remediis variis incaſſum exhibitis, ob cauſæ genuinæ, nec per ſomnium conceptæ ignorantiam, cùm in pejus ruere omnia perceperit malitioſus morbi artifex, conſcientiæ metuens cauterium, quid jocosè peregerit, detegit; propterea pro acri lixiviô immiſsô & partes inflammante dulcificandô auri infunditur mucilago è ſemine pſyllii & cydonior. aquâ ſymphyti facta; vapor item è flor. verbaſci, pœonia, chamomill. ſemine lini, &c. in lacte coctorum eidem per infundibulum communicabatur; internè verò exhibitis nervinis roborantibus antea aliquoties propoſitis, item alterantibus Tinctur. flor. pœoniæ, papaver. err. nitratis, & præprimis cinnabarinis, non

omißâ insimul opiatorum portiunculâ, pro sopiendô spirituum Cerebri ac nervorum fervore, sanitatem cum Deô recuperavit.

OBSERVATIO CXLV.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

De

Miserandis torminibus, à formicâ aurem ingreßâ.

OB adfectûs homogeneitatem lubet sequentem subjungere observationem: Insecta in aures aliquando irrepere, dum in pratis decumbitur, aliisque de causis variis, notum est. Hæc à cautâ manu Chirurgicâ commodorum instrumentorum ope feliciter plus vice simplici extrahuntur; non tamen semper procedit, veluti sequentia docent; Puello septenni in pratô obdormiscenti formica aurem intrabat, ac parvâ, eâque agili corporis sui mole ad ejus interiora penetrabat; Hinc dolor intensissimus, quem misellus gestibus miserandis ac clamore exaltatô adstantibus satis ostendebat, ut sic inflammatio interna, ac ejus pedissequa, convulsiones; veluti Hannibal ad portas, fuerint metuendæ. Chirurgus accersitus eludebatur instrumentis suis aliàs efficacibus, utpote ferreis; Cùm igitur remediis fortioribus vix domandus videretur hostis iste, in proprium simul interitum ruens, ad stratagemata & blanditias, more in castris consuetô, confugiendum fore, censui; Proinde jussi lac calefactum auri adponere; dulci hujus vapore vix ingrediente, regrediebatur molestissimus iste hospes, atque hôc reditu & puero, & sibi vitam servabat.

OBSER-

OBSERVATIO CXLVI.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Aqua, quâ mortuus lavatur, ſedat nimium & abuſivum ſpiritûs vini appetitum.

DE operatione medicamentorum per ſympathiam aut antipathiam, & quæ his cognata ſunt, factâ laborioſè tracta fuit hactenus controverſiarum ſerra, & adhuc trahitur. Eam quidem hîc meam non facio; Liceat tamen libertate medicâ uti, ac ſine bile, aut in alios cenſurâ, ſalvôque ſingulorum judiciô, pauciſſimis ſaltem, ὡς ἐν παρόδῳ præmittere, *Danielem Sennertum*, alterum illum Hippocratem, atque communem in re Medicâ ſaniorem Præceptorem, cum plurimis aſſeclis infelicitate ſui temporis variâ ad occultas qualitates retuliſſe, quorum cauſa hactenus per rationes manifeſtas facilè demonſtrari potuit; cui rei extra dubium plurimum lucis accendit acutiſſima Philoſophia Carteſiana, ac adcurata atomorum doctrina; Nihilominùs, dum quidem ab hiſce ita in contrarium iri ſolet laudabili ſubtilitate, tenui meô judiciô videtur, in omnibus nondum omnem abſolvi paginam ſolere, vel poſſe, quia ſcilcet variarum rerum actiones (olim pro occultis habitas,) manifeſtis qualitatibus fieri, clariùs demonſtrare nequeunt, quàm ut ſtatuant, hunc vel illum effectum abſolvi modô peculiari, modô ſingulari. Judicent autem alii, num modus hic peculiaris aut ſingularis occultas antiquorum qualitates oleat, aut eas penitùs tollere ſufficiat; nec obſcurum per æquè obſcurum explicetur, aut petitio principii committatur? Intereà repetere cogor philoſophicum illud ſuſpirium *Heinſii*: Quantillum eſt, quod ſcimus. Quantum eſt, quod ignoramus! Sed ad rem: Spiritûs vini, vinorum-

norumque generosorum potus moderatus (moderatus dico, nec abusivè institutus,) Oeconomiæ Microcosmicæ, sartumtectum servandæ pluribus complexionibus non modicū sanè commodi confert; præprimis verò in castris, in peregrinationibus, & in specie quidem navalibus plurimi ante dies suos ad plures migrare cogerentur, nisi atomis putridis ac nimiùm humidis ob varias causas massæ sanguineæ ibidem communicatis dictus potus foret quasi alexipharmacus, & balsamicus. E-contrà homines leves non paucos potu hôc abusivè haustô ita assuefieri, ut nullô planè modô eundem postea deserere liceat, irreparabili sanitatis, imô vitæ jacturâ, quis est, qui nesciat; Dum scilicet ordinarius sanguinis circulus turbatur, plus solitô acceleratur, ejusdem virtus innata debilitatur; ut inde, si non statim Phthisis vel hectica, tamen cachexia hydropica adsit eorum pedissequa, quam altera insequitur pedissequa, mors. Propterea plus vice simplici aures meas fatigârunt, ac dedignantes reddiderunt querelæ uxorum, liberorum, cognatorumque, num ars servandorum hominum tantâ tandem polleat experientiâ, ut duro huic nodo decentem & adpropriatum adponere valeat cuneum. Quamvis quidem ad remedia Theologico-politica, monita scilicet severa Confessionarii, Magistratûs, & qui hujus vicariâ pollent autoritate, Agnatorum remiserim; nihilominùs in mentem mihi venit, subtilem *Helmontium* verrucis extirpandis illinire sudorem morientium; aquam item, quâ mortuus fuit lotus, similibus externè applicari indicationibus; additque insimul rationem, quòd Archæus, vitæ nostræ promuscondus ac conservator abhorreat talia mortuis analoga, & ita harum applicatione perterrefactus deserat verrucas. Hæc ego ventilans, num & internè data talis aqua emortualis, inhonestum illum spiritûs vini amorem enecare fortè valeret; Exhibui itaque fœminæ de dictâ mariti temulentiâ querenti libram semis talis aquæ mixtam libræ uni spiritûs vini, jubens, ut marito inscio pro solitô vini

vini adusti potu propinaret. Quid fit? iste cum bigâ compotatorum itidem insciâ vesperi dictam ebibit mixturam. Ambo hi socii manè sequenti redeunt, valdè invehentes in potum hesternum, fortassis improvisò vitiatum, aut impurum redditum, cùm hucusque persentiscant insignem in vinum adustum nauseam; Maritus autem de aliquali saltem nauseâ querebatur, extra dubium ideò, quòd in incomparabile hocce nectar pertinax confidentia nimis altas egerit radices, acidéæ appetitûs imaginativæ, & consuetudo vetusta in primam quasi naturam degeneraverit. Unde Autor fui uxori, ne intermittat, repetitis vicibus eundem ita fallere; quòd nullus dubitem, quin ad adsueta hæc natura spuria à priore congenitâ furca malæ consuetudinis expulsâ, tandem plenariè sit recursura.

OBSERVATIO CXLVII.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Liquores Chymici, præprimis volatiles, aliunde non sunt transportandi, nisi vitris penitùs repletis.

ENchirises aurô contra caras in Laboratoriis Chymicorum passim esse obvias, atque earum plurimas, quot diebus quasi, magis magisque innotescere uni & alteri curioso scrutatori,, experientiâ constat quotidianâ; Optandumque esset, ut in alorum inexpertorum, ac novellorum Medicorum favorem, imò Proximi ægrotantis commodum ingenuè communicarentur, nec tàm invidè supprimerentur, aut ad umbras secum raperentur, sanè non sine inustô conscientiæ propriæ stimulô. Unam eamque ægrotis valdè proficuam hâc vice sum producturus enchirisin: Observavi, liquores

quores Chymicos, v. g. Spiritûs, essentias, præprimis Sale volatili abundantes, multum virtutis innatæ perdere, dum aliunde transportantur, vitris non planè plenis. Quamvis enim vitra mediante cerâ, vesicâ bubulâ, & similibus cautè munita tam guttulis ipsis, quàm qualitatibus virtuosis transitum omnem denegare soleant & valeant, tamen hôc non obstante, agitatione istâ & motu continuô per vacuum vitri spatium ipsis concessô efficaces illæ atomi in se ipsas agentes & lascivientes fatigantur, ac pedetentim consumuntur. Pro meliori rei declaratione jucundum subjungam exemplum; Incomparabilis Chymiater, *D. Joh. Michaëlis*, mittebat olim Medico cuidam in aliam Urbem Spiritûs sui anticolici egregii libram unam. Hic autem componebatur è tribus partibus Spiritûs vini fortis cum speciebus carminativis vegetabilibus digesti & abstracti, ac postea cum parte 1. Spiritûs nitri puri per aliquot menses circulatione uniti. Tramissus hic Spiritus tunc nondum absolverat debitum digestionis necessariæ tempus, ideóque dictus Medicus etiam monebatur, ut ante usum adhuc magis figi & uniri concederet Spiritûs sulphureo-volatiles cũ Spiritu acidô nitri. Amanuensis præcipitis autem incuriâ spiritus hic immittebatur vitro nimis capaci, ut vacuum in eô spatium relinqueretur. Tabellio spiritum huncce cum aliis scatulæ inclusum dum in sarcinâ tergo impositâ portat, ejusdem particulæ in sibi contrarias ac nondum unitas pugnando, atque fermentativè ebulliendo vitrum rumpunt non sine magnô fragore & sonitu. Tabellarius aliis intentus, hâc re subitaneâ valdè perterritus, veretur, ne à latrone globulô sit transfossus à tergô, ac subito in Terram procidit; Ad se autem successivè rediens, vitamque sibi superesse persentiscens, percipit dorsum esse humefactum; hinc sese saltem vulneratum credit; Cùm autem manum dorso admotam retraxerit sanguine albô, non verò cruore tinctam, & sarcinâ depositâ observaverit, li-

quorem

quorem album è scatulâ effluxisse, discit, quænam tam insperati latrocinii falsò suspecti fuerit causa.

OBSERVATIO CXLVIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Iliaca passione sanata.

QUam miserabilis sit affectus Ileus aut Volvulus, vel inde satis clarescit, quòd communi nomine etiam audiat Miserere mei, quâ denominatione nullus sanè morbus alius insignitur; Proinde hujus adfectûs optimum accidens esse judico, quòd talis æger ob obitum ferè semper certè insequentem eò commodiore fruatur occasione, animæ suæ curam gerere. Cùm tamen aliquando, licèt rarissimè, reconvalescant, mihique licuerit esse tam felici, ut unam, Divinô auxiliô restituerim, in gratiam juniorum Practicorum heîc proponere, quomodo eam tractaverim, non inutile fore, censeo: Matrona quinquagenaria à lixiviosis scorbuticis cruditatibus per plures annos multa patiens, circa viscera coctionis præcipuæ, v. g. tensionem abdominis flatuosam, dolorem nephriticum, tumultûs hypochondriorum anxios, duritiem alvi frequentem, eamque summè molestam, &c. corripitur torminibus ventris & lumborum, vomitibus biliosis, per 2. dies, urinâ valdè lixiviosâ, ut metuerimus, instare solita doloris nephritici symptomata; proinde exhibebam ipsi antea aliquoties utilissimam Essentiam meam è Sale fuliginis, & Essentiam mumiæ alcalicam (veluti in Tractatu methodi sine evisceratione balsamandi easdem describo,) additâ portiunculâ Essentiæ theriacalis; Externè item adplicui pro seri salsi in flatûs dolorosos ebullientis sedatione spiritum juniperi, flor. chamomillæ, & Salis armoniaci volatilem. Sed his hâc vice præter consuetudinem irrito effectu exhibitis succedebant ter-

 tiô die

tiô die vomitûs largiores muci instar fæcum p. n. fermentantis, ac per totum conclave fœtentis, non sine magnis ventris torminibus; proinde adplicitus clyster, præprimis cùm alvus non responderit, qui ℞. flor. chamomill. Miß. herb. malvæ, parietar. ana Mj. radic. altheæ ℥j. castorei, colocynthidos in petiâ ligatæ ana ℈j. incisa & contusa coqv. in s. q. aquæ commun. Colat. ℞. ℥viij. dissolve electuar. hier. picr. cum agar. ℥j. olei flor. chamom. ℥j. colocynthidos ʒij. nitri refin. ℈ij. M. pro clystere. Unguentum sequens, cui multum etiam tribuo, abdominis parti inferiori inungebatur: ℞. Ungv. de artanitâ ℥j. olei diacolocynthidos ℥iij. Misce. Die sequenti hæc ambo repetebantur; internè verò pro suffocandis, fermentationibus putridis atque vomitibus dabatur Elixir meum proprietatis alcalicum, Ess. mumiæ alcalica, Ess. aurantior. theriacalis opii: Pro roborandô Archæô, & contra lipothymias alternatim exhibebam Tincturam meam auri & corallorum, ut & Cinnabarin meâ methodô fixatam, ac mixtam Ebori, coralliisque ustis, pulveri Terræ catechu, mumiæ, lacti sulphuris. Per talia interna externa aliquot diebus continuata symptomatum dictorum cessavit violentia, reconvalescentiâ successive, Deô benedicente, reduce.

OBSERVATIO CXLIX.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Corium vegetabile è lignô quercinô hæmorrhagias sistens.

NObiliss. *Jac. Breynius, Ephemerid. Medicar. Germanor. Anni 4. Observat. 150.* refert, in mediô quercûs repertum fuisse fungum coriaceum, narium hæmorrhagias sistentem, si cordis applicetur regioni; Cui observationi propter analogiam materiæ & effectûs addo sequentem:

Corticem

Corticem talem tenerum corio molli ſimillimum, ſæpiſſimè reperire eſt in lignô quercinô, diu aëri expoſito, quaſi putrefacto ac cariosè corrupto. Hujus corii teſſulatim inter ligna repoſiti vegetabilis, particulas plurimas exſcindere & ſeparare facilè licet; quas itidem in manu detentas, usque dum incaleſcant, vel cordis regioni applicitas pro cohibendis narium hæmorrhagiis plus vice ſimplici feliciter operari vidi. Quàm mirè abſcondit Naturæ arcana Naturæ Autor, etiam inter res abjectiſſimas, inter ligna ſemiputrida, ignis combuſtione indigna judicata! Proinde meritò haberemus, cur adcuratiùs inquiramus in tot & tanta adhuc occulta phyſica.

OBSERVATIO CL.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Miranda ac jucunda Vegetabilium plurium ſtructura.

DUm in præcedenti Obſervatione Curioſitatis vegetabilis mentionem feci, lubet aliam ſubjungere: Mirabilem Hepatis Humani compagem, ablatâ nimirum, mediante ignis coctione, modicâ parte carnosâ relictâ artificioſiſſimâ innumerabilium vaſorum & vaſculorum machinâ, manifeſtè nobis depinxerunt adcuratus *Caſſerius*, meritiſſ. *Thom. Bartholinus*, alii. Idem de Renum ſubſtantiâ Orbi Medico demonſtravit clariſſ. *Bellinus*; illos ſcilicet non minùs conſtare è variis vaſis ac fibris. Rarâ eâdem elegantiâ conſtare plurima vegetabilia, curioſam meam manum docuit experientia; dum v. g. folium vitis, aut ſimilis ſub æſtivô Solis æſtu in arenam aëri liberam repono; hôc per unum alterumvé menſem ita relictô, remanet corpus fibrarum reticulare, hilari ſuâ texturâ ſeſe oculis commendans, parte folii humi-

diore exſiccatâ. Pulchrum hocce folii vitis ſceleton multis tamen paraſangis ſuperat fructus halicacabi vel veſicariæ, (Juͤdenkirſchen;) dum ejus folliculus modò dictâ methodô in arenâ abſconditur; Sanè ſine mentis exhilaratione recordari non poſſum ſummè artificioſi illius reticuli fructum hunc rubeum maturum continentis. Poſſem alia adnectere hôc modô tractata, vel arenâ extracta, præprimis radicem magnam cicutæ, cujus ſolæ fibræ ita reſtantes mirabili naturæ artificiô jucundiſſimè repræſentabant naſſam, receptaculum illud piſcatorium, die Fiſchreiſſe; ſed ſufficiat, curioſis viam curioſam monſtrâſſe ingenuè.

OBSERVATIO CLI.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
De
Partu quinque Filiorum.

FOeminas noſtras præter Geminos aliquando etiam excludere 3. imò 4. liberos, uti ex aliorum, ita etiam è propriis obſervationibus practicis mihi conſtat. Utplurimùm tamen tales non ſunt planè perfecti, ideoque etiam non diu vivaces, ob debiliorem virtutis ſpermaticæ impraegnantis magis diſperſæ efficaciam. Vidi tamen ſemel inter trinos tales Filios, binos mundum, quem vix adſpexerant, ſtatim rurſus deſeruiſſe; tertium autem vegetam ſuperſtitem, poſt longa per Germaniam, Italiamque itinera, poſt varios caſûs, poſt tot diſcrimina rerum, ſuperatô ætatis ſuæ annô 67. fatis demum ceſſiſſe. Hiſce quaſi obiter præmiſſis, pergo ad ſcopum, quem titulus docet; cujus hæc eſt Hiſtoria: Dum præteritô menſe Aprili milites Lunæburgici Saxoniam noſtram ſuperiorem tranſibant, Hungariam petituri, ac Hoſti communi anti-Chriſtiano cum aliis ſeſe oppoſituri, (veluti quidem,

quidem, ſub umbone Divinô, ſummâ laude poſtea præſtiterunt,) nonnulli pernoctabant in pagô Königshofen/ propè Eiſſenbergam, Misniæ urbem, dum Hoſpita die antecedenti pepererat Filiolam; Inter gaudia & pocula convivalia conſueta miſcentur quoque diſcurſus de re militari; ubi inter alia miles magis conſultum fuiſſe dicit, ſi excluſus fuerit Filiolus, ne deficerent glorioſiſſimo noſtro Imperatori milites neceſſarii. Cui Hoſpes jocosè reponit, impoſterum pro virili virum ſeſe fore præſtiturum. Quid fit? Togatus hìc in caſtris venereis miles, abſolutô Puerperii tempore, uxorem denuò reddit gravidam; & accidit, ut illa, dictis militibus Lunæburgicis principiô Menſis Decembris (dum hæc ſcribo) rurſus heic transeuntibus, ac domum repetentibus, partu ſeptimeſtri enitatur quinque Filiolos, quorum tres vivi ſacrô Baptiſmate ſtatim imbuti, cum reliquis duobus vitam extra uterum non expertis, communi noſtræ Matri, Terræ, uni loculo incluſi, fuerint redditi. Nimius extra dubium, fuit ruſtici hujus in coitu fervor; hinc ſpiritûs ſeminales in ovariô muliebri largiùs diſſeminati conatum ejus intentioni inſufficientem reddiderunt. Varii inde orti joci; Ut deſint vires tamen eſt laudanda voluntas! Utinam unusquisque Subditorum aut Vaſallorum Imperatori noſtro pio, felici, Auguſto, tantum, quantum poſſet, conferret, pro Turcicorum, canum latratu magis magisq; ſopiendô! Medicas Ego Obſervationes hâc vice communicatas ſubjectisſimô finio votô:

IoVa IVVa, VIreat LVnâ LeopoLDVs InerMI!

OBSER-


OBSERVATIO CLII.

D. JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI, De


Monstro gemello.

MOnstrum si cum *Liceto* quis appellaverit, quod ob sui novitatem quamprimum visum, cum admiratione atque stupore ab unoquoque unicuique alteri monstretur, tale mehercle attulit nobis novi anni auspicium. Nono namque, Martiali in festis sacro, Januarii die Margareta Treuberin, quadragenariâ major, vidua, conceptas ex inhonesto concubitu, in vicino pago Hagenhausen enixa est favente Lucinâ primùm vivas, & baptismatis fonte irrigatas, mox tamen subsecutâ morte peremtas, fœmellas, gemellas, si capita & artus atque viscerum plurimorum interanea spectes, thorace medio unico conclusas, quas delineatas sisto in Fig. I. Capita nempe erant bina adversa fronte se intuentia, sinistrum tamen paulo majus & rotundum bihorio prius quam dextrum oblongè depressum uteri claustra perruperat; collum geminum numero parem capitis Olympum geminâ excipiebat cervice, pectus medium à parte anteriore & posteriore cernebatur, illic & hîc prostante sterno, unâ tamen tantùm relicta intus thoracis cavitate costis, à vertebris dorsi quasi extremis ad sternum medium geminum arcuato ductu protensis. Artus conspiciebantur geminati tàm superiores quàm inferiores, brachiis verò in mutuos amplexus circumvolutis fœmellas hasce gemellas in dias luminis auras egressas fuisse, obstetrix aliæque partui adstantes mulieres affirmabant. Ita se oculis nostris ingerebat exterior monstrosi partus forma: Posthac interiora rimanti mihi spectaculum haud unum obtingebat jucundum; apertum thoracis cavum lymphâ exundabat limpidâ argentei nitoris comulâ; cui cor ac pulmo-




Figuræ XXXVI. Fig. 2. exhibens viscera in situ, quo conspiciebantur anteriori gemellarum foemellarum trunco aperto.
f. 289.
a
a
b
b
c
c
d
e
e
f
g
h
k
l
n
o
a. a. Aspera Arteria.
b. b. Pulmones.
c. c. c. c. Auriculæ Cordis quatuor.
d. Cor vasis coronariis obductum.
e. e. Diaphragma.
f. Ligamentum Epatis suspensorium.
g. Epar.
h. Ventriculus ejusq; orificium dextrum β.
i. Lien.
k. Renes.
l. Intestinum.
m. Intestinum coecum.
n. Intestinum rectum.
o. Funiculus umbilicalis.

Anni IV.


Figuræ XXXVI. Fig. 3.
f. 289.
repræsentans viscera aliqua imi ventris cultro præparata.
a.a.a. Epar integrum revolutum.
b. Vesicula fellea.
c.c. Ventriculus duplex.
d.d. Orificium alias sinistr: sive Stomachus.
e.e. Pylorus.
f. Pylori concursus unum duodenum efformans.
g. Jejunum intestinum.
h. Ilei divisio in partem dextram et sinistram.
i.i. Cœcum.
k.k. Colon.
l.l. Rectum.
m.m. Lien.
n.n. Omentum.



pulmones innatabant, ac prorsus simili pericardium repletum erat; pulmones geminæ annexi asperæ arteriæ, vid. Fig. II. lobis quinque utrinque divisi obveniebant, flatu per tubulum Tracheæ immisso leniter expansi vasorum lymphaticorum propagines exteriores eâ prorsus facie, quâ à *Willisio*, Viro immortalitate digno, fuerunt delineatæ, obtutui nostro præbentes. Cor primo aspectu apparebat geminum, lineâ quasi divisum, sed revera in medio concretum; auriculæ intereà numerabantur quatuor, duæ anteriorem, posteriorem duæ in cordis basi locum occupantes, quibus numero & situ pares subjiciebantur ventriculi. Diaphragma unum thoracem ab abdomine sejungebat, sub illo singularis magnitudinis recumbebat Epar ligamento suspensorio annexum, numero unum, sed quasi geminum quibusdam intestinis intrà cavum in medio sui patens reconditis circumplicatum, dum ex parte superiore sive anteriore ejusdem vesicula fellea, ex parte inferiori l. posteriori vena umbilicalis exortum sumere videbatur. Porrò ventriculus conspectum subibat duplex, alter à sinistris situ anterior, alter à dextris posterior, unicuiq; Lien per vasa brevia gastricaq; minora & expansionem membranaceam erat connexus, omentum insuper omni excluso pinguedinis consortio vasa alebat gastroepiploica communia atq; epiploica propria, proximis intestinorũ voluminibus contactu junctum. Ceterum in admirationem me inprimis rapiebat Intestinorũ distributio, ventriculus siquidem duplex pylori facto mutuo occursu in unum desinebat duodenum, vid. Fig. IIItia, quod ductus à vesicâ felleâ ulteriùs exporrectus cholidochus subintrabat, à duodeno simplex excurrebat Jejunum, quod comitabatur Ilei portio prior simplex, posteriorem autem πολυμήχανος illa μητὴρ natura in duplicem separavit dextram ac sinistram, cui dein cœcum colon, ac denique rectum meconio ex atroviridi summè distentum æquâ divisionis lege utrinq; succedebant. Renes quatuor bini semper sibimet impositi incum-

bebant, ureteribus quatuor de se dimissis: uterus geminus ligamenta teretia & lata, hisque tortuoso situ circumflexas tubas post sedulam inquisitionem ostendebat, quin etiam ovula in ovario sub bullularum formâ conspicienda microscopium oculis pandebat. Causam propositi monstri sagaciores inquirant Viri,

— — — Tritonia Pallas
Quos docuit, multaq; insignes reddidit arte.

Tale namque ne per somnium quidem sibi unquam visum interrogata respondit mater; an illiciti concubitus dulcedo mutuo brachiorũ amplexu proritata ab ipsâ haud dissimulata Ideam talem impresserit? an potiùs ovulorum duorum ab ovario secessus, & eorum facta conglutinatio aut rectiùs coalitus accusandus sit, in medio relinquo, Davum namque hîc me profiteor probabilia conjicientem, non Oedipum certa augurantem.

Fig. XXXVI. p. 222.

OBSERVATIO CLIII.

D. JOH. MAURICII HOFFMANNI,

De

Plexu Choroide.

Cùm Cadaveris masculini suspensi Anatomen publicam elapsi proximè anni Mense Aprili hîc adornassem, inter alia plexum choroidem intuitus, præter arteriolas à carotidum vertebraliumque propaginibus dimissas, in Venas etiam inquisivi, ratus easdem propter prægressam sanguinis & unà animæ cum fune interceptionẽ turgidiores promtiùs subituras esse conspectũ, tot verò quot *Highmorus disquisit. Anatom. lib. III. part. I. cap. 6.* describit, & in *Tab. XV. fig. I. lit. h. h. h.* designat, cernere haud licuit, quin potiùs secundùm mediam plexus nominati longitudinem inter arteriolas

riolas extensam unicam vidi venam sanguine atrorubente distentam, & primò statim conspectu ab arteriarum proximarum habitudine distinctam, qualem observatam etiam posteà legi à *Diemerbrockio Anatom. lib. III. cap. VI.* ubi scribit: *His arteriolis* (scil. plexus choriodis) *bis terve vidimus unam venulam manifestissimam, secundùm totam plexus longitudinem admisceri, (quæ alioquin rarò conspicua est) suumq; sanguinem in tertio ventriculo infundere venæ illic medio plexu semper interjectæ, ac se in sinum quartum exonerantis.* Atque hac occasione in sui contemplationem me simul invitabat copiosa seri lymphatici in cerebri ventriculis vulgò sic dictis anterioribus colluvies, ob sanguinis per sinus & venosa vasa cohibitũ refluxum procul dubio adaucta, quemadmodum aliàs ligatis venis jugularibus seri extravasationem notavit *Lovverus.*

OBSERVATIO CLIV.
D. JOH. MAURICII HOFFMANNI,
De
Uteri hæmorrhagia singulari.

MAtrona nobilis temperamenti Cholerico-serosi, annos 23. nata, cùm primum puerperium subsecutâ tertiâ septimanâ alvi constipatione laborâsset, ex consilio vetulæ medicastræ umbilico admovit salviam cum butyro frixam, & ecce post aliquot horarum spatium alvus soluta officium fecit, tanta verò per uterum simul excitata est uteri hæmorrhagia, ut in supremo vitæ discrimine versaretur puerpera: notabilis simul obveniebat mammarum antea lacte turgidarum subitanea flacciditas, & momentanea lactis evanescentia, nec alimentis nec medicamentis lactificis postmodum restaurabilis, certissimo indicio, sanguinem omnem ad supplendum vasorum uterinorum inanitorum spatium properâsse, naturamque de eodem restaurando & individui potiùs

quàm speciei conservatione solicitam chylum omnem sanguini destinâsse.

OBSERVATIO CLV.
D. JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI,
De
Intestino Cœco.

COEci Intestini, exiguam licet, cavitatem, in fœtu humano fæcibus semper repletam Anatomicorum primicerii docent, ego verò cùm hisce diebus monstri gemelli & abortus seximestris humani dissectioni vacâssem, nullibi à cœco, flatu tantùm occupato, vel tantillum meconii observare potui, an ergò in brutis potiùs credemus cœcum perpetuò fæcibus infarctum esse?

OBSERVATIO CLVI.
D. ROSINI LENTILII,
Febris malignæ Singultuosæ non lethalis confirmatio.

OBsecro Naturæ Curiosos, ut observationes à Collegis *Ephemeridibus* communicatas, cumprimis Practicas, data in eam rem occasione, periclitentur, atque, ubi aut similia observare, aut effectus dexter contigit, suo easdem testimonio roborare non graventur; Sic enim utilis ferè labor noster erit, nec quidquam peccabimus, si forte unius generis observatio vicibus aliquot recenseatur, quæ, nobis inde certioribus factis, majorem adeo fidem promerebitur. *Decad. II. Anno II.* inseruit Excell. *Zephyrus noster*, mulieris *historiam Ordine 62.* ex febre maligna singultuosa curatæ;

quam

quam eandem curationem confirmatam ſequenti obſervatione ſiſto. Vir in hac Urbe Primarius, annorum circa LVI. domum poſt epulas reverſus, occaſionem frivolam nactus, in ferventiſſimam iram excanduit: Noctu quaſſatur ingenti horrore, quem inſequitur æſtus; & preſſo pede tanta artuum debilitas, ut, è lecto ſurrecturus, temulenti ad inſtar, greſſibus incertis titubaret: Poſteris diebus in deterius omnia ruere, dejici appetitus, ſitis ingruere, ſine tamen dolore capitis. Die quarto ſingultus levi brachio ægrum corripuit, cui & medicamentis primum levioribus contra itum: Sub noctem, cum intenſiore conamine ægrum exerceret, exhibitus è C. C. uſto, mithridatio, laud. opiato & miva cydoniorum bolus, extra è ſtomachicis ſacculus; aliquoties inde quieſcere viſus, manè atrociori conatu revertebatur, exhibiti pulveres è C. C. uſto, Terra Sigill. bez. mineral. lap. prunellæ & laud. op. cum Camphora. Veſperi delirium inopinato ingruit vehemens unà cum ſingultu; omnia in deterius nunc ire viſa, periculoſiſſimo ſymptomate ſingultu lugubria quæque comminante. Accitus ad curam honoratiſſimus Collega meus *D. D. Welſchius*: Communicatis proinde conſiliis illico pulverem ſupra dictum cum bolo armena & duplicata laud. opiati doſi, nempe ad grana duo, præſcripſimus. Interea, ut delirio obviam iremus & æſtui, parata frontalia, it. epithemata pro pulſibus pedumque plantis, gargariſmi imperati, decocta refrigerantia & Julebi ob ſingultum parcius adhibita, alvo adſtrictiori cottidianis clyſteribus proſpectum. Jamjam morbus idemtidem invaluit, & ſalutis ſpes parca: Denique commodum inciderunt mihi ſpecies diacretæ Mynſ. quas cum alexipharmacis & laudano ſociatas, aliquoties propinavimus hunc in modũ: ℞. Spec. diacret. Mynſ. ℈j. Bezoar. mineral. lap. prun. ana ℈ß. laud. op. gr. ij. Parata rurſum Emulſio *Zephyri noſtri l. c.* deſcripta, foris regioni ſtomachi applicabatur Cataplaſma è fermento panificum, theriaca & nuce moſchata. Omne punctum tuliſſe videbantur

diacretæ ſpecies, remiſit enim ſenſim ſingultus; ita, ut in ſingulos dies laudani doſibus detraheremus; Die 12. prorſus evanuit, æſtus deferbuit, & jam deſperata valetudo reverſa erat. Quis jam dubitaſſet nos in vado conſiſtere? Sed quàm ſint vanæ ſpes mortalium, triſtis eventus comprobavit; Cum enim Patiens jam dies computaret in publicum proditurus, enormi diæta multis modis convaleſcentia ſua abuſus, in recidivam, ſine tamen ſingultu, lapſus, urina ſana, pulſu ſano intra triduum interiit.

SCHOLIUM.

Singultum in febribus malignis utplurimum lethalem nemo miraretur, quisquis cum *Helmontio* ſedem Animæ in ſtomachi membrana interiore collocaret. Utique enim eſſet metuendum, ut, quæ tot impetuoſis pulſibus feriret januam languens Anima, nidum illinc brevi migrare intenderet. Abundat hic ſuo, ut in plurimis aliis, ſenſu, magnus ille Toparcha, quem, cum Animæ bruta & ignobili ſede valere merito jubent ſaniores! Poſſet equidem tolerari, ſi ſolam animam ſenſitivam nidoroſæ illi culinæ manciparet; eundem verò & ipſi Rationali adſignari, non ferendum. Sic autem ille *tr. de ſed. anim. §. 17. Mens non habet propinquius aut ſimilius ſui ſubjectum, in quo hoſpitetur, quam illud lumen vitale, quod dicitur anima Senſitiva, in qua ſc. mens involvitur, & mandato Divino ligatur vitæ vinculo.* Si enim animæ rationalis ſedes in ſtomacho, cur ea brutis denegata? à quibus quamplurimis, canibus puta, porcis &c. nil quidquam ſtomacho differimus? Idem eſto de corde judicium, quæ ſimilia cum quamplurimis brutis habemus. Arbitror enim Animam rationalem (ſi ei certa eſt in aliquo viſcere ſedes) utpote à brutali longe diverſisſimam, congener etiam ſibi domicilium poſſidere, nec poſſe cum bruta in conſimili diverſorio hoſpitari. Id autem in cerebro ſtatuere, nil vetat, cum hoc ſit viſcus, non mole tantum,

ſed

ſed artificioſiſſima ſtructura, brutorum omnium cerebra poſt ſe longiſſime relinquens, atque adeo dignum tanto hoſpite Palatium. Nil obſtat ab hoc vulnerato evadere Homines, quin ejus, per fulmina, ſuppoſito ſalvo, integra cochlearia eſſe exemta; ſecus autem in corde fieri, ut, quo vulnerati illico moriantur, quod primum ſit vivens, ultimum moriens. Nam è cerebro, ſalvo Subjecto, vix quidquam, præter corticoſam ſubſtantiam eximere licet, tacta autem pineali glandula mors ingruit momentanea: Legi in hanc rem meretur virtuoſiſſimus *noſter Aretæus Ann. II. Dec. II. Ephem. obſ. 29.* Cordis autem vulnera non illico eſſe lethalia, obſervationibus probant Excell. *noſter Andromachus Dec. II. Ann. II. obſ. 138.* quin & *Æolus* atque *Pollux Ann. III. Dec. II. obſ. 113. & 114.* Immo exemtis hiſce animalia ſupervixiſſe *Ann. I. Dec. II. obſ. 132.* oſtenditur. An primum ſit vivens, ultimum moriens dubitat *D. Göllerus Ann. II. Dec. II. obſ. 143.* cum in abortu humano non ſit repertum; ibique ſtatuit punctum ſanguineum ſalientem, non eſſe Cor, ſed totam fetus formandi, per omnes corporis partes, ideam, cui ſententiæ, cum adcurata ovorum inſpectio (de qua *Oologia mea*) contrariari videatur, eam tantiſper meam non facio. Totam autem litem, ut & innumeras controverſias diremtum iri autumo, ſi duplicitas animarum in Homine concedatur, quarum ſenſitiva & corporea à Parentibus propagetur, aut cordi, aut, per me, ſtomacho inſerenda, altera immortalis mens à Deo creetur, in cerebrum collocanda. Commodum mihi hoc incidit: Volunt aliqui Lutheranorum, *Lutherum* noſtrum nimis inhæſiſſe quantum Verſioni vulgatæ. Ad, quei venit, quod iſte locum *Gen. 2. verſ. 7.* ita vertit: **Und Er blies ihm den lebendigen Athem in ſeine Naſen.** Nam ita verſio vulgata: & *inſpiravit Deus in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, quamquam verſio *Junii* & *Tremellii* verterit, loco, (*in faciem ejus*) (*in nareis ejus*) Id quod etiã Textus Hebraicus innuere videtur, nam cum ſynonyma ſint, אף ut quod ſimul denotat, & naſum & faciem,

non

non tamen ſine cauſſa & *Lutherus* in Germanica, & *Tremellius* in Latina per nares verterunt vocabulum הָאַפַּיִם quaſi dicturi eſſent, non eſſe in aliâ quàm capitis peripheriâ animæ rationalis & immortalis domicilium, alioqui pantocrator Deus non æque in nares (ſi ſedes in cerebro non eſſe debebat,) quam fortè in os ipſum vitalem ſpiritum inſufflaſſet. Poſita hac ſententia Cor anima ſenſitiva vivet & movebitur, ante formatum cerebrum, & cadet nobilis inter Academicos de creatione & propagatione animæ, diſſenſio. Cur ergo glandula pinealis, notante *Bartholino*, major in brutis ratione deſtitutis? Eadem ego licentia quæram, cur in brutorum haut equidem paucis Cor humano proportione majus? Sed, ut quadamtenus quærenti de iſta glandula ſatis fiat, ſtatuendum exiſtimo, cum ἀνάλογόν τι rationi brutis denegandum non ſit, animæ ſenſitivæ brutalis partem defecatiſſimam ibi hoſpitari, quæ, ut materialis, majore domicilio egebat, ſecus, atque rationalis humana.

Singultus non eſt diaphragmatis, quod *Sylvio* placuit, ſed ventriculi affectus convulſivus, à quacumque irritatione nervorum ſexti paris, dextrum ventriculi orificium ramis ſat ſpecioſis circumcingentium, dependens, qui, dum violenter ſe contrahunt, dictum orificium una convellunt, ubi non fieri poteſt, quin ob contiguitatem tracheæ cum œſophago ejusmodi contractio, cumprimis fortior, cum ſono, nunc minori, nunc majori, conjuncta ſit. Hoc præcipuè demonſtrat ſubſtantia ventriculi membranoſa, nervea, fibroſa, & ejus orificii, utpotè ad convulſiones ſuſtinendas aptiſſima, probant juvantia & nocentia, omnium autem optime cura per Terrea abſorbentia, cum ſtomachicis mixta, quales ſunt diacretæ ſpecies & opiata, tum conſtringentia & anodyna externa. Diaphragma proinde per conſenſum magis, ob ejus cum nerveo ſtomachi orificio, connexionem vicinam afficitur, non primario. Nec obſtat ſingultum excitari poſſe ex proæreſi, hinc non eſſe ſtomachi actionem, quarum nullæ obediant voluntatis im-

tis imperio, ſed animalem potiùs: Præterquam enim, quod non à quolibet excitare ſponte queat, ut à me & innumeris aliis, quin à pauciſſimis, quot tamen, ſi eſſet mere animalis actio, neceſſarium foret, ita plures toto die ex Epicuri nepotulis videre licet, qui, quoties volunt, imò vel centies, ructari poſſunt & pedere, quas tamen actiones nemo animales dixerit: Quinimmo, ſi ex arbitrio pendent animales actiones, cur non ſingultum ſemel excitatum rurſum cohibere licet? Cenſebitur itaque Singultus ex animali & naturali actio mixta, & ſtomachi adfectibus adnumerabitur.

Singultiunt ſæpe, febre maligna laborantes, non tam à materiæ malignitate & acrimonia, quam ab errore externo, perpetuato nihilominus ſingultu per morbi decurſum, & lethali. Bina exempla à me obſervata, in medium proferam. Anno 1679. Nobilis quiſpiam Curlandus febre continua correptus, & aquam multam & cerevifiam frigidiſſimâ, cum tabaco, hauſit, ut æſtum, quo urebatur magnum, reſtingueret, hinc vi, poſt exitiale refrigerium, per nicotianam ad vomitum compulſo ventriculo ſingultum excitavit, per 14. dies non interrupto impetu continuantem, nulliſque medicamentis, nec opiatis, coërcibilem, mortuus enim eſt inde æger. Alius Mercator Mitaviæ ex febre maligna decubuit, cum gravi delirio, ſed abſque ſingultu; Mulierculæ veſanæ (quæ iis in locis æque ſunt moleſtæ ægrotis, cum vanis ſuis conſultatiunculis, quam apud nos in Germania) citra meam voluntatem, inſcio me, ſuo more ægrum refrigerare ſuſtinuerunt, id quod ſequenti modo ſolent effectum dare: Caprillum ſtercus in cerevifia ſecundaria coquunt, quod decoctum calide ſorbillat æger, poſtea florem lactis cum aceto miſcent, & ſpinam dorſi inungunt, ſimulque madefacta hoc unguine linteamina cataplaſmatis in morem, lumbis, femoribus & inguini applicant: Fateor me admirandos effectus, in robuſtioribus naturis ab hac æſtum ſedandi ratione, vidiſſe, ſed & ſæpius exitus funeſtos; vel enim

 à repel-

à repellente medicamine insecuta suffocatio, vel singultus, quod ultimum apud Mercatorem contigit, vocatus itaque de nocte, cum rescissem acta, vix potentissimis medicaminibus intra triduum singultum compescui: plures autem morte luerunt empiricum refrigerii genus.

In ægroto nostro punctum omne tulisse visæ sunt species diacretæ Mynsichti, molestissimi & infausti symptomatis domitrices. Commodissime & oportuno plane tempore inciderunt mihi in mentem, quorum ingredientia omnino ad rhombum fuerunt. Persuasus enim eram omnem hunc singultum ab acido-Salinis halitibus, orificium ventriculi vellicantibus, profectam; quos proinde commendatissimas ad singultum habeant sibi, medicinam qui factitant.

Potiores sibi in compositione Creta alba vendicat, ad acidum absorbendum aptissima, hinc etiam pro ardore ventriculi (Sodam barbarè vocant) compescendo, vix præsentius remedium invenias, cui usui potissimum à Mynsichtio dicatum. Zythopeptæ acri cerevisiæ medentur injectâ cretâ: Adsciscit sibi in sodalitium bolum Orientalem, Coralia rubra præpar. lap. carpion. eâdem aciditatis absorbendæ intentione.

Demulcent acrimoniam ac spicula obtundunt in consortium adoptata radix glycyrrhizæ & cydoniorum unctuosum semen. Locum affectum nux moschata cum mace & mastiche respiciunt, & simul adstringunt; hinc macem torreri jubet Auctor. Crocus anodyna virtute commendabilis est, gratiamque Saccharum conciliat.

Est præterea medicamentum hoc laude dignum, quod in brodio statim liquefiat, nilque delicatis negotii facessat, secus atque pulverum nonnulli, qui diutina subactione opus habent. Huic proinde, si malignitatis respectu bezoardicum minerale; æstûs atque sitis, lapis prunellæ addatur, & laudani adjecta dosi acuetur, medicamentum hinc in singultu malignis juncto, par inveniri posse vix credo.

Adfue-

Adfuere multi (ut solet in ejusmodi affectibus) promtam hujus symptomatis coërcitionem spondentes: Medicastra quædam suasit, ut aquam exstinctionis chalybis & auri potaret; alii voluerunt, ut cataplasma è cepis assis calidum cordis scrobiculo applicaret; alii nidum hirundinis in lacte coctum, quod stomacho applicatum, materiam morbificam per alvum exturbaturum pollicebantur; sed horum nihil à me & honoratissimo Domino Collega tentatum, prætercepas, quarum foetorem, cum æger sustinere nollet, tempori removimus.

Recidiva utplurimum priori morbo periculosior: Ratio est, quod ab illius, sc. prioris morbi, impetu, natura in pristinas vires nondum surrexerit. Non itaque se habet aliter recidiva, quam obsessum ab hoste castrum, quem virtus & solicitudo obsessorum propulit; hi autem inde securiores facti, dum munimenta bombardariis & tormentariis ictibus labefactata non reparare student, ab alio hoste denuo infestati, incauti demum opprimuntur.

[Nordlingâ A. 1686. d. 7. Febr. Augustam Vind. allata.]

OBSERVATIO CLVII.

D. SAMUELIS LEDELII,

Pudor intempestivus est causa mortis.

SUb regimine Antonii Pii Imperatoris, Philosophi Secundi mater moritur præ pudore, cum filius ut incognitus ab ea incestum petierat, ipsaque annuerat: ille verò deinde, quod filius sit, ipsi exposuerat. De puellis Japonensium plurimi referunt, quod etiam præ pudore moriantur, allegantque exempla, quæ hîc consignare supersedeo. Pastor cachecticus, statæ ætatis, laborabat nimio fluxu hæmor-

 rhoidum,

rhoidum, cum virium insigni imminutione. Medico de affectu suo nil dicebat, & ille curabat nescio quid, nam

non intellecti nulla est curatio morbi.

In ultimo morbi articulo constitutus ægrotus, explicabat adstantibus affectũ, & obibat. Ab erudito hoc erat intempestivus pudor; veruntamen quibus hujus viri genius erat cognitus, non mirabantur, quippe qui in vita erat mirabilis, talis erat etiam in morte. Præterlapso anno rustici uxor 26. annorum, à cibo & potu inordinato, incurrebat suffocationem uteri cum prolapsu, & fluxu alvi continuô, aërique frigidiori in fine Novembris, dum ventus nimium erat vehemens, se exposuerat, noctu plus 10. vicibus alvum exonerans. Camera etiam erat frigida, ubi decumbebat, inque tali statu 8. insumebat dies. Penultimo die notum facit affectum, quem præ pudore occultaverat, verùm assidentes meram uteri suffocationem eum judicantes, neque periculum subesse putantes, quia tempestas erat impetuosa, differunt consilium Medici ad alterum diem. Interim illa moriebatur cum summa cordis anxietate, fluxu alvi, calore totius corporis & sudore copiosissimo.

[*1686. d. 10. Febr. Grünbergâ Augustam Vind. allata.*]

SCHOLIUM.

PUdoris hujus intempestivi funesta exempla si ullus morbus, iliacus certè ex hernia intestinali oriundus suppeditat; quam dum eâ laborantes, præ nimia verecundia, sedulò etiam in eam inquirentibus Medicis, propalare recusant, intestino prolapso temporis diuturnitate inflammationem & gangrænam subeunte, nec in naturalem locum recedere ampliùs apto, eosdem frustrà tandem morbum patefecisse, mortemq; miserè oppetiisse, non unâ vice observavi.

(*L. Schröck, L. F.*)

OBSER-

OBSERVATIO CLVIII.
D. ROSINI LENTILII,
Coralia, quæ ruborem perdiderant in corpore ad ſenſum ſano, in cachectico eundem recuperant.

HElmontius *tr. tumul. peſt. p. m. 263.* ita: *Corallum rubeum frictione ad mulierem ex utero ægrotantem, pallorem contrahit permanentem, verum ad carnes ſanæ mulieris affricetur, priſtinum recuperat fulgoris ruborem.* Idem *tr. de conceptis §. 26.* legere eſt. Ego, quid in ſimili caſu expertus fuerim, proximè enarrabo: Sereniſſima Curlandiæ Princeps, Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Soror, virtuoſa, & innumeris corporis animique dotibus longè inſigniſſima, geſtavit armillas è Coralio raritate magnitudinis pretioſiſſimo. Cum fortuna forte afflicta uteretur valetudine, ab eo latere, quo cutem armillæ contigerunt, præcipue verò ipſas Coraliorum extremitates, rubeo ſuo fulgore penitus depauperarat, ut quis pigmento ante incruſtata, nunc fuco nudata crediſſet, immo & notata ibi locorum cum pallore quædam ſcabrities. Nec verò, quod in conceptis *Helmontius* voluit, priſtinum ruboris nitorem, cum recuperata valetudine, ea reſumſerunt, ſed eadem illis amantûm propria facies, pertinaci conſtantia perſeveravit. Indignus proin tanti pretii mundus, qui ſpecioſos Ducalis corporis lacertos ornaret, judicatus, in prædam Fölkerſamiæ, generoſæ mulieri, ceſſit, ſed nec ibi ruboris gratia rediit; Igitur alia Nobilis virgo, cui numquam non cum infirma valetudine lis erat, cachectica, chloroſi laborans, facie pallidiſſima, armillas brachiis adaptavit ſuis, tam egregia cum metamorphoſi, ut una nocte priſtinum ruborem feliciſſime recuperarent.

SCHOLIUM.

HElmontius *loc. supr. cit. tum. pest.* ita : *Si igitur lapis.* inquit, *magnam habeat virtutem in usum humanum, ipsæq; durissimæ gemmæ, sapientis testimonio, virtute sint fertiles : necesse id est contingere irradiando in corpus, quod attingunt, propemodum instar astrorum :* Heic verò se pure passive Coralia habere videntur, quibus tamen cum aliis solidissimis corporibus effluvia sua nullatenus deneganda. Videamus tamen, an etiam per irradiationem imperceptibilem, & imaginariam, an verò per alia quædam corporis humani effluvia ejusmodi coloris mutatio contingere queat ? Videmus facta per acidos liquores corrosione Coralia suo ad sensum rubore exui, eoque fere promptius, quo acidum est mage penetrans ; Serenissima verò Princeps ex utero & hypochondriis, malo ferme in consuetudinem irroborato persæpe laboravit, morbosi tamen parum in vultu præterea ostendens, sed cuique credita sanissima ; Uti autem uterinæ istæ affectiones plerumque originem ducunt à vasorum obstructionibus, unde sanguis ibi subsistens, oppressis particulis balsamicis & salinis volatilibus indolem acetosam adsciscit, halitusque consimiles per totum corpus exspirat, qui per insensibilem transspirationem extra corporis poros delati ; qua Coralia tetigerunt, violentiore destructione & corrosiva, at subtili, virtute, colore rubello, dispositis aliter superficiebus, hæc exuerunt. Quin autem, ais, non in omnibus hystericis illa contingunt? Aliter equidem ego respondere nescio, quam, vel caussam me ignorare, vel scorbutum illis regionibus endemium, additis acetositati salinis fixis particulis, & inde quasi facta muria, potentius heic operari. Magis arduum videtur decernere, quei colorem recuperarint in corpore cachectico, pallido, chlorosi laborante ? Nam & hic morbus cumprimis acceptus fertur sanguini, particulis sulphureis & balsamicis depauperato, & sero in acetositatem evecto. Liceat mihi pal-

loris

loris virginalis caussam adhuc aliam hanc adducere, quod nimirum in salacibus & viripetis, udor lymphaticus, lasciviæ, femininæ auctor (cujus egregiam sane descriptionem *Thessalus noster* in *Ephem. Ann. II. Dec. II. appendice* tradidit, in ὀργασμὸν & effervescentiam quandam actus, parenti suo, sero multas ἀναθυμάσεις salinas volatiles communicet, quæ per glandulas subcutaneas exspirantes Coralia casco rubori reddere potuerunt.

Patet hinc etiam, quam futilis sit per acetosa & corrosiva menstrua parata decantatissima Coraliorum Tinctura. Occultant enim potius, seu subvertunt ruborem, non extrahunt; hinc ope salinorum volatilium levi brachio restituitur. Valeant itaque proletariæ illæ & vulgares Coraliorum Tincturæ, qualem, si quis insipido menstruo extraxerit, is sane magnus mihi Apollo habebitur.

Caraben, ajunt, qui gestat, indicem valetudinis vel habere prosperæ, vel afflictæ certissimum: Quoties enim succinum expallescit, morbus bellum denuntiat, inita cum natura pace, pristinam faciem resumit. Id in B. Parente meo se observasse, Mater sæpenumero commemorat.

Ob materiæ affinitatem occurrit, quod adseveravit Serenissimi Marchionis Onoldo-Brandenburgici Minister quidam, Chimicarum rerum non ignarus; nimirum, se parasse arte Chimica Mercurialem annulum in statu sano fulvo colore illustrem, sed, ubi corpus languet, nigrescentem, recepto tamen iterum colore; item, eumdem annulum venena, ubi qua sint præsto, detegere. Annulum ipsum ego hac manu mea contrectavi.

Monstravit idem frustum Auri puri ℥ß. pondere, ex argento, it. Argenti ʒiij. præterpropter pondus, è cinnabari nativa, à se, quod ajebat, extractum. It. in Palatinatu superiori, effodi Terram mineris gravidam, quæ calcinata & elixiviata sal reddat, per retortam spiritum exsudantem, extemporaneum Mercurii fixatorem.

Elegans

Elegans est denique de Coraliorum Tinctura judicium *Hesperi nostri*, qui in *Gen. errant. cap. 22.* Paucissimi, inquit, eorum, qui tantas contentiones de Tinctura Coraliorum fovent, uti quidem fas esset, cogitant, an etiam ut maximè vera Coraliorum Tinctura haberetur, tantas, quas accipit, laudes in Medicina mereretur per se, modo ortum, conditionem & vias abjecti & fixissimi illius succi lapidescentis curæ & cordi habeamus. Conf. quæ Excellentissimus *Grimmius Ann. I. Dec. II. obs. 173. Ephem. nostr.* in hanc rem adnotavit.

OBSERVATIO CLIX.
D. ROSINI LENTILII,
Noxa panis à furno calentis comesti.

LOcumtenens Veteranus in Misnia, Vir provectioris ætatis, conjugem sibi Juvenculam sociavit, cum ea liberorum aliquot factus Parens. Ut solent plerumque, qui sequuntur in juventute militiam, prædæ loco, cum artubus mutilis, pauperiem senes reportare, ita & huic erat res domi angusta, uxorque contextis tibialibus familiam sustentare coacta. Contigit autem, ut hâc, Saxonum Halam ad nundinas profecta, maritus interea farinam nactus, panes pinseret siligineos, quos è furno calentes, triduana fere abstinentia exhausti liberi, indulgentissime abliguriunt, superbibita cervisia secundaria. Ecce Tibi, præterlapsâ vix hora una, tres pueri nefarium appetitum suffocatione tristi luunt, quos frater superstes altero post die, mirum excruciatus, pede presso sequebatur.

SCHOLIUM.

PAnis, omnium elogio, cibus maxime naturalis, & propemodum universalis, non obstante, quod *Helmontius tr. victus rat.*

ctus rat. §. 14. eum non verum cibum, ſed tantum obſonium appellet, eo, quod aliqui ſine pane victitent. Non enim Panis prærogativæ quidquam inde decedit, quod aliquæ gentium inenarrabili hoc dono deſtitutæ vivant. Magis arridet elogium *Quercetani diæt. Polyhiſt. l. 2. c. 5. In pane*, dicentis, *baſis & fundamentum nutrimenti præſertim eſt poſitum, quod ex granis multo ſpiritu Aquâ vitæ & balſamo fecundis, quæ cum noſtris ſpiritibus & nectare vitali magnum habent conſenſum, eleganti artificio, & præparatione ſalubri concinnetur, citra quem, aut aliquid ſimile, quod conſtantis ſit corporis, commode vivi non poteſt.* Nec, quod ego addo, ſine cauſſa Salvator Noſter ſub pane quotidiano, ceu generali medio vitam humanam conſervandi, omne, quod ad hanc tolerandam neceſſum eſt, comprenderit. Hinc tam reverenter hodienum panem Judæi habent, ut 1. vas nullum ei ſuperſtatuant, 2. nulla patina ejus fruſto ſuffulciatur, 3. nullam poſt rem jaciatur, ſunt verba, non mea, ſed *Buxtorfii Synag. c. 7. p. 207.* Hinc Piſtorem primarium Pharaonis Ægyptii *Geneſ. 40.* propterea Regis iram meruiſſe, quod maſſæ ſilicem forte immixtum, cum Pane piſtum, inſcius Regi obtulerit, quem admordendo dentes hic læſerit, Rabbini, ſuo more, fabulantur.

Panis tamen nauſea nonnullos fuiſſe detentos hinc inde *Noſtræ Ephemerides* teſtantur, quibus addo, me noviſſe Magiſtrum quendam Equitum, qui ſecalinum quidem bene; ad ſiligineum & triticeum panem citra deliquium vorare vix poteſt, quem eundem vidi animo lictum ab odore moſchi, confecturis (quas vocant) immixti, cui deliquio cruſta panis ſecalini toſta, naribus admota, medebatur. Harum averſationum veræ rationes, ut aliquando dantur, ita ſemper dari non poſſunt.

Noxæ à panibus è furno calentibus contractæ Auctorum plures commeminerunt; hinc Diætetici eum talem comedere vetant, & repletionem panis cujuscumque adagio peſſimam,

non tantum, quod ſit index pauperiei, ſed quod revera in ſtomacho debili ſit onerosiſſima, *Helmontius l. c.* recte affirmat.

Panis non calidus, nec ſit nimis inveteratus,

præcipit *Schola Salernitana*, & vere ex *Avicenna* ibi allegatur, quod inflet, & immodica viſcera obſepiat atque obſtruat. *Martinus Panſa* in *diæteticis* non laudat panem, niſi minimum ante 12. horas piſtum: Vid. etiam *Sim. Paulli Quadrip. Bot. hiſt. Secalis.*

Ut viderem, quid de pane adhuc à furno calente fieret, ubi maſticatur & comeditur, rem analogâ quadam cum ventriculi digeſtione, experiri conſtitui: Cepi igitur panem jam è furno extractum ſecalinum, ejus bonam partem maſticavi, & vitro latioris orificii credidi, aſperſa notabili ſalivæ quantitate, & inſuper cerviſiæ bono hauſtu, atque, ut ventriculi fermentum acido-ſalinum promtius æmularer, Nitri puri tantillum, ſolutioni cinerum clavellatorum cum aqua ſimplici fontana factæ, miſcui, &, poſt aliqualem digeſtionem liquorem filtratum volatilem maſſæ illi adfudi, Vitrum probe obſervatum in digeſtionem collocavi; ſed ægre fermentatio proceſſit, lentoque gradu bullæ hinc inde adſurrexere, tantumque abfuit, ut maſſa illa decenter funderetur, ut potius in ſeipſam conſideret nunc, nunc inflatione grandi inſurgeret, tanto cum lentore, ut jurare queam, vix ullum gluten eſſe glutinoſius; odor autem, qualis eſt lixivii communis, inde exſpiravit. Si acetum illud naturale, ſeu ſpiritus Saturni vegetabilis, & ſpiritus Aureus quintæ eſſentiæ depuratus, ſucci pancreatici & bilioſi vicarii, quales in *Chryſogon. anim. & miner.* Excell. *Tackius* memorat, ad manus felici adfuiſſent, tentaſſem, quid inde chyli expectari potuiſſet. Quidquid ſit, arbitror, à craſſis, terreſtribus & viſcidis exhalationibus, quas ejusmodi panes recenter piſtæ, & maſticatione in priorem ferè maſſam crudam redactæ exſpirant, ventriculum, cumprimis à diuturna inedia jam flacceſcentem, affuſa inſuper cerviſia, miris modis inflari,

glutino-

glutinosum inde chylum generari, vasa mesenterii & reliqua, expandi, sanguinem limosum ad motum ineptum reddi, circularemque motum tardari, Cor multis palpitationibus quassum obrui, flammam vitalem ab impuro pabulo suffocari, mortem insequi.

Miles Suecicus cum Anno 1678. per Livoniam & Curlandiam hyemali, ac proinde molesta, expeditione, Prussiam impeteret, Panisque defectu tritico & secali cum Aqua & sale cocto intemperantius vesceretur, ventre intumescente suffocatus, maxima sui parte interiit, quamquam & gelu plures perierint: Id revocavit in memoriam locum *Galeni* à *Quercetano l. c.* adductum: Ubi se, cum sociis, famelicum apud rusticos triticum cum Aqua & sale coctum, affatim, copiose & ad satietatem comedisse recenset, sed tali cum eventu: A cœna gravitatem in ventre, ad instar incumbentis luti, cœperunt sentire, postridieque toto die crudi, cibum fastidientes, languebant, adeo, ut nihil possent omnino adsumere; Præterea, flatulento spiritû plenis, caput dolebat, oculique, ceu per nebulam cernentibus, caligabant.

Spiritum Panis analepticum, quem tantopore *Kergerus*, aliique extollunt, ut non vidi, ita nec possum laudare, nec culpare, non tamen nego, me vix tanta in illo liquore quærere, ob immensam istorum spirituum volatilitatem, quæ vix coërceri potest. Aquam *Rubæi* è pane adhuc calido, destillatione per descensum, ad surditatem parata, & à *Sim. Paull. l. c.* allegata, experimento meo, insipida est. Interim testatur experientia, panem & medicamenti loco multis affectibus inservire, quorum Catalogum Practici exhibent.

OBSERVATIO CLX.
D. ROSINI LENTILII,
De
Excisione tumoris Sielodis in Gravida.

ELeganti forma Sculptoris noſtratis uxor, viginti & aliquot annorum juvencula, inde à prima Juventute Odontalgia ſubinde laboravit. Jam ante biennium enormis dentium dolor tuberculum piſi quantitate, in maxilla ſuperiore dextra, ſupra dentem caninum, ſui veſtigium, ingratus hoſpes reliquit, quod, cum parum incommodi ferret, utcumque toleratum. Sub anni 1684. auctumnum à dentibus laborare denuò cœpit, comite tum quidem Igne ſacro, eoque loco, quo tuberculum prominebat, exortum ulcus, quod ficubus in lacte coctis ruptum, plurima ſui parte laudabile pus evomuit, verum, eryſipelate perpetuato, paucis poſt diebus, recens affluxus Tumorem expandit, qui ſtatim duriuſculus & tenſus evaſit, quorſum repellentia fortiora, pro delinienda roſa foris adhibita, haut minimum contulerunt. Cum igitur incrementum tumor ſumeret, conſultus Cheirurgus noſtrâs, egregius & exercitatus, *Dn. Johann. Georgius Lang*, decoctum ex herbis emollientibus cum lacte, ut ejus ſubinde calidi cochlear unum atque alterum in ore teneret, ordinavit, foris emplaſtrum de gummatibus cum ſpermate ceti. Catarrhis exſiccandis & evacuandis pilulæ; hinc revulſionis fine, ſaphæna dextri pedis pertuſa. In eodem tamen ſtatu tumor nec diſcuſſus nec emollitus perduravit, usque ad nuperæ conceptionis momentum, poſtquam enim eſt gravida facta elegans muliercula, indies tumor increſcere. Parati à Cheirurgo trochiſci è ficubus exacin. rad. alth. ſem. lin. fœnigr. in lacte cocti, & calentes appliciti, ſine notabili effectu, niſi, quod tumoris, antea vix toleranda, tenſio remittere viſa. Denique, his pa-

his parum proficientibus, ego vocor: Examinato tumore, non esse, nisi in sectione remedium, pronunciavi. Non enim erat adeo durus tumor (dolorem taceo) unde præsagiri scirrhus posset, neque heic discutientibus erat, neque emollientibus ullus locus. Tumor autem quotidiè expansus, genam & os tortuosis anfractibus deturparat, & metus erat, ne, successu temporis, tum sermo impediretur, tum transitus alimentis, tum ori clausura, negarentur. Cheirurgi animum, nescio, qui timor habebat, suspicantem, ne forte tumor scirrhosus, sanguinem pro pure funderet, labiis excrescentias fungosas affigeret, & curationem aut postea, qui est ejusmodi tumorum mos, penitus frustraretur, aut periculi plenam redderet. Rationes præterea adduxit venularum & arteriolarum propagines ibi sine dubio radicatas, hinc insignem hæmorrhagiam, quæ vix aliter, quam actuali cauterio, ob incommoditatem loci, compescenda, oculorum nervis, per consensum, damnum illatura esset; quin, ob affluxum humorum, ab hac operatione varia symptomata esse metuenda, dolorem, inflammationem &c. nec esse hic defensivis locum, cum exterius imposita non penetrent, interioribus aditus denegetur: Consultius itaque statuit per corrodentia, ut oleum Vitrioli & Antimonii paullatim tumorem & caute absumere; quæ methodus, cum longam manum expostulet, securior tamen ei visa, ob symptomata non adeo metuenda, & graviditatis statum. Ego verò sentire contrarium, nil nempe, ob rationes supra adductas, heic scirrhi, proinde nec venularum nec arteriolarum tantumdem; hæmorrhagiam, si qua inopinato fusior prorumperet, liquore stiptico, levi brachio, absque actuali cauterio posse cohiberi, suspicari me, pus in profundo tumoris latitare, ob dolorem pulsatilem, incisuram proinde requiri profundiorem: Corrosionem æque cautissima manu perficiendam, affluxum humorum in gravidis esse majorem, & misellam, longa hac via, cumprimis gravidam, gratis exerceri; denique

è *Mekerano* curam per incisionem, in casu simili factam allegavi. Cum & ægra vehementer hanc postularet, & consentiret Maritus, posthabitis in prægnante universalibus, incisio 15. Maij, 1685. scalpello secundum longitudinem, in eminentiore parte, profundior perfecta: Sed neutrius nostrum suspicionem exitus comprobavit; dum enim hæmorrhagiam ille, pus ego, expectaremus, horum neutrum vulnus dedit, sed aquam, seu serum, pauco sanguini mistum, nullo fetore naribus ingratum, limpidum, ad instar salivæ, ingenti & largo scaturigine, excrevit. Vulnus debite tractatum per crebras collutiones, turundas traumaticas & alia, levissimo negotio consolidatum fuit, nec ullum symptoma notabile insecutum, immo nec tumoris vestigium, quod è nimium expansa gena, non sine formæ dedecore metuebamus, foris relictum. Tuberculum, cujus supra facta mentio, cum novo tumori ansam præbere potuisset, corrosivis oleis intra paucos dies ablatum; prospectum fetui & gravidæ roborantibus, dentibus autem putridis Tinctura gummi laccæ, cum melle rosato & spir. salis. Nunc optime, facta Puerpera, vivit.

SCHOLIUM.

Cuilibet planum existit, qua ratione compulsus, tumorem hunc sielodem appellarim, quam ob rationem etiam dignus fuit judicatus, qui *Ephemeridibus* insereretur. Nec enim alii tumorum classi accensendus est hic plane peculiaris, quem existimo ortum traxisse, ab affluxu salivæ ex glandulis maxillaribus superioribus, quæ utrimque vas quoddam salivale, à *Stenonio* primum notatum, (quod tamen & sibi *Blasius* inventum vendicat) per buccinatorem musculum in oris cavitatem protendunt, unde materia tumori, & incrementum suppeditata. De hisce vasis in *disp. de Saliva & vasis salivalibus*, sub Excell. *nostro Argo*, Anno 1673. Heidelbergæ habita, fusius egi. Nec enim aliunde humor iste lymphaticus derivari potest, qui, nullus

nullus alius, quam salivalis, impediente tuberculo, exitum sui non inveniens, restagnando tumorem extulit; quale exemplum, deviantis ductus salivalis, *Kerkringius obs. 68.* exhibet. Accedit mulieris querela, quæ aliquot post septimanis, sibi, præter voluntatem, continua saliva os inundari conquesta est, quod tamen ipsi malum non fuit perpetuum, sed sensim remisit. Patet hinc etiam, cumprimis aureum *Hippocratis 6. Epid. axioma* Cheirurgis & esse discendum & usurpandum, quod tale est: Μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν. Ut enim improbanda, carnificum quorumdam Cheirurgastrorum sævitia, gratis ubique secantium, & urentium, quales latrones mihi probe noti sunt; Ita non minus à superflua timiditate culpandi quidam, cujus nimiæ instinctu, optima sæpenumero subter manibus elabitur occasio.

Occasione salivæ in mentem mihi revoco Amicum quemdam meum, Medicum, qui, dum serio & diutius loquitur, salivæ guttas quasi per siphonem eructat, quæ continuo in albissimam calcem concrescunt. Si quid conjiciendum, particulæ quædam alkalicæ terrestres à Spiritu Salivæ nitroso, seu acidulo solvi, hoc verò spiritu in saliva eructata ob volatilitatem suam exspirante, calcem denuo coagulari, non secus, quam in Principis dicto, prope Jenam, fonte, cui imposita ligna, folia &c. lapide incrustantur, de quo *Jetringius disp. de calculo.* De hac salivæ concretione ita ad me Excell. *Theseus noster:* Salivam, in orbem stanneum eructatam, concrevisse in calcem albissimam, miror; crederem salivam continuisse salsedinem magnam, constat enim mihi, sanguinem scorbuticum Venæsectione emissum, in vas orichalceum, ejus acri à sero extractum fuisse Vitriolum coagulatum.

OBSER-

Dec. I. A. VIII. Pag. 241.

OBSERVATIO CLXI.
D. ROSINI LENTILII,
De
Processu Phosphori Hermetici.

CUm ante hos annos paucos nemo ferè haberetur in curiosis, nisi, qui de Phosphoris, eorumque paratione, disserere posset, diu in id incubui, ut & mihi de illustri hac materia quid innotesceret. Phosphorum cereum primo mihi videre contigit apud Excellentiss. *D.D. Bilgerum*, Physicum Esslingensem, Chimicum haut vulgarem, amicum meum insignem, quem ex Anglia sibi missum ab Agnato συνωνύμῳ, Chimico celebratissimo, testabatur. Ejus conceptaculum erat aqua, è qua exemtus cito fumare, seseque ipsum consumere, incipiebat; prensus folio brassicæ, chartæque illitus, in tenebris, flamma cæruleo-rutilante se quidem commendabat, at fetore teterrimo molestissimus erat. Alterum mihi idem Excell. *Bilgerus* communicavit, liquidum, in quem penna intincta, manus, facies &c. non sine cautela, pingi poterant, ut quis, exacta candela, Diabolum magis, quam hominem, aspectu horridissimo, referret. Denique à milite quodam generoso, communicatus mihi Phosphori processus, quem ex Anglia genuinum sibi communicatum, sancte affirmavit. Ego verò, quo minùs *Ephemeridibus* clare inserendum, elegantem sane, &, si quis alius, concinna encheiresi commendabilem, tametsi à manu parum latina conscriptum, processum sentiam, quid obstet, non video: Est itaque verbotenus & stylotenus talis:

Notabilis quædam quantitas urinæ lento igne ad consistentiam mellis evaporetur; Tunc olla quædam stercoris humani, super igne satis forti calcinetur, donec non amplius feteat. Simili modo feces vini, unde spiritus destillatus est, expriman-

primantur, ſiccentur, & forti igne calcinentur, ut prius cum ſtercore factum eſt. Nunc miſce ana calcinatæ mixturæ ſtercoris humani & fecum vini; Interim imponitur Cucurbitæ portio quædam ſapæ urinæ, de qua in principio dictum eſt, atque ſucceſſive injice de duplicata mixtura calcinata, tantum, donec non ampliùs ebulliat, & reactionem faciat, tunc bene miſcendum & finito omni ſibilo, ſtatim eſt apponendus alembicus, & deſtillandum lento igne, usque ad ſiccitatem. Tunc omne, quod deſtillatum eſt, novæ Cucurbitæ vitreæ imponitur, & tantummodo ſpiritus deſtillatur è balneo lento igne, donec rubræ guttæ aſcendant, tunc ceſſet deſtillatio, ſpiritus tamen adhuc ſemel rectificandus cum ſale ſuo volatili, quod ipſum in deſtillatione concomitatum eſt: Rubræ verò guttæ, ſeu fuſca reſidentia ſervetur à parte. His ſic peractis ſumatur bonus rectificatus ſpiritus vini, ponatur in Cucurbitam & injiciatur de calcinatis fecibus vini, de quibus in antecedentibus mentio, tantum, ut maſſa fiat inſtar tenuis pulmenti, poſtmodum deſtilletur ſpiritus vini inde; hoc ſpiritu vini extrahatur tantum ſtercoris humani ſiccati, ſed non calcinati, quantum extrahere poteſt, & poſtea deſtilletur lente, erit ſpiritus valde igneus, qui, cum antecedente ſpiritu Urinæ mixtus, reactionem faciet, tertiumque aliquod ſalis medium producet, quod congelatus ſpiritus vini vocari poſſet. Porrò forte quoddam acetum vini, ſed non deſtillatum, funde ſuper ſufficientem quantitatem ſtercoris humani ſiccati, ſed non calcinati, & deſtilla ex arena, usque ad ſiccitatem; hic deſtillatus ſpiritus fundatur ſuper Oleum urinæ, ſeu reſidentiam fuſcam, cujus in antecedentibus, ſub deſtillatione urinæ, mentionem feci, tunc rurſus fiet reactio, atque oleoſum Sal volatile (talis quoque ſpiritus aceti ſtercoratus fundi debet ſuper Oleum Tartari fetens, & quoque Oleoſum ſalis volatile exinde procedit. Jam: ℞. Sapæ urinæ, ſapæ ſtercoris humani, ſapæ vini, ſapæ aceti, ana, miſce cum ſtercore humano ſiccato, cum Tartaro cru-

do pondere anatico, destilla per gradus, sub finem forti igne, quod in destillatione transit, tam spiritus, quam sal volatile, & Oleum denuò super proprio Capite mortuo rectificanda sunt, semper sub finem fortem ignem dando, donec sal fixum totum in spiritum transierit; Observatum est, quod si spiritus, sive sal, sive sapa urinæ cum sale Tartari fixo, vel Cineribus clavellatis probe per frequentem solutionem clarificatis & in salis formam redactis misceatur, & forti igne destilletur, sal fixum tandem elevari, & in butyri forma ascendere, quod noctu lucet instar ignis, per se, & cuicumque etiam rei affricetur, citra tamen læsionem & quod non ardeat, ignis vere humidus, lucidus & non ardens.

SCHOLIUM.

DE Phosphoris heic multa fari non vacat, præsertim, cum isthanc materiam satis, & suo more, id est, perquam erudite, nitidissimus noster *Phosphorus II.* exhauserit. Id tamen non nego, Processum hunc, præ aliis, quos legere varios contigit, maxime cum ratione consentire videri: Excell. *D. D. Bilgerus* materiam juravit, esse stercus & urinam, eamque sic sufficienter, pro ultimata destillatione, præparatam, è Britannia sibi missam, contrectandam exhibuit, erat massa levis, porosa, friabilis è fusco rutilans; Huncque Processum, cum ipsi legendum tradidissem, fassus est, à genuino parum vel nihil discedere. Fecidum ejus periculum, qui volet, faciat. Ego arbitror, primum Inventorem nulla intentione phosphori inquirendi, aliud quasi agendo, hunc reperisse, nam quis alioqui lucem in stercoribus quærat?

[Nordlingâ 1686. August. Vind. allata.]

OBSER-

OBSERVATIO CLXII.
D. ROSINI LENTILII,
De
Processu aquæ stipticæ.

CUm adhuc in Curlandia versarer, Generos. *D. de Letau*, *Sereniss.* Hassiæ Landgravii, ad Ser. Curlandiæ Ducem, Legatus, Vir Naturæ per quam Curiosus, inter alia monstravit decantatissimum liquorem stipticum, quem genuinum adseverabat, sibique ab Excellentissimo *Nostro Priamo* communicatū, cujus sapor erat aluminosus, cum sedimento consimili, & effectus, Illo teste, præclarus. Hafniam deinde veniens, quæsivi Chirurgum Regium, *Dn. Hacquard*, hujus aquæ Possessorem, experturus, num illa Hafniensis cum ea, quam Mitaviæ degustaram, ejusdem & esset saporis, & sedimenti; sed, quia dictus *Dn. Hacquard* apud Reginam Matrem in arce Nieköping Falstriæ moraretur, voti compos non factus sum, tametsi Illustr. tum adhuc in vivis, *Thom. Bartholinus* affirmavit, Hafniensem, ut sit aluminoso sapore, sedimento tamen carere. Post Lubecam appellens, cum de hac aqua sermones misceremus, ego, & Excell. *D. D. Hannekenius*, miratus hic est, in aqua, quam in Curonia videram, esse sedimentum, cum Excell. *Priamus* in litteris ad *D. D. Hannek.* testatus fuerit, aquam suam stipticam esse destillatum quid, qualia sedimentum habere non solent. Igitur Crailshemium veniens, dubiæ prorsus fidei, cum ejusmodi liquorem optarem, volutavi *Acta Medica Hafniensia*, ibique in *Vol. 2. obs. 41.* reperi Illustr. *Bartholini* hæc verba: *Vitriolum primas tenere partes in hoc liquore stiptico, nulli dubitamus, quamquam de veneno aliquo, aliisq; ingredientibus, nebulæ quædam oculis nostris objiciantur. Illud sapore, quasi sorex, suo indicio se prodit. Mera solutio vel coctio vitrioli videtur. Dif-*

ficultas augetur unica, quod innoxiè adsumi dicatur. Et hic totum artificium latet, ut Vitriolo vis emetica adimatur. Hæc ille. Quamquã autem non sit contemnenda mille experimentis probata vitrioli vis adstringens, vel solo famoso venere sympathetico probatissima, non tamen videbatur mihi prorsus satisfacere, cumprimis, cum aluminosus sapor, vitriolicum in Sapore vicisse, alumenque præ vitriolo cum minori acrimonia magis & potentius adstringere videretur: Hinc methodo Beckerianæ institi, quam describit *ejusd. volum. obs. 133.* & est mera quædam solutio limaturæ Martis & spiritus vitrioli, conjunctorum cum phlegmate vitrioli, cui post additur solutio alumin. crudi, cum aqua pluviali facta, abjecta residentia, & fateor, usum ejus non fuisse quidem spernendum, attamen nec sapor mihi videbatur penitus idem, nec interna propinatio usque tuta. Hinc in Excell. *Weberi* tractatum peculiarem & curiosum de liquore stiptico incidi, cum autem ipse Dom. Auctor interni ejus usus mentionem nullam injiciat, & ratio dictet, hunc liquorem sapore acriorem futurum, quam ut instar aquæ communis bibi queat, quod tamen vult primus Inventor *Bondetus Gallus*: præterea crudior mihi appareat compositio, & oleum vitrioli ℥j. ad liquoris ℔j. dosis præter rem major, cogitavi, num forte propior ad hanc aquam genuino more parandam accessus & via reperiri posset. Communicati proinde ab Amico quodam meo processus bini, quorum primus à Weberiano parum dissidet, & geminus perhibetur à Gallo Clerico ipsi datus lingua Gallica. In Latinam tralatus ita sonat: ℞. Vitrioli, aluminis rochæ, & phlegmatis Vitrioli ana ℔j. pulverisetur vitriolum & alumen, & simul injiciantur in vitrum capacius, cui pulveri superfundatur vitrioli phlegma; Vitrum imponatur calori arenæ lento, usque dum media pars dicti phlegmatis evaporarit, quod restat, per chartam emporeticam filtretur & reponatur in cellam pro crystallisatione: liquor restitans decantetur in aliud vitrum, cui

miscea-

misceatur olei vitrioli ℨj. quæ parum invicem digesta, usui serventur: ad gratiam liquori conciliandam torna Solis eum tingere licebit. Ad hunc modum liquorem in Officina nostra Weinmanniana sat elegantem parare jussi. Alteram descriptionem idiomatis Germanici talem transtuli. Rec. Mineræ Vitrioli q. v. fac ut in in aëre liquescat, hujus liquoris pars sexta evaporetur, cujus evaporati recipe ℔vj. mineræ Martis pulverisatæ ℔ij. Stent simul in digestione per dies aliquot, postea destilla primo ignis gradu, usque dum omnis aquositas alembicum transscenderit, post auge ignem per gradus, & perge destillare summo Ignis gradu per 4. dies, donec omnis materia transierit. Postea Rec. limat. Mart. ℔iß. superfunde spir. destillatum, qui, si subtilior est, quam, ut cum Marte effervescat, tantillo terræ sensim affundendo diluatur, dum videas effervescentiam. Stent ita in retorta capaci, destilla igne lento, ad remanentiam decimæ partis; post limaturæ Martis recentis tantundem injice, & aquam destillatam reaffunde, stent parum, postea destillentur, ut antea, pene ad siccitatem, ut tamen materia humida maneat, reaffunde hinc liquorem vel spir. & 6. partes aquæ fontanæ, ut omnia solvantur; soluta filtrentur ad separationem fecum Martialium impurarum & minùs perfecte solutarum, liquor ad siccitatem, cavendo tamen empyreuma, evaporetur, & remanebit in fundo sal flavescens, quod in s. q. aquæ plantaginis pro usu solvatur.

[Nordlingâ 1686. 12. Febr. Augustam Vind. allatæ.]

OBSERVATIO CLXIII.

D. JACOBI DOBRSENSKY de Negroponte,

De

Puero tertio ætatis ſuæ anno barbato.

infra p. 348.

NAtus eſt Puer parentibus ruſticis Anno 1673. in Diſtrictu Rockonienſi 7. milliaribus Pragâ ex Pago Teirzovitz, nomine Jacobus Sima, hic tertio jam ætatis anno in tantum ſtaturæ & roboris excrevit, ut triturare & omnia munia robuſti ruſtici peragere potuerit, barbaque eodem anno eidem creſcere cœpit. Nunc 12. cum dimidio ætatis annum agens, inſigniter barbatus & benè aliàs reliquo corpore proportionatus eſt, excepto quod ſiniſtro pede claudus à nativitate ſit (pes enim ſiniſter intortus non exæquat ulnam mediam) longitudo corporis ei eſt duarum ulnarum & unius quadrantis, latitudo duarum ulnarum, Pectus eſt hirſutum, & genitalia dicitur habere inſignia, quam ob cauſam mirum non eſt cur uxorem nunc tantoperè appetat.

[Ex literis ad Excellentiſſimum D. Volckamerum.]

OBSERVATIO CLXIV.

D. CHRISTIANI ERNESTI CLAUDERI,

Vomitus ſanguineo - carnoſus rariſſimus, lethalis.

D. II. A. 2. obs. 172. p. 394.

GEneroſus à Waldau inter Sereniſs. Saxoniæ Electoris noſtri milites Locumtenens, per 6. 7. annos laborabat totius abdominis ferè, infra umbilicum usque, duritie tàm validâ ac inſolitâ, ut digitis, ne minimè quidem comprimi potuerit. Procul dubio igitur totum meſenterium, unà cum hepate ac Liene obſtructionibus validiſſimis, radicatis, ſcirrhoſis, affectum; nihilominus Appetitus ſemper bonus fuit, compotationibus, præcipuè vini, liberaliſſimè indulſit,

dulsit, ad miraculum usque sæpissimè! Vox & loquela per aliquot annos continuos, nunc rauca, nunc difficilis, nunc gracilis, nunc gravior. Pro curatione hujus affectus internè ac externè multa, à multis etiam Excellentissimis Medicis adhibuit, pauco tamen emolumento. Ante aliquot menses, post continuatũ medicamentorum usum, totus venter, exceptâ lienis regione, emollitus; Tumor verò quidam cachecticus totum corpus occupavit, de dolore quoque hypochondrii sinistri, versus ventriculum, difficultate quâdam respirandi, voce raucâ & depravatâ manente, conquestus. Tandem die 2. Novembr. 1685. inopinatò, nullo prægresso violento motu circa noctis initium in Diarrhœam incidit serosam, cruentam, sine omni tamen dolore, sed adeò vehementem, ut illâ nocte 16. ad 20, sedes primò nigricantes summè fœtidas postea sinceras habuerit; insequenti primo mane sedili insidens, absente omni vehementi commotione vel doloris cujusdam sensu, patitur vomitum sanguineo-carnosum, magno impetu per fauces erumpentem, unà cum sanguine sincerô multâ copiâ, unam libram excedente, carnis parenchymaticæ, membranis tenuibus præditæ, in frustula nunc minora, nunc majora, quorum aliqua ferè 1. 2. digitorum longitudinis, ac crassitiei, concerptæ, Lienem, Hepar, vel pulmonem corruptum & laceratum, sine omni tamen putredinoso ac corruptibili odore, accuratè repræsentantis. Factâ hâc evacuatione, viribus totaliter prostratis, pulsu extremè debili & vix perceptibili, Ipse semimortuus quasi jacuit; salvâ tamen semper manente ratione ac suo modo respiratione; Circa hujus diei vesperam adhuc unum vomitum ac secessum talem; alteroque insequenti manè tertium denique, quamvis in minori quantitate, passus est; Post hæc neque sanguinem, neq; carnosam substantiam excrevit, nisi per aliquot vices dejectiones serosas, nigricantes, aliquoties summè fœtidas, injecto priùs clystere abstergente, consolidante.

Sub prognosi Medicamenta confortantia, travmatica, balsamica, consolidantia ordinavi, quorum usu melius quoque se

que se habebat, viresque paulatim recolligebat: Sed verebar semper, ne anguis sub herbâ lateret; siquidem post vomitiones summos adhuc dolores in latere sinistro persentiebat, qui tamen successivè magnâ ex parte sopiti videbantur. Ventriculus tamen Cibum rursus appetit, ac digerit, quod secum naturales excretiones indicant; licet Diætam, diligenter quamvis admonitus, non, ut debet, observet.

Quòd metuerim, sub herba anguem latitare, jamjam retuli, nec metus fuit vanus; postquam enim generosus æger à gravissimô & lethali morbo liberatus, pristinæque sanitati in tantum restitutus videbatur, necessitate urgente, ac jubente officio publico, iter, per plures dies summè molestum aêre maximè injuriosô, alternatim pluviosô, ventoso frigidissimoque coincidente simul solstitio hyberno subire tenetur; Quo jamjam peracto in regressu in Febrem continuam incidit, à cujus invasione, tertiâ tandem die huc redit, Curamque diligenter suscipit, verum Natura à gravissimo prægresso Morbo summè debilitata, viribusque denuo prostratis, Morbique vehementiâ auctâ, die hujus septimo beatè obiit, scilicet die 30. Decembr. 1685. Cujus cadavere aperto, sequentia notata fuére & primo quidem circa viscera, eorumque constitutiones.

Infimi Ventris:

1. DIssectâ abdominis Cute, musculis & peritonæô, copiosa effluebat aqua flavescens.

2. In hepate & abdomine portiunculæ quædam albæ, ramentorum ad instar pinguiusculorum, ab Omento divulsorum, semiputridorumque hinc inde dispersæ jacebant.

3. Hepar ipsum ingentis & vix credibilis magnitudinis, adeò ut dimidiam ferè totius abdominis partem solùm occuparet, Ventriculumque totum obtegeret, parte suâ sinistrâ ad umbilicum usque, dextrâ verò ad ossis Ilei cavitatem pertingeret, latusque dextrum ita totum repleret, & in hoc plurimis in locis membranis costarum firmiter adnatum. Ejus sub-

ſtantia non quidem ſcirrhoſa, interim tamen adeò duræ conſiſtentiæ, ut digitis fortiter etiam tangentibus vix ac ne vix quidem cederet, & ab Hepatis aliàs naturaliter conſtituti parenchymate (quod facilè friabile, rubicundum) planè diverſæ ac alienæ indolis, in parte ſaltem ſiniſtra circa Ventriculum in extremitate ſuâ aliquatenus mollior & vegetioris coloris erat; Diſſectum, internè coloris erat fuſci. Parte ejus poſtica dextrâ, quâ coſtas ſtatim ſub diaphragmate contingeret trium digitorum latitudine jamjam corruptionis labem contraxerat, colorisque erat luridi ac facilè friabilis, membranamque coſtas cingentem corruptionis veſtigio tetroq; colore tinxerat.

4. Veſicula fellis magna, humore bilioſo, atro ac craſsô plena.

5. Lien, humano, in ſtatu naturali, latitudine & craſſitie triplo vel quadruplo major, lapidis ad inſtar, quantus quantus erat induratus, color externus obſcurè flavus ac Ochræus; in hujus medio, externè ſcirrhus, magnitudine Imperialis, qui tamen in ſubſtantiam altius non penetrabat, conſpicuus, quo mediante ſatis firmo ligamento membranoſo coſtæ membranæ firmiſſimè adnatus; color internus plumbeo-fuſcus.

6. Pancreas ex diverſis Glandulis, ex albo flaveſcentibus, maximè induratis, adeo ut digitis etiam vix comprimi poſſent, conſtabat.

7. In Meſenterio quoque aliquot glandulæ induratæ, ſcirrhoſæ, coloris ex albo & nigricante mixti, non adeò magnæ quidem reperiebantur.

8. Ventriculus non parvus, humore nigricante, tenui, cui partes chyloſæ perfuſæ innatabant, ſemiplenus, cujusmodi humor in inteſtinis tenuibus quoque præſens. Aliàs benè ſanus, tunicaque ejus interior optimè rugoſa & naturaliter conſtituta videbatur.

9. Inteſtina omnia benè comparata, interim gracilia, viſceribus, imprimis Hepate, illis ſe magis explicandi, locum & ſpacium præcludentibus, ut judico.

Medii Ventris.

1. Remoto sternô & aperto Mediastino multa effluebat aqua flavescens.

2. Pulmo dextri lateris prætumidus, turgidus simulque durus, ut digitis difficilè quoque comprimendus, sicque, procul dubio, ad omnem motum naturalem planè ineptus, plurimis in locis insuper membranis ad Mediastinum, Costas pleuram firmiter annexus; imò infimâ suâ parte Diaphragmati arctissimè cohærebat. Externè coloris luridi & flavescentis, internè cinerei, multisque ex nigrô ruffescentibus maculis obsitus, ac per totam substantiam tenui ac sanioso ichore manabat, inferiorique versus diaphragma parte, purulentâ, crassâ ac flavescente materiâ repletus; Hæcce pulmonis pars per medium dissecta, levi etiam facta compressione multam materiam spumosam, cum sibilo & sonitu quodam evomebat, als Seiffen-Gescht. In minore saltim, superiore ejus parte circa insertionem Venæ arteriosæ, mollioris erat nonnihil, nec adeò discoloris substantiæ.

Sinistri lateris Lobus, dextro magnitudine multò cedebat, minorque erat, interim liberior, ad latera non ita adnatus. Ejus externus color obscurè rubeus, ad nigrorem tendens, quam faciem interna quoque substantia referebat; Mollioris denique ac flaccidæ substantiæ totus erat, quæ, ut videbatur, jamjam ad corruptionem prona.

3. Cor insolitæ magnitudinis erat & turgidum, cujus auriculâ & ventriculo dextro dissecto, non sine magno stupore observabatur totum repletum materia tali, qualem ante paucas septimanas per os vomitu rejecerat, rubicundâ nimirum, grumis haud absimilis, parenchymatica tamen, tenerrimisque membranulis intertexta & cinctâ; Tum quoq; materiâ sebaceâ, molliusculâ; albicante, ad suavem flavedinem nonnihil vergente, steatomatosâ quasi. Et hæc duo colore magis, quàm substantiâ diversa retenta, partim distinctè ac separatim, eâ

formâ,

formâ, quam à sinuosâ ac fibrosâ ventriculi Cordis internâ facie, cujus fibris ac foveis impacta quasi firmiter inhærebat, nacta; partim suaviter invicem mixta, unumque corpus ex parte rubrum altera parte album constituentia, nunc minore, nunc majore quantitate (horum aliqua nucem Juglandem æquarent) alia oblonga, alia teretia conspiciebantur. Vide *Thom. Bartholini Anatom: Corp: hum. p. m. 263. seqq.* Præter naturam multa in ventriculis, Cordis scilicet reperiuntur. *Bauhinus* frustula adiposa; Et *Wormius* noster Experientissimus ex utroq; ventriculo carunculas quasdam, interius albicantes, exterius rutilo colore emergentes; quod & Nos Patavii pridem & Hafniæ In Dissectionibus nostris invenimus hominum juxtà ac brutorum. *Erastus* concretionem pituitosam, flavescentis instar medullæ quæ in boum coctis ossibus reperitur.

Vesalius glandulosæ nigricantisque carnis libras duas. *Benivenius* frustulum carnis instar mespili.

Eodem plane modo jam dictâ & descriptâ materiâ sinister quoque Cordis ventriculus unà cum ejus auriculâ refertissimus; etiam portiunculæ quædam tùm in vena arteriosâ tùm pulmonibus, ipsorumque bronchiis, ipsâ Arteria magna Cor egrediente & in adscendentem & descendentem truncum sese dividente, reperiebatur. Dicta hæc materia Cordis sinubus extracta, collecta, non pauca, sed tàm copiosâ, ut duplicatam manus volam totam repleret, at ab omni corruptione & putredine erat libera, cujus nec minimũ etiam vestigium odore vel visu percipiendum exhibebat, non sine summa admiratione.

Insuper sanguis post mortem naturaliter congrumatus & coagulatus in Cordis sinubus videbatur, qui tamen à jam dictâ materiâ colore & consistentia facillimè & apprimè discerni poterat, undiquaque quasi circa hanc diffusus.

Ipsa denique Cordis substantia ex optimè sanâ, densâ ac durâ carne constabat, hâc saltim differentiâ, quod tenuioris ac minoris crassitiei ac in statu naturali aliàs esse soleat. Ventri-

culi econtrà amplitudine & capacitate ſtatum naturalem longè excedebant.

In ejus Septo nullus tranſitus, meatus, vel foramen (ex mente *Folii*) oculis uſurpandum, tale verò vivo adhuc & maxime perſpirabili corpore adfuiſſe, rationi haud abſurdum videtur, facillimèque crediderim.

1. Hiſce luce meridianâ clarius nuperum Vomitum ſanguineo-carnoſum ab ipſo Corde per pulmones, mediante venâ arterioſa, anaſtomoſin cum pulmonum bronchiis habente factum. Quamvis mirandum, nec ſatis demirandum, quomodo talis copioſa in viſceribus vitalibus primo collectio, deinde violenta ac enormis excretio ſine momentaneo Vitæ diſcrimine fieri potuerit?

2. Diſquirendum, unde materia hæc albicans & parenchymatica? putarem, chylum ex parte in Corde à ſingulari hujus viſceris Idioſyncraſiâ in hanc albicantem primum, dein ſucceſſive in parenchymaticam ſubſtantiam, accedente excellenti calore & fermento Cordis ſpecifico, degeneratam; ſiquidem in nupero enormi Vomitu ſanguineo-Carnoſo pauciſſima, & in minoribus ſaltim portiunculis materia albicans rejecta, reliquum totum ſanguineo-Carnoſum videbatur. Ergò concludo, copioſam repertam albicantem materiam in auriculis ac Ventriculis Cordis, vaſiſque ejus propinquioribus nondum ſatis digeſtam, excoctam & in parenchymaticam ſubſtantiam concretam fuiſſe, deficiente ſc. ad hoc opus ſufficiente temporis morâ.

3. Poſito nunc, dictum Vomitum ex Corde ortum, per pulmones & aſperam arteriam factum; Quær: per quas vias factæ eodem tempore tam copioſæ alvi dejectiones ſanguineæ, unà cum aliquot fruſtulis carnoſis, parenchymaticis? Putarem has particulas inſtituto à Naturâ ſponte ſua (poſtquam copia nimis laceſſita) motu hoc quaſi critico, & violento vomitionis Actu, facili negotio per œſophagum ad Ventriculum & inteſtina deſcen-

descendere; Sanguinem verò & serosos humores breviori & magis convenienti Nobis quamvis incognitâ, Naturæ tamen haud impossibili viâ, v. gr. per venam quandam vel ramum phrenicum, vel alium per anastomosin ad intestina ablegari potuisse, quoniam plane nulla intestinorum & ventriculi læsio observanda, hæcque Actione Chylificandi, & excrementa alvina sequestrandi officiô suô semper benè functa fuére.

4. Hæmorrhagiam narium difficillimè & nullis ferè remediis sistendam die 20. Novembr. obortam, puto, ab acrimoniâ sanguinis biliosâ, acri, adjuvante sufflaminatâ sanguinis in corde ejusque vasis circulatione, facultateque retentrici simul valde debilitatâ.

5. Totius abdominis elapsis ab hinc annis, summè indurati, ante aliquot menses facta emollitio non revera, sed tantum apparenter talis fuit, & provenit à tumore cachectico & sero intra peritonæum, visceribus, imprimis Lieni & Hepati, quod induratâ suâ mole abdomen ultra dimidium replebat, innatante, tactumque hoc modo illudente.

[*Cygneæ die 31. Decembr. 1685. ad D. Gabr. Clauderum.*]

OBSERVATIO CLXV.

D. JOH. BENEDICTI GRÜNDELII, Sanguis per venæ sectionem, vel hæmorrhagiam narium, evacuatus, quo ad tertiam partem chylosus, & lacteus.

FRanciscus Lutzendorffer apud Illustrissimum Dominum Comitem Kisl hic Marpurgi in Styria minister, quotiescunque Venæ sectionem celebrat, similem præbet sanguinem; Expertus sum hoc ipsemet elapso vere anni 1685. dum medianam pro cura majali curarem secari, ubi duas portiones sanguinis, chyli verò, seu liquoris lactei unam deprehendebam: serum etiam, quod in aliis solet esse aqueum,

hìc erat lacteum, non tamen dulci & lacteo sapore, sed salso, prout ipse gustavi, præditum, neque postmodùm coagulabatur; crusta superior, & superficies candidissimum insuper repræsentabat colorem, & aliqualem viscositatem ob pituitæ admixtionem: Imò guttæ aliquot, quæ ex vena secta ante admotionem scutellæ in terram fluxerunt, post minuta aliquot adeò evaserunt candidæ, ut unusquisque habuisset magis pro effuso lacte, quàm extracto sanguine. Casus iste utpote rarissimus, varias ac miras apud nonnullos produxit opiniones: Fateor equidem, me subinde, si venæ sectio tempore chyli distributionis instituta fuerit, aliquid albedinis deprehendisse; Idem etiam observavi in quodam cane, cui lac ante fata anatomica præbuimus, verùm ubique chylus vix fuit observabilis, ac in paucissima quantitate. Prætereà venæ sectio ista non fuit instituta tempore chyli distributionis, jussi enim studio hunc virum horâ sextâ cœnam sumere, à quo tempore nihil cibi & potûs sumpsit, usque ad missionem sanguinis, quæ horâ octavâ alterius diei, nimirum 15tâ Maji fuit celebrata, unde interstitium horarum quatuordecim sufficiens fuisset tempus, quo chylosus iste succus in rubicundũ potuisset mutari sanguinem. Imò retulit mihi, sanguinem jam ab octo annis sive per cucurbitulas scarificatas, sive sponte per hæmorrhagiam narium profluentem, semper istam habere substantiam lacteam. Ego salvo aliorum judicio existimo hoc provenire à viscerum chylum non bene depurantium, vel eundem sanguini assimilare haud valentium vitio, prouti olim in disputatione mea inaugurali de remedio missionis sanguinis cap. 8. pag. 65. fusiùs declaravi, testaturque cacochymia præsens, & ob varios in cibo & potu, præsertim vino nostro, non adeò diuretico, ira, venere &c. à cunis usque commissos errores gravissimos in hecticam & atrophiam jamjam vergens; In qua re autem præfatum vitium consistat, & quomodo fermentatio in visceribus sanguinem generantibus ac depurantibus destruatur, & cardi-

melech

melech disgustetur, difficile est juxta Veterum ac Recentiorum principia omnibus satisfacere. Ego futuro vere Venæ sectionem in pauca tamen quantitate, curabo repeti, omniaque curiosiori examini subjiciam, ac tentabo, utrùm chylosa hæc massa ope chymiæ purpuram suam posset adipisci; Interim accuratius à Naturæ curiosis hac super re expecto judicium.

OBSERVATIO CLXVI.

D. JOH. BENEDICTI GRÜNDELII, Mania Tartaro emetico curata.

CIvis & vietor Marpurgensis in platea Ecclesiastica habitans, temperamenti melancholici, vino tamen, utpote summo tristitiæ alexipharmaco addictissimus, dum elapso anno 1685. secundâ vice nuptias in Februario celebraret, & veneri nimiùm indulgeret, incidit in maniam adeò immanem, ut catenis ligari debuerit. Vocatus ego, videns hanc spirituum animalium vitiatam crasin provenire ex cacochymia præsenti per Bacchum inductâ, & per venerem exagitatâ, præscribo Tartari emetici gr. v. clam in vino porrigenda, quibus absumptis magnam humorum saburram ἄνω καὶ κάτω evacuavit, & his adhuc semel repetitis, ac Venæ sectione insuper celebratâ ex toto convaluit absque ullis aliis remediis, quare votivam fecit promissionem, se per totam vitam non bibiturum vinum, quod hactenus quidem præstitit, forsitan inposterùm etiam præstiturus.

OBSERVATIO CLXVII.

D. JOH. BENEDICTI GRÜNDELII, Gangræna & mors ex levi vulnere sub barbæ tonsione exorta.

PEtrus Fischer civis & dulciarius Marpurgensis 60. aliquot annorum, plethoricus, & corpulentus, decimâ Novembris

vembris Anni 1685. vaporarium apud balneatorem ingreditur, & post cucurbitulas cum scarificatione applicatas, vinumque generosum pro novo sanguine generando, copiosè more Germanico assumptum, barbam sibi curat abradi, accidit autem quòd ex incuria tonsoris leve ac vix consideratu dignum vulnusculum in mento inductum fuerit, quod equidem civis iste parvi fecit, ac altero die in nebulosa, & austrina aëris temperie ad vicinum oppidum profectus est, vulnusculo adhuc madente, & modicè dolente; post duos verò dies cùm denuò Baccho ad crapulam usque indulgeret, & cum sua Xantippe enormiter litigaret, sanguis hoc modo rarefactus adeò copiosè ad partem affectam expulsus est, ut sponte, guttæ aliquot effluxerint, & subitò dolor calorque auctus, tandemque erysipelas phlegmonosum exortum sit. Adhibentur quidem remedia domestica, sed incassum: Advocatur balneator, à quo vulnus inductum fuerat, hic applicat unguentum album camphoratum (quod in hisce terris, uti alia oleosa rarò huic affectui prodesse solent) Venæ sectionem celebrat, aliaque administrantur, verùm omnia in pejus ruebant; tandem ego rogatus invenio in vulnere duritiem aliquam nigricantem, à qua tanquam à centro nonnullæ exoriebantur lineæ rubicundæ, & pustulæ, collum & genæ valde erant tumefacta, & rubedine tincta, uti & ipsi musculi pectorales per consensum affecti, hinc ego gangrænam adesse judico, & summum vitæ periculum pronuncio, præsertim ex hoc, quòd pulsus vix esset sensibilis, qui in gangrænosis & sphacelatis affectibus ordinariò aboletur, prout aliquoties in castris Cæsareis animadvertere potui: Quamvis itaque remedia varia tam externa, quàm interna adhibita rursum fuerint, altero tamen die expiravit, fatali suo exemplo omnes edocens, ex parva scintilla provenire posse maxima incendia, hinc:

Principiis obsta, serò medicina paratur.

OBSER-

OBSERVATIO CLXVIII.

D. JOHANNIS ACOLUTHI,

Febris acuta, ſudore croceo particulari finita.

SUdores variâ ſub facie notabiles, adeò ſtudiosè orbi curioſo recenſuerunt alii, ut vel ſolus harum Ephemeridum Decuriæ Imæ Annus VItus me præſentis narrationi ſuperſedere juberet, niſi à circumſtantiarum varietate commendaretur. Pygmæa, Illuſtriſſimæ cuidam Sileſiæ noſtræ aulæ ob Phrygiam, quam dexterrimè exercebat, artem, olim æſtimatiſſima, quatuor milliaribus abhinc diſtante in oppido Canto, febre continuâ correpta, inter enormes cephalalgias, anxietates, & inquietudines inexplebilem ſitim, vires, mox à principio penitus proſtratas, atque increſcentia nervoſi generis Symptomata, medicâ ope neglectâ, quinquendium exegerat, cum animam fere agentis maritus, ſingultiente voce, imminentia conjugis fata explicaret, &, ſi quid Machaoniæ arti pro eâ conſervandâ reliquum, ſollicitè expeteret. Exprobratâ intempeſtivâ morâ, duplicem Bezoardici Pulveris Doſin exhibeo, alteram, triplici forſan ſalis volatilis CC. grano, utramque Cinnabari nativâ exaltatam, cui mixtura ſitis delinitiva & analeptica ſociebatur. Primo præbio poſt meridiem ſumto, notabiliora ſymptomata, imprimis convulſiva, nonnihil auſcultarunt, ſecundum, nocti deſtinatum, ſudor, circa cordis ſic dictum ſcrobiculum copioſiſſimus, isque reverà croceus, eodemque colore lintea conſtanter tingens, excepit, cæteris partibus levi, colorisque omnis experte madore irriguis. Tum omnium accidentium graviorum finis & æſtuantis ex caloris ſuccedaneum decrementum, integraque paucos poſt dies, ſanitas.

Vobis, me sagaciores Oedipi, an fermentum febrile sub-acidum volatile, ad hæc loca depositum, rarefactum intensiore massæ sanguineæ ebullitione sulphur, præcipitaverit, illiusque tincturam cum sero transmiserit delicata & rarior cutis hujus loci textura, aut quæ alia accuratior phænomeni ætiologia, licebit judicare.

OBSERVATIO CLXIX.
D. JOHANNIS ACOLUTHI,
De
Potu Vini in Malignis.

SI quicquam divinus certè hic liquor est, quem Vinum appellare soliti, magnificè & prodesse & obesse humano generi, quotidianis discimus experimentis. Quàm, suo tempore & mensurâ haustus, universam hominis Oeconomiam animalem, nova quasi spiramine animat, quàm è contrà, abusus ejus, omnes illius officinas turbat, destruat, nôrunt, me non monente, œnoposiæ accurati observatores. Hîc prodigus, neque in laudes ipsius, neque vituperia sese calamus effundet, illud brevibus delineaturus, quod Praxis nostra de Potu vini in malignis, notatu forte non indignum, plus vice simplici vidit, imprimis autem, Anni nuper elapsi Octuagesimi quinti Julius ei obtulit. Menses hujus, Februarius, Martius, Aprilis, fœcundâ malignarum febrium, imprimis purpuratarum seu petechialium segete oriebantur, quamvis & alias benignas exanthematis junctas, tùm quoque frequentissimas, pro talibus ab imperitis habitas, & curatas cognitum habeam. Majus & Junius epidemicum nonnihil devicisse malum videbantur, cum Julii exordium, de eo, nondum penitus extincto, rursus testaretur. Vir enim, triginta circiter annorum, visitato professionis suæ socio, ex febre ardente decumbente, adstans lecto, halitu tetro afflabatur, unde mox male se habens,

habens, aquam, nescio quam, alexipharmacam haurit, seseque ad somnum in lecto componit. Nocte, multâ jactitatione & inquietudine consumtâ, mane surrecturus, omnium membrorum lassitudinem persentiscit, & ad consveta munia obeunda, inhabilis, torporem excussurus extra mœnia se proripit. Unde mox reversus, ulteriorem gressum virium prostratione intercipiente, domum repetit, ibique inter caloris & horrorum vicissitudines, nullo consulto Medico, duas exigit septimanas. Tum demum ingens æstus præcordia urere cœpit, saporque in ore amarulentus nauseâ comite, cephalalgia exquisita, vires penitus dejectæ, consilium, penes me exorare suaserunt. Blando exhibito vomitorio, propinatâ semel cum sudoris imperio, bis absque eo Essentiæ Bezoardicæ Ammoniacalis, Dosi, & subjuncto pulveris Bezoardici præbio, eò rem deduxeram, ut tertio die meliora de se æger promitteret, cum nox quieta, caloris remissio, & in urinâ, hactenus intensissimè tinctâ, jam coctionis egregia signa apparentia, fausta quævis vaticinarentur. Quid tamen monstri quarta dies aleret, miratus sum, cum mane patientem invisens, ex adstantibus inquietissimam intelligerem noctem, & mentem penitus emotam, Urinam, sanissimi hominis similem, omne corpus petechiarum myriadibus maculatum, pulsum, vix ac ne vix quidem sensibilem, continuas manuum ac pedum convulsiones, eorumque frigus observarem. Mali prænuncias fati circumstantias, probè pensitans, Essentificatum protinus Cornu Cervi spiritum exhibeo, sanguineam massam, jam congelationi proximam, rursus discontinuaturus naturæque præstiturus auxilium, in ejiciendis petechiis occupatæ. Aliquid mihi eo ipso profecisse videbar, cum naturalis calor extremis rediret, pulsusque, quamvis infra mediocritatem, augmenta caperet, cæteris tamen universis, quo cœperant tenore, pergentibus, imprimis delirio, ad fugam per fenestras capessendam, ipsum instigante. Tunc verò minor pro morbi exigentiâ, calor, ante omnia instauran-

dus censebatur, ut resolutus concitatiore intestino motu sanguis, peregrinis ejiciendis inquinamentis, & amoliendis à cerebro, nervosoque genere hostilibus heterogeneitatibus par esse posset. Optimè id theriacalibus præstitum iri, ratus, copiosis salibus volatilibus oleosis, latentes consimiles flammulas felicissimè accensuris, Electuarium, Diascordio Fracastorii, Antimonio Diaphoretico, & conservâ pulpæ Citri, c. s. q. ejusdem succi recentis constans, ordino, sæpius de die, Dosi, cuspide cultri mensurandâ, imprimis autem mane & vesperi triplicandâ, porrigendum. Cum tamen & hoc majorem pertinaciam morbi violentia ostenderet, B. Langio referendum habemus consilium, quo, in Miscellaneis suis Curiosis Medicis p. m. 38. Tit. *Deficiens sitis in febribus malignis Medicum vigilare jubet;* sequentibus exposito verbis, ultima jamjam trahenti suspiria animæ, feliciter suppetias ferebamus. *Desiderium* inquit *sitis, callidè admodum accendere ac suscitare, ignaviamq; caloris oppidò emendare nôrunt, experientiæ fidissimo robore instructi Medici, dum cumprimis, & potissimùm vini potionem concedunt, & ab ejus haustu, febrientem, ut vulgaris hactenus obtinuit superstitionis vanitas, & Pandelitia quroundam Catonum sententia constituit, non penitus arcent.* Ad hoc igitur confugientes suave remedium, dicto modò illud sociavimus Electuario, vinumque Rhenanum, loco alius potus ordinarii, etiam non deposcenti, quippe sibi non constanti ægro, largius infundi jussi, ita, ut per 24. horas, nonnunquam libras ferme duas absumserit. Tum demum vivifico hoc perfusus Nectare jam in ipsius Orci faucibus hærens, reficiebatur, augebatur notabiliter calor, altius assurgebat pulsus, blandus obrepebat somnus, per quatuordecim dies totidemque noctes hactenus cessans penitus rationis usus, per intervalla redibat, convulsiones mitigabantur, instauratæque fermentationis internæ ulterior index, Urina, indies rursus rufescebat magis, donec tandem constantia coctionis signa lætissimè ostenderet. Quæ supererant malorum re-

rum reliquiæ, continuato per aliquot dies pulvere Corallia v. præpar. Lap. 69. præpar. & Bezoardicum minerale, ſulphure ſolari nobilitata, recipiente, abolebantur. Sic, ſuccreſcente indies, lento quamvis proceſſu, vigore, nil amplius de ſalute ſuâ ſollicitum terrebat ægrum, præter leviculas manuum convulſiones, mixturæ tamen ex Elixir Propr. ſ. acido, Eſſentiæ Caſtorei Tartariſatæ maritato, mox obtemperantes, exoptatiſſimum curæ Colophonem imponente Eſſentiâ ſtomachali Balſamicâ, & conſtantibus jam tùm magnam partem, viribus, purgante Jallapino.

Varias de Vini uſu in quibuscunque febribus, opiniones B. Sachſius noſter in ſuâ Ampelographiâ collectas, Lectori cupido *p. 277.* exhibebit.

OBSERVATIO CLXX.

D. JOHANNIS ACOLUTHI,

Senilis Fœcunditas.

GRandævum hìc mihi virum memorare liceat, quem ultimo quoq; in ſenio benefica nondum deſtituit natura, quin ſacros viſceribus ejus adhuc ſubderet igniculos enervataque penes alios, hoc, imò plurimum anticipante ætatis articulo, membra, juvenili roborata vigore, procreandæ ſoboli idonea ſiſteret, erroris convictura illos, qui vires ipſius (naturæ) temporum curſu detritas, accuſant, culpam infirmitatis noſtræ accuratius perverſo Rerum Non-naturalium uſui, (unde debilitata corpora, ætatem ſemper avis pejorem, & vitioſiorem indies dant progeniem,) adſcripturos; Mirare Matthiam Truſium, Roſenbergæ in Comitatu Hungariæ Liptovienſi agreſtem vitam viventem, quæ, cum ſimpliciſſima, & ab omni remota luxu, hanc ei peperit functionum naturalium conſtantiam, ut nonageſimum egreſſus annum,

ex secundo castissimo conjugio filium susciperet, fratrem Hiobi Trusii, Viri docti, Theologi, rarissimæque fœcunditatis senilis fidissimi assertoris; vitâ posthæc ulterius ultra annum centesimum & vigesimum protractâ, nullius sibi consciâ morbi, nisi quem levis lumborũ dolor nonnunquam monstrabat, donec marasmus senilis placidissimam conferret analysin.

OBSERVATIO CLXXI.

D. JOHANNIS ACOLUTHI.

Abortus, omni lochiorum fluxu destituti.

QUales absq; purpureo latice advectos partûs viderunt Salmuth *Cent. III. obs. 89.* Rhodius *obs. Med. Cent. III. 54.* Schenck. *L. IV. obs. 117. Ephemerid. German. Curios. Decadis II. Ann. I. obs. 41.* Petrus Toletus de morbis puerorum *cap. 1.* Marcellus Donatus *Hist. Med. mirab. L. IV. cap. 23.* alii alibi, tales haut ita pridem cernere nobis licuit duos abortûs, tantò quidem magis notandos, quod communius nullum abortientibus symptoma contingat, periculosissimis uteri hæmorrhagiis. Utriusque autem mater juvencula erat, militi altera, altera mercatori nupta, quarum facies ridens pingebat ætas, totum corporis habitum turgidulus animabat succus, sororiantesque nymphæ, quovis novilunio florentissimas inter rosas, luxuriosè lavabantur. Illa vigesimum secundum, hæc vix decimum sextum compleverat annum, cum tertiûm & secundùm gravidæ, quarto & quinto mense, externâ interveniente culpâ, filios præmaturo partu eniterentur. Paucæ serosi liquaminis guttæ genitalia irrigantes arva, sollicitas ad medicum ablegabant mulierculas, lunaris tributi, largius aliàs exsolvi soliti, solennem hactenus moram, liberaliore redditione jam compensandam, avidè expectantes. Consolabatur equidem anxias omnimoda sinistrorum accidentium absentia, quæ tamen eventura, non sine ratione auguraban-

gurabantur, antecedentium penes utramque fœminam, partuum, memores, diviti purgamentorum imbre roridorum. Tùm, quicquid præsidii, vices suppleturi hæmagogi medicaminis, arti nostræ deficientis, adesse poterat, advocabatur, Elixir Proprietatis volatile, Tinctura myrrhæ Balsamica, Crocus, Borrax, succinata remedia, Purgantia, alia, Venæ-sectioni in talo, pediluviis, Clysteribus, Colocinthiacis suffumigiis, inunctionibus, fotibus, irrito tamen conatu jungebantur, ita, ut ex pumice prius aquam, quàm uteris hisce, sanguinem elicuerimus. Naturæ igitur omnibus liberæ molestiis, negotium relictum, ab eâ verò faustâ adeò operâ expeditum, ut non tantùm omni morboso insultu conticente, vires subitò instaurarentur, sed & statâ rursus periodo Catamenia efflorescerent, lætissimaque valetudo utramque nunc fœminam felicitat.

SCHOLIUM.

INcruentorum, quos supra citavimus, partuum causæ, suâ radiant luce, dum vel nunquam natura sacros muliercularum illarum locellos rutilante rore perfudit: vel labores duri, auctâ exinde diaphoresi, tantum roscidi difflaverunt humoris, ut nutritii succi in maternis visceribus abundare nihil potuerit, quin omne, proprio, fœtusque corpori alendo insumeretur, neque respectiva exinde oriri plethora, in, & post partum, apertis vasorum uteri osculis, deplenda: vel mucosus fluxus, quo balsamicæ chyli partes, vitio digestionum, in obscœnum fusæ liquamen, tanto surrecturæ exinde massæ sanguineæ cum dispendio, educebantur, ut nulla illius exuperantia manserit superstes: vel coacervationem vitali liquori præscidit extenuatus corpris habitus, index humorum minus dulcium, seseque copiosius, per varia excretionum sensibilium æquè atque insensibilium organa dissipantium, quàm ut specimini, studiosè asservati thesauri, exsolvente se partus exhibendo, pares esse valerent: & quas alias, dictos partûs illustrantes rationes recen-

recensere liceret, nostris autem abortibus nullas faces succensuras. Quò tamen, salvo perspicaciorum judicio, meam de iis sententiam tantò clarius aperiam, altius, quid menstrua, quid Lochia sint, deducere, rei necessitas jubet. Eò nempe ætatis ubi adolescentula pervenit, ut ad aliqualem perfectionem evectum corpus, tantum sibi alimenti non assimilet ampliùs, quantum à ventriculo bene constituto per roriferos canales Mæ. Sæ. infunditur, illud debitâ digestione maturatum, purpureo cingitur pallio tali sanguinis incremento, quod grave individuo futurum esset, nisi ab inspirato menstruo glandularum uterinarum fermento, in periodicam inflatus turgescentiam, liberas sibi quæreret elabendi vias, & dilatatis arteriarum hypogastricarum, ad uterum, ejusque præsertim vaginam tendentium, orificiis, evaderet. Quamprimum verò seminali actuata spiritu fœminea ovula, conceptum in matrice constituunt, is ipse nutritius liquor, almâ matre naturâ præsida, fœtui apponitur, idque formationis tempore tantò copiosius, exornationis, verò parcius, quod plus ad eum constituendum, quàm constitutum jam, conservandum & alendum, chylosi roris requiratur. Hinc sanguineæ molis nimium intercipitur augmentum, donec ultimo gestationis tempore, ubi perfectus fœtus, modico facilè vivit alimento, id, quod ex ipso superest materni rursus sanguinis rivo accedit, qui oras suas transgredi pronus, partu valvas recludente, alacriter erumpit, cæterisque recrementis, gestationis tempore circa uterum ejusque inquilinum embryonem coacervatis, junctus lochia constituit. Nostros igitur abortûs cur omnia destituerint purgamenta, non rejicula penitus causa subesse videtur, quod utraq; mater in pulcherrimo ætatis robore constituta, pro augmento adhuc & conservatione sui individui magnam sibi depoposcerit vitalis Nectaris mensuram, reliquum ejusdem penu, abinde formando, exornando, & alendo pusione exhauriente; unde nihil restitit, ex quo superflui incrementi sanguis

particeps


participeps fieri, & conſequenter ob copiam avido impetu prorumpere potuerit, quod præcedentibus partubus factum, noſtra obſervat relatio, & hîc obventurũ fuiſſe, dictis ſupra ex rationibus non vanè colligimus, ſi deſtinatum partui legitimo tempus gravidæ noſtræ attigiſſent. Neque noſtram feriunt ſententiam aliarum juvencularum, iisdem geſtationis menſibus abortientium, diffuſæ hæmorrhagiæ, cum nixus earum utplurimùm laborioſiſſimi, vel ſanguifera quædam vaſa rumpant, vel magno conatu ſanguinem ad inferiora propellant, certè, exquiſiti dolores ſpiritûs inſigniter agitant, & hinc rapidiorem omnium humorum motum, &, quà data porta, efferatam conciliant eruptionem; noſtri vero labores fuerint faciles, adeoque omnium, illas tangentium fatorum, expertes.

OBSERVATIO CLXXII.
D. DANIEL BSCHERER,
De
Arteriæ ſpermaticæ ſiniſtræ propagine rariori.

VArium, illumq́ue ſæpe admirabilem atque curioſum eſſe in corpore humano Naturæ luſum; hoc annotata multorum Anatomicorum exempla, ſatis ſuperque conteſtantur, multæq́ue etiam in Ephemeridibus noſtris Curioſis prolatæ obſervationes hujus rei fidem facere poſſunt; quas iterum iterumq́ue recenſere nec æquitas, nec ſcopi noſtri brevitatis ſtudium poſtulat. Attamen vero ejusdem licet farinæ exempla, ſubjecto tamen atque loco diverſa, aut plane nova in lucem proferentium curam, non omni utilitate atque delectatione exhauſtam eſſe puto. Hoc enim modo aut dictorum gravius veritatis pondus apponere, aut novorum relatione, ulteriorem delectationis modum excitare volunt. Quapropter exemplar aliquod cuicunque demum

dictorum scopo benevolus lector illud annumerandum esse censet, in medium proferre lubet. Anno superiori cadaver militis λειποτάκτȣ, cultro Anatomico, in usum Chirurgorum heic Noribergæ publice subjiciendum erat, quo elegantissima humanæ fabricæ structura, ejusque interna Naturæ mysteria ulterius innotescerent; horum autem vices Celeberrimus atque Curiosissimus noster Helianthus Primus, Vir de re medica optime meritus, in se diligentissime suscepit, quibus eleganter & docte absolutis, laudem etiam labore condignam merito deportavit. Quum autem in sacellum hocce Naturæ sacrum intrantibus, viâ nondum acie cultri Anatomici aperta, liber aditus sit denegatus; quapropter hoc munus Excellentissimo Domino Doctori Grubero Collegæ Nostro honoratissimo, atque Tenuitati meæ injungebatur. Cum igitur primi limites, ut ita loquar parati essent, & pedes ulteriores ad partes generationi dicatas figere concederetur; Arteria spermatica sinistra propagine valde rariori oculis nostris se contemplandam exhibuit; ex trunco enim Arteriæ Aortæ descendente, non ductu tortuoso, naturæ alias familiari rectâ viâ tendebat; sed cum ex trunco Arteriæ Magnæ descendente more solito radices egisset, iter prius supra Arteriam & Venam emulgentem ductu hemisphærico capiebat, quas amico contactu via descendente cum salutasset, sic demum more consueto testes occupabat; quod ex Icone clarius videri potest. Utrum vero inconsueta hæc Arteriæ spermaticæ propago damni quid attulerit vix credi potest. Hoc enim in aprico erat hunc militem nec inermem nec ignavum ad Veneris castra accessisse.

Num. I.


Fig. 38. fol. 338.
Num. II.
Num. III.
Num. I. fol. 338.
A
A
B
B
C
C
D
E
F
F
G
G
H
H
I
K
K
L
L
M

Num. I.

INſtrumenta Genitalia, cum urinariis, à me obſervata, in corpore Militis ſuſpenſi, 1684. Menſe Decembr.

A. Renes,
B. Vena cava.
C. Arteria magna.
D. Veſica.
E. Teſtis ſiniſter.
F. Venæ Emulgentes.
G. Arteriæ Emulgentes.
H. Ureteres.
I. Venæ ſpermaticæ.
K. Arteriæ ſpermaticæ in ſitu naturali.
L. Arteria ſpermatica ſiniſtra in ſitu plane rariori, & hoc modo in Cadavere obſervata.
M. Vas ſiniſtrum ſemen deferens.

Fig. XXXVIII.

Num. II. & III.

Scholii loco binas iſtas Vaſorum emulgentium, quondam Patavii obſervatorum differentias adjungere placuit *Helianthio.*

OBSERVATIO CLXXIII.
D. LUCÆ SCHRÖCKII LUC. FIL.
De
Ægagropila badzahardica.

QUi lapides badzahardicos orientales illos tantum genuinos eſſe judicant, quibus aliqua intus eſt cavitas, aut palea concretionis baſis vel principium, atque viciſſim omnes, quibus fundamenti loco aliquid aliud, phaſeolus, ſemen &c. concluditur, rejiciunt, ne decipian-

 tur, ve-

tur, vereor; iisdem talium lapidum institutâ cum genuinis istis creditis adcuratiore comparatione contradicente; cùm & hos colore, lamellis & cæteris notis in genuino lapide requisitis pollere, quotidiana, ut ita dicam, nos edoceat inspectio. Quàm varia autem corpora contineant hi lapides, passim ex autorum constat relatione; & ipse plura, eaque inter carbones, lapillos varios, dactylorum nucleos &c. ex præstantioris notæ lapidibus collegi. Scilicet cervicapræ cum alimentis varia si deglutiant ventriculi actionem & concoctionem eludentia vel difficiliùs subeuntia, sicque moram inibi aliquam hæc trahant, à chylo lapidescente facilè incrustari poterant. Singulare inprimis est, quod nuper in hujusmodi lapide inveni, Ægagropila nempe, sive concrementum vegetabile fibrillarum crassiorum & tenuissimorum ac papposarum, non mediocri tamen pilorum fusci coloris intermixtâ quantitate; cujus odor aromaticus nostras Europæas exactè æmulatur. Et hanc pilam, loco crustæ chylosæ in plurimis aliàs ægagropilis reperiundæ, lapidosus ille cortex, ex aliquot lamellis constans, badzahardicas undique incingit; qui ipse magnitudine & figurâ anacardinum fructum ferè repræsentat, pondere scrupulos quatuor æquat, è nigro virescit, inque parvas protuberantias coagulatus est, totidem quasi glandulas conglomeratas exhibens. Quo ipso confirmari poterit conjectura nostri Cl. *Georg. Hieron. Welschii*, qua *pag. 37. dissert. 2. de ægagropil.* etiam apud Sinas, Persas, & Indos reperiri pilas istas scripserat, ac postea *Dec. I. Ephem. Nat. Cur. Ann. III. obs. 29.* illustraverat. Hunc verò meum lapidem esse genuinum, tum ejusdem in lamellas concretio, tum color viridescens, quo cretam chartæ superinductam, fricando tingit, persuadere posse, mihi videtur; ut taceam, minùs credibile esse, tale corpus non minùs pretiosum, ægagropilam nempe, à deceptoribus ad fraudem peragendam adhibitum iri.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXIV.

D. LUCÆ SCHRÖCKII LUC. FIL.

Podagra & Ossium excrescentia in capone.

POdagricis Medicorum quosdam esum carnis gallorum castratorum sive caponum dissuadere, notum est; id quod inprimis tùm celeberrimi illius trium Imperatorum Medici, *Joh. Cratonis*, autoritate confirmare nituntur, tùm rationem addunt, quòd copiosum præbeant nutrimentum, podagricis tenui potiùs diætâ competente; imò & podagrâ ipsos capones quandoque laborare, experientiâ constare arbitrantur; id quod eò credibilus ipsis videtur, cùm gallos atque gallinas arenam & calculos deglutire videant, quos in ventriculo concoquant, sicque terrestres & tartareas particulas, arthritidis causam daturas, ipsi sanguini communicent; & quamvis gallinæ itidem lapillos ingerant, cùm tamen ad putamina ovorum inde producenda inservire credantur, caponibus, quibus beneficium hoc deest, non nisi damnosum & podagræ generandæ commodum esse judicant. Verùm gratis hæc uti adseruntur, ita prætensus quoque *Cratonis* consensus nullus est; qui licet ratione & observatione Medicos moneri, *consil. Med. 246. in opere Scholz.* scripserit, ut morbis articularibus obnoxiis interdicant usum caponum *frequentem*, mox tamen addit: *Caponum caro, licet nimiùm nutrire videatur, tamen parcior usus nequaquam reprehendi potest.* Scilicet uti immoderata Venus cum Baccho & Cerere podagram utplurimùm generant, sic non caponum tantùm, sed quorumvis etiam saluberrimorum ciborum nimius & intemperantior usus arthritico dolori expositis nocere valet; unde etiam podagricos heluones nunquam curari, *in Consil. seq.* edixerat. Imò capo-

num caro, sub gelatinosa sua substantia, multum salis volatilis, acido morboso contrarii continens, commendanda potiùs ægrotis istis videtur; cui insuper & illud meritò adplicandum, quod de cibis aliàs in morbo hoc exhibendis requiri solet, esse scilicet salubris succi & facilis concoctionis edulium. Capones verò podagræ adeò esse obnoxios, meritò dubitatur, cùm id, si unquam, rarissimè fortè observare hactenus licuerit. Imò si in humano genere castrationem, ut podagræ remedium, ob alias tamen causas ab Excell. *D. Paulo Ammanno Medic. crit. Discurs. 9. §. 5.* egregiè explosam, considerare liceat, cur non gallos potiùs & gallinas judicio illi submittere, capones verò ob idem castrationis beneficium ei subducere student? præsertim cùm etiam *Hippocrates sect. 6. aphor. 28.* Eunuchos podagrâ non laborare statuerit; id quod, cæteris paribus, nec ratione caret, cùm spermatis generatio non mediocrem partium optimarum oleosarum & pinguium in testibus collectionem involvat; quàm pinguedinis ad seminaria vasa derivationem clariùs in *Exercitat. de Omento &c.* exposuit celeberr. *Marcell. Malpighius*; unde si ablatis testiculis, particularum illarum à sanguine impediri secretionem consideremus, easdem blando suo cum reliquis particulis connubio, acrium & podagricos dolores excitantium spicula obtundere, ac ita podagræ generationem inhibere apta esse, rectiùs dicemus. Lapillos ab avibus, quos durissimos & ita solutioni magis ineptos seligunt, deglutitos non dissolvi, aut ovis putamine obducendis destinari, sed loco dentium, atterendis cibis, instar lapidum molarium inservire, alii jam notarunt; hosque etiam non gallinæ tantùm, sed & galli, aliique in avium genere masculi stomacho ingerunt, quos tamen podagrâ idcircò laborare nemo observavit; quin attritione derasæ lapillorum particulæ, cum excrementis alvinis iterum è corpore eliminantur. Cæterùm de his disquirendi ansam dedit capo non ita multos ante annos in ædibus præstantissimi Dn. Johann. Biermanni, Pharmacopœi

macopœi nostratis enutritus, qui ossium suorum excrescentiã tophaceam aliquam accretionem, podagricum quasi fructum, simulabat, cui similem si forte aliqui in aliis etiam observaverint, capones istos podagrâ laborasse, fortassis fuerint suspicati. Is itaque mole & pondere corporis præstans, nec non ob pronum, quando ex gallinario, altiori in loco sito, in terram se demittebat, prolapsum, pinguis admodum & succulentus cùm videretur, ac mensæ propterea destinaretur, parum tamen carnis & pinguedinis exhibuit, ossa ferè tantùm, dura & quasi lapidefacta, cute obtecta, dentibus objiciens; quæ tamen adcuratiùs postea considerata, duritiem non tam lapideam, quàm osseam ostenderunt; & quidem talem, ut ossium substantia non extensa, & sic amplior compareat, sed quæ, oculis quantum discernere licuit, accretione ossa majora reddiderat. Atque hac ratione, præter capitis ossa naturaliter se habere credita, perfunctoriè quamvis tantùm explorata & neglecta, omnia hujus caponis ossa, quædã magis, minùs alia, comparuerunt; inprimis verò femoris ossa pondere, in singulo unciam unam cum dimidia excedente, moleq; omnia reliqua excessèrunt; quorum dextrum (ut & connexũ ei os tibiæ) in adjuncta Tabella delineatũ Lectoris oculis conspiciendum dare volui. Id tamen qua ratione fieri potuerit, haud facilè edixerim. Quodsi gramen illud Norvegicum vim ossa emolliendi possideret, quam in jumentis exserere comestum quondam perhibebatur, aliquid fortè conjecturari hinc possemus; verùm esse illud fictitium, celeb. *D. Thom. Bartholinus* tandem cognovit, quod *Volum. 2. Act. med. Hafniens. observ. 43.* testatur. Nihilominus tamen si calli in ossibus fractis nondum in duritiem insignem exsiccati, à quorundam remediorum impositione emollitionem; si ossium naturam, qua primò membranosæ & cartilagineæ fuerunt; si eadem in Anglico invento per artem in mollem substantiam excoqui; si ebur & ossa bubula pro vario Mechanicorum usu mollia reddi posse; si hominibus à morbo

eadem

eadem quandoque emolliri, quod *Johann. Fernelius lib. 2. de abdit. rerum caus. cap. 9. Georg. Hier. Welschius episagm. observ. med. 82.* & prælaudatus *Bartholinus dd. Actor. Volum. 3. observ. 24.* exemplis confirmant, perpendamus, aliquam ossium in capone hoc mollificationem accidere potuisse, dicemus; sive illa à devorato aliquo pharmaco, in aream pharmacopolio vicinam fortè conjecto, vim hanc in teneriori, & respectu ad hominem habito, parvo volucris corpore exserere apto, sive etiam à morbosa aliqua constitutione, gelatinosas ossium partes, firmitatem fibrillis eorum conciliantes, quasi eliquante processerit; qua nempe contingente, appellentes aliæ in sanguine gelatinosæ particulæ uberiùs in spatiolis laxioribus redditis separari, transsudare, & sese exteriùs adglutinare, ac ita extra locum suum naturalem constitutæ, sensim vel ob propriam naturam suam concrescere aptam, vel à seminali ossium potestate, ossificum, si loqui ita liceat, fermentum inspirante, indurari atque ossescere potuerunt; non secus ac in fractorum ossium extremitatibus, nutritium succum ex patentibus ibi ossium porulis exstillare, ibique concrescendo in callum ossiformem condensari observamus; aut prout *Joh. Bapt. Helmontius cap. 1. de lithias. §. 13.* dentem suo contactu tandem petrificare, quidquid sibi pertinaciùs adhæserit, i. e. mucaginem dentibus adhærere solitam, quam excrementum gingivarum ex præparato cruore pro nutritione dentis vocat *tract. aliment. tart. insont. §. 22.* odorem & semen petriforme dentis per attactum haurire, sicque lapidem dentalem generare scripserat. Simile quid deprehendisse videtur supra dictus *Bartholinus*, dum in *Decad. I. Ephemer. harum Ann. I. obs. 37.* medullam gallinæ osseam se observasse scribit, in aliis verò exostosi perpetuâ deformia ossa.

Fig. XXXVII.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXV.

D. LUCÆ SCHRÖCKII LUC. FIL.

Aſthma ſiccum, convulſivum, eſu raphani ſanatum.

NObiliſſ. cujusdam Viri filiolus biennis menſe Majo anni elapſi, poſtquam adpetitu proſtrato aliquandiu laboraverat, & præter corporis torporem, moroſitatem, aliaque ſigna, lurido faciei colore aliquod cachexiæ indicium præbuerat, in adfectum aſthmaticum, uno die ſæpe ter, quater, imò octies quandoque recurrentem, & à levi aliqua animi commotione mox ingruentem, incidit, qui cum *Helmontio ex tr. aſthm. & tuſſ. §. 61.* aſthma ſiccum, & caducus pulmonis vocari, vel cum *Th. Williſio pharmac. ration. ſect. 1. cap. 12.* ad aſthma convulſivum referri potuit; quo paroxyſmo durante, reſpiratio non tantùm ceſſans ſuffocationis metum incutiebat, faciesque ob ſanguinem ſtagnantem atro colore induebatur, ſed & membra, inprimis brachia & manus convulſa rigebant. Cui morbo quamvis variis remediis præcipuè etiam volatilibus, per aliquot ſeptimanas medelam adferre laboraverim, effectu tamen ſperato fruſtrabar; niſi quòd morbus aliquando inducias quasdam concederet, aut rariùs ſaltem accederet. Tandem in menſa raphanum recentem, ex minoribus illis ſativis oblongis, conſpiciens, avidè eundem expetiit, quem etiam, voti compos factus, ſali priùs intinctum comedit, & ab eo tempore mox alacrior fieri, cibos adpetere, libertate reſpirandi inconcuſsâ gaudere, atque repetito iſtò deſideratiſſimo ferculo, omnino convaleſcere incepit. Quem ſanè effectum in tam tenello & puerili corpore meritò licet mirari; ubi quamvis imaginationem

magnum momentum, quale quid in adultis aliàs sæpè præstare notum est, non adeo conferre potuisse, verosimile videri queat, si tamen puerorum adpetitum crudis ejusmodi cibis & fructibus utplurimum ardentiùs inhiare, &, si denegentur illi, intensiorem etiam fieri, perpendamus, spirituum aliquam vehementiorem commotionem & suscitationem hinc insequi potuisse haud dubitabimus, à qua dein impactæ nervis infestæ materiæ discussio contigerit. Quamvis raphani inprimis esus maximopere contulerit redintegrandæ sanitati; quem sale volatili subtili pollere, & odor, & sapor acris, quin & coctura omni sapore eum privans, ut & maceratio cum aceto, huic acorem adimens, manifestant; cui nempe vis illa viscosum serum attenuandi & incidendi præcipuè debetur; unde Celeb. *D. Simon Paulli in παρεκβ. de febb. §. 52.* dum rationem inquirit, quomodo plantis pedum adpositus raphanus in febribus revellat, sali ejus copioso, subtili & volatili eam adscribit, quo sanguinem, ob lentorem ad liberam circulationem ineptum, attenuet, liquefaciat, fundat, sicque liberæ circulationi restituat; quin & propterea pectoralis virtus ipsi non denegatur; prout, canente *Strabo Gallo*,

quatientem tussim
mansa premit,

succusque cum saccharo in asthmate ab aliis commendatur.

ADDEN-

ADDENDA

ad Decadis hujus, Anni Secundi Obſervationem X.

D. CHRISTIANI MENTZELII,

De

Veſpa roſea.

QUam loco cit. Nobiliſs. atque Excellentiſs. noſter *Apollo* de Bedeguare pharmacopolarum, & ejusdem Veſpa roſea dedit Obſervationem, nuper auctario ad eam transmiſſo illuſtrare magis voluit Vir curioſiſſimus. Cùm enim 26. d. Junii ſt. vet. Anni proximè elapſi veſpam talem capi per ſervum curâſſet, eandem ad nos amandavit; quam itaque debitâ magnitudine delineatam hîc damus, jungendã cum alterâ illa, minorem junioremvé ejusmodi veſpam repræſentante. De hoc ipſo inſecto, quod ſub cantharidularum nomine proponit, & Cantharides colorum ſplendore quodammodo æmulatur, videri quoque poterit Clar. noſter *Ehrnfrid. Hagendornius lib. 2. Cynosbatolog. c. 2. art. 6. §. 2.*

ad Anni hujus OBSERV. XLII.

SCHOLIUM.

COntrarium ſtatuere, hîc nonnullis placet, & inprimis Cl. *Gu. Charleton Ocon. animal. exerc. 8. art. 21.* Harvæanam hanc ſententiam placidè oppugnat, contrariumque ex autopſia defendit, quæ nullum diſcrimen in fœtu tam ante, quàm poſt partum demortuo oſtendat, eodem in omnium pulmonibus colore, ad albedinem nempe qui inclinet, comparente. Quanquam in fœtu, ipſo in utero materno defuncto, pulmones ſemper colore ſanguineo præditos inveniſſe ſe, viciſſim Cl. *Joh. Svvammerdamius ſect. 2. cap. 1. §. 2. de reſpirat.* teſtetur;

Xx 2 eosdem-

eosdemque semper paulò majore rubore suffundi, vel ex illo videatur verisimile, quòd, dum vesiculæ pulmonales nondum sunt distentæ & aëre refertæ, sed compressæ, sanguinea tunc vasa magis transparere, & sic rubedinem majorem oculis objicere queant, ceu notat *Malach. Thruston diatr. de respir.* Certior tamen erit de vivo mortuove per partum excluso fœtu nota, quæ communiter ex eorundem pulmonum in aquam immersione habetur, in qua si merguntur, vesiculas eorum nondum aëre fuisse extensas, sed adhuc connivere, sicque fœtum nondum respirasse, adeoque in ipso utero demortuum fuisse, adparet; cùm idem, quamprimum ex utero, ruptis membranis, quibus involutus fuerat, prodiit, non possit non aërem mox inspirando haurire, sicque eodem jam in vesiculas pulmonales admisso, impositos in aquam pulmones supernatare; quale experimentum in *prioris Decad. Ephem. harum Ann. VI. observ. 202.* produxit etiam Nob. *D. Carolus Raygerus*, idemque etiam in vaccæ fœtu trium quatuorvé mensium *observatio 2., epistolæ Theodori Aldes contra Harvæum addita*, nec non *tertia* in vitulo ad partum proximo confirmat.

(*L. Schröck, L. F.*)

Ad Anni hujus OBSERV. CLXIII.

SCHOLIUM.

PUerum etiam barbatum virilisque habitus *Zodiacus Medico-Gallicus Ann. 2. mens. Oct. obs. 9.* Infantem quoque vidit barbâ &c. præditum *Hali Rhodoham*, quem citat *Jo. Georg. Schenckius observ. med. lib. 1. p. m. 6.* Quid de barba à testibus oriunda disserat *J. B. Helmontius, tract. ignot. act. regim. §. 47.* videri poterit.

(*L. Schröck, L. F.*)



APPEN-

APPENDIX
AD
ANNUM QUARTUM
DECURIÆ II.
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
NATURÆ CURIOSORUM,
In Germania.

NORIMBERGÆ,
ANNO M DC LXXXVI.



CONTENTA APPENDICIS
Anni IV. Dec. II.

CLAVIS

CLAVIS MEDICA

ad

Chinarum Doctrinam

De

PULSIBUS,

AUTORE

R. P. MICHAELE BOYMO, è Soc. JESU, & in China Missionario.

Hujus operis ultra viginti annos jam sepulti fragmenta, hinc indè dispersa, collegit & in gratiam Medicæ Facultatis in lucem Europæam produxit

CL. DN. ANDREAS CLEYERUS,

M. D. & Societatis Batavo - Orientalis

PROTO-MEDICUS.

A quo

Nunc demum mittitur

Totius Operis Exemplar, è China recens allatum, & à mendis purgatum,

Procuratore

R. P. PHILIPPO COPLETIO,

Belgâ, è Soc. JESU, Chinensis missionis Romam misso.

ANNO cIↃ IↃc LXXXVI.



AUTHORI
Vitæ ac Salutis, Medicorum Principi Opt. Max.
CHRISTO JESU.



Ui enim potiùs dedicem & conſecrem hoc opus, quàm Tibi Authori vitæ ac Reſtauratori? Sive enim hoc opus conſidero ut notitiam dare admirabilem illius fabricæ corporis humani, certè Tibi potiſſimùm dicatum eſſe debet, qui tam admirandæ fabricæ es Architectus. Si pulcherrimum corpuſculi & vitæ noſtræ humanæ cum vaſtiſſimo ambitu cœlorum & utriusque machinæ conſenſum & harmoniam contemplor, Te imprimis, Te ſolum venerari debeo, qui omnia in pondere & menſurâ usque ad finem tam fortiter ſuaviterque diſponis, & in minimis quoque tam magnus es DEUS. Jam verò ſi oculos confero in minoris Mundi flumina tot, rivulosque, venas, inquam, & meatus tenuiſſimos, per quos devecta vita ſeſe communicat, ab uno omnes fonte profectos, ingratus ſanè ſim, ſi fontem hunc cuiquam alteri quàm tibi, qui es α. & ω. principium, inquam, & finis, ſi, inquam, aliò derivare illos patiar, quàm ad Te, Pelagus bonorum omnium, ad quem omnia creata tanquam flumina ad mare currunt, aut ſi aberrent, exſiccari illico penitusque deficere neceſſe eſt. Cui, inquam, quàm Tibi, qui es Sapientia æterna, ſcrutans renes & corda, qui uti potes, ita & vis omnes ſalvos fieri.

Creaveras Tu quidem hominem immortalem, arborem quoque vitæ plantaveras, ſed (eheu!) DEO ſibique injurius ſeſe & totam poſteritatem toxico peccati mortifero infecit, do-

nec tandem misertus nostri magnus è cœlo Medicus descendisti, imò & Medicus dici voluisti verè in æternum honorandus propter necessitatem inevitabilem & prorsus incurabilem, nisi omnipotens manus tua remedium contulisset. Equidem ut animæ morbos, qui mortis æternæ sunt prodromi, depelleres, vix aliâ sanè viâ aut medio efficaciori usa Sapientia divina, quàm medendo corporibus. Hinc ibas per Castella & Urbes, sanando omnes à languoribus; Imò medicinas quasdam seu ex luto, seu sputo, seu aquis adhibere dignatus es, ut ita omnes ad Tui & æterni Patris notitiam animarum vulneribus medendo perduceres. Quin imò, ut Te Medicum verum esse ostenderes, languores & infirmitates nostras ipse ferre voluisti, & dolores nostros ipse portare, ut Tuo livore sanaremur, corpus, inquam, & sanguinem Tuum in medelam nobis dedisti, mori voluisti, ut viveremus, malè haberi, ut bene haberemus, & in ipsis Tuis vulneribus, in manibus, inquam, Tuis recipe vitæ nostræ descriptum, adeo feliciter, quòd repararas servatum. Neque hoc contentus, sed medicinas animæ etiam tanquam salubres fontes, scilicet, Sacramenta in remedium reliquisti, inter quæ sacratissimum corpus & sanguinem, divinissimam & vivificam panaceam, quâ proprias oves proprio pascis cruore,

Tibi igitur Clavem hancce, Tibi, qui solus aperis & claudis, Tibi, qui nobis & fidei Tuæ, aperuisti tot seculis occlusam Sinam.

Non aliam mercedem expeto laborum, nisi ut aperire pergas oculos cœcorum & aures surdorum, & linguas mutorum facias esse disertas, quibus resonent in æternum laudes tuæ: Denique cognoscant Patrem tuum, & Te Filium, quem misit Pater, Jesum Christum; Hæc est enim vita æterna, ut ex hoc exilii nostri universali nosocomio in æternam beatitudinem perducamur, & aliquando sociatis agminibus Sinensium, ad expertem omnis morbi mortisque Patriam feliciter transeamus.

Michaël Boymus, S. J.

R. P. MI-

R.P. MICHAELIS BOYMI,

è Societ. Jesu, ex Regno Siam Anno 1658.

Præfatio ad Lectorem.

Mirabere fortaſſe, Lector humaniſſime, qui in animum induxerim meum recondita medicæ artis præcepta apud Sinas penetrare, atque etiam vulgare Europæis; Videtur enim res aliena ab homine religioſo, & ab eo, qui in Sinarum Imperio reducendis ad DEUM animabus attendere debet. Rationem facti accipe, ut admiratio & fortè obtrectatio aliquorum aut præveniatur aut tollatur.

Sæpius mecum ipſe cogitavi, quid Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui in hunc mundum ſalvaturus animas venerat, egerit. Illum occupatiſſimum in verbo prædicando & docendo Populo omnia vulgant Evangelia; Verùm ut prædicationes & monita, atque illius ſancta doctrina audientis Populi Judaici ac Principum aures & corda fortiùs ſuaviusque penetrarent, quid putas conſilii accepiſſe, quo medio præcipuè uſum? Sapientia æterna aliud non reperit efficacius, quàm ſi ſe Medicum corporum faceret, ut per ſalutem corporum animabus faciliùs mederetur. Verbo ſolo medebatur, & verbum illius ut perditis prodeſſe poſſet prædicatum, & immortalitatem perſuadebat, cùm mortem ipſam Medicus immortalis à mortalibus depellebat. Nimirum per miraculoſas curationes febrium, hydropiſis, paralyſis, lepræ, ac mille aliorum morborum hoc agebat, ut medicinas animabus ſalutiferas inſtillaret, & naturam à venenoſo eſu vetiti pomi infectam, & omnibus morbis, mortique ipſi expoſitam ad vitæ immortalitatem adduceret: Neque eſſe ſolummodo, ſed etiam dici Medicus voluit, dum non eſſet opus Medico ſanis, ſed malè

habentibus, ſe vitam, ſalutem, reſurrectionem vocat. Quæ cum ita ſint, quando placuit Deo ſegregare me ſupra coëtaneos meos, & vocare per gratiam ſuam, ut evangelicarem illum in Gentibus, continuò vitæ illius conformare me ſtudui. Igitur medium ad ſalvandas Gentes à DEO adhibitum ſequendum decrevi; Equidem in Europæis ſucceſſum habuiſſe apud ægrotos expertus fui, Medicos & illos, qui aliquid de hâc ſcientiâ ſe noſſe ajunt, habere facilem, imò & ad omnes, aditum, perſpicuum eſt, ad Sinarum etiam lucrandos animos & eorum corda pervadenda non inutilem artis hujus notitiam judicavi. Quarè cùm linguæ Sinicæ operam darem, eâdem operâ cum characteribus Sinenſibus artem illorum medicam penetrare ſtudui, quàm ex lectione plurimâ Sinenſium Medicorum: Poſtea adverti habere adeo magnam antiquitatem & experientiam, atque etiam connexionem earum rerum, quas afferunt, mirabar proinde, quomodo Sapientiſſimus DEUS non modò ſimiles Europæis Populos in illâ extremâ Orbis parte conſtitueret, verùm eosdem multis naturalibus donis ac talentis, divitiis etiam ac Politiâ, Artibus ferè omnibus, & nobilisſimâ imprimis artis medicæ ſcientiâ exornavit; Vulgandam igitur illam judicavi: Quomodo enim celarem tantum theſaurum? Olim Galenus circuli hujus fabricam admiratus, non alium ejusdem Artificem eſſe potuiſſe, niſi DEUM, exclamavit. Conſiderabat regius Propheta in homine aliquando ſtructuram oſſium, & quaſi extra ſe raptus, memor debitæ gratitudinis, ad Conditorem ſuum ait: Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis eſt tui? Non ego, inquit ſancta illa Machabæorum mater ad filios, ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed eam mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique invenit omnium originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordiâ reddet & vitam. Profectò ſicuti Sapientia DEI & vitæ illius veſtigia elucent clariùs in medicinis, quas

reliquit

reliquit mortalibus : Ita etiam vita hominum, quam ineffabili quodam modo animam rationalem & immortalem tribuere corpori corruptibili fecit, ad quam conſervandam & reſtaurandam etiam artem ipſam medicandi inſpiravit, relucet providentia DEI ac ſapientia, ut ex hâc vitâ mortali Authorem illius vitæ immortalis homines agnoſcere poſſent. Et ſi hîc ſcientiam vitæ reſtituendæ, & in Medicinis miras operationes vitæ, quam adeo omnes amant, mirantur homines, multò magìs admirari Authorem eorum, & laudare vitam ipſam, ſeu illum, cui omnia vivunt, & in quo omnes vivimus, movemur & ſumus, cogerentur ! Hæc fuit ratio potiſſima vulgandi novum Sinarum in Arte Medicâ inventum, ut in DEI laudes excitaretur Lector, & miraretur Sapientiam illius, atque ad illam æternam vitam ſuſpiraret, quam DEUS ſe dare indicat, cùm medicinas & artes medicas prorogandæ vitæ proponit ad ſuam gloriam & bonorum operum incrementum. Suadebat etiam vulgare hoc idem opus utilitas, quam arripere poſſent ægroti homines & Sacerdotes, qui illorum expiandis peccatis, vel ægrorum ad agonem ultimum diſponendorum curam habent : facillimè enim tam infirmi ſeſe in periculo poſiti, ſi ad ea ſcripta animam adverterint, ſcire poſſe, & Sacerdotes juvare eosdem ac monere de morte inſtante & curâ ſalutis ex ſignis & judiciis, quæ hîc multò plura & faciliora habes, quàm unquam aliquis notaverit fortè Medicus. Habebit & hîc Philoſophus, quod ſcire aveat, & quod ſpeculetur, ſi arcana illa, quæ DEUS naturæ indidit, & Sinenſes ex antiquiſſimâ traditione receperunt, perſcrutetur, & Microcoſmi cum Megacoſmo harmoniam quandam atque concentum. Habebit & Mathematicus, cùm criſes ſeu decretorios dies, quorum rationem in numeros referre ſolent, à cauſis aliis occultioribus procedere animadvertet. Habebit Aſtrologus, cùm cœlorum motum adæquari à regularis vitæ humanæ circuitu, in quem mirabili cum efficacitate influit, Sinenſes invenîſſe

veniſſe mirabitur. Habebit Phyſicus, cùm Elementorum mutationes in corpore humano non aliter ac in univerſo fieri cognoſcit. Habebunt Medici, quæ ſtudiosè explorent, experiantur, obſervent, ac in praxin & utilitatem mortalium deducant. Ut autem de veritate dictorum, perlecto illo nemo dubitare poſſet, partim, ut Sinenſes ipſi quoque non ignari aliquando Europææ & latinæ linguæ, vera me de Arte ipſorum narraſſe, orbi univerſo poſſint confiteri, eundem ipſum librum characteribus Sinico-Europæis curavi deſcribi, & interpretationem latinam, (quæ ut facilior eſſet intellectu, nonnulla verba interſerui, & hoc non ex meo capite, ſed aut ex textu alterius loci Sinico, vel ex commentariis ejusdem ipſius textus) appoſui. Quicunque igitur ſine hoc textu Sinicis & latinis characteribus exarato librum hunc videris impreſſum, fidem illi ne adhibeas, ſed ut ſpurium rejicias, nam prætermiſſo textu multa vitiosè, & incerta irrepere poſſe, mihi certum eſt. Appello ad textum, quem integrum incorruptumque adhibeo. Quæſo autem, ut à principio quæcunque legeris, memoriâ tenere ſtudeas, nam hæc uſui maximo ad poſteriora intelligenda. Si initiò principia ſpreveris, ultima intelligere, crede mihi, non poteris, ſiquidem abrupto filo exitum non facilè invenies; Eſt enim omnium, quæ Sinenſes afferunt, mira connexio, & intellectus unius ab alio pendet. Quare omnia legenda ſunt, ſi vel unicum in hac arte percipere velis dogma. Adverte autem, modum legendi Sinenſium diverſum eſſe ab Europæo, nam illi à ſiniſtrâ incipiunt legere, & præterea à ſummo margine deſcendendo deorſum, & hoc ſecundum in libro hîc adjuncto obſervatum à me videbis; Primum verò illud mutavi, & ad modum legendi receptum à latinis accommodavi.

Cæterùm ſcias, velim, humaniſſime Lector, me, quæ in hâc clavi poſt multum laborem & diligentiam conjeci, pleraque ex authenticis ac in Imperio Sinarum receptiſſimis libris

bris Medicorum, & qui ex juſſu Tribunalium & ipſius Imperatoris vulgati, atque iterum & iterum recuſi ſunt, accepiſſe, & plura alia habere vulganda, ſi DEO placuerit. Ac proinde de certitudine Artis mihi dubium nullum eſt, neque enim mentiri toti Imperio auſi fuiſſent, aut illis imponere per tot ætates, quorum juſſu iſta elucidata ſunt; Adde, quòd Ars ipſa ſeu ipſius fundamentum antiquiſſimum ſit, & commentarii novi cum antiquis ferè concordent, & quod ego maximè obſtupui, quaſi iidem ſunt, quæ conformitas in tantâ varietate ingeniorum, multitudineque hominum, atque viciſſitudine cuilibet ſanè admirabile videri poteſt ac debet. Ac proinde ego quoque poſt clavem Sinicam textum ipſum antiquiſſimi omnium libri medicæ Artis ſubjunxi, partim, ut ex eâ quam dixi authoritatem habere poſſent, partim, ut de ejus fide, prout à me translata ſunt, nemo ſiniſtrè ſentiret aut ſuſpicaretur.

Stylus in hâc clavi pedeſtris eſt potiùs & tumultuarius, quàm concinnus & elegans: ſecutus enim ſum, quantùm quidem potui, modos loquendi Sinenſium, qui quàm ab Europæis ſint diverſi, ex lectione patebit. Memor fui magni illius Auguſtini, qui libro quarto de doctrina Chriſtianâ Cap. XI. ait: Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt.

Alia Præfatio ante librum receptarum ponenda.
Ejusdem P.

LIber hic, qui ſequitur, eſt ratio ſeu regula medendi Sinenſibus uſitatiſſima, quam ille nobiliſſimus & primus Medicorum invenit & compoſuit, quamque Arti pulſuum explorandorum ab ipſo traditæ *uâm Xŏ hŏ* Auctor adjunxit, hodieque ſequuntur Medici Sinenſes omnes, qui quidem, etſi non haberent ab ipſo pulſu infirmi, omnino ſecuri ſunt, quòd medicinæ pulſibus hîc præſcriptæ morbis quoque medebuntur, longâ quique experientiâ compertum habent, quòd medicamenta hîc allata certam afferant curationem. Igitur ſi curatio non ſuccedat, vel, ajunt, indebitè adhibitam, vel non probè cognitos pulſus, vel certè malum hoc cum altero malo conjunctum eſſe, vel denique medicinam pulſui, cui mederi ſit impoſſibile, adhibitam. Quapropter quicunque voluerit his uti medicamentis, ſedulò ac diligenter, obſecro, ſeſe exerceat in pulſibus explorandis ac diſcernendis, ne librum hunc, quo vitæ plurimorum conſulere volui, temeritas alicujus atque imperitia non ſine meâ immerentis invidiâ faciat eſſe lethiferum.

Sed occurrunt tibi fortaſſe medicinarum Sinicarum prorſus ignota nomina & ipſæ adeo medicinæ, unde impoſſibilem eſſe uſum Europæis libri hujus concludis. Deſiderabam equidem remedium afferre huic difficultati, & jam de facto propoſueram herbarium Sinenſe conficere, ac medicinarum, quibus utuntur, virtutes & herbarum imagines proprias deſcribere; Sed cùm hoc longum tempus & laborem exigeret, nec non otium & commoditatem, quam Ego nactus nondum fueram, differre rem in aliud tempus perficiendam, DEO favente, decrevi. Olim cùm ex Sinis in Europam proficiſcerer, & Goæ ſubſiſterem, Amicis Macaenſibus ſcripſeram, atque etiam

ſumptus

ſumptus ſuppeditaveram, quibus medicinas Sinenſium, quarum ferè omnium catalogum adjunxeram, ad me transmitterent in Europam, & hoc quidem eo conſilio, ut medicinæ Sinenſium cum Europæis conferri poſſent, & vel cognoſci, vel à peritis ſimiles & ejusdem efficaciæ pro eis ſubſtitui. Verùm deſiderium hoc finem & poſtulatio effectum ſortiri illo tempore non potuit. Verùm ſi ſeriò medicinas, quas habent Sinenſes, & quas hîc legis, habere deſideras à Mercatoribus, qui in Indiam vel Macaum abeunt, deſcriptis ex hoc libro Sinicis characteribus afferri curabis. Nam ſicut Rhabarbarum & radix Sinica defertur in Europam, & tantâ quidem copia: Ita & alias medicinas deferri poſſe certum eſt, quippe quæ in variis locis Imperii Sinarum uti naſcuntur, ita etiam colliguntur & vili pretio veneunt.

Potiones hîc & pulveres & pilulas invenias, per hæc enim tria Sinenſes medentur malis omnibus; Verùm neceſſe eſt ea, quæ obſervanda dicunt, obſervare ſedulò, cum ratione victûs ab ipſis præſcripta, de quâ egi pluribus in fine clavis medicæ.

Nota etiam, cùm de pondere hîc loquimur, Sinas quidem prorſus ignorare pondera Scrupulorum, drachmarum, & ana, quibus utuntur Medici Europæi: Apud illos in uſu eſt pondus, quod *ſeúm* vocant, quod æquat pondus ſcuti romani, continetque decem Julios quaſi partes æquales: Singulorum pondus vocant *Czên* Julium, porrò Julium ipſum ſeu *Czên* ſubdividunt in decem partes æquales, quas appellant *Fuen*: *Fuen* autem dividunt in decem *lî*, & ſic deinceps.

His tribus ponderibus non ſolùm alia, ſed etiam medicinas ac illarum doſes ponderare ſolent.

Item nota, quòd aquam metiuntur magnâ paterâ & parvâ paterâ (vulgò) Porcellanâ, ex quâ vinum vel *cha* ſeu *thè* bibunt. Ego calicem verti ordinarium, qui nec adeo parvus nec adeo magnus ſit, & magnum calicem pro paterâ ſubſtitui.

Jubetur quoque decoctio fieri medicinarum in aquâ, quod intelligi plerumque debet, ut ex aquæ partibus decem tres absumantur, ac septem remaneant ordinariè loquendo, nisi aliud in loco particulari notatum videris.

Ad extremum praxis medicandi, quam ad finem clavis medicæ addidimus, est sequens: Probè cognito pulsu, qui irrepsit pro connaturali in quemcunque ex tribus locis (neque enim differt, sive dextræ loca sint, sive sinistræ) consule librum, & in hoc Medicinas, quæ isti pulsui præscribuntur, cura illas fieri ac sumi. Quòd si exactus vis esse, consule pulsum illius loci, primi scilicet vel secundi, vel tertii (*cún quan chě*) planè sicut invenisse ægrotum, & medicinas pro primi, vel secundi, vel tertii loci pulsibus irrepentibus, sive illa sit potio, sive pilulæ, sive pulvis, fac confici illa, & ante vel post cibum, seu jejuno, tepida vel calida, uti præscribitur ibidem, sumenda porrige, quoad videris, pulsum connaturalem rediisse, itera. Unum hîc advertas, velim: Cùm Climatum Europæorum & Sinensium, item orizæ & tritici, item modi ipsius victus (Sinensium e. g. ut potus ac cibus omnis sit calidus, Europæorum non item) & aliarum ejusmodi rerum magnum sit discrimen, hujus tanti discriminis cauto ac prudenti Medico in ægris curandis, ac seligendis medicinis habendam esse rationem.

Boni igitur consule laborem hunc qualemcunque meum, qui me per annos omnino decem inter occupationes & multas & graves, suis quoque intervallis occupavit, quia omnino videbar mihi facturus operæ pretium aliquod. DEUM admirare, Lector, qui hominibus vitam tribuit, & hujus ipsius vitæ tam, arcanum artificium voluit esse perspectum; DEUM ama, qui cùm tot meritô nostro animæ corporisque malis urgeamur miseri mortales, & his & illis tam apposita tamque efficacia remedia subministrat.

Annc-

Annotatio ad hanc præfationem de receptarum libro.

RECeptarum Sinensium liber videtur Europæo parùm utilis esse. Ratio 1. Quia herbarum genera pleraque ignota sunt, & in Europæo solo nondũ nata. 2. Radices & herbæ, tametsi siccatæ, in Europam transferri plurimæ nequeunt, quòd à vermiculis & tineâ exedantur, antequam Macaum aut Bataviam ferè pervenerint, quantò magis, si in Europam transmittantur. 3. Ex ipsismet herbis aut radicibus arentibus vix potest Medicus discernere, an alibi in Europâ similes reperiantur: Opus foret percurrere Chinam totam, & herbas arboresque vivas adhuc & spirantes consulere. 4. Herbæ & radices, quæ in Pharmacopoliis veneunt, magnâ priùs curâ præparandæ sunt, quædam vino, aliæ aquâ purâ aut salsâ, aut orizæ, aut triticea, aut parvuli lotio, aliæ aceto nonnihil macerandæ, aliæ farinæ massâ, aliæ nucũ, aliæ glebâ terræ involvendæ, & sub cinere & igne lento mortificandæ, aliæ sacchari aut glyzirrhicæ aquâ, aliæ vaporibus aquæ bullientis imbibendæ, ac dein aut vento aut Soli à nonâ matutinâ usque ad tertiam pomeridianam exponendæ, uti fit in Rhabarbaro, quod novies vapore aquæ imbibitur, & singulis vicibus Soli siccandum exponitur, ut diutius servetur, & à malignitate, quam habet, depuretur, servatâ tamen virtute naturali, quæ, cùm sit admodum frigida, potiùs per ignem seu Solem sese intra magìs recolligit, quàm foras se effundat aut dissipetur: Aliis item herbis & radicibus eruitur nucleus, aliis cortex, in quarundam usu à contrariis cavendum, aliis etiam addenda quædam, quæ sint vehicula dictarum herbarum, ut est v. gr. Zingiber, & alia similia. 5. Quædam radices & herbæ, quæ priscis temporibus certo morbo erant proficuæ, multo usu comperêre, hisce temporibus eidem malo noxias & penè lethiferas; Denique attendendum ad clima, complexionem, victum & potum Sinicæ gentis,

gentis, ſi enim alia applicent medicamenta Auſtralibus Populis, alia Borealibus in uno eodemque morbo, quid faciendum putabunt, cum toto orbe ferè diviſis Europæis? Quare ſuperſedendum videtur hiſce receptis, ſi modò apprimè noſcantur pulſus, & ex his morbi qualitas. Non deſunt in Europâ omnis generis medicamina lenientia, confortantia, reſtaurantia, evacuantia, temperantia, refrigerantia, calefacientia &c. Quibus morbis jam probè cognitis medeantur, ut non ſit opus ea â Sinenſibus emendicare. Sed videlicet hic cardo rei eſt, hoc opus, hic labor, probè pulſus dignoſcere, requiritque ſubtiliſſima ad hoc ingenia, & uſum experientiamque valde longanimem, uti ipſi dicunt. Quare ſi otium feret, conabimur aliquid de pulſibus annotare, quæ fortè hîc deſiderantur, & proferre in medium, quî de unico ſaltem morbo, v. gr. febre malignâ, diſcurrant Sinenſes Medici, (ſi tamen diſcurrunt) ut ex uno velut ungue de reliquis ferant judicium. Eſt autem, quòd non parùm credibilia ſint cenſenda, quæ de morbis dicunt, cùm multi Medici totâ vitâ non aliam curam ſuſcipiant, quàm curandi unicum morbum (idque ab Atavis acceptum in familiâ ſua Nepotes obſervant) alii febrem hecticam duntaxat, alii malignam, alii puerorum ſolummodo morbos, alii ſolas variolas, alii mulieres tantùm, quæ omnium difficillimæ cenſentur; utpote, ubi morbi ex ſolo pulſu digno-
„ ſcendi ſunt: nam ex coloribus & ſignis exterioribus (quæ item
„ examinari volunt Medici) in fæminis honoratioribus, cùm
„ eas videre non liceat, nihil colligi nec judicari poteſt.

R P. MI-

R. P. MICHAELIS BOYMI POLONI,

è Societate Jesu, è Regno Siam, Anno 1658.

Ad Medicos Præfatio.

PRoducimus in veſtrum, Viri Clariſſimi, atque totius Europæ conſpectum ab ultimis terrarum finibus antiquiſſimum & nobiliſſimum Medicorum omnium. Si genus ſcire avetis, eſt ſanguine & dignitate Imperator; Si ætatem, profectò Avicennâ, Hippocrate, Galeno & Celſo multò antiquior, nam 400. & paulò ampliùs poſt diluvium annis vixiſſe refertur, & imperare cœpit anno ante Chriſtum 2697. An Patriam ſcire deſideratis? *Hônâm* Imperii Sinarum Provincia, *k'aì fum̄* Metropolis, Civitas *ſyn pi* tanti viri Patria eſt. Nomen illi eſt *Hoâmti* id eſt, flavus Imperator. Hic equidem primus medicinas apud Sinas excoluit, & ejusdem artis præcepta poſteris tradidit, atque cùm ob multa præclarè facta de Imperio ille optimè eſſet meritus, per hanc quoque artem mortales ſibi voluit demereri, atque adeo etiam nunc in arte ſuâ ſuperſtes depoſito faſtu & peregrinam à ſuâ edoctus linguam, iter ferè medii Orbis ſuſcepit, Europam petens, vitam multis, quâ caret ipſe, conſervaturus. At, inquies: Quid novi adfert hic tuus Medicus Imperator? Fortaſſè in Anatomiâ plus reperit, quàm Europa ſciat à Rondeletio, Veſalio & Bartholino? Minimè, nihil hic Medicorum primus de hâc re ex propoſito egit, etſi Medici Sinici illum ſecuti multa obiter dicant, atque etiam in imaginibus ea, quæ latent in homine, depicta habeant. Vidi ego exactas earum imagines, putaſſes Europæas, cum deſcriptione Anatomiæ humanæ. Verùm, utrùm hanc artem ipſi ex hominum ſectione nacti fuerint, in nullo reperire potui, atque crediderim, exercuiſſe aliquando Sinas ſectiones, ſiquidem omnes vel imaginariam crudelita-

tem hor-

tem horrent, & mortua cadavera, qui ſic apud illos tractaret, quôcunque illud fine faceret, eſſet execrabilis. Quid igitur hic Medicus Sinicus adfert novi ? Numquid novas medicinas per Artem Chymicam repertas, aut herbarum genera plura invenit, quàm Dioſcorides & tot alii in Arabiâ, Græciâ, Indiâ Europâ aut Africâ, qui ingentes libros cum herbis depictis ad vivum vulgârunt.

Non ſolùm in hoc excelluit hic Sina Medicus, utpote qui multas medicinas & herbas Europæis incognitas, quibus uti jubet in medendo, monſtrat. Cæterùm de Chymiâ nil habet, habebit ſanè vitæ, mortis, morborum aphoriſmos aut de pulſibus novi aliquid. Sed quî credibile ſit, quòd non jam Hippocratis ingenium, & qui illum ſunt ſecuti in genere aphoriſmorum non totum, quod poſſit ſciri, repererint ? Quis verò uberiùs & excellentiùs de pulſibus doctrinam tradere poterit, quàm Galenus, & poſt illum tot alii præſtantes Medici ? Etenim Medicum Hoâmti antiquiſſimum aphoriſmos omnino alios ab Hippocrate adferre, ſimiliter & ſcientiam de pulſibus omnino diverſam à Galeno, & à nullo vel per ſomnum imaginatam, præterea rationem medicandi morbis aliam & novam prorſus ab Europæâ invenit & tradidit, & hæc omnia, quæ dixi, à diluvii ferè ipſius temporibus. Hæc ego omnia cum Authore ſuo in conſpectum veſtrum, Viri expertiſſimi, profero, & in clavi medicâ, quam fieri procuravi ad reſerandam Artem in libris reconditam, deſcriptâ quilibet poterit invenire. Planè aphoriſmos hic Sina-Medicus vitæ ac mortis in Scientiâ pulſuum fundat, ex quibus non mortem ſolùm vel morbos docet prædicere, verùm affectiones & qualitates, quæ à morbis cauſantur, & vix quemquam inter Sinas
„ Medicos reperias, qui à circumſtantibus, quid morbi habeat
„ æger, perquirat, vel quid paſſus fuerit, ſiquidem ille poſt pul-
„ ſum exploratum omnia divinat, & ad miraculum morbum, &
„ quæ ex illo orta ſunt aut oritura, docet, imò mortem non ad

dies

dies tantùm, ſed ad menſes, ad annum & annos poteſt prædi- 31
cere. Olim legi, Galenum aliqua ex pulſibus prædixiſſe, imò & prædicere docuiſſe, ut ſi quis jam comederit, vel laborârit aliquâ paſſione, & etiam aliquo alio morbo. Verùm ut univerſaliter omnes & ſingulos morbos ex pulſibus cognoverit, vel hoc percipere, eorumque affectiones divinare ille vel alius ab illo docuerit, hucusque quòd ſciam, fuit nemo. Solus hic Imperator hanc artem edocuit, cujus præcepto obſervando Medici Sinæ hodieque apud Sinas & genera morborum quæcunque ex illis conſequuntur, certò aſſequuntur. Sed quid, inquies, de pulſibus habere poteſt, quod non jam à Galeno aliisque ſit repertum? Suprà retuli, quòd prorſus alia, imò & contraria nec opinata habeat, & quanquam hæc fuſiùs in clavi Medicâ retulerim, per tranſennam hîc aliqua ſubjicio. Omnes cum Galeno unius tantùm manus pulſum explorare jubent, Hoâmti ambarum. Galenus ſiniſtram manum duntaxat; Hoâmti præter ſiniſtram etiam dextræ priùs jubet explorare pulſus, quòd videlicet ibidem vita incipiat, deſinatq;. Galenus contendit, unicum locum in ſiniſtrâ ad hoc ſufficere: Hoâmti in dextrâ tria loca, totidem in ſiniſtrâ ad pulſus cognoſcendos eſſe neceſſaria, nec hoc contentus, in brachio tam dextro quàm ſiniſtro in profunditate cujuslibet loci ſuperficiem, medium & profundum, (hoc eſt, ad pellem & carnes, ad ſanguinem & nervos, denique ad oſſa) qualem pulſum habeant, explorare & diſtinguere docet. Præterea in fœminâ & viro naturales etiam pulſus in dictis tribus locis diverſiſſimos obſervavit. Quid amplius? Levitatem & gravitatem ineſſe pulſibus oſtendit. Quid deinde? Menſuram pulſuum infallibilem vitæ & morborum regulam, quæ intervallis conſtat ſpirationum, præſcripſit. Menſuram temporis ſe ignorare ingenuè fatetur Galenus, quamvis multo tempore deſudaverit in illâ quærendâ. Quid dicam de qualitate differentium inter ſe pulſuum, atque admirabili illâ repertâ con-

nexione ac certitudine cum affectionibus, quas prædixit? Quid dicam de caufis, quas affignavit in differentiis pulfuum. Quid de circuitu fanguinis & Spirituum, atque reciprocatione? Quid de prædictionibus & coloribus, fonis, faporibus, odoribus & liquoribus? Quid de reliquis, ac poftremò de ipsâ arte medicandi? Nimirum pulfibus Sinenfes medentur, & non morbis, imò verò morbis per ipfos pulfus; Hoc eft: cùm pro naturali irrepfiffe contranaturalem cognoverint pulfum, medicinam adhibent pulfui contranaturali, ut aut abeat, aut redeat ad naturalem, quô quid mirabilius? Quid referam de fcientiâ pulfuum, quomodo videlicet fe mutuò pulfus producant, augeant, invadant & deftruant? Sed hæc atque alia fcire qui velit, medicam clavem accipiat, ac fingula confideret. Unum moneo, ut ne ingredientium hoc Sinenfe conclave nova rerum fpecies offendat animum, poftquam luftraveris omnia, de opere toto & fabricâ fententiam feras licet.

Quisquis autem non affecutus fuerit rationes & caufas omnium, quæ tradimus, experientiam ipfam confulat, & meminerit, illud, quod ufu tot feculorum, quod in florentiffimo maximoque Imperio probatum fuerit, quod etiamnum vigeat maximè, ficut Batavi, Angli, Lufitani, cæteræque Nationes, quæ ad Sinarum portus accedunt, teftari poffunt, non poffe non fuas habere caufas, easque folidas, quibus innitatur Ars illa morbos prædicendi.

Agite! Viri Clariffimi, & hanc Artem vos ipfi pro veftro ingenio excolite! Et ficut his, qui acceperunt à Galeno vel Hippocrate Majores veftri ftudiis ac lucubrationibus fuis multum lucis ac fplendoris attulerunt: Ita & vos æmuli avitæ laudis expolite hoc opus & illuftrate, atque efficite, ut Sinenfes hos pulfus clariores ab Europæis jam redditos audiamus aliquando Orbe toto perfonare. Finem facimus, & rogamus, ut laborem hunc noftrum qualemcunque contra ingratos & Obtrectatores defendatis: Denique ut precemini DEUM Opt. Max. ut hunc Populum, quem ab Arte medendi corporibus adeo inftructum effe voluit, non patiatur diutius carere peritis animarum Medicis ac cœleftibus medicinis, adjuvante illo, cujus livore fanati fumus, qui eft falus, vita, refurrectio omnium, cui foli honor & Imperium in fecula feculorum.

R. P. MI-



R. P.

MICHAELIS BOYMI POLONI,

è Societate JESU,

CLAVIS MEDICA

ad

Sinarum doctrinam de pulſibus.

CAPUT PRIMUM.

Quænam ſit in homine vitæ ac ſanitatis cauſa.



PRiſci Sinenſes viventem & ſanum hominem per certam duarum qualitatum, quas *yâm* & *iñ* vocant, conjunctionem & quaſi conſenſum conſtitui credunt. Per *yâm* calorem primigenium, per *iñ* humidum radicale volunt intelligi. Porrò Spiritus & ſanguis ambo in corpore humano dicti humidi radicalis & caloris primigenii dicunt eſſe vehicula, (quam ob cauſam etiam iiſdem apud Sinenſes nominibus *yâm* nimirum & *iñ* deſignantur,) quæ ſi inter ſe aptè & cum proportione cohæreant, primigenium quoque calorem, & humidum radicale quàm optimè habere, atque inde perfectam hominis vitam ac ſanitatem exiſtere & conſervari affirmant.

Jin inquiunt Sinæ (quâ voce hominem ſignificant, quem & hoc charactere 人 deſcribunt) ex *yâm*, cujus eſt hæc nota /, & in cujus nota eſt iſta \ conjunctis componitur.

nitur. Sicut autem ex illis duabus descriptis notis Sinicus ille Character, sive hominis significatio tota coälescit, & quemadmodum ex notâ vocabuli *yâm* conjunctâ cum notâ *iñ* vocabulum resultat, significans Sinicè hominem, *yâin* scilicet: Ita persuasum est, illis ex qualitatibus in temperamento humano *yâm* calore primigenio, & *iñ* humido radicali inter se mutuò unitis certam hominis vitam & sanitatem existere. Verùm hanc interdum ex incongruâ dictarum qualitatum conjunctione aut violentâ separatione alterari primùm & languere, dissolvi deinde, ac postremò tandem extingui. Eâ ferè ratione, quâ Sinicus Character 人 quando ejus binæ partes 丿 & 乀 dissolvuntur, totam hominis significationem prorsus amittit.

Binas illas primigenias qualitates in principalibus corporis humani membris & intestinis velut in suis recondi fontibus, & inde in reliquum diffundi corpus, atque ab illis juxta eorum naturam, à quibus promanant, vitam ac sanitatem, actum & operationem singulas corporis partes pro suâ quamque exigentiâ accipere arbitrantur.

Quòd si aliquando, quas modò diximus, qualitates in membris ac intestinis, vel omnibus, vel aliquibus alteratas, immutatas reperiunt, tum morbos enasci, vires ac vitam deficere, & mortem imminere; Contrà verò, si integras ac sibi aptè invicem hærentes, valere hominem, integris esse viribus, ac fore longævum, certò conjiciunt.

Manifestum proinde est, apud Sinenses Medicos vitæ ac sanitatis in homine causam existere ab *iñ* humido radicali, & *yâm* primigenio calore, prout vita per Spiritus & sanguinem ex illis promanans, cum debitâ proportione universum corpus hominis & singulas ejus partes quasi rigat, penetrat, informat ac vegetat.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Quænam ſit in homine vitæ ſedes.

PArtes humani corporis dividunt Sinenſes in *C̓âm* & *fu.* Prior vox accipitur pro membris, poſterior pro inteſtinis.

Membra principalia, quibus ineſt potiſſimùm *iñ* humidum radicale, ſex numerant.

Ex parte ſiniſtrâ: *Sin;* cor, *kan* hepar, *Xin* renes; Ex parte dextrâ: *ſi*, pulmones, *pi* lienem, *mím múcû* portam vitæ.

Inteſtina ſimiliter, aut ſi mavis interiora, quibus potiſſimùm ineſt *yâm* primigenius calor, ſex numerant.

Ex parte ſiniſtrâ *Siáo chám*, minora propriè dicta inteſtina: *fu*, folliculum fellis: *pám kuàm* ureteres.

Ex parte dextrâ *tá chám*, id eſt, inteſtina majora propriè dicta, *quey*, ſtomachum: *Sin crao* tertiam partem corporis.

Etenim dividunt Sinenſes corpus humanum in tres partes: Prima eſt ſuprema pars, dicitur *Xam crao*, eſtque ea, quæ â capite protenditur ad pectus: Media *chum crao*, à pectore ad cingulum ſive umbilicum: Tertia & infima *hia crao* & *ſan crao* ab umbilico ad plantas pedum pertingit.

Membra Sinicè vocantur *C̓âm*, quod recondere ſignificat; Recondunt enim vel cibos, vel ſangvinem, vel liquores, vel humores, vel ſpiritus. Inteſtina appellarunt *fu*, quod idem eſt ac atrium ſive colonia, quia ſcilicet illa, quæ in membris reconduntur, ad interiora tanquam ad atria ſeu colonias membrorum deferuntur. Cùm verò principalia tum membra, tum inteſtina, ob viciniam plurimùm inter ſe conſpirare, mutuoque ſibi inſervire comperiſſent, ſingulis ideo membris ſingula adnexerunt quaſi inteſtina.

Atque ita ex parte ſiniſtrâ cordis quidem membro minora inteſtina ; hepatis membro folliculum fellis, renum membro ureteres ; Ex parte autem dextrâ : pulmonum membro majora inteſtina ; lienis membro ſtomachum, portæ vitæ tertiam partem corporis adjecerunt. In his autem membris ac inteſtinis humidi radicalis & caloris primigenii qualitates eis ab ipſo ortu congenitas reſidere & conſervari, & eaſdem pro diverſitate temperamenti per diverſos motus, ſpiritus & actus, vitam in corpus univerſum diffundere affirmant. Egerunt hoc enim ſummâ cum diligentiâ Sinarum primi Medici, ut ſingulorum membrorum ac inteſtinorum perſpecta haberent naturalia temperamenta & affectiones. Quæ omnia atque imprimis conſenſum eorum ac diſſenſum, cùm ex pulſibus ſe certò poſſe deprehendere, diuturno uſu didiciſſent, (prorſus uti periti fidicines exploratis cytharæ ſuæ nervis, & horum & cytharæ totius vel conſonam, vel diſſonam conſtitutionem) pulſuum ipſi pulcherrimam ſcientiam Poſteris tradiderunt. Quæ quidem ſcientia ad hæc usque tempora conſervatur ac viget, & nos eam infrâ, DEO favente, aperiemus.

Porrò *con* contenti in ſex membris & adjunctis ſex inteſtinis origines & fontes vitæ detexiſſe, horum ipſorum certa indicia per totum exquiſierunt corpus humanum. Et cùm in diverſis partibus corporis diverſa reperiſſent, in capite potiſſimùm tam membrorum quàm inteſtinorum, vitæ ac ſanitatis, morborum, & mortis certiora ſigna apparere cognoverunt, quæ ſigna illi quidem *heu cyé* vocitant, nos poſtea externos temporariæ conſtitutionis indices appellabimus.

Ajunt inſuper alligari exteriora ſenſuum organa, (quæ utique & in capite ſpectantur præcipuè) vitæ fontibus, membris, inquam, & inteſtinis, adeoq; linguam cordi, nares pulmonibus, os lieni, aures renibus, oculos hepati. Quia imô ex colorum, qui in fronte, oculis, naribus, auribus ſe oſtendunt varietate : Ex ſaporum, quos lingua vel ſentit, vel appetit,

petit, vocis etiam, quam profert æger diſcrimine ac diverſitate ſe poſſe vitæ mortisque tempora certâ aſſequi conjecturâ, non vanè gloriantur. Unde ex memoratis ſex membris & totidem inteſtinis (quæ ſunt duodecim origines, aut potiùs, ſi membris inteſtina adnexa numeremus, vitæ fontes omnino ſex) in reliquum corpus, atque etiam in exteriora ſenſuum organa per humidum radicale & calorem primigenium vitam derivari contendunt. Et quemadmodum membra & inteſtina diverſimode ſunt temperata, & interdum alias atque alias affectiones ſubeunt: Ita annexa ſibi organa, aliasque ſubditas ſibi & vicinas corporis partes aliter atque aliter afficiunt.

Adverte autem obiter, Sinenſes modò dicere eſſe ſex membra, modo quinque, videlicet hepar, cor, pulmones, lienem & renes, quia nimirùm renes duplices ſunt, quatenus eſt in ſiniſtrâ parte corporis, renis nomen obtinet, quatenus autem in dextrâ, porta vitæ dicitur. Rurſùm Sinenſes modò dicunt, eſſe ſex inteſtina, (quæ, ut ſuprà diximus, totidem membris jungunt) modò quinque, ſcilicet parva & magna inteſtina, fel, ureteres, ſtomachum, *quia Sān Ciao* tertia pars corporis magis ad extra eſt, at alia intra ſunt. Quod verò tertia pars dicitur, eſſe ſextum inteſtinum, quamvis non habeat figuram propriè dicti inteſtini, fit ex eo, quia eſt locus interiorum Spirituum, unde etiam jungitur portæ vitæ, quæ eſt ipſorum officina.

Ex dictis deducitur, quòd in homine vitæ ſedes in duodecim originibus, ſex, inquam, vitæ fontibus conſtituatur.

Supereſt explicemus, quomodo membra principalia humidum radicale, & principalia inteſtina calorem primigenium pro ſuo quæque temperamento in totum diffundant corpus, & ejus ſingulas partes, ſeu quod idem eſt, per quas vias ſeu meatus vitæ, quæ diverſimode in ſingulis membris ac in-

ac inteſtinis reſidet, ad humani corporis multiplices ac differentes operationes ſanguine ac Spiritibus quaſi vehiculis ſubvecta deferatur.

CAPUT TERTIUM.

Per quas vias ſeu meatus principalia tam membra quàm inteſtina, (illa ſcilicet, quæ ſunt origines ſeu fontes vitæ ac ſanitatis cum reliquo corpore humano vitam communicent ac ſanitatem.

SInenſes Medici conſtituunt ad dexteram tria membra, & tria eis annexa inteſtina, totidem quoque ad ſiniſtram, ut, modò à nobis ſuperiore capite eſt dictum. Porrò à membris (*iñ*) humidi radicalis, & ab inteſtinis (*yâm*) caloris primigenii virtutes inter ſe permixtas, unitâ efficacitate in reliquum corpus dimanare, ſequentibus deſcribunt viis,

A ſiniſtris nobiliſſimum, inquiunt, cordis membrum derivatur humidum radicale ad manus, vocaturque hic meatus (*xáo xán yn kím*) *manuum à corde diminuti humidi radicalis via.* Adnexa verò cordis membro minora inteſtina derivant eôdem calorem primigenium, atque adeo vocant hunc caloris ductum (*xeú tái jám kím*) *manuum à minoribus inteſtinis primigenii magni caloris viam.*

A duabus iſtis viis indicantur duæ origines, quæ conſtituunt vitæ unicum fontem, eodem modo de reliquis intellige.

Hepatis membrum demittit humidum radicale ad pedes, vocantq; hunc canalem (*Ćo kiue yn kim*) pedum ab hepate defectuoſi humidi radicalis viam. Et quia ab adhærenti hepatis folliculo fellis calor primigenius item ad pedes ſeſe diffundit, vocatur (*Ćô xiaó jám kím*) pedum à folliculo fellis diminuti caloris via. Ad pedes rurſus humidum radicale à renum membro

membro delabitur, idcirco (*C'o Xáo ým kím*) pedum à renum membro diminuti humidi radicalis viam appellant. Uti & (*c'o taí jam kim*) pedum ab ureteribus magni caloris primigenii viam: quia ſcilicet ab ureteribus ipſis renibus conjunctis primigenius calor ad pedes procedit. Et hactenus quidem partis ſiniſtræ meatus indicati ſunt.

Jam verò à dextrâ parte pulmones, inquiunt, humidum radicale diffundunt ad manus, nempe per (*Xeu tái ýn kım*) id eſt, manuum à pulmonibus magni humidi radicalis viam. Item calor primigenius à majoribus inteſtinis, quæ cum ipſis pulmonibus conjuncta ſunt, profectus, inſinuat ſeſe manibus per meatum (*Xem iâm mîm kîm*) manuum à majoribus inteſtinis caloris primigenii puri & lucidi viâ.

A liene humidum radicale, à ſtomacho autem, qui lieni proximus eſt, calorem primigenium manare ad pedes, docent. Hujus meatum (*ço iâm mîm kím*) pedum à ſtomacho caloris primigenii puri & lucidi viam; Illius (*C'o tái yñ kim̃*) pedum à liene magni humidi radicalis viam vocant.

Denique ex vitæ portâ humidum radicale procedit ad manus, dicitur (*xeú kiñe yn kim̃*) manuum à portâ vitæ defectuoſi humidi radicalis via. Et huic adjuncta tertia pars corporis calorem primigenium dat pedibus viâ, cui nomen indiderunt (*Xeú Xáo iam̃ kim̃*) id eſt, pedum à tertiâ parte corporis diminuti caloris via.

Hâc ratione totum corpus humanum ex Sinarum ſententiâ humido radicali & calore primigenio penitus imbutum ab his ipſis vigorem accipit ac vitam, quæ utique ab ſuis originibus ac fontibus per eos, quos modò retulimus, meatus promanat.

Viæ autem duodecim ad origines duodecim, ſex, inquam, membra, humidi radicalis principia, & ſex inteſtina, caloris primigenii ſpiracula, quaſi calles duodecim & totidem vitales fontes deducunt: Fontes tamen hi non niſi ſex vul-

gò numerantur, quia nimirum quodlibet dictorum membrorum & intestinorum nonnisi ex mutuo quasi consensu & uno eodemque influxu, vitam de qualitatibus modò dictis resultantem per vias memoratas in corpus humanum derivat.

Quisquis igitur naturam ac temperamenta istorum sex vitæ fontium vel duodecim originum probè cognoscit, sine dubio constitutionem totam membrorum ac intestinorum perspectam habebit. Quisquis præterea duodecim viarum dispositiones & affectiones eis congenitas, incrementa quoque & decrementa, adhæc alterationes & alias qualitates assecutus fuerit, is sanè membrorum & intestinorum corruptiones, morbos & interitum facilè conjicere ac divinare poterit.

Quomodo verò sex vitæ fontium, sive duodecim originum (membrorum, inquam, & intestinorum) natura ac temperamenta, atque ab his promanantium duodecim viarum qualitates, tum naturales, tum etiam præter naturales à Sinensibus deprehendantur, nunc est porrò declarandum.

CAPUT QUARTUM.

Quæ sit natura, quæ temperamenta & qualitates viarum duodecim ab originibus duodecim ductarum, & vitam ac sanitatem in corpus humanum devehentium.

SUpponunt Sinenses, Elementa mundi à cœlo & conjunctis cum cœlo qualitatibus *yâm* videlicet, calore, & *yñ* humido (quorum duo sint orta ex *t'ai kiĕ*, quod chaos seu materiam incompositam significat) processisse, non esse pauciora, quàm quinque contendunt: Terram, Metalla, Aquam, Arbores sive Aërem, Ignem. Rationem verò hujus esse, quòd hoc quinario omnia, quæ videntur & sunt in universo, contineantur: Unde & Elementa vocârunt, quasi genera prima rerum, ad quæ reliqua possint reduci,

Hominis

Hominis corpus, ejusque membra & inteſtina, non inter ſimplicia conſtituunt, ſed mixta. Verùm cùm in horũ mixtione & temperamentis comperiſſent, in quolibet membrorum & inteſtinorum unam aliquam unius Elementi præ cæteris qualitatem dominari, ſingulis membris & inteſtinis ſingulorum vocabula Elementorum indiderunt. Atque ita ſiniſtram partem corporis humani præſtantiſſimo cordis membro, quod rubei ſeu ignei coloris, quod & amari ſaporis eſſet, quod præ cæteris membris efferveſceret & æſtuaret, & ſimiliter annexis cordi parvis inteſtinis (*hò*) id eſt, ignis Elementi nomen tribuerunt.

Utraque verò ad Auſtralem plagam, & *ligua* regionem ſic dictam ſpectare, quòd ibi ex eorum ſententiâ Elementum ignis quaſi in propriâ ſede reſideat, & æſtate maximè efferveſcat, (unde fit, ut cor in æſtate ſuas præcipuè prodat qualitates) affirmant.

Hepatis membro nomen & naturam *mo*, id eſt, arborum, plantarum, aëris & ventorum, & ſimiliter folliculo fellis ob colorem cæruleum & ſubacidum ſaporem aſſignant. Utraque ortum reſpicere, & *Xin* cœlorum regionem, quòd inde vis vegetandi & venti tanquam ex nativo loco proficiſcantur, & quòd in vere vires ſuas uberiùs explicent, (unde hepatis affectiones tunc maximè ſpectantur) docent.

Renum membro & ureteribus, *Xui*, id eſt aquæ Elementum ineſſe volunt, quòd in illis ſalſuginoſus quidam ſapor, nec non ater color, & potiſſimùm frigiditas ſeu humidum radicale principatum obtineant, adeoque ea ipſa ſub cœlorum *qua kien* portione ad Boream collocant, quòd ibi aquæ Elementum multo frigore rigeat, unde etiam hiberno tempore crebriora renum indicia atque effectus ſe prodant. Ad dexteram pulmonũ membrum tum ob ſiccitatem, tum quòd aduſtum, neſcio quid, ſapiat, præterea, quòd albicantis ſit coloris, nec non magnis inteſtinis, *kin*, id eſt, Metalli Elementum dominari

 minari

minari putant. Ambo occasui & portioni cœli *qua kiuen* subjiciunt. Et quia metalla per Autumnum perfici existimant, pulmones etiam & magna intestina eâdem anni tempestate vim suam imprimis exercere & indicare dicunt.

Lienis membro ob teporis qualitatem saporem dulcem, colorem flavum *tu* id est, terræ nomen indiderunt. Pari ratione & stomachum qui lieni jungitur, terreum esse censent.

Utraque in medio quatuor reliquorum Elementorum sub plagâ cœli (*gua ken* vocitant) sita esse, & exercere vires suas, tertio quoque (cujuslibet ex quatuor tempestatibus anni) mense asseverant.

Portam vitæ, & huic annexam tertiam partem corporis, ignis simul & aquæ subjiciunt Dominis, ideoque à cordis & renum membris qualitates recipere, receptasque diffundere arbitrantur.

Hâc ratione distributis nominibus Elementorum, & observato Elementarium qualitatum dominio, in singulis membris & intestinis corporis humani, quemadmodum in hoc mundo majori minùs inter se pugnantia, seu symbola Elementa se invicem producere & intendere, dyssymbola autem destruere & corrumpere, ac subinde alterationes & impressiones inter se mutuò efficere, obsérvârunt. Simili modo membris & Intestinis, & quæ ab his ducuntur viis, aut easdem, aut non adeo dissimiles Elementorum Virtutes & propriam cujusque efficaciam inesse collegerunt. Nam, ut in Mundo (inquiunt) sublunari ex aquâ certo quodam modo videmus produci plantas seu arbores, ex plantis ignem, ignis autem cineream relinquit terram, terra verò metallorum est genitrix: Porrò metalla iterum producunt seu exprimunt aquam, aqua rursus arborem, & sic deinceps in orbem: Ita prorsus eundem in corpore hominis (quem meritò sapientes μικροκόσμον dixerunt) orbem effici passim docent.

Siquidem

Siquidem renum aqueum membrum communicat qualitates aqueas hepati, ſeu arboreo membro, quas ſuas poſtea efficit, ſive in naturam quodammodo ſuam convertit : Hepar arboreum igneo cordi ſuas itidem qualitates: Cor igneum & ſimiliter portæ vitæ, lieni & ſtomacho naturâ terreis igneas, lien & ſtomachus ſuas terreas pulmonibus, qui metallicæ ſunt naturæ, pulmones metallicas qualitates communicant renibus aqueis, ab his rurſum ad hepar arboreum rerum ſubmittuntur qualitates &c.

Contrà verò, ſicut aquæ Elementum igneum vel imminuit, vel prorſus extinguit: Sic frigidæ qualitates renum cordis calorem vel minuunt, alterant, vel planè ſuffocant. Hepatis quod diximus ſubtile temperamentum pulmonum metallicâ virtute læditur; Et uti terra aquam inficit & ſuffocat, eôdem modo lien terreis qualitatibus oppletus, aqueum renum temperamentum obruit, aut etiam deſtruit.

Quocirca ſi perſpectum habuerimus, quomodo Elementa vel qualitates Elementares in membris ac inteſtinis reconditæ ſeſe invicem afficiant, alterent, reſtaurent, augeant, immutent, deſtruant, corrumpant, facilè perveniemus in notitiam ſtatus, ac diſpoſitiones naturales, imò & præternaturales viarum duodecim, ac totidem ſuarum originum, membrorum, inquam, & inteſtinorum : atque adeò mille genera morborum, mortem quoque ipſam multò antè, quàm accidant, cognoſcemus.

Sed quoniam per vias duodecim ſex membra & ſex inteſtina, docuimus poſſe cognoſci, vias verò ipſas duodecim per qualitates Elementares ſibi congenitas, ſui ipſarum, ſuarumq; originem, ſeu ſex vitæ fontium temperamenta manifeſtare, operæ pretium fuerit explicare, quomodo Elementarium qualitatum in membris ac inteſtinis, viarumque ſtatus naturalis aut contranaturalis explorari poſſit.

CAPUT QUINTUM.

Per quid in corpore humano viarum duodecim qualitates Elementares, ac illarum habitus, affectionesq; naturales aut præternaturales certò possint deprehendi.

VItam humanam constare ex humido radicali & calore primigenio, non apud Sinenses modò, sed Europæos quoque receptum est. Sinenses prius in sex membris, posterius in sex intestinis recondi, atque ab iis in reliquum corpus per duodecim vias dispergi volunt. Membrorum verò & intestinorum temperamenta & dispositiones non nisi per easdem duodecim vias, per quas humidum radicale & calor primigenius deferuntur in totum corpus, indagari posse contendunt. Vias verò & earum capita seu initia per Elementares qualitates, at verò qualitates has ipsas solummodo ex pulsibus certò posse cognosci sequenti deducunt ratione.

Pulsus causatus in venis est à motu: Motus autem, qui existit in venis, est à spirituum & sanguinis fluxu decursuque: Spirituum denique & sanguinis (quorum quidem sanguis est humidi radicalis, spiritus verò sunt caloris primi vehicula) fluxus & refluxus per duodecim vias à duodecim originibus sex videlicet membris & sex intestinis rigant totum corpus, singulasque ejusdem partes commovent.

Verùm si id omne, quod movet, etiam impellat necesse est, id verò quod movetur, aut cedere debet aut resistere, sequitur omnino ex motu ab hujusmodi moventibus & motis producto pulsum resultare: Itaque cùm Spiritus & sanguis decurrentes moveant partes corporis atque impellant, adeoq; hæ moveantur, non potest ab his non aliquis pulsus existere.

Pulsuum

Pulſuum proinde ſcientia neceſſaria eſt, quorum ſi naturam & differentias optimè perſpectas habuerimus, congenitas duodecim viis Elementares qualitates & illarum affectiones in ſanguinis & ſpirituum impreſſas motu, & conſequenter ea ipſa (à quibus proficiſcuntur duodecim origines) membra, inquam, & inteſtina deprehendemus, ac illorum omnium ſtatum & temperamenta, deinde etiam deprehenſo qualitatum Elementarium diverſo vel exceſſu vel defectu (qui ſunt utique diverſitatis pulſuum cauſa) alium atque alium viarum & corporis totius ſtatum cognoſcemus. Ex pulſibus autem connaturalibus ſtatum quoque naturalem qualitatum Elementarium & ſanguinis, qui vehit humidum radicale, & ſpirituum, qui calorem primigenium, viarumque duodecim & originum ac corporis totius humani vitam ac ſanitatem conjicere, & ut cum Sinis loquamur, ex differentibus pulſibus differentes exceſſus & defectus in ſanguine & ſpiritibus aſſequi, atque adeo membrorum varia & innumera genera & mortem ipſam imminentem prævidere poterimus.

Veruntamen vitam (inquiunt) conſervare, valetudini conſulere, morbis mederi poterit ſolus ille, qui pulſus connaturales in corpore humano conſervare & corroborare, vel præternaturales & immutatos ad priſtinum ſtatum revocare, & reſtaurare per appoſita medicamenta noverit. Ex pulſibus enim debito & naturali ſtatui reſtitutis intelligunt ſtatum, vias quoque duodecim rediiſſe ad primævum ſtatum; & per illas item in ſpiritibus & ſanguine congenitas qualitates elementares ritè temperatas devehi vitam, quam duodecim jam ſæpius memoratæ origines in corpus diffundunt.

Pulſuum itaque ſcientia imprimis eſt neceſſaria. Sed cùm illi ſint motus, aut certè efficiantur à motu in venis, motus autem & mobile tam locum quàm tempus ſupponat, hîc verò ſolùm declaratum ſit, quomodo ex ſex membris & ſex inteſtinis Elementares qualitates in totum corpus devehantur, & illius partes ſin-

tes singulas moveant, quærendum de loco & tempore, in quibus motus, & à motu pulsus fiunt, hoc est, ad quæ loca corporis sint pulsus explorandi, & quâ mensurâ temporis metiendi, ut inde pulsuum distincta certaque notitia accipiatur, atque ex hâc scientiâ constitutionis sanguinis & spirituum, elementarium qualitatum, duodecim viarum, & originum totidem, seu sex vitæ fontium, membrorum, inquam, & intestinorum, ac denique humidi radicalis ac caloris primigenii & quæ ex his duobus existunt, morborum ac sanitatis, mortis ac vitæ.

CAPUT SEXTUM.

Quænam sint in humano corpore loca pulsuum magis idonea ad explorandas viarum duodecim qualitates Elementares.

Pulsuum in corpore humano loca descripta sicut in libris Medicis Sinensium reperi, cum fide subjicio unà cum ipso textu ad verbum & commentario ejusdem.

Textus: Omnium cavitatum in quibus pulsus reperiuntur loca.

1. *Feu pe*, id est, natans albedo (sic dicta pulsuum loca) sunt post aures, ingrediuntur locum, ubi terminant capilli, ad unam digiti mensuram.

Commentarius: Carmen ait de pulsu remisso, post cerebrum in ipso flexu cervicis ad tertiam colli vertebram, ibi dicta pulsuum loca reperies.

2. Textus: *San ciao*, id est, tres partes humani corporis, sic vocantur pulsuum loca.

Terminus supremæ partis corporis est à vertice capitis ad os supremum stomachi: Mediæ partis terminus à supremo stomachi ore ad ventriculi os inferius; Tertiæ seu infimæ partis terminus à stomachi inferiori ore unâ infra umbilicum digitali mensurâ ad plantas usque pedum pertingit.

3. Textus:

3. Textus: *ki múen*: id eſt, extremorum porta, duo ſic dicuntur loca: In fœminis, ubi papillarum pendularum extremitas correſpondet oſſi interiori: In maſculis autem & iis, qui minores mamillas habent, unico digito pulſus explorari poteſt: Siquidem pinguis ſit homo, duabus infra mamillas digitalibus menſuris; Si verò macilentior fuerit, unicâ & dimidiatâ digiti menſurâ deprehenditur.

4. Text: *ki hai:* id eſt, ſpirituum mare ſic dictus pulſuum locus. Eſt autem unâ & dimidiâ infra umbilicum digiti menſurâ.

Comment: Spirituum mare dicitur, quia in Maſculis ſeminalium ſpirituum ibidem eſt concurſus ſeu mare.

5. Text: *tan tien:* id eſt, rubeus ager, ſic dictus locus, diſtat ab umbilico trium digitalium menſurarum intervallo prope locum, *quan yuen*, id eſt, limitum origo.

6. Text: *quan yuen:* id eſt, limitum origo; Ita dictus pulſuum locus, qui eſt infra umbilicum tribus digiti articulis & aliquanto magis.

Comment: Locus hic eſt venarum, quæ à parvis inteſtinis & viâ pedum diminuti humidi radicalis & caloris primigenii porta, corporis humani radix & fundamentum; denique ſpirituum ſeminalium aggregatio.

7. Text: *Gin im:* id eſt, hominis obviatio. Ita dictus locus pulſuum, & exiſtit in ſiniſtrâ manu ante limitem, (qui medius eſt pulſus) menſuræ digitalis, (quam in decem partes dividunt) parte unicâ.

Comment: Hepatis & folliculi fellis eſt ſedes. Hujus loci pulſus ſi iidem fortè reperiuntur in loco renum ſignum eſt, hepar & fel lædi à frigore. Similiter hic locus & ſequens dictus *ki keu*: id eſt, Spirituum os: ſubjiciuntur ambo magni humidi radicalis pulmonum viæ.

Imperator ait: *Giu im* (loci nomen eſt) pulſum itidem indicat ſtomachi. Hujus ſedes eſt in ſiniſtrâ manu ante limitem,

tem, menſuræ digitalis parte unicâ; Itidem in utraque parte gutturis dextrorſum & ſiniſtrorſum, reperitur *gin im* cavitas. Sedes *gin im* ſubjecta eſt pulmonum magni humidi radicalis viæ. *Giu im* cavitas ſubeſt ſtomachi ſeu pedum caloris pr. puri & lucidi viæ, ideo dicitur *giu im* denotare quoque ſtomachi pulſum.

8. Textus: *ki keu*: id eſt, Spirituum os. Locus ſic dictus eſt in manu dextrâ ante limitem ſeu medium pulſum, digitalis menſuræ parte unicâ.

Comment: Lienis & ſtomachi ſedes eſt; Si pulſus intenſi ſunt ac pleni, membra illa ex cibis læſa eſſe oſtenditur. Imperator quare, inquit, Spirituum os ſolum habet dominium in quinque membra corporis humani? Kipeús reſpondet: Stomachus liquidorum & ſolidorum alimentorum eſt mare, & ſex inteſtinorum magna origo. Quinque ſapores alimentorum, quæ per os recipiuntur, in ſtomacho duntaxat reconduntur, ut alant quinque Spiritus. Spirituum os manifeſtat viam magni humidi radicalis, ſeu etiam lienem. Quinque membrorum & ſex inteſtinorum Spiritus & ſapores oriuntur à ſtomacho, & alterantur, & alterati apparent in hoc pulſuum loco *ki keu* dicto.

Giu, im & *ki keu* in collo utrinque percipiuntur, videnturque cœli & terræ mutuam inter ſe conſpirationem vel unionem imitari: Denique ſunt pulſuum aut incipientium aut terminantium portæ.

9. Textus, *tai chum*: id eſt, magna penetratio. Duo ſic dicta pulſuum loca in duobus pedibus poſt pollicis averticulum, intervallo duarum menſurarum digitalium, in ipſo plantæ pedis medio; Pulſus qui ibi incidunt ipſi ſunt.

Comment: Aliqui volunt, ſpatium illud habere duntaxat intervallum unius menſuræ digitalis menſuram & mediæ.

Ex hoc pulſu cognoſcitur via, quæ defectuoſum humidum ra-

dum radicale ab hepatis membro ducit ad pedes, & ubi horum locorum pulſum exploras, conjicere certò potes, hominem, ſiquidem pulſus perſeverat, omnino vivere; Si verò ceſſat, proximè abeſſe à morte, idcircò dicuntur iſta loca vitæ & mortis januæ.

10. Textus: *tai ki*: id eſt, mâgna lacuna. Sic dicuntur bina loca pulſuum; Reperiuntur ad latus pedum ſupra os calcanei.

Comment: Diminuti humidi radicalis à renibus ad pedes oſtendunt viam; Mares quidem in pede ſiniſtro, Fœminæ verò in dextro dicta loca pulſuum habent. Et quia ſicut renum, ita etiam vitæ portæ idem eſt pulſus, ideo mortis ac vitæ hîc dantur indicia. Æger proinde, ſi pulſum in illo loco pro ratione ſui morbi habeat, vivere adhuc cognoſcitur; Verùm ſi penitus illo pulſu careat, mortuum eſſe indicat: Ideo pulſus hi appellantur portæ vitæ.

11. *Chum yam*: id eſt, caloris primigenii viæ, ſe mutuò penetrantes; Dicuntur etiam *hocy juuen*, id eſt, coacervationum fontes, ſuntque in pedum ſuperficie quinque menſurarum digitalium intervallo inter oſſa, ubi pulſus pericipitur, ſurſum verſus procedendo, non in ipſo quidem flexu ſeu cavo ſinu, ſed tribus ab hoc digiti menſuris.

Comment: Caloris prim. puri ſeu ſtomachi via eſt. Homo ſpiritus accipit ab Alimentis, alimenta demittuntur in ſtomachum, ſtomachus ad quinque membra & inteſtina vapores ſeu ſpiritus diffundit, ij autem, qui puriores ſunt, in ſanguinem reſolvuntur, nam ſpiritus (humidi) groſſiores digeri neceſſe eſt. Proinde purius, quod dicitur *ym*, intra venas inſinuat ſeſe, fitque ſanguis; Quod verò extra venas fertur, dicitur *qûey*, ſuntque calidi ſpiritus, qui extra & intra venas hûc atque illûc meant. Per ſanguinem & ſpiritus humidum radicale & calor prim. veluti per ſua vehicula ad omnes corporis partes & intimos quosque receſſus in orbem ad inſtar cir-

ſtar circuli circumferuntur, penetrantque ſe mutuò, ac penitus miſcentur.

Cùm autem ſtomachus ſit liquidorum & ſolidorum alimentorum mare, & conſequenter omnibus ſpiritibus materiam ſuppeditet, dominatur per diverſas ſuas qualitates & recens exortas affectiones, quatuor anni temporibus, adeoque ſpirituum pulſus iisdem temporibus percipi debent.

Atque iſti ſpiritus ſtomachi fundamentum ſunt, ac ſemen aliorum omnium, quia non ſolùm morbos, quatuor anni temporibus graſſari ſolitos alterant, ſed etiam vitæ ac mortis præcipuæ ſunt cauſæ: quare cujuslibet ægroti convenit etiam locorum *Chum yam* explorare duos pulſus, & exquirere diligenter, an ſtomachi ſpiritus contineant nec ne, atque inde de vitâ ac morte ſtatuere.

12. Text: *Fum fu:* Id eſt, ventorum civitas, & alio nomine *Xeᵛ puèn* dicitur, id eſt, linguæ radix. Eſt in occipitis parte infimâ, ubi capilli terminant, à quibus intervallo unius menſuræ digitalis ſurſum tentando pulſus percipitur.

Comment: Magnorum nervorum caro declinans in illa loca malignæ febris tempore, relatos pulſus ſolet efficere, & ab hoc loco capitis jam memorato pullulare.

Hujus prædictorum paradigmatis Sinici figuram vide in Tab. Appendicis primâ, n. 1.

MOdò operæ pretium erit inquirere, ſintné ex his, quas retulimus cavitatibus aliquæ, quæ 12. originum vias 12. & congenitas iisdem qualitates elementares queant indicare.

Etenim primus locus ex ſuprà numeratis & pulſus poſt aures in illo repertus ſolùm manuum diminuti caloris prim: viam indicat, ſive tertiæ corporis partis viam.

Loca dicta tres partes corporis numerant illi quidem, ſed non declarant earundem pulſus.

Tertius

Tertius locus manuum puri caloris ſe inteſtinorum magnorum viam prodit.

Quartus & quintus locus nullam viam denotare videntur.

Sextus locus *quān yuên* ſeu limitis origo per viam pedum diminuti humidi radicalis ad renes originem ducit.

Septimus locus ſiniſtræ manus hepar & fel indicat.

Octavus locus, manus dextræ, lienis & ſtomachi viam indicat.

Nonus locus pedum defectuoſi humidi rad. ſeu hepatis viam indicat.

Decimus locus pedum diminuti humidi rad. ſeu renum viam deſignat.

Undecimus, caloris primig. puri, id eſt, ſtomachi viam prodit.

Locus denique *fum̄ fú* ad ſtatum pulmonum aliquantum cognoſcendum conducit.

Sed quoniam ex hâc inductione patet, ex enumeratis pulſuum locis, ſi nihil præterea afferatur, non omnes vias viarumque origines aperiri; rurſum neceſſe erit inveſtigare alia pulſuum loca, ut his cognitis duodecim viarum elementares qualitates, duodecim iterum origines, ſex inquam membra, & ſex inteſtina, & ſingulorum ſtatus atque affectiones regulariter ac certè deprehendi queant.

CAPUT SEPTIMUM.

An præter dicta pulſuum loca, alia in tribus corporis partibus reperiantur, idonea ad explorandas duodecim vias & harum qualitates?

CUm ex tribus partibus totum corpus humanum Sinenſes conſtituant, (ex capite præcedenti & ſecundo item per tranſennam vidimus) iterum ſingulas corporis partes hoc modo explicant.

 Textus:

Textus: Tres corporis partes omnium liquidorum & ſolidorum regia ſunt via, ſunt item ſpirituum principia ac fines.

Kipeús ait: Tres partes corporis paſſionum in homine & temperamentorum ſunt origo. Spiritus naſcuntur ex vaporum, quos ſtomachus congregat, materiâ; Vapores verò prodeunt ex aqueâ qualitate, quæ reſidet in cavitatibus, in quibus etiam fines ac principia deſumunt.

Textus: *Xám ciāo*, id eſt, ſuprema ſeu prima pars corporis infra cor & pectus, conſtituitur ſupra orificium ſtomachi, dominatur interioribus & non iis, quæ egeruntur. Ejus præcipua ſedes eſt pectoris meditullium infra locum *ỹo tâm*, id eſt, gemmarum aulam, dictum, unius digitalis menſuræ & ſex partium intervallo. Planè autem, ubi papillæ interiùs incidunt, pars dicta corporis terminatur.

Chúm c'iáo: id eſt, media ſeu ſecunda pars corporis, ſedem habet in eâ cavitate ſtomachi, quæ nec ſuprema eſt nec infima, dominatur carnibus & alimentis. Ad latus umbilici utrinque ſtatuitur.

Hia ciao: id eſt, infima ſeu tertia pars corporis; Eſt ab umbilico deſcendendo ad ureterum ſupremum orificium. Dominatur loco, ubi purum à fæculento ſecernitur, uti etiam in ea, quæ egeruntur. Sedes illius eſt infra umbilicum unicâ digiti menſurâ: Habet etiam aulam, quæ eſt ſpirituum radix & vita. Et cùm ſpiritus calidi motu ſuo permiſceant ſeſe, omnibus & interiùs atque exteriùs adhæreſcant, motus ille vocatur inſinuatio ſpirituum.

Comment: Supremæ partis corporis ſedes eſt in pectoris meditullio, quod ex textu patet. Mediæ partis ſedes eſt in umbilici latere. Umbilicus duo habet latera, quodlibet verò latus unius menſuræ digitalis habet locum, ubi extremum ventris pubes operit, ad intervallum duarum menſurarum digitalium. In eo loco humidi radicalis & caloris prim: pulſus exi-

ſus exiſtit, nec non à pedibus lucidi & puri caloris prim: ſeu ſtomachi via.

Stomachus quos accipit cibos digerit excoquitque, & in vapores primùm, deinde in ſpiritus convertit, qui orſi à tertiâ parte corporis deferuntur ad vias duodecim, & ad ſemitas ſeu calles anguſtiores, tendunt etiam ſurſum & deorſum, ſeu hi ſpiritus quaſi impetu acti ſui caloris cavitates liquidorum aliosque vegetant, & ſanguinem permeant commoventque. Hujus autem motus, quem Spiritus efficiunt, eſt ab infimæ ſeu tertiæ partis loco. Et quamvis originales ſpiritus accipiant aliunde materiam, ex quâ immediatè procreantur; quia tamen ipſa illa materia ſine ſpiritibus ſtomachi eſſe non poteſt, ideo illorum radix dicitur & fundamentum. Notandum verò diligenter, ſpirituum aulam & viam eſſe in tertiâ parte corporis, ubi ſpirituum motus incipit, ac per illum motum omnes originales ſpiritus permeant; Unde fit, ut dicatur duodecim quoque viarum radix, & omnium quoque (quæ aliis ſpiritibus inſident) viarum atrium ac domicilium.

Vide paradigma capitis præcedentis.

Quemadmodum igitur in hoc univerſo tria conſtituunt longè præcipua *Sān cāi* dicta, ſeu tres excellentias ſubſtantiales longè præcipuas: Suprà videlicet cœlum, infra terram, in medio autem ipſum hominem, qui cœli terræque ſit particeps: Ita corpus ipſum hominis in tres partes & quaſi regiones dividunt: Supremam, quæ pertingat à capite usque ad orificium ventriculi, & contineat pulmonem & pectus, ſeu quidquid eſt ſupra diaphragma, cor item & pericardium, ſeu, uti vocant, involucrum cordis: Mediam verò, quæ pertingit ad umbilicum, complectatur diaphragma, ſtomachum ſeu ventriculum, & quicquid eum ambit, lienem, item hepar & fel: Infimam denique, quæ propè ab umbilico ad pedes usque decurrit, includitque renes, veſicam, ureteres, inteſtina & gracilia. Aliter etiam dictas tres regiones ſed per Metaphoram explicant.

explicant, ſic, ut in ſupremâ conſtituant velut varias quasdam nebulas, in mediâ pluviam, in imâ lacum & ſtagna, quæ ex dictâ pluviâ confluxerint.

Porrò tribus hujuscemodi regionibus humani corporis eodem prorſus ordine ternos manûs utriusque pulſus reſpondere contendunt; Atque ita primo & ſupremo pulſui (quem etiam cœli nomine ſignificant, quod ſupremæ corporis regioni reſpondeat) dominari calorem primigenium, qui adeo pulſus naturâ ſuâ ſit exundans, ſupernatans, magnus; Tertio ſeu infimo pulſui (quem terræ nomine, ſignificant, quòd infimæ corporis regioni reſpondeat) dominari humidum radicale, eâque de causâ profundum eſſe, & comparatione quidem pulſus medii ac ſupremi eſſe radicis inſtar, quæ cum trunco, ramisque & foliis arboris comparetur. Infimum hunc pulſum robuſtiorem volunt eſſe in fæminis, propterea, quod in eis prædominetur humidum radicale & ſanguis, ſupremum verò pulſum ſeu primæ regionis in eodem ſexu debiliorem eſſe, contrarium verò Maribus accidere. Jam verò pulſus medius (quem hominis nomine ſignificant, qui medius cùm ſit cœlum inter & terram, mediæ item corporis regioni reſpondet) neque exundans eſt, neque profundus, ſed remiſſus, inquiunt, id eſt, temperatus, ac verè medius, ut qui pari cum portione fiat particeps tam caloris, qui verſus primum locum effert ſeſe, quàm humidi radicalis, quod ſuopte quaſi pondere ad terram infimumque locum deſcendit: Item limes dicitur, ut qui duo, quæ diximus, extrema limitet medius, non ſecus ac truncus arboris radicem ejusdem & ramos.

Nec obſervant tantùm pulſuum ordinem jam dictum, ſed horum ſingulos tripliciter item explorant, atque ita ad cujusque ſuperficiem applicant primò digitum, ſic ut cutem leviter ſtringant duntaxat; Ad medium verò dum exploraturi procedunt, arteriam digitis utcunque deprimunt. Infimam denique ejusdem pulſus regionem & quaſi fundum ſeu radicem explo-

exploraturi ad nervos ipſos & oſſa validiore contactu pertingunt, atque hoc modo conjiciunt, an idem pulſus ubique ſibi conſtet, & conſequenter, an morbus tantummodo ſuperficialis ſit, aut ab extrinſeco adveniens, an contrà, occupatis jam interioribus, radicem fixerit. Unde ſi fundum aut radicem exploraturi pulſum abeſſe comperiunt, fidenter pronunciant, actum eſſe de vitâ, quia (inquiunt) pulſus caret radice. Et quoniam denique membrorum alia collocata ſunt ad ſiniſtram partem humani corporis, ad dextram partem alia; Idcirco etiam docent, hæc quidem membra pertinere ad ternos pulſus manus dextræ, illa verò ad pulſus ſiniſtræ.

Tab. III. Append. n. I.

Porrò pulſus iſtarum novem partium, quas continent ſcilicet tres magnæ regiones corporis, quomodo reperiantur, & quomodo ex pulſibus conſtitutio & qualitates cognoſci debeant, infrà explicabimus, adjecto etiam ſchemate à Sinenſibus Medicis deſcripto. Nunc brevibus:

Collige 1. Quæcunque pulſuum loca invenientur in corpore humano ad cognoſcendam ſanitatem aut morbos, vitam aut mortem, neceſſe eſt iis earum trium regionum corporis temperamenta & congenitam conſtitutionem & advenientes ſeu ſubinde irrepentes indicari.

Collige 2. Quòd cujuslibet magnæ regionis ternis partibus ſit pulſus ſupernatans (qui eſt à calore primig.) medius & profundus (qui eſt in humido radicali) ſive (quod idem eſt) novem partium ſingulæ ſuos omnino habent pulſus.

Collige 3. Indiciorum ſeu ſignorum exteriorum novem illis partibus annexorum habitus & affectiones ex pulſibus illis debere manifeſtari in ternis partibus pulſuum *ſeu* ſupernatantem &c. ut ſuprà dictum eſt.

Collige 4. Cùm *iam* & *in* calor primig. & humidum rad. in novem memoratas inſinuent ſeſe partes, neceſſe eſt, ex ſimi-

ex ſimilibus partibus pulſuum aliarum partium conſtitutionem dignoſcere, & in omnium partium pulſu ſingularum conſtitutionem relucere. Ratio eſt, quia quælibet non ſolùm ſuam ipſius conſtitutionem manifeſtat, ſed etiam, quomodo ſe cum aliis pulſibus habeat, cum quibus ſympathiam ſeu unionem quandam habet. Ratio ulterior eſt, quia viæ inter ſe certo quodam modo penetrantur ac permiſcentur, ex eâ quæ eſt propria ſolùm humido radic. ei, quæ ſoli calori primig. eſt deſtinata, & alteri, quæ de utroque æquam portionem accipit. Rurſus hæc duabus præcedentibus & media utriusque viæ illi, quam primo loco attuli, & ultimæ, atque ita pulſus, qui v. gr. viæ cordis dicitur, non ſolùm ſuam cordis viam, ſed & hepatis & veſicæ, & pulmonum & ſtomachi vias, & quæ his annexa ſunt, unà cum ſingularum diſpoſitionibus per indicem quaſi ſecundarium manifeſtat: Et ſic de reliquis diſcurre. Nam tres partes, cœlum, homo terra ſic dictæ itidem ſe mutuò continent, pars enim cœlum vocata partibus cœlo terrâ & homine conſtat, & pars, quæ terra dicitur, iterum ex cœlo homine & terrâ eſt, & pars, quæ homo appellatur, iterum ex cœlo homine & terrâ conſurgit. Similiter pars, quæ viam humidi radic. habet, illa eadem à viis, quæ partim humidum radic. partim calorem primig. æqualiter continent, & à viis, quæ tantùm calorem primigenium habent, penetrantur, & pars quæ habet viam caloris primig., illa eadem à viis, quæ ſolùm humidum radic., & ab aliis viis, quæ æqualiter humidum radic. & calorem primig. participant, permiſcetur. Ad extremum pars, quæ viam partim humidum radic. partim calorem primig. æqualiter habentem continet, illa eadem à viâ, quæ calorem primig. tantùm, & ab aliâ viâ, qûæ humidum radic. tantùm continet, informatur. Quare pulſus reperti debebunt non ſolùm ſingulas vias 12. ſinguli ſingulas, ſed ſinguli pulſus vias, & omnes pulſus ſingulas vias, ſimili quoque ratione originis, & quæ ex illis conſtituuntur, ſex vitæ fontes

in ſuâ

in ſuâ conſtitutione indicare. Sic, v. g. pulſus loci, qui viæ cordis dicitur, non ſolùm ſuam cordis viam, verùm & hepatis, & veſicæ, & pulmonum, & ſtomachi, & quæ his connexa ſunt, ſtatum & diſpoſitionem indicent neceſſe eſt; Pulſus deinde, qui loco viæ hepatis aſſignatur, non ſolùm hepatis viæ conſtitutionem, ſed etiam cordis & veſicæ, & ſtomachi, & pulmonum, & portæ vitæ indicat. Et ſic de reliquis diſcurre. Horum verò omnium hæc eſt cauſa, quòd vita & ſanitas ſit quid totum integrum, unde non magis de vitâ una pars corporis, licèt diverſimode, aut unum membrum participat, quàm ſingula reliqua, eò quòd ad ſingularium partium corporis vitam ac ſanitatem omnia membra & inteſtina, ſex, inquam, vitæ fontes concurrant, & per vias duodecim in ſanguine & Spiritibus humidum radic. & calorem primig. devehentibus ſe ipſa communicent.

Cùm igitur vita ſit bonum integrum, non poteſt eſſe vita, niſi ex cauſis integris, & quia malum ex ſingulis defectibus, hinc ex minimo defectu unius membri vel partis alterari vitam ac ſanitatem labefactari facile eſt, adeoque lædi etiam omnia & ſingula membra & inteſtina, à quibus eſt vita. Quomodo autem in uno pulſu, qui unius membri viam indicat, aliæ quoque viæ, ſeu, quomodo in uno pulſu unius partis corporis aliæ partes corporis ſe manifeſtent & diſcernantur, infrà docebimus.

Colligitur interim viarum duodecim pulſus potiſſimùm in manibus manifeſtari, in quibus adeò videtur abſolutè coacervatio eſſe & quaſi concurſus pulſuum. Nam mediæ regionis corporis ſuprema minor pars in dextrâ manu per pulſum magni humidi radic. viam ſeu pulmones denotat, & mediæ regionis minor media pars in ſiniſtrâ per viam diminuti humidi radic: hepar manifeſtat; Ideò vocatur abſolutè coacervationem potiſſimùm eſſe in manibus. Et licèt in pedibus reperiri modò docuerimus membrorum & inteſtinorum vias,

attamen, quia ibi nec omnium nec principalium viarum pulsus sedem habent, potiusque in manibus investigandæ sunt illæ, quàm in pedibus. Hoc autem consequemur, si modò observaverimus, ubinam sint coäcervationes sive concursus in corpore humano, ossium, medullarum, nervorum, membrorum & intestinorum, spirituum, & denique venarum pulsuumque; Nam si hic pulsuum ultimus concursus in manibus reperiatur, manuum sanè loca ad duodecim vias explorandas idonea esse, determinare oportebit.

CAPUT OCTAVUM.

Quæritur, ubi reperiantur potissimùm scaturigines rerum, ex quibus constat corpus humanum, & an in harum singulis possint pulsus haberi, ad deprehendendum 12. vias, an verò solùm in concursu venarum pulsus existant ejusmodi, & an alibi quàm in manibus existant?

CORpus humanum constare ossibus, medullis, nervis, carne, pelle, sanguine, pulsibus, spiritibus, membris demum ac intestinis, certum est; quare ossium, medullarum, nervorum &c. necesse est scire loca, ac horum cognata reperire. Primùm quidem per Sinenses renes ponuntur loco primo, deinde cor, postea hepar, tunc pulmones, mox lien, exercere verò dicunt suos actus sexto loco renes. Porrò, uti primo loco nascuntur renes, ita omnium primò exercere incipiunt actus suos, deinde cor, tertio loco hepar, postea pulmones, ad extremum lien. Hæc verò membra, uti etiam, quæ membris adnascuntur, intestina, videlicet ureteres, parva intestina, folliculus fellis, magna intestina & stomachus, ac reliqua habent suas congeries & loca illa, prout in tabula III. infrà positâ videre est.

Sic igi-

Sic igitur in loco dicto, *tá caú* (quod significat magnum reconditorium) intestinorum est scaturigo.

Loco dicto *kí, hŭ*, quod significat quatuor anni temporum constantem qualitatum unionem, membrorum sex scaturigo est. Porrò, cùm cor non solùm sit causa faciei, humerorum, sed palmarum, manus, item linguæ atque sanguinis, congeries sanguinis est in loco *kĕ yú* quod significat diaphragmatis locum.

Pulmones etiam, quia non solùm sunt narium, labiorum, pellis, capillorum; ac unguium causa, sed etiam Spirituum, congeries ipsorum Spirituum est in loco *sān ciāo*, id est, trium partium corporis.

Jam hepar, quia non solùm est oculorum, sed etiam nervorum origo, ideò nervorum scaturigo est in loco *jâm lîm ciûen*, quod significat caloris latebram & fontem.

Renes non solùm sunt dentium, aurium, sed etiam ossium causa. Scaturigo ossium est in loco *ta ín*, quod significat magnam elevationem. Iidem renes sunt causa etiam medullarum in ossibus. Locus, in quo est scaturigo medullarum, vocatur *ciúe kŏ* quod significat interruptionem ossium.

Restat venarum & pulsuum congeries & scaturigo, quam nullibi esse Sinenses ajunt, nisi in ipsis manibus, vocant locum *tá quên*, quod significat magnæ profunditatis abyssum, & cùm de causâ principali venarum & scaturiginis earum nullum membrum, nullum intestinum singulare scaturiginis causam esse docent, intelligi volunt, omnia ac singula membra ac intestina concurrere, & esse causam quadantenus singularum venarum scaturiginis.

Cùm enim non paucæ viæ ad dictum locum scaturiginis venarum à suis originibus (quæ sunt membra & intestina) manantes confluant, & sanguis & spiritus decurrentes per venas sibique congenitas qualitates Elementares, & per has constitutio-

cutionem tàm viarum quàm ſex vitæ fontium explicent, motu ſuo pulſum efficiant, pulſuum ſanè locus nusquam aptior inveniri aut deligi potuit ac debuit, quàm in venarum concurſu; nam ibidem quoque eſt pulſuum concurſus.

Quocirca, cùm hic locus ſit in manibus, manuum loci idonei videntur eſſe pulſuum, ad inveſtigandas duodecim vias, & congenitas his Elementares qualitates, origines quoque, à quibus profluunt membra ac inteſtina. Vide tab. III. n. II. III.

CAPUT NONUM.

Cur in manu ſiniſtrâ, in quâ ſcaturigo venarum inventa eſt, pulſus ſint explorandi? Item: An ſola manus ſiniſtra ſufficiat? An venarum etiam pulſus ſint explorandi in dextrâ?

NOn ſolùm in ſiniſtrâ manu, ſed etiam in dextrâ pulſus inveniri, experientiâ conſtat. Sinenſes, (uti ſuprà oſtendimus) cùm rerum, ex quibus corpus conſtat, quærerent ſcaturigines, in manibus venarum ſcaturiginem eſſe dixerunt, eandemque etiam ſcaturiginem pulſuum eſſe ſtatuerunt.

Cæterùm in dextrâ manu locum *ki keù*, os ſpirituum dictum, pulſus habere etiam ajunt. Cùm enim hic pulſus à ſpirituum decurrentium motu potiſſimùm fiat, in dextrâ quoque manu pulſuum coacervationem eſſe, ſibi perſuaſerunt, ac proinde utriusque manus loca pulſuum nobiliſſima & eorum concurſus apparere omninò aſſeverant, & horum ſufficientem eſſe cauſam, cur non ſolùm in ſiniſtrâ, ſed etiam in dextrâ, pulſus ſint explorandi, quia nimirum in ſiniſtrâ manu venarum eſt ſcaturigo, in venis verò motus à ſanguine & Spiritibus procedentes pulſum cauſantur.

Porrò

Porrò, in dexteræ manus loco *ki keu* dicto, quòd pulsuum congeries etiam reperitur, vel ex eo probant, quòd ibi sit maxima vis & copia Spirituum, à quibus utique extra & intra venas in sanguine decurrentibus motum effici necesse est, & ab hoc motu pulsum; Proinde utramque manum ad pulsus explorandos magno usui esse dicunt, siquidem hæc & illa manus causam adæquatam pulsuum habet. Sinistra quidem sanguinem decurrentem in venis, in quibus reconditur scilicet, & nunquam in vivo corpore sine spiritibus est: Dextra verò copiam spirituum, qui, quia cum sanguine decurrunt, sine sanguine esse non possunt, ideoque, cùm sanguis & spiritus causa sint motus, & motus pulsuum, qui tam in dextrâ quàm in sinistrâ reperiuntur, pulsus explorari posse ac debere in utriusque manus loco asseverant.

Adde, membra hominis & intestina alia esse sinistra, alia dextra, viæ proinde ab illis decurrentes aliæ sunt ad dexteram, aliæ ad sinistram, ut suprà retulimus. Ut igitur status illarum & congenitarum illis elementarium qualitatum percipi possit, sequi oportere, tàm in sinistrâ pro membris ac intestinis sinistris, quàm in dextra pro dextris explorandos pulsus.

Ad extremum, quòd in manibus pulsus sit exquirendus, ratio potissima est, quia omnis illa circumvolutio sanguinis ac Spirituum (qui humidum radicale & calorem primig:, unde vita resultat, devehunt) in manibus potissimùm terminantur, complenturque, & ab illis iterum fluxum suum circularem ordiuntur. Cùm igitur vitæ principium primò, ac vitæ finis ultimò se prodat in manibus, non alibi pulsus explorandos esse, certò concludunt. Esto se prodant etiam in pedibus.

Sed quomodo in corpore humano circuitus viarum duodecim, & in illis revolutio sanguinis & spirituum, humidum radicale & calorem primig: devehentium, ad manus terminetur, & ab his ipsis incipiat, & sic circuitus ex pulsibus manuum à Sinensibus sit deprehensus, & à quolibet deprehendi possit, necesse est explicare.

Figura

Figura & motus circularis non aliâ in re clariùs apparet, quàm in cœlorum orbibus, quorum circumvolutio, quòd ab hominibus usu ipso & diuturnâ observatione compertum fuerit, æternus esse creditus est. An verò ab æterno existere potuerit cum generatione vel rebus generatis, in Scholis disputatur, & à plerisque Thomistis affirmatur. Orbem cœlorum spatio viginti quatuor horarum revolvi, & singulis annis circuitum non solùm Solis, sed reliquorum etiam Planetarum observare, hujusmodi æternum à DEO posse creari, nonnulli asserunt. Ethnici verò nonnulli, Duce Aristotele, de facto fuisse ab æterno, contendunt. Perpetuum motum doctissimi quique Philosophorum ac Mathematicorum hâc nostrâ & superiori ætate alii inventum esse, alii verò inveniri posse, alii & hoc & illud, ac meritò sanè negant.

Cæterùm si dari potest perpetuus motus, profectò dicendum est, hunc in orbibus cœlestibus imprimis, tùm verò in vitâ corporum humanorum, & ex artificialibus rebus in horologiis aut instrumentis, quæ motum illorum habeant ut in variis subjectis, dari posse. Neque enim facilior & aptior alia figura pro æterno motu fingi potest, quàm circularis, & verò describit, hunc præsens cœlorum motus, vita etiam humana, nec non sua horologia rotata artis miræ opus & mirabiles effectus solertiæ humanæ imitantur.

Summæ artis fuit, quendam Pictorem sine errore circulum absque centro descripsisse perfectissimum. Summæ artis & illud, alium itidem Pictorem circuli centrum abolitum uno ictu ostendisse; Quin & eò processum humanâ industriâ, ut horologia fabricata sint, quæ sub formis canum, Leonum, hominum Personarum ad horas aliquot deambularent ac circumirent: Ut organa, quæ nullo pulsante sponte personarent ad numeros, feliciter arte effinxerint.

Apparuit nuper in Poloniâ horologium, quod non solùm Lunæ defectus & Planetarum oppositiones, conjunctiones, quadra-

quadratos, ſextiles, & trinos aſpectus (quale eſt in Pragenſi & alibi) reliquosque motus menſtruos, item & annuos manifeſtare potuerit; Sed quod maximè mirabamur fuit, quod unicâ rotarum circumactione aſtrorum, ſex menſium, tam horarum quàm dierum ſingulorum, nec non etiam lunaris curſus circuitum pulcherrimè deſcribebat. Vivere diceres ad medium annum. Sed anne fieri poſſet aliud, quod integro anno ſimilem motum exhibeat, omnino poſſe exiſtimo; Imo alium fortaſſe labentibus annis fore, qui ad duos & plures annos ejuscemodi inſtrumentum circularium motuum in lucem producat, non abſurdum fuerit credere. Potuit igitur ſolers hominum indagatio exteriorum & circularium conferre inſtrumentis vitâ carentibus, idque per adeo longum tempus, ut etiam medii anni. Verùm enim verò, Sapientiſſimus rerum omnium Artifex Deus cœlorum orbibus vaſtiſſimis per adeo vaſtum ſpatium à tot annorum millibus circularem motum impreſſit, quia imò viventia etiam quaſi horologia in hoc ſublunari conſtituit, quibus alias atque alias ſtatas periodos annorum & ætates præſcripſit, corpora, inquam, animantium, & imprimis ipſorum hominum, quæ ſicut vitæ principia habere, ita & ejusdem vitæ curſum traducere, & finem denique hic obtinere voluit, ſic tamen, ut eidem homini contulerit æternam vitam in paradiſo per uſum & eſum admirabilis fructus, quem dabat, ligni vitæ, quo quidem fructu irrepente in corpus diuturnitate, ut fit, temporum vitia (quaſi rubigo quædam vitalium rotarum) detegebantur. Neque contentus hâc planè divinâ liberalitate, eandem in cœlo longè perfectiſſimam ac bonis omnibus cumulatam vitam promiſerit, ſi modò, quod eſt æquiſſimum, ſui Creatoris ſanctiſſimæ voluntati obſequeretur. Cùm igitur vitæ noſtræ ſit maximè conſentaneus motus circularis (quod quippe quò maximè conferatur) motum circularem in viventibus, ac potiſſimùm in homine, maximè regularem eſſe, credamus neceſſe eſt.

Porrò Sinenses vitam humanam non solùm motibus cœlorum mensurari, verùm etiam iisdem esse quàm simillimam, crebrò inculcant. Et nos quidem Europæi annuos motus circulares vitæ nostræ numeramus. At verò Sinæ & annuos, & menstruos, & diuturnos etiam motus circulares jam inde ab ipso propè diluvio in corpore humano detexerunt.

Sed quâ tandem ratione hoc deprehenderint, nos secuti illorum doctrinam, initium circularis motus diurni, qui vitæ nostræ inest, locum etiam, à quo incipit, & in quo desinit, modò ostendemus; Deinde verò menstruum circulum vitæ, ad extremum etiam annum, DEO favente, explicare conabimur.

Supponunt Sinenses, circuli (quemcunque circino describas) centrum in plano & in superficiei planæ aliquo puncto principium orbis facere, tum verò flexu suo obliquo perpetui orbis finem conjungere, sicque in diem, à quo cœperat, punctum coïre, atque si motus cœptus & perfectus duret in illo ipso plano, iterum unde cœpit redire, & consequenter alios atque alios motus circulares efficere & prosequi. Eodem planè modo in corpore humano evenire, constanter ajunt. Vita, inquiunt, tum procul dubio principium accipit, cùm fœtus animatur, sed aliorum longior, aliorum brevior vitæ periodus, eò, quòd vitalis circulus vitæ longævæ ampliorem, brevis autem vitæ angustiorem circumferentiam nactus fuerit. Hôc vero circulô contineri alios circulos vitales, & his rursum alios insertos esse volunt, non aliter, quàm orbis constat annuis, & lunaribus seu menstruis circulis & diurnis. Quòd si vitæ circulus incepit, etiam locum habere debet, à quo incepit, & ad quem cursu suo defluit ac terminat, cursum suum denuo exorsurus, uti cœlorum orbes ab ortu cœpti circumaguntur, donec ab eodem ortu iterum incipiant.

Sed quodnam est, inferimus, centrum in corpore humano hujus circuli vitalis? Ajunt Sinenses, esse mediam re-

gionem

gionem corporis humani. Circumferentia autem quæ? Caput inquiunt, & pedes & manus. Sed si in medio quasi puncto corporis humani pedem circuli defixeris, altero circumducto, perfectissimè circulum ad distantiam pedum, capitis & manuum describit. Quare cùm vita in toto hoc spatio & ambitu ex ipso motu partium, quæ circumferentiam attingunt, existat, necessariò ex motu partium circumferentiam circularem attingit & describit. Ostenso proinde centro & peripheriâ circuli ostendendũ est, quomodo per eundem à centro & circa centrum assignantur duodecim viæ, & per illas sanguis & spiritus, & in illis tanquam in propriis vehiculis humidum radicale & calor primigenius, seu vita ex illis resultans feratur, seu quomodo tandem, iste fluxus vitæ à centro ad circumferentiam veniat, & ex quo loco motus in hâc rotâ vitali initium ducat, & vitæ cursum consumat.

Sed audiamus Sinenses ipsos.

Textus: Homo recipit Spiritus à cibis, cibi recipiuntur in stomachum, & suas virtutes communicant quinque membris & sex intestinis: Omnia enim quæ sunt in corpore, recipiunt Spiritus, qui ex ciborum materiâ nascuntur; Nam id, quod est subtile, est *qûm*, humidus, inquam sanguis purissimus, imbutus humido radicali, intra venas serpens; Id quod est grossum, & nec dum bene digestum, est *quêi* sive spirituum calidorum quasi congeries, calido primigenio imbutorum, intra & extra venas meantium, & sanguinem commoventium, quippe hæc duo *qûm* & *queî* totum corpus penetrant & circumeunt rotæ instar aut circuli, qui sine interruptione circumagitur. Nota: quòd spiritus calidi subjiciantur calori primigenio, & sanguis venarum humido radicali, quæ duo inter se permixta ac penetrata motum in corpore humano circularem spatio viginti quatuor horarum perficiunt. Nam quo temporis spatio 50. domus cœlorum circumaguntur ex Sinarum sententiâ, eodem ipso Spiritus & sanguis, qui

cursum suum exorsi sunt à pulmonum viâ, diei præteritæ tempore matutino (horâ tertiâ & quartâ Europæâ, nam hora quælibet Sinica duas Europæas complectitur) per diem integram & noctem integram ad eandem horam matutinam fluunt refluuntque, & ibidem cursum integrum complent, planè in ipso illo loco, in quo reperta est maxima congeries Spirituum, quæ os Spirituum vocatur, & in quo apparent calor primigen. & humidum radic. invicem sibi unita, & unde hæc ipsa iterum in sanguine & Spiritibus incipiunt fluere & refluere, & perpetuos orbes agere, vitamque in illis deferre.

Textus: Duodecim viarum pulsûs & quindecim *Lŏ* (sunt pulsus venarum ad latera duodecim viarum rivulorum instar manantes) venarum pulsûs quo tandem in loco ducunt initium, & in quo finiunt? In duodecim viis pulsuum decurrunt sanguis & Spiritus, penetrant ac penetrantur ab humido radicali & calore primigenio, ut virigent, foveant, servent ac vivere faciant totum corpus humanum: Illorum (sanguinis videlicet & spirituum) origo est in medio seu meditullio mediæ regionis corporis (quod supra centrum circuli vitalis esse diximus) inde verò communicati manuum magni humidi radicalis viæ ab illâ motum ordiuntur, & præcedunt ad manuum lucidi seu puri caloris primig. viam, ab hâc verò ad pedum caloris primig. puri & lucidi viam, & ab hâc ad pedum magni humidi radicalis viam, à quâ postea motum continuant ad manuum diminuti humidi radicalis viam, & ab illâ ad manuum magni caloris primigenii viam, deinde ab hâc ad pedum magni caloris viam, unde ad pedum diminuti humidi radicalis viam, à quâ eundem prosequitur motum ad manuum defectuosi humidi radic. viam, & ab illâ ad manuum diminuti caloris viam; Ad extremum ab hâc ad pedum defectuosi humidi radic. viam, ubi videlicet vitalis illa rota sanguinis & spirituum & circulus finem accipit, ac rursum volvendo redit à loco viæ manuum magni humidi radic. & sic deinceps, cursu quem memoravimus repetito.

Viarum quas diximus motus prorſus annulorum inſtar aut circulorum inter ſe mutuò inſertorum ſe pervadunt, ac ſine interruptione totum corpus circumeunt, manè verò redeunt ad locum manus dextræ, ac inde iterum fluere ac currere incipiunt. Inde eſt, ut ex hoc loco manuum, qui & os ſpirituum dicitur, de quibusvis morborum generibus & ipsâ vitâ & morte poſſit ferri ſententia.

Obſerves hîc quaſi per tranſennam, quòd cùm ſint quindecim *Iŏ* ſeu ſemitæ aut calles emergentes ad latera viarum, tribus quoque diverſis motibus & pulſibus diverſas efficiunt vias, ut infrà dicetur.

Cujuslibet diei hora matutina (*ym*) quæ eſt tertia & quarta Europæa matutina, fit motûs ac flexûs initiũ, nam in meditullio magnæ partis corporis oritur, & membro pulmonum communicatur, unde initium motus eſt à pulmone, ab hoc ad magna inteſtina: ab his verò ad ſtomachum, à ſtomacho ad lienem, hinc ad cor, inde ad parva inteſtina, ab his ad ureteres & veſicam ſeu renes, à veſicâ ſeu renibus ad involucrum cordis, hinc ad infimam ſeu tertiam regionem corporis, ab hâc ad fel, & denique ad hepar motus ſanguinis & ſpirituum decurrit, qui ibidem horâ primâ & ſecundâ noctis terminatur; Sequentis diei horâ tertiâ & quartâ matutinâ ad pulmonem curſum ſuum denuò reſumit, ac ſic per conſequentes dies & menſes & annos eum curſum proſequens, vitæ periodum ſibi conſentaneam tandem abſolvit. Cùm igitur in pulmonibus ſeu viâ pulmonum omnium viarum ſit caput ac principium, id eſt: cùm per illas ſanguis decurrit, qui rurſus ac motus ſanguis non aliunde eſt, quàm à ſpiritibus, in quos dominantur pulmones, & cùm à loco dicto curſus inſtituitur horis matutinis, & eodem quoque pulſus venarum incipiat, fit, ut in loco dexteræ manus pulſus explorandi ſint.

Textus; Cognito fine & principio facilè eſt determinare, quomodo ſe habeant humidum radic: & calor primig:. Quare hoc

re hoc dicitur? Quia videlicet finis & principium pulsuum, & præterea humidi radicalis & caloris primigenii sedes est, ex quâ rotæ instar manè incipiant moveri, & ideò diximus principium inibi esse, sed & finem verè etiam, quòd nimirum trium viarum humidi radicalis à trium viarum caloris primigenii spiritus finem habeant, ad quorum quidem finem mors consequitur. Verùm ejusmodi mortis singulæ viæ sua habent indicia, atque ideò dicimus finem habere.

Commentarius. Inest singulis rebus suus calor suumq; humidum, ideò finis & principium illorum in ipsis locis determinatis caloris & humidi reperitur. Porrò in pulsuum viis illa duo sunt præcipua vincula, & hoc in loco *ki keu* dicto, quòd ibi trium viarum humidi radicalis & trium caloris primigenii pulsus matutino tempore in dextrâ manu percipiantur, & moveri incipiant, circularique. Initium ergò ipsius motus est à spiritibus & primigenio calore, finis verò ac desitio tum pulsus, dein trium viarum humidi radicalis & trium viarum caloris primigenii. Finis autem dicitur, quia humidum radicale finem accipit.

Mortis cujuslibet indicia sunt hæc, quæ sequuntur. Primò: Vesicæ seu renum humidi radicalis diminuti, Spirituum desinentium signa sunt: dentes acuti & eminentes, carnis marcor & siccitas. Secundò, stomachi: Pedum humidi radicalis spirituum desinentium signa sunt, corporis extenuatio, & labiorum alterius ab altero in obliquum retorsio. Tertiò: Hepatis: defectuosi humidi radic: Spirituum desinentium signa sunt: Lingua in rotundam extuberans superficiem. Quartò: Pulmonum humidi radic: magni spirituum desinentium signa sunt, ariditas pellis & corporis, item capillorum ac crinium defluxus seu erectio. Quintò: Cordis diminuti humidi radic: Spirituum desinentium signa sunt: Dentes, qui nigerrimi apparent: Deinde trium viarum caloris primig: spirituum desinentium in oculis signum est obscuratio illorum, & quasi paula-

quaſi paulatim offundentes ſe tenebræ. Ad extremum, ſex viarum caloris primig: ſpirituum deſinentium ſigna ſunt in frigido ſudore, qui inſtar gemmarum apparet, nec defluit in reliquum corpus, & ſignificat propinquam exinanitionem Spirituum, denique ac Mortem. Quicunque igitur hæc indicia repereris, de certâ morte ne dubitaveris.

Colligitur ex dictis 1. Non in ſiniſtrâ manu tantùm pulſus eſſe explorandos, ubi & venarum & ſanguinis, in quibus pulſus fiunt, maxima eſt congeries, ſed etiam in manu dextrâ pulſus eſſe explorandos, ubi itidem in loco *ki këu* magna vis eſt & copia ſpirituum, qui in homine vivo in ſanguine, quem movent, decurrunt, ex quo quidem motu pulſus oriuntur. Primò verò ab hoc loco manus dextræ pulſus explorandus eſt, quia vitalis rota, ſeu ſanguinis & ſpirituum circuli (uti ſuprà dictum eſt) principium ibidem & finem habent.

Colligitur 2. Vitam in homine ſeu humidum radicale & calorem primigenium non aliter communicari cum toto corpore, quàm quòd eadem vita à centro (quod eſt in corporis mediâ regione) ad peripheriam manuum, capitis ac pedum extenſa, cujusdam rotæ inſtar miniſterio motûs ſanguinis & ſpirituum circulariter totum corpus permeantium & penetrantium decurrat ac volvatur à loco ac viâ pulmonum eundem curſum ſuum exorſa, & perfecto circulo diei naturalis, h. e. viginti quatuor horarum Europæarum eundem curſum continuando, & non ſolùm circulos diurni motus, ſed & menſtrui & annui componendo ad periodum ſeu terminum ſuis cauſis conſentaneum, aut quamvis afferat aliqua, perveniat; qui terminus Mors appellatur.

Sed quomodo Sinenſes deprehenderunt circularem motum ſanguinis ac Spirituum à pulmonibus eorumque viâ principium ducere, unde etiam, quòd pulſus manè in dexteræ manus loco principium rurſus faciat? Reſpondetur: Vitam

Vitam à ſpiratione (quæ conſtat ex introſpiratione ſeu aëris attractione & exſpiratione, hoc eſt, aëris ejectione, quæ duo græcè ſyſtole & diaſtole dicuntur) initium facere. Cùm igitur ſpirationis officina ſint pulmones, & vita, ut diximus, faciat initium à ſpiratione, quâ deſinente & ipſa deſinit, ab ipſis pulmonibus vitam incipere, & in pulmonibus iterum deſinere, ſeu à viâ pulmonum ſanguinem & Spiritus, quæ vitæ ſunt vehicula, vitæ motum circularem incipere, & ad eandem viam redire, ut ab hâc iterum repetatur, ex dictis planè conficitur.

In dextro porrò loco, qui *k'í këu* ſive ſpirituum os dicitur locus, qui locus ſine dubio terminus eſt viæ pulmonum, qui ſpirituum officina ſunt, cùm hi calore ſuo motum ac pulſum efficiant, etiam ſequitur initium motus vitæ & pulſuum, quibus ſe prodit vita, cùm in illo loco via pulmonum terminetur, & eſſe & manifeſtari.

Sed quam dices eſſe cauſam, quòd via pulmonum in dextro terminetur manus loco ? Quam item cauſam, quòd ibi ſpirituum ſit congeries vis & copia ? Quare ibi manè incipit pulſus, & quare manè ille eſt explorandus, ut rectè de ægroti judicet conſtitutione. Hæc omnia ſequente capite ubi item de menſurâ temporis motuque pulſuum & circularis vitæ agemus, plana fient.

CAPUT DECIMUM.

Cur pulſus manè potiſſimùm explorare oporteat, item, ubi & quot ſint loca pulſuum in ſingulis manibus.

TExtus : Huanti Imperator quæſtionem proponit hujusmodi : Qui pulſus explorat, quare potiſſimùm matutino tempore id debet peragi ? Reſpondet Kipeus: Quia matutino tempore humidi radic: ſpiritus necdum ſunt agitatione multâ commoti, nec caloris primig: ſpiritus

ritus ſunt diſperſi, potus item ac cibus nec dum ſunt recepti in corpus, viæ pulſuum nec dum ſunt repletæ, venarum rivuli æqualiter adhuc obſervant pulſum, ſanguis demum ac ſpiritus nondum ſunt perturbati, ideo hoc tempus præ omni alio eſt idoneum pulſibus explorandis.

Textus: Poſt palmam manus eſt os quoddam altius eminens, cui nomen limes.

Comment: Ductâ rectâ lineâ ab ungue pollicis proximè poſt juncturam & flexum, qui eſt brachium inter & manus, exſtat os aliquanto eminentius, hic ipſe brachii eſt pulſus (*quān* dictus) qui bene obſervandus eſt. Poſt palmam ſublime exſtat os, ſub quo directè loci (qui limes vocatur) pulſus percipitur.

Textus. Per ordinem (ab hoc loco) diſtingue & ordina locum *chĕ*, qui ſignificat cubitum Sinicum (& eſt multò minor Europæo,) & tria loca ſeu puncta diligenter annotabis.

Comment: Quocunque tempore pulſum explorabis, ante omnia medium digitum manus, qui eſt à pollice ordine tertius infra dicti oſſis eminentioris locum fac applices, & hoc modo reperies determinatam ſedem pulſus ejus puncti, quod *quañ* ſeu limes dicitur, per digitum indicem proximè antecedens punctum, *cuñ pú* dictum, tange, & digitus tertius, qui ſequitur medium, & eſt annularis, incidet in tertium punctum pulſus *chĕ pù* dicti.

Textus: E loco palmæ manuum dicto *iuci* usque ad os eminens (*quañ*) progrediendo, ſpatium intercedit unius articuli digitalis (*c'uñ*) medium verò illius ſpatii (quod articuli os dicitur) ab hoc puncto (*quun*) progrediendo ad cubitũ (*chĕ cĕ*) illius, quod cubiti lacunam ſignificat. Inter duo puncta ſic aſſignata medium locum ſeu punctum obtinet, qui eſt poſt *c'uñ* & ante *chĕ*, ſæpe nominatus locus *quañ*, id eſt limes, eò, quòd ibi calor primig. mediantibus ſpiritibus egrediatur verſus *c'uñ* primum locum, & humidum radic. mediante ſanguine vena-

rum regrediatur verſus *chĕ* locum tertium, unde fit, ut per locum illum tanquam per limitem terminentur triplicis caloris primig. egredientis diſtinctæ viæ, & triplicis humidi radic. regredientis totidem etiam viæ, atque ob hanc cauſam percipitur motus triplex caloris primig. & triplex humidi radicalis.

Motus quidem ſpirituum (qui ſunt à calore primig.) procedunt à loco tertio (*chĕ*) & ſecundum locum (*quañ*) ingreditur usque ad primum locum, qui dicitur *c'um̃*. Motus verò ſanguinis, qui eſt ab humido radic. manans à loco primo *c'uñ* & per locum ſecundum *quañ* progreditur usque ad locum tertium *chĕ* dictum.

Ex loco primo pulſuum, *c'um̃* dicto, cognoſcitur conſtitutio ſupremæ regionis corporis, quæ eſt à vertice ad pectus, & protenditur etiam ad pellem corporis & capillos. In ſecundo loco pulſuum cognoſcitur conſtitutio mediæ regionis corporis, quæ eſt à pectore ad umbilicum, & occupat omnia ibidem contenta. In tertio loco pulſuum percipitur conſtitutio infimæ regionis corporis, quæ eſt ab infimâ ſtomachi parte usque ad pedum plantas.

Ex his colligitur, tam in manu dextrâ quàm in ſiniſtrâ eſſe tria loca ſeu puncta, in quibus Medicus tribus item digitis pulſum debet explorare.

Colligitur ſecundò, quòd medius ſeu ſecundus locus pulſuum in dextrâ manu ibi planè eſt, ubi os ſpirituum eſt, & in manu ſiniſtrâ medius & ſecundus locus pulſuum ibi eſt, ubi venarum concurſus *ta'i quên* dictus, & alio nomine *gîn im̃* hominis obviatio appellata, ſeu caloris primig. & humidi radic. obviatio.

Quare verò hoc loco pulſuum indita ſunt nomina limitis & cubiti Sinici? Secretum aperiam. Credunt Medici Sinenſes, venarum meandros, per quos meant remeantque ſanguis & ſpiritus, ſi extendantur, & earum longitudinem aliquis velit metiri, contineri 810, (*cham̃*) ſic intelligendo, ut ſpiritus

ſpiritus ſervatâ ſemper proportione menſuram inter & ipſum corpus prout hoc majus eſt, minusvé contineat. Eſt autem *Chām* menſura Sinica, quæ ſpatium utriusque brachii bis complectitur, quæ menſura conſtat decem aliis minoribus menſuris *chĕ* dictis (quæ vox cubitum Sinicum minorem Europæo ſignificat) *chĕ* autem menſuræ decem menſuras digitales *c'uñ* dictas. Quare ſi ab digiti medii extremitate illius venarum dictam dimenſionem 810. *chām* metiri velimus, incipiendo à menſurâ primâ *cham*, mox eæ, quas continet, menſuræ minores occurrent, *chĕ* videlicet & *c'un'*. Unde ſequitur, quòd prima *chĕ* menſura cubitalis ad brachium in loco tertio pulſuum ſuprà aſſignato & *chĕ* dicto terminetur. Nam *c'un'* menſura ſeu articulus digitalis in loco illo appellationem ſuam amittit. v. gr. Caloris primig. via per pulſum (*ſeu*) ſupernatantem, qui leni attactu in ſuperficie pellis & carnis percipitur: humidi verò radicali, qui per pulſum *Xin* profundum ex attactu fortiori ad oſſa habet, percipitur. Secundus autem ſeu medius locus, qui de calore & humido æqualiter participat, per pulſum *hōn*, id eſt remiſſum, ſeu neque natantem neque profundum dignoſcitur. Quare explorans pulſum *in c'uñ* & *in chĕ* ferè totum illud ſpatium tribus digitis occupat, ſed cum hâc diſtinctione, quòd ſcilicet primus digitus tangens primum locum exploret tantummodo *yâm* ſive calorem primigenium, & tertius digitus tangens tertium locum exploret *yñ*, hoc eſt, humidum radicale. Verùm magnus ſeu medius digitus tangens medium locum exploratiſſimê, ac uno eodemque tactu *yâm* & *iñ* dignoſcit.

Textus: Venarum pulſus habent locum *chĕ* & *c'uñ*. Quare? Quia ſcilicet *chĕ* & *c'un* continent principalium rerum congeries, in loco medio *quān* usque ad *chĕ* humidi radicalis eſt dominium, ideo oporteat diſtinguere, *cuñ* articulum notare item locum *chĕ*: Item diſtinguere *chĕ*, & conferre cum loco *cuñ*, in quo eſt caloris primig. dominium.

Comment: Pulſus habent in membris tria loca, *cuñ quān* & *chĕ*. *Quān* locus medius eſt, in quo ſi pergas ad *ýn ci* cavitatem, habes *cuñ* ſpatium, ſeu articuli digitalis menſuram, quod quidem ſpatium ſubjicitur calori primig. egredienti ex limite ſeu loco *quān;* At verò ſi à *quān* limite ad *chĕ cĕ* locum pergas, ſpatium *chĕ* cubiti Sinici impletur, ac nomen etiam ejus acquirit, eſtq́ue ejus ſpatium ſubjectum humido radicali regredienti.

Ex hoc intelligitur, quòd humidum radicale intra menſuram *chĕ* ſive cubiti Sinici (cujus cubiti initium accipi debet ab extremo digiti annularis) occupat ſpatium articuli decimi digitalis; At verò calor primig. reſidens intra *cun* (puta articulum digitalem illum, qui ab extremitate digiti medii numerando nonus eſt, novem partes illius *cun* ſolùm occupat) de quo infrà. Sic *chĕ* & *cun* ſunt principium & finis pulſuum, videlicet unus articulus, qui *chĕ* vocatur, & alterius articuli novem partes; Ideo illa loca dicuntur *cun* & *chĕ*.

Comment: Nota: Singulas menſuras *cun* habere partes decem æquales & pares, & quidem ultimam menſuram *cún* ſeu decimam articulorum digitalium (quæ conſtituunt menſuram *chĕ* cubiti Sinici) integer ſit articulus, humidum radic: in illo reſidens ſpatio, occupans, æqualium partium numerum parem & æqualem, eſt perfectiſſimum (& *lúo in* dicitur) hoc eſt, maturum & perfectiſſimum humidum. Numerus impar, licèt æquales quidem partes habeat, ſed in impari numero in nonâ parte articuli (*quān c'ūn* appellamus, & eſt primus locus pulſuum) reperitur, nam decima pars æqualis pertinens ad numerum parem, & integritatem articuli ipſam palmam manus ingreditur, ut videre licet in figurâ. Ideo in dicti *c'uñ* articuli numero impari calor primigenius novem ſolùm partes occupat, & in illis *lao yân* quod maturum & perfectiſſimum ſignificat calorem primigenium, ſedem habet.

Etenim, ſicuti humido radicali par numerus adſcribitur: ita ca-

ita calori primigenio impar. Quare intra *chĕ* cubitum Sinicum oportet distinguere humidum radic: & calorem primig: nec non loca quæ occupant, *chĕ* videlicet, seu illius articulum digitalem integrum, qui illam mensuram complet, & est in numero decimus, numerando ab extremitate medii digiti, & *c'ūn* articuli novem partes, quæ duo sunt principia ac fines pulsuum, & nobilissima loca venarum, ubi simul manifestantur sanitas & morbi, & quidquid sanitatem vitiat, atque adeo horum omnium accipi debet nottiia.

CAPUT UNDECIMUM.

Pulsuum tria loca tam in dextrâ quàm in sinistrâ manu inventa quorumnam vitæ fontium statum ac constitutionem, & quo ordine inter se manifestent; Item, quæ sit ratio ordinis, & quæ etiam levitatis & gravitatis, quæ pulsibus accidit, explicatur.

TExtus: Pulsus indicantes statum cordis sunt à diminuti humidi radicalis ad manus via, quæ ab ipso corde initium ducit, alterius item viæ, quæ parvorum intestinorum statum prodit, manuum magni caloris primigenii via est. Hi, inquam, pulsus sunt in manus sinistræ primo loco *c'ūn kiū* dicto ante locum *quan*. Ambæ viæ junguntur in supremâ corporis regione ad aulam spirituum in loco *quey ici*, id est, testudinis cauda.

Pulsus indicantes statum hepatis percipiuntur in sinistræ manus medio loco *quan* dicto, & statum viæ, quæ dicitur *c'ò kiūe yn̄ kim̄* id est: defectuosi humidi radic: à pedibus ad caput via; Ulterius item viæ, quæ fellis statum prodit, diciturque *ho xaō yam̄ kim̄*, id est: diminuti caloris ad pedes via. Hi, inquam, pulsus in manus sinistræ secundo loco *quān* dicto percipiuntur: Ambæ viæ junguntur in mediâ regione corporis, locô dictô *pao muen* quod significat membranarum portam.

 Pulsus

Pulſus indicantes ſtatum veſicæ ſeu renum ſunt in ſiniſtræ manus loco tertio in diminuti humidi radicalis à pedibus viâ; Ureterum autem, quorum ſtatus ibidem exploratur, ſunt in magni caloris ad pedes viâ. Ambæ viæ uniuntur in infimâ corporis regione in loco, qui dicitur *quañ yuên cò*, id eſt, clauſarum originumſedes.

Pulſus indicantes ſtatum pulmonum, & ſtatum viæ, quæ ab ipſis ducit, dicitur *Xeú tai yn kim*, id eſt, magni humidi radicalis ad manus via. Alterius item viæ, quæ à magnis inteſtinis procedit, & dicitur *Xeu jam mim*, id eſt: puri & lucidi caloris primig: à manibus via. Hi autem pulſus in manus dextræ primo loco ante locum *quan* percipiuntur, ambæ verò viæ junguntur in primæ partis corporis loco *hu kiĕ chi fu*, id eſt: exſpirationis & inſpirationis civitate in puncto determinato, quod dicitur *yuên muĕn* id eſt, nubium porta.

Pulſus indicantes ſtatum lienis ſunt à viâ magni humidi radicalis à pedibus, & in manus dextræ ſecundo loco percipiuntur. Ibidem item alterius viæ ſeu ſtomachi pulſus eſt à viâ puri caloris primig: ad pedes. Ambæ illæ viæ ſe penetrant, & uniuntur in *chum ciāo*, id eſt, mediâ regione corporis ceu meditullio, quod eſt inter lienem & ſtomachum.

Pulſus indicantes ſtatum portæ vitæ & viæ, quæ ab hâc ducitur, dicuntur: defectuoſi humidi radic: ad manus via, alterius autem viæ, quæ tertiæ corporis partis ſtatum prodit, & dicitur diminuti caloris à manibus via, percipiuntur pulſus in tertio loco manus dextræ *chĕ* dicto. Ambæ hæ viæ ſeſe penetrant & uniuntur in infimâ regione corporis.

Colligitur, pulſus, qui in ſiniſtræ manus primo loco percipiuntur, indicare ſtatum cordis & parvorum inteſtinorum, affectiones viarum, & præterea habitum ſupremæ regionis corporis. Et ſic de reliquis collige.

Sed quare in tribus prædictis locis pulſuum, tam dextræ quàm ſiniſtræ manus, Sinenſes Medici duodecim vias & origines il-

nes illarum, à quibus ſunt, ac illarum conſtitutionem prædicto ordine cognoſci poſſe doceant, operæ pretium fuerit ex illis ipſis cognoſcere.

Textus: Pulſus habet tria loca, & quilibet locus quatuor vias, videlicet viam manuum magni humidi radicalis, & pedum caloris primigenii lucidi, item magni primigenii caloris, & pedum diminuti humidi radicalis. Quare in locis puſuum aliquæ ex viis ſurſum tendunt, aliquæ deorſum, aliquæ à primo loco pulſuum, aliquæ à tertio indicantur.

Comment: Tria loca pulſuum ſunt tam in dextrâ quàm ſiniſtrâ; Quilibet indicat duas vias, unde idem locus v. g. primus in utrâque manu indicat quatuor vias, & conſequenter de reliquis collige.

Ex membris ſæpe memoratis pulmones & viæ illorum ſunt in corporis humani ſupremo omnium loco, veſicæ ſeu renes in infimo; Ideo in dextrâ manu (cùm in dextrâ parte ſupremæ partis corporis reſideat pulmonum membrum) pulmones & via illorum, (quæ eſt manuum magni humidi radicalis) conſtituitur in pulſuum ſupremo & primo loco, uti etiam adjuncta inteſtina magna, & via illorum, quæ eſt manuum lucidi caloris primigenii via. Ambæ viæ ſunt ſubditæ Elemento Metalli ex Sinarum quidem ſententiâ, quæ etiam ob ſpiritus copiam pulſus ſupernatantes efficiunt, qui pulſus eorum ſtatum primo loco indicant.

Porrò renes ſeu veſica & ejus via, quæ eſt pedum humidi radicalis diminuti, & ureteres eorumque via, quæ eſt pedum magni caloris primigenii via, ad ſiniſtram in parte infimâ corporis pertinet, & ambo, cùm ſubjecta ſint aquæ Elemento cujus natura eſt ad infima defluere) in ſiniſtræ manus infimo ſeu tertio loco pulſus ſuam conſtitutionem indicantes obtinent.

Textus: Manuum humidi radicalis & caloris primigenii viæ pertinent ad Metallorum (Sinicum) Elementum.

Pedum

Pedum humidi radicalis & magni caloris primigenii viæ pertinent ad Elementum aquæ (à Metallorum Elemento, dicunt, Sinas producere aquam) quæ petit ſemper inferiora, & nequit aſcendere, ideoque viæ veſicæ ſeu renum & ureterum pulſus manet in infimo & ultimo loco manuum.

Pedum defectuoſi humidi radicalis & diminuti caloris primigenii viæ pertinent ad Elementum arborum ſeu aëris, & producunt manuum magni caloris primigenii & humidi radicalis diminuti igneas vias. Cùm enim Elementi ignis ſubſtantia aſcendat, nec deſcendere poſſit, fit, ut etiam viæ cordis locum pulſuum ſuperiorem & in ſiniſtrâ, ubi cor reſidet, obtineant. Et cùm ignis via gignat pedum magni humidi radicalis & lucidi caloris vias, quæ viæ procedunt à terreo liene & ſtomacho: Et cùm terræ Elementi locus ſit in medio, ideo illæ viæ lienis & ſtomachi medium pulſum ſive ſecundum locum occupant in manu dextrâ.

Omnia quinque Elementa, & illa, quibus dominantur, illo ordine collocantur, quo ſe producunt. Et hoc intellige de membris & inteſtinis eorumque viis, quæ habent virtutes Elementorum & denominationem ab iisdem.

Comment: Pulmones & inteſtina magna naturæ Metallicæ generant aquam ſeu renes, nec non ureteres, quæ habent aqueas qualitates. Ideo cùm ſint pulmones dextrum membrum, & magnæ ſupremæ partis locum ſuper cor obtineant, pulſus quoque illorum conſtitutionem in primo loco dextræ manus indicat.

At verò veſicæ ſeu renes cum ureteribus, cùm ſint ad ſiniſtrum in infimâ parte corporis magnâ, & cùm aqua, quæ illis dominatur, ob fluxum infimum petat locum, viæ illarum in manu ſiniſtrâ pulſum ultimum ſeu ſexti loci obtinuêre; & quia aqua ſeu veſica eſt mater arborum, & aëris, ſeu hepatis & fellis ſtatum indicantes in ſiniſtrâ manu ſupra locum veſicæ, locum ſecundum ſeu medium (cùm etiam ſint in magnæ

magnæ regionis ſiniſtrâ parte) occupant. Jam verò ligna, arbores & aër generant ignem, qui ſuperiora appetit, cor verò ac inteſtina parva ac illorum viæ ad ignis Elementum pertinent, ſuntque in ſupremæ regionis parte ſiniſtrâ.

Atque ideo pulſus conſtitutionem illorum indicantes occupant primum locum in manu ſiniſtrâ; Ignis verò cùm ſit productor cinerum atque terræ, quæ in medio ſita eſt, ac ad mediam partem corporis ſpectat. Et lien cum ſtomacho ad dextram vergens (cui terræ nomen inditur) ad corporis mediam partem pertinet. Pulſus affectiones viarum lienis & ſtomachi indicantes in dextræ manus medio ſeu ſecundo loco ſedem habent. Porta denique vitæ, etſi habeat igneas qualitates natura tamen illius aquea eſt, ob quam ſæpe veſicæ ſeu renum nomine compellatur, & ſpiritus vaporibus aqueis conſtant, quorum ipſa ſedes eſt, ideo infimum locum ſeu tertium in dextrâ manu & pulſus viam ſuam indicantes, ſortita eſt, uti etiam tertiæ partis corporis viæ dictæ portæ annexæ. Hunc in modum in manibus tam dextra quàm ſiniſtra ſex loca ſecundùm ordinem Elementorum, duodecim viarum & earum pulſuum aſſecuti ſunt, quem ordinem in compendio ſic accipe: Initium faciunt pulſus duodecim viarum, ſcilicet in dextræ manus primo loco, qui à viâ metallicorum pulmonum & à viâ magnorum inteſtinorum, quæ viæ generant in ſiniſtræ manus ultimo loco vias aqueæ veſicæ ſeu renum & ureterum, hi autem generant in medio loco ſiniſtræ manus aërei ſeu arborei hepatis & fellis vias, hæ autem in primo ſiniſtræ manus loco cordis & parvorum inteſtinorum vias, quæ in dextræ manus tertio loco (quòd igneas qualitates ſe mutuò adjuvantes habeant) proximè dictæ cum cordis & parvorum inteſtinorum viis, portæ vitæ & tertiæ partis corporis vias gignunt. Viæ verò igneæ in proximo medio loco terram & cineres producunt, quarum rerum lien & ſtomachus naturam habent, unde & hoc loco illorum viæ, & qui ab illis dicuntur

pulſus, conſtituuntur. Et cùm lien & ſtomachus ſeu terra producant metalla, quorum naturam obtinent pulmones & magna inteſtina, viæ amborum in manus dextræ primo loco inveniuntur. Et ſic deinceps.

Colligitur, quòd inferiores viæ membrorum & inteſtinorum in pulſibus habeant locum infimum ſeu tertium, & ſupremæ viæ ſuperiorem, & mediæ medium. Verùm, cùm ea, quæ ſuperiora obtinent, levia ſunt, & quæ inferiora obtinent, gravia eſſe cenſentur, quærendum eſt, an in pulſibus propter dictam coordinationem materiæ levitas & gravitas reperiantur.

Sinenſes, cùm coordinatione univerſi obſervaſſent Elementa, ea, quæ ſupremum obtinebant locum, minimè gravia eſſe, ea verò, quæ inferiorem, maximè gravia eſſe, illa verò, quæ medium, minùs gravia eſſe, vel partim levia partim gravia: Ita etiam membra (quæ Elementa etiam vocant) in corpore humano quædam eſſe in ſupremâ parte, & pulſus vias illorum indicantes, tam in dextrâ quàm ſiniſtrâ locum obtinere, ſibi perſuaſerunt, pulſus illius loci minimè graves eſſe debere; Infimos autem pulſus ſeu membrorum inferiorum eſſe graviſſimos; qui denique in medio loco percipiuntur, minùs graves, ſeu partim leves partim graves eſſe.

Textus: Pulſus cur habent gravitatem & levitatem? Reſpondetur: Pulſus in loco ſupremo trium parvarum fabarum pondus habet, & ſtatus in pelle ſupremâ & adjunctis capillis percipitur, indicatque pulmonum viam; Si verò videas, pulſum habere ſex fabarum gravitatem, & mox percipi in compreſſione venarum & ſanguinis, eſſe pulſum cordis intelliges; At ſi novem fabarum pulſus & in attactu fortiori carnium advertatur, ipſe eſt pulſus ſtomachi in loco medio; Et ſi ſit duodecim fabarum gravitas, pulſusque in attactu nervorum percipiatur, ipſe eſt pulſus hepatis in medio loco. Porrò ad oſſa

ipſa

ipſa manum applicando pulſus quicunque reperietur, erit veſicæ, (quæ & portam vitæ complectitur) & quindecim fabarum gravitatem habebit. Dici igitur debet, pulſibus ineſſe gravitatem & levitatem pro coordinatione, quam loca membrorum ac inteſtinorum, & viæ, quæ ab illis procedunt, inter ſe ſortitæ ſunt.

Comment: Leve eſt ſubtile & natans ad ſuperficiem, planè ſimillimum cœlo, groſſum eſt grave, vergens in profundum, ſimillimum terræ, quia de utroque participat. Membra quinque habent gravitatem, habent & levitatem, quædam ſurſum ſita ſunt, quædam deorſum: Spiritus illorum aliqui ad ſuperficiem aliqui in profundum tendentes, cum cœlo & terrâ ſimilitudinem habent, ideo per pulſus in levitate & gravitate diverſos ordo gravitatis & levitatis eſt is, qui ſequitur. Pulmonum alæ, quæ inſtar foliorum alia quatuor membra cooperiunt, in primo ac ſupremo loco reſident, ideo pulſus viam illorum indicans neceſſariò levis eſt. Quisquis igitur locum dicti pulſus explorare voluerit, non ampliùs tribus fabis gravem reperiet, percipiturque in pellis, & qui pelli adnaſcuntur, pilorum ſuperficie. Ideo pulmones dominantur in pellem & pilos. Pulſus vocatur *feu*, quod natare ſignificat. Cor eſt infra pulmones in ſecundo ordine, dominatur ſanguini & venis; Ideo pulſus indicantes viam cordis neceſſe eſt eſſe paulò graviores. Digiti, qui illos explorant, reperiunt eſſe graves ſex fabis, & percipiuntur ad preſſionem venarum pulſus exundantes. Et ſic de reliquis juxta prædicta.

Adverte autem, quòd Sinenſes, quando metallorum nomen & naturam attribuunt pulmonibus, ea hôc indicare voluiſſe, quòd pulmones, & illis adjuncta magna inteſtina habeant illas qualitates, quæ iis maximè congruunt, & quibus ipſa Metalla præ aliis excellunt: Uti ſunt groſſities, opacitas & frigiditas, nam per has aquam, quæ maximè eſt frigida, producere dicuntur; Adhæc qualitatem illam, per quam reſonant

 & vo-

& vocalia ſunt metalla, ſunt, quæ ad aërem maximè ſpectant. Unde, cùm aër ſit leviſſimus, pulmones etiam, qui hanc qualitatem aſſecuti ſunt, & viæ illorum, levitatem habent, hoc eſt, exiguam aut nullam gravitatem. Et ſic de cæteris philoſophantur membrorum qualitatibus elementaribus, quibus elementorum natura attribuitur, quæ hîc ſufficiat obiter innuiſſe, ne aliquis ingenia Medicorum Sinenſium non intellectâ ratione eorum, quæ aſſeruntur, reprehendat.

CAPUT DUODECIMUM.

Quâ menſurâ temporis in locis manuum tàm dextræ quàm ſiniſtræ reperti pulſus, atq; illorum circuitus dimetiendi ſunt, & quomodo in exploratione pulſuum per obſervationem prædictæ menſuræ de corporis bonâ vel malâ conſtitutione & inteſtinorum conjicere quis poſſit, explicatur.

EXploratis locis pulſuum & motu circulari ſanguinis & ſpirituum, ex quo oriuntur pulſus, reſtat menſura temporis, quam ſe in pulſibus invenire non potuiſſe, fatetur ingenuè Galenus. Sinenſes verò non ſolùm illa, quæ ſuprà retulimus, planè ignota Medicis Europæis invenerunt, verùm etiam menſuram temporis, nobiliſſimum Artis inventum, pulſibus præſcripſerunt, ex quâ, bonam eſſe conſtitutionem, ſi pulſus regulariter menſuram adæquat, judicant; Sin verò ab illâ aut deficit, aut illam excedit, malam conſtitutionem eſſe.

Textus: Vivens quilibet homo ſpirat, & ſpirando vel exſpirat ſeu ejicit calidum aërem, ſeu introſumit frigidum; ſiquidem tempore exſpirationis pulſus moventur, & decurrunt in venis ad tres articulos digitales in corpore humano: Itidem introſpirationis tempore, alii ad tres articulos digitales. Etenim in-

nim introſpiratio & exſpiratio unam conſtituunt ſpirationem, in cujus temporis intervallo pulſuum motus progreditur ad ſex articulos digitales in corpore humano.

Atque ita cùm per diem & noctem ſpirationes ab homine ſano tredecim mille & quingentæ fiant, ſequitur pulſuum motum in venis viginti quatuor horarum, & horologii artificialis aquei defluentis, (quali utebantur Sinenſes) ſive centum quadrantium tempus explere, quod converſioni quinquaginta domorum ſeu graduum cœleſtium, aut conſtellationum Sinarum, ex ipſorum ſententiâ, exactè reſpondet. Verùm, cùm humidum radicale motu ſuo in medietate circuli vectum in ſanguine per tempus, quo converſio cœlorum viginti quinque domos decurrit, progrediatur, calor item primigenius in altero ſemi-circulo corporis humani, aut potiùs venarũ, vectus in ſpiritibus per tempus reliquum, quô fit converſio cœlorum per viginti quinque domos reliquas, refluat & regrediatur; Ideo ambo ſuprà dicta flexu & reflexu ſeu progreſſu & egreſſu, tempus integræ converſionis cœlorum per quinquaginta domos abſolvunt & complent, ſimul atque pervenerunt in ſpirituum & venarum concurſum, in eum locum, in quo ſex membrorum & ſex inteſtinorum ſeu vitæ fontium, tam viæ quàm motus illarum & pulſus terminatur ac incipiunt, ut non immerito regula explorandorum pulſuum in loco manuum, ubi dictus eſt concurſus, petatur.

Commentar: Exſpiratione, quæ dicitur *hú*, calor igneæ naturæ ejicitur, & ſequenti mox introſpiratione frigus humidum aëreæ naturæ attrahitur ſeu introſumitur, & dicitur *hië*, atque ita integra exiſtit ſpiratio. Unicæ ſpirationis tempore pulſus venarum conficiunt in corpore iter ſex articulorum digitalium ſpatium. Uti autem circulatio ſpirationum, quæ per diem & noctem intra ſpatium 24. horarum habet integras ſpirationes tredecim mille quingentas: Ita, ſi ſingulis ſpirationibus promoveantur in corpore humano pulſus ad ſex ar-

ticulorum ſpatium, totus circuitus pulſuum decurrentium in corpore conficiet ſpatium octingentarum decem *cham̄* menſurarum. *Cham̄* menſura continet 10. cubitos, cubiti menſura continet 10. articulos digitales, articulus autem digitalis etiam 10. partes continet. Rurſus, quia viæ quælibet conſtant ſpatio triginta trium *cham̄* menſurarum, & quinque *c'un̄* ſeu menſurarum digitalium, hoc autem toto viarum ſpatio actualis motus reſpondet duarum domorum cœleſtium & octo minutorum curſui; (nam Sinenſes dividunt cœlum in quinquaginta domos, quas & gradus ſuo modo vocant) reſpondent item temporis artificialis horologii aquei quatuor quadrantibus & decem minutis, atque adeo motus quinquaginta domorum, & tempus integrum viginti quatuor horarum, complectitur univerſum circuitum gyrantium & regyrantium pulſuū per venas octingentas & decem menſuras, & conſequenter calor primig. (qui in ſpiritibus intra & extra ſanguinem in venis vehitur) tempus illud decurrit, quod tribuitur motui 25. domorum cœleſtium, nec non horis duodecim Europæis. Similiter humidum radicale curſum æquat aliarum 25. domorum & horarum duodecim Europæarum, unde fit, ut revolutione domorum cœleſtium quinquageſimâ peractâ, & etiam viginti quatuor horarum tempore abſoluto, circuitus quoque pulſuum per dicti ſpatii menſuram abſolvatur. Quod ut planiùs fiat, adverte primò: Noctem & diem, ſeu cœlorum integram per quinquaginta domos converſionem (quæ reſpondet duodecim horis Sinicis, Europæis autem viginti quatuor) commenſurari tempore ſpirationum, quarum circuitus integer in homine ſano tredecim mille & quingentas ſpirationes continet. Porrò in quolibet ſano homine ſpirationis unius intervallo quatuor vel quinque pulſus in venis contingit deprehendi; Unde ſequitur, quòd pulſus venarum per diem & noctem (ſive intra viginti quatuor horas) non pauciores quinquaginta quatuor millibus exiſtant, aut non plures ſexaginta

ſeptem

ſeptem millibus & quingentis. Cumque cœlorum motus ac tempus, & circuitus pulſuum ſibi mutuò correſpondeant & ſequent, ſequitur, quòd ubi circularis motus pulſum nec tardiorem nec celeriorem habet ipſo cœlorum motu, hoc eſt, nec plures pulſus nec pauciores, quàm ſuprà diximus, habeat, omnia quoque rectè habere in humano corpore; At verò, ſi deficiat aut excedat circuitus pulſuum, hoc eſt: ſi tardi pulſus, adeoque ob tarditatem pauciores ſunt, aut ob celeritatem plures, malè hominem habere, & ejusdem membra & inteſtina viasque ex hâc pulſuum cum cœlorum motu irregularitate diſſentire cognoſcant. Etenim Sinenſes circularem motum vitæ humanæ cœleſti eſſe quàm ſimillimum, quem utique regulariſſimum & perfectiſſimum exiſtimant, adeoque omnium aliorum motuum normam & exemplar, ac proinde cum quâlibet ſpiratione ad ſex articuli digitalis menſuras progrediantur in ſanguine & ſpiritibus tam humidum radicale, quàm calor primigenius, intervallo ac tempore tredecim millium & quingentarum ſpirationum abſolvitur motus, adeoque ſanguinis ac ſpirituum circuitum in corpore humano octingentarum & decem menſurarum *chām* ſpatium conficere neceſſe eſt. Initium circulare caloris primigenii in ſanguine (à viâ pulmonum) eſt ab horâ Sinicâ (quæ eſt tertia & quarta poſt mediam noctem, quâ credunt hominem primum in rerum naturâ ex luteâ terrâ eſſe formatum, uti & fœminam horâ tertiâ & quarta veſpertinâ) usque ad horam ſextam pomeridianam (quæ eſt prima & ſecunda incluſivè:) Ita initium humidi radicalis ab horâ Sinicâ tertiâ & quartâ pomeridianâ usque ad primam & ſecundam poſt mediam noctem incluſivè, quia eſt circulus completus duorum motuum ſive pulſuum humidi radicalis & caloris primigenii, qui quidem pulſus incipiunt in loco manus dextræ, (qui dicitur os & ſcaturigo ſpirituum) & ibidem finiuntur, ut iterum incipiant ab horâ Sinicâ tertiâ & quartâ matutinâ. Ideo Sinenſes Medici docent, ab hoc manus

dextræ

dextræ loco eodem tempore decurrere pulſum, & ex illo ſtatuendum de rectâ aut pravâ conſtitutione corporis humani, quâ, inquiunt, in loco & tempore aſſignato duodecim viarum motus & ſtatus humidi radic. & caloris primig. certò detegitur; Nondum enim humidi radicalis ſpiritus (puta vitales) diſperſi ſunt, & caloris primig. ſpiritus (puta animales) nec dum adeo commoventur, quia ex illo loco primùm ac in illo tempore incipiunt moveri: Item dicto tempore nec dum cibus ſumitur, unde viæ duodecim non ſunt repletæ, ſanguis etiam atque ſpiritus in ſuo naturali conſiſtunt loco, utpote nec dum perturbati, quod non accidit alio tempore. Quare ſicut per menſuram converſionis cœlorum per quinquaginta domos ſeu gradus cœleſtes: Ita tempore viginti quatuor horarum & octingentarum & decem *chām* menſurarum ſpatium *yn̄* & *jam̄* ſeu calor & humidum, fluunt ac refluunt, invenerunt, quæ reſpondeant circulari intervallo tredecim millium & quingentarum ſpirationum. Sic ex dimidiatâ menſurâ motus viginti quinque domorum cœleſtium, & ex dimidiatâ menſurâ temporis duodecim horarum (ſeu ſex Sinicarum) accipi volunt menſuram ejus intervalli, in quo circuitus venarum per motum *jâm* & *in̄* dimidio ſpatii, quod eſt quadringentarum & quinque *chām* menſurarum, & dimidium numeri ſpirationum, quod ſex mille ſeptingenta quinquaginta quinque complectitur.

Ex quo deducitur, quòd ſingulis horis noſtris, (quæ reſpondent dimidiæ Sinicæ horæ) & ſingulis cœleſtibus duabus domibus, ſeu gradibus & quinque minutis, ſpirationes in homine ſano fiunt quingentæ ſexaginta duæ & dimidia. Pulſus verò, ſi naturales ſunt, (quia quolibet intervallo ſpirationis aut quatuor aut quinque pulſus contingunt) non pauciores bis mille ducentis quinquaginta, aut non plures bis mille octingentis duodecim & plus aliquantò deprehenduntur, in quo interſtitio ſanguis & ſpiritus, ac in illis *jâm* & *in̄* calor & humi-

humidum, ſeu reſultans ex illis vita promovetur triginta tribus menſuris *cham* ac ſeptem *chĕ* cubitis, & quinque *c'un'* digitalibus menſuris per dictum flexuoſum ſpatium ſeu mæandros viarum in corpore humano. Unde, cùm quadrante uno ſpirationes contingant in ſano homine centum & quadraginta & dimidia circiter, ſequitur, pulſus non pauciores, quàm quingentos ſexaginta duos, aut non plures quàm ſeptingentos duos, & interea promoveri ſanguinem & ſpiritus in corpore humano ad menſuras octo *cham*, quatuor *chĕ* & tres *c'un'* & paulò ampliùs.

Adverte tertiò: Ex his manifeſtum eſſe, quòd ſicut in homine ſano ſpirationes per circulos cœleſtes temporis, & conſequenter motus pulſuum in venis reſpondent, naturales eſſe; Verùm in homine ægroto tam ſpirationes quàm motus pulſuum ſemper vel deficere, vel excedere numerum ſpirationum prædictum, adeò, ſicut rectum eſt regula obliqui, & æquale eſt norma ſeu regula cognoſcendi exceſſus vel defectus inæqualis, pari ratione ſani hominis regulares ſeu naturales ſpirationes & pulſus bene perſpecti manifeſtant ægrotorum irregulares & præternaturales ſpirationes ac pulſus. Inde Sinenſes volunt, Medicum ſanum eſſe, ut poſſit de morbis aliorum judicare, juxta quod dicunt, ne Medicus ægrotus ſeipſum curare præſumat, cujus Sinenſes effati dabunt rationem ſequentem. Sani hominis ſpirationis tempore pulſus non pauciores quatuor, nec plures quinque contingere; Sed in infirmo homine certiſſimum eſt, aut pauciores quàm quatuor, aut plures quàm quinque accidere, ex quibus pulſibus deprehendi poſſe tam morbos, quàm periculum Mortis, & ipſam mortem & cauſam illius ajunt. Medicus igitur ægrotus, cùm ſpiratione ſani hominis (quæ involvit menſuram cœlorum, regularis temporis, & menſuram ſpirationum ſani hominis) careat, proclive eſt, ut pulſus regulares in ſano, & irregulares in ægroto, ſive in alio, ſive in ſe ipſo, ſoleat eſſe regulare, & facilè

morbum alium, quàm revera ſit, eſſe exiſtimet, niſi fortè magnâ experientiâ menſuræ irregularis, temporis & intervalli ſpirationum in pulſibus explorandis polleat, ſic enim adhuc poſſet & ſui & ægrotantis aliorumque conſtitutionem deprehendere.

Adverte quartò: Quòd Sinenſes non ſolùm repererint in ſanguine & ſpiritibus, &, qui ex his oriuntur, pulſibus, (quos quidem metiuntur per ſpirationum certas morulas) circuitum, qui omnino reſpondet intervallo horarum quatuor & viginti, nec non converſioni integræ cœlorum, ſed etiam reperiſſe illius annuum circuitum ſanguinis ac ſpirituum, hoc eſt, per duodecim menſes lunares ſecundùm tempeſtates & immutationes annuas, hoc eſt: diſtinxiſſe duodecim viarum & originum membrorum & inteſtinorum pulſus, neque ſolùm pulſus diurnos aſſignâſſe connaturales duodecim vias & origines, à quibus ſunt, ut eorum conſtitutionem manifeſtarent: Verùm etiam pulſus pro ratione tempeſtatum anni & immutationis, quæ tum contingit, unicuique membro ac inteſtinis eorumque viis aſſignâſſe, imò defectus, decrementa & incrementa talium pulſuum diligenter annotaſſe, uti infrà docebimus.

Unde, ſicut prior motus diurnus ab ortu in occaſum vocatus, & ſecundus ab occaſu in ortum: Planè ſimili modo motum primi mobilis viginti quatuor horarum, & motum raptus, ut ita dicam, licet conjicere.

Ex dictis colligitur, ſpatium venarum in corpore humano continere octingentarum menſurarum *cham* quantitatem; At verò in locis aſſignatis pulſuum ex motu circulari prædicto cauſatorum menſuram eſſe tredecim mille & quingentas ſpirationes in homine ſano, cujus menſuræ alia eſt menſura, quinquaginta cœleſtium domorum circumvolutio in orbem. Hujus verò motus ac temporis artificialis menſura in horologio aqueo

gio aqueo quadrantes omnino centum continet. Reſtat modò, ut ſigillatim pulſuum menſuram explanemus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Circuitus ac motus ſanguinis ac ſpirituum, ſeu potiùs pulſuum, (qui à motu circulari die ac nocte unicâ complentur) per certos numeros ſpirationum, per motum determinatum cœleſtium domorum, per horarum deniq; & quadrantium menſuras & paradigma.

DIximus, circulum motuum ſanguinis & ſpirituum, unde & cœpit, finiri & abſolvi in manus dextræ loco *c'un' keu'*, ubi pulſus eſt viæ pulmonum, & matutino tempore cujuslibet diei denuò ordiri curſum, ex quo evidenter patet, pulſus quoque per hoc diei & noctis 24. horarum intervallum, qui ex motu ſanguinis & ſpirituum oriuntur, eodem tempore & loco terminari. Modò hujus circularis motûs ſanguinis & ſpirituum ſeu pulſuum menſuras annotatas, adjunctis etiam viis, per quas decurrunt, & locis, in quibus reperiuntur, ſigillatim declarabimus. Adverte imprimis, quòd diem & noctem, ſeu integram unam converſionem cœlorum Sinenſes metiantur horis duodecim, ſed ubi clepſydrâ utuntur centum quadrantibus, qui ſine dubio minores ſunt noſtratibus. Quare reducendo ad calculum temporis noſtri tam horologium aqueum, quàm duodecim horas Sinicas, noctis & diei tempus erit viginti quatuor horarum noſtrarum; Unde una hora Sinica duas noſtras complectitur, & media Sinica integram noſtram, & ex horologio aqueo quatuor quadrantes & decem minuta, quo tempore orbes cœleſtes duabus domibus ſeu gradibus & octo minutis promoventur.

Hoc diligenter annotato ad ſequentem circuitum per

ſuas horas exhibitum in ſequenti paradigmate animum adverte. Hujus ut intelligentia ſit clarior, exemplar dicendorum in horâ unicâ Sinicâ præmitto.

Horâ tertiâ Europæâ poſt mediam noctem, quæ apud Sinas horologii horæ (*im* dicitur) dimidiæ, item quadrantibus quatuor & decem minutis horologii aquei, Sinicis domibus ſeu gradibus in cœlorum converſione duobus & quinque minutis reſpondet, pulmones propagant humidum radicale per ſpiritus & ſanguinem ad manus; Vocatur magni humidi radicalis via.

In primo puncto manus dextræ pulſus *c'un* pulmonum viam & ſtatum indicantes (cùm videlicet illo tempore ſuprà dicto quingentæ ſexaginta duæ ſpirationes & dimidiæ in homine ſano abſolvuntur, & ſpiritus ac ſanguis in venis corporis humani triginta tres menſuras *châm*, ſeptem *chĕ* & quinque *cûn* promoventur) accidunt in homine ſano vel non pauciores 2250. vel non plures 2813. & aliquantò plus.

Horâ quartâ matutinâ, quæ *im* Sinicæ horæ alteri dimidiæ completæ, & quadrantibus item quatuor & decem minutis reſpondet, aut (ſi per additiones ad priora multiplicare volueris, uti & nos cum Sinis in paradigmate facimus) quadrantibus octo & 20. minutis horologii dicti, & Sinicis gradibus duobus & quinque minutis, ſeu (per additionem) gradibus quatuor & viginti minutis reſpondet, iidem pulmones per ſuprà dictam manuum viam propagant humidum radicale, pulſus regulares in eodem loco manus dextræ manifeſtantes viam & $562\frac{1}{2}$. in homine ſano abſolvuntur, aut (per additionem) 1125. & iidem ſpiritus cum ſanguine in venis triginta tres *châm* & quinque *chĕ* promoventur, pulſus, inquam, regulares non plures 5625. nec pauciores 4500. contingunt, & ſic de ſingulis horis per ordinem in paradigmate oſtenſum addendo, ſeu multiplicando priora, cum poſterioribus diſcurre.

Horâ

Horâ quintâ, quæ Sinicæ *mao* dimidiæ & quadrantibus duodecim in horologio, & gradibus ſex cum viginti quatuor minutis *c'ùm* cœlo reſpondet, in magnis inteſtinis propagant *jâm* calorem naturalem per ſanguinem & ſpiritus à manibus: Vocatur puri & lucidi caloris via. In primo puncto manus dextræ hanc viam & ſtatum magnorum inteſtinorum (cùm tempore relato ſpirationes 1687. fiant, & ſpiritus cum ſanguine in venis ad 101. *cham* & duo *chĕ* & quinque *cùn* commoventur) indicant pulſus regulares, qui tunc vel non pauciores ſex mille 750. vel non plures 8437. exiſtunt.

Horâ ſextâ, quæ Sinicæ *Mao* completæ & quadrantibus ſedecim & aliquantò plus, gradibus item in cœlo octo & 32. minutis, eadem magna inteſtina per viam dictam à manibus ad caput propagant calorem primigenium, & cùm bis mille 250. ſpirationes exiſtant, & ſpiritus in venis cum ſanguine promoveantur 135. *cham*, regulares pulſus non pauciores 9000. & non plures 11250. contingunt.

Horâ ſeptimâ, quæ Sinicæ *Xin* dimidiæ, & quadrantibus 22. & gradibus 10. 40. minutis correſpondet, ſtomachus propagat calorem primig. ad pedes, vocatur pedum lucidi caloris primig. via. In ſecundo puncto manus dextræ tam viæ quàm membri ſtatum (quando ſpirationes 2813. & dimidiæ abſolvuntur, & ſpiritus cum ſanguine conficiunt in venis 168. *cham*, 7. *chĕ* & 5. *c'uñ*) propagant. Pulſus regulares non pauciores 11250. nec plures 14062. contingunt.

Horâ octavâ, quæ horæ Sinicæ *Xin* completæ, & quadrantibus viginti ſex, ac gradibus duodecim, 48. minutis reſpondet, idem ſtomachus propagat ad eandem pedum viam calorem primig., quo tempore cùm abſolvuntur ſpirationes 3375. atque ſpiritus cum ſanguine promoveantur 202. *cham* 5. *chĕ* in venis, pulſus regulares fiunt non pauciores 13500. nec plures 16875.

Horâ nonâ, quæ Sinicæ *ſú* dimidiæ ex horologii qua-

drantibus 28. in cœlo gradibus 14. 56. minutis correſpondet, lien propagat humidum radicale ad cor, vocatur pedum ſeu à pedibus magna humidi radicalis via. In ſecundo puncto manus hujus viæ & ſtomachi ſtatum (quando ſpirationes 3937. & media abſolvuntur, & ſpiritus cum ſanguine promoventur in venis 236. *cham*, 2. *chĕ* & 5. *c'ún*) propagant. Pulſus regulares, qui non pauciores 15780. nec plures 19687. fiunt.

Horâ decimâ, quæ Sinicæ *ſú* completæ, ſeu 32. quadrantibus horologii, & paulò plus, & gradibus 16. & 64. minutis correſpondet, idem lien per dictam viam pedum propagat humidum radicale, & quando 4500. ſpirationes abſolvuntur, ac ſpiritus cum ſanguine 270. *cham̄* decurrunt, pulſus regulares ſtatum illius indicant, qui non pauciores 18000. nec plures 22500.

Horâ undecimâ, quæ *ú* Sinicæ dimidiæ ex horologio 34. quadrantibus, & gradibus in cœlo 18. ac 7. minutis correſpondet, cor propagat humidum radicale ad manus, vocatur manuum diminuti humidi radicalis via. In primo loco *cun* ſiniſtræ manus conſtituitur, quando ſpirationes 6062. & media abſolvuntur, & cùm ſpiritus & ſanguis in venis promoventur ad 303. *cham* 7. *chĕ* & 5. *cuñ* pulſus regulares indicant, qui non pauciores 20250. nec plures 25300, fiunt.

Horâ duodecimâ ſeu meridianâ, quæ Sinicæ *ú* completæ & 40. quadrantibus horologii, & in cœlo gradibus 20. 8. minutis correſpondet, idem cor propagat humidum radicale ad manus; Et cùm dicto tempore ſpirationes 5625. abſolvuntur, & cùm ſpiritus & ſanguis conficiunt in venis 337. *cham* & 5. *che*, fiunt pulſus regulares non pauciores 22500. nec plures 28124.

Horâ primâ, quæ Sinicæ *ui* dimidiæ & 44. quadrantibus horologii, & in cœlo gradibus 22. 2. minutis correſpondet, parva inteſtina propagant calorem ad manus, vocatur manuum

nuum magni caloris primigenii via. In primo puncto *cùn* manus sinistræ, cùm dicto tempore spirationes 6187. absolvuntur, & spiritus cum sanguine promoventur in venis 371. *cham* & 2. *chĕ* & 5. *c'ùn*, pulsus regulares, qui indicant ejus constitutionem in sano homine, non pauciores 24750. & non plures 30937. fiunt.

Horâ secundâ, quæ Sinicæ *ui* completæ, & 46. quadrantibus horologii, & paulò plus, & in cœlo gradibus 24. 20. minutis correspondet, eadem parva intestina propagant calorem à manibus, & cùm eo tempore spirationes 6750. absolvuntur, ac spiritus in corpore cum sanguine promoventur 405. *cham*, pulsus regulares fiunt non pauciores 27000. aut non plures 33750.

Horâ tertiâ, quæ Sinicæ *Xin* dimidiæ & quadrantibus 52. ac gradibus 26. & 54. minutis respondet, ureteres propagant calorem naturalem ad pedes; Vocatur pedum magni caloris via. In tertio puncto *chĕ* manus dextræ hujus viæ constitutionem, cùm spirationes 7312. absolvuntur, & spiritus cum sanguine conficiunt 438. *cham* 7. *chĕ* & 5. *cun*, indicant pulsus regulares, qui non pauciores 29250. & non plures 36562. fiunt.

Horâ quartâ, quæ Sinicæ *Xin* completæ, & quadrantibus 56. ac gradibus 29. & 6. minutis respondet, iidem ureteres propagant calorem ad pedes; Et cùm spirationem 7875. & 5 dimidiæ absolvuntur, ac spiritus cum sanguine promoventur 472. *cham* & 5. *che*, pulsus regulares fiunt non pauciores 31500. & non plures 39375.

Horâ quintâ, quæ Sinicæ *yeû* dimidiæ, & horologii quadrantibus 60. ac gradibus 31. 4. minutis respondet, vesica seu renes propagant humidum radicale à pedibus, vocatur pedum diminuti humidi radicalis via. In tertio puncto *chĕ* manus sinistræ constitutio ejus dignoscitur, cùm dicto tempore spirationes 8437. & media absolvuntur, ac spiritus cum sanguine

guine propagantur in venis 506. *cham* 2. *che* & 5. *cùn*. Pulſus regulares non pauciores 33950. vel non plures 421887. ſunt.

Horâ ſextâ, quæ Sinicæ *yeû* completæ, ac horologii quadrantibus 62. ac gradibus 33. & duodecim minutis reſpondet, eadem veſica ſeu renes propagant à pedibus humidum radicale, qui hujus viæ conſtitutionem indicant; Cùm peraguntur ſpirationes 9000. & ſpiritus cum ſanguine conficiunt in corpore 540. *cham*, regulares pulſus fiunt non pauciores 36000. & non plures 45000.

Horâ ſeptimâ, quæ Sinicæ *Siŏ* dimidiæ, & 66. quadrantibus horologii, ac gradibus 35. 25. minutis reſpondet, vitæ porta humidum radicale ad manus propagat, vocatur manuum defectuoſi humidi radicalis via. In tertio puncto *chĕ* manus dextræ hujus viæ ſtatus indicatur; Cùm in homine ſano ſpirationes 9572. & dimidia abſolvuntur, ac ſpiritus cum ſanguine in venis decurrunt 573. *cham* 7. *che* & 5. *cún*, pulſus regulares ſunt non pauciores 38250. & non plures 47812.

Horâ octavâ, quæ Sinicæ *Sio* completæ, & 70. quadrantibus & ampliùs, & gradibus 37. & minutis 28. reſpondet, eadem porta vitæ humidum radicale propagat ad manus, cùm ſpirationes 10125. abſolvuntur, atque ſpiritus cum ſanguine in venis promoventur 607. *cham* & 5. *che*, pulſus regulares fiunt non pauciores 40500. & non plures 50625.

Horâ nonâ, quæ Sinicæ *hai* dimidiæ & quadrantibus 72. & gradibus 39. 36. minutis reſpondet, tertia pars corporis calorem à manibus propagat; Vocatur manuum diminuti caloris via. In tertio puncto manus dextræ *chĕ* hujus viæ conſtitutio declaratur, cùm ſpirationes 10607. & dimidia abſolvuntur, ac ſpiritus in ſanguine promoventur 641. *cham* 2. *chĕ* & 5. *cùn*. Regulares pulſus, qui fiunt, non pauciores 42750. & non plures 53437.

Horâ decimâ, quæ Sinicæ *hai* completæ, & quadrantibus 74. & gradibus 40. minutis 44. reſpondet, eadem tertia pars

pars corporis propagat calorem à manibus, & cùm in ſano homine ſpirationes 11250. ac ſpiritus cum ſanguine peragrant in venis 675. *cham*, fiunt pulſus regulares non pauciores 45000. nec plures 56250.

Horâ undecimâ, quæ Sinicæ *Cù* dimidiæ, & quadrantibus 80. ac gradibus 43. & minutis 52. reſpondet, fel propagat calorem naturalem ad pedes, vocatur pedum diminuti caloris via. In ſecundo puncto *quan* manus ſiniſtræ hujus viæ ſtatus indicatur, cùm ſpirationes 11813. abſolvuntur, ac ſpiritus in venis cùm promoventur 78. *cham* 7. *che* & 5. *cùn*. Regulares pulſus, qui fiunt, non pauciores 47280. & non plures 59062.

Horâ duodecimâ, quæ completæ Sinicæ *c'ù*, quadrantibus 90. & gradibus 45. & 6. minutis reſpondet, fel eâdem propagat calorem ad pedes, & cùm ſpirationes 12375. abſolvuntur, ac ſpiritus cum ſanguine in venis progrediuntur 742. *cham*, 5. *chĕ*, fiunt regulares pulſus non pauciores 49500. nec plures 61875.

Horâ primâ, quæ Sinicæ *cheŭ* dimidiæ, & horologii quadrantibus 96 atque gradibus 98. reſpondet, hepar propagat humidum radicale à pedibus, vocatur pedum defectuoſi humidi radicalis via. In ſiniſtræ manus ſecundo puncto *quan* hujus viæ conſtitutio indicatur, cùm dicto tempore ſpirationes duodecim mille nongentæ triginta ſeptem & dimidia abſolvuntur, ac ſpiritus cum ſanguine in venis decurrunt ſeptingenta ſeptuaginta ſex *cham*, duo *che*, & quinque *cun*. Pulſus regulares fiunt non pauciores 51750. nec plures 64687.

Horâ ſecundâ poſt mediam noctem, quæ Sinicæ *cheu* completæ, & centum horologii quadrantibus, ac gradibus in cœlo 50. correſpondet, idem hepar propagat humidum radicale à pedibus, & cùm dicto tempore ſpirationes 13500. abſolvuntur, & ſpiritus cum ſanguine in venis promoventur 810. *cham*, fiunt pulſus regulares non pauciores 54000. nec plures 67500.

res 67500. Et ſic deinceps in orbem revolutis ad revolutionem cœlorum & intervallum ſpirationum temporis horologii ac motus in ſpatio venarum, pulſuum quoq; regularitas revolvitur in ſano homine, ex quâ tam noctis quàm diei ſanitas deprehendi poteſt, imò & ſingularum horarum, & hoc non ſolùm in univerſo corpore, verùm in ſingulis membris & inteſtinis.

Adverte diligenter, quòd pro duplici motu cœlorum, diurno videlicet, qui eſt 24. horarum, & annuo etiam, pulſus non ſolùm diurni, ſed & annui differentes pro differentiâ quatuor tempeſtatum in homine, à ſanguine & ſpiritibus cauſati reperiuntur, quam ob cauſam Sinenſes Medici cuique membro ac inteſtino, ſeu potiùs cuivis pulſuum loco pro ratione temporis ac tempeſtatis annuæ ſuas quoque viciſſitudines ineſſe docent, atque ita in vere aliter pulſus habere quàm in æſtate, & in hyeme, quàm in autumno; Unde fit, ut pro qualitate pulſuum diversâ, diverſa etiam pulſibus indant nomina; Menſuras autem tam cœlorum quàm horologii, tam ſpirationum quàm ſpatii pulſuum, quâlibet anni tempeſtate ſi ſint, naturales easdem omnino eſſe volunt. Si verò pulſus unius tempeſtatis vel præteritæ vel futuræ in locum connaturalis pulſus irrepere vident, ægrotare hominem ex eo cognoſcunt; Et ſicuti, ſi pulſus diurni excedunt vel deficiunt à determinatâ temporis menſurâ, & à numero ſpirationum ſani hominis, vel ab inordinatâ qualitate pulſuum, malè habere hominem cognoſcunt: Ita etiam, ſi circularem revolutionem, ſi annua & menſtrua decrementa & incrementa in pulſibus tempeſtatum vernæ, æſtivæ, autumnalis & brumalis turbata vel immutata compererint, malè affici quoque hominis vitam concludunt.

Verùm, ut facilè menſuram pulſuum quilibet aſſequi poſſit, ac ex illâ ſanitatem & morbos cognoſcere, ad ſequens caput progrediamur.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quomodo facili methodo menſuram pulſuum regularium, & ex illâ nullo negotio ſanitas, morbi & mors ipſa cognoſci queant.

ESt imprimis mirifici uſus atque utilitatis hoc caput, uti & ea, quæ ſequuntur, quippe, qui ad illa, quæ dicemus, vel leviter adverterit animum, ferre poterit judicium de vitâ ac ſanitate, de morbis eorumque cauſis, de morte etiam futurâ, & quidem nullo ferè negotio. Secretum aperiamus.

Diximus, intervallum ſpirationum 13500. menſurarum circuitum, quem faciunt ſanguis & ſpiritus, compleri, eò namque intervallo pulſus cauſati à memorato motu circuitûs menſurantur. Verùm, cùm prorſus difficile ſit per integram diem ac noctem explorare pulſus ad tantam moram ſpirationum, imò vel ad horam, imò & ad quadrantem, resque foret tædioſiſſima explorare pulſus, qui ad intervallâ tot ſpirationum dicti temporis contingunt; Operæ pretium fuit brevius intervallum præſcribere, in quo pulſus regulares & deſinentes, & excedentes, deprehendi queant.

Proinde Sinenſes contendunt Medici, eum, qui exploraturus eſt alterius pulſum, ipſum omnino ſanum eſſe debere, liberum à negotiis & curis, nec non majori aliquâ defatigatione, ſic enim fore, ut connaturalem ſpirationem habere poſſit. Hîc itaque Medicus uſus intervallô unius, duarum, trium, & usque ad novem, ſpirationum, ſiquidem ipſe in ſingularum morâ ſpirationum pulſus non plures quàm quinque, vel non pauciores, quàm quatuor reperiat, quando loca pulſuum utriusque manus explorat, regulares eſſe pulſus hominis illius, & ipſum valere, ſecurè pronunciabit. Hujus ratio ſubtiliſſima ſanè hæc eſt; Spiratio, inquiunt, conſtat exſpiratione (hoc

eſt, ejectione aëris) & introſpiratione (hoc eſt, attractione aëris.) Igitur ſi intervallo exſpirationis duos pulſus percipias, intellige, quòd viarum cordis & pulmonum ſtatum denuncient, & ſic conſequenter ad introſpirationis intervallum pulſus iterum accipias duos, intelligitur, quòd viarum veſicæ ſeu renum & hepatis pulſus ſint, quæ viæ cùm invicem ſe penetrent, & inter ſe harmoniam quandam vitæ efficiant, eandem per dictos pulſus in numero relato nec minori ad dictum intervallum, quod reperitur in homine ſano, indicant. Et ſi accidat, in intervallo unius ſpirationis dari pulſus quinque, intelligere debet, quintum pulſum indicare viam ſtomachi, & eſſe in medio pulſuum, ſicut & ſtomachus eſt in medio membrorum. Dicuntur verò pulſus ad intervallum integræ ſpirationis indicare bonam hominis conſtitutionem, eò quòd quinque membrorum (cordis, pulmonum, ſtomachi, veſicæ, hepatis) conſtitutionem congenitam quinque ictuum numero prodant. (Et ſic de ſingulis locis pulſuum intellige, ſic tamen, ut principium ictuum, ſeu, ut numerus illi membro & viæ attribuatur, cujus loco pulſus explorantur) Et ſic per ordinem.

Porrò, quòd unius ſpirationis intervallo per quatuor pulſus ſanum hominem indicari diximus, intelligas oportet, ideò fieri, quia illi quatuor ictus non ſolùm quatuor membrorum, cordis, pulmonum, veſicæ & hepatis ſtatum indicant, verùm etiam ſtomachi (cujus ſpiritus ſunt omnium pulſuum fundamentum,) unde iidem quatuor pulſus qualitates, quas in ſe habet reconditas, manifeſtant. Quare ſive quatuor ſive quinque pulſus repereris intervallo unius ſpirationis, ſanum hominem pronunciabis. At ſi deficere pulſus, hoc eſt, pauciores eſſe ad menſuram integræ ſpirationis advertas, pravè affectum eſſe corpus, non dubitanter pronunciabis. In promptu eſt cauſa, quia indicatur numerus pulſuum regularis modò aſſignatus vel exceſſu ſuo, vel defectu harmoniam vitæ vitiare vel deſtruere.

Sed audiamus Sinenſem textum:

Quare

Quare dicuntur pulſus alii plures, ſeu excedentes, alii verò pauciores ſeu deficientes? Quia ſcilicet, ſi ad intervallum exſpirationis vel introſpirationis ſolùm dentur duo pulſus, denunciant quidem hominem ſanum, ſeu rectè habere; Verùm, ſi dicto intervallo dentur tres pulſus, illi vocantur *li kim*, aberrantes à viâ; Si quatuor pulſus, vocantur auferentes perfectionem & integritatem, & ſi eodem quinque pulſus, vocantur periculoſi & mortales; Si verò ſex, vocantur vitam abrumpentes. Hi pulſus ſunt omnes excedentes.

Sed quare vocantur pauci ſeu deficientes? Quia ad unicam exſpirationem vel introſpirationem, ſi duntaxat unicus pulſus accidat, eſt item & vocatur aberrans à viâ. At ſi ad intervallum duarum exſpirationum unus integer pulſus fiat, vocatur auferens vitæ integritatem; Et ſi ad intervallum trium exſpirationum unus integer pulſus contingat, vocatur mortalis. Denique, ſi ad intervallum quatuor exſpirationum ſit unicus pulſus, vocatur abrumpens vitam. Et hi dicuntur pulſus deficientes. Porrò pulſus, qui ſunt plures, ſeu excedentes, incipiunt ab inferioribus ad ſuprema, & pulſus, qui ſunt pauci, ſeu deſcendentes à ſuperiori ad inferiora.

Comment. Quod dicitur in textu, intervallo exſpirationis ſi dantur duo pulſus, indicant ſanum hominem, ſi videlicet intervallo integræ ſpirationis ad minimum quatuor ſint pulſus, nam ſpiratio conſtat exſpiratione & introſpiratione; Atque ita, cùm de unâ parte ſpirationis (hoc eſt, introſpirationis) notat numerum pulſuum, itidem de alterâ intelligi vult parte (ſeu exſpiratione.) Et ſic de reliquis, ſeu excedentibus ſeu deficientibus. Sed quod refertur de deficientibus pulſibus, ſi intervallo introſpirationis accidat unus pulſus, intelligi debet, ſi tempore integræ ſpirationis advertas ſolùm duos pulſus, ejuſmodi pulſus vocari *pai me*, id eſt: deſtruentes & corrumpentes. Hi duo pulſus ex deficientibus, & illi ſex pulſus ex excedentibus ad intervallum unius integræ ſpirationis vo-

nis vocantur *li kim* aberrantes ab ordinariâ & connaturali viâ, unde infirmari homines judicant.

Quòd si excedentes seu plures pulsus integræ spirationis intervallo sint septem vel octo, & ex deficientibus seu p ucioribus contingat unicus solùm tempore integræ spirationis, tam hi quàm illi pulsus vocantur *to cuom*, auferentes integritatem vitæ, quòd nimirum spiritus subjugent sanguinem & exsiccent, ac vitæ flos vigorque marcescat, & calor illius violenter auferatur.

Si deinde intervallo unius spirationis excedentes pulsus decem advertas, & si advertas ex deficientibus unicum solummodo pulsum intervallo integræ spirationis & mediæ (hoc est, exspirationis) indicat, hominem subjici sepulchro. Nam duo hujusmodi pulsus dicuntur mortales. Si verò ex excedentibus ad intervallum unius spirationis percipias duodecim pulsus, scito, abrumpi & separari animam ; Et si ex deficientibus intervallo duarum integrarum spirationum unicus pulsus fiat, qui pulsus dicitur monstrosus, & vitam separari indicat, quippe membrorum destruitur temperamentum, & spiritu deficiente, anima abit, & mors sequitur. Isti sunt pulsus quatuor mortis.

Textus : Pauci seu deficientes pulsus ob quam causam sunt infirmantium ? Quia nimirum primi generis pulsus deficientes (puta, cùm intervallo integræ spirationis duo accidunt pulsus, qui destruentes vocantur) damnificant pellem, & ab illâ defluere capillos faciunt. Secundi generis pulsus deficientes (puta, cùm intervallo unius spirationis unicus pulsus fit, qui vocatur auferens integritatem vitæ) damnificant sanguinem, qui cùm evacuetur, atque perparum sui retineat, non potest vegetare & irrigare membra & intestina. Tertii generis pulsus deficientes (puta, cùm intervallo integræ spirationis & mediæ pulsus unicus accidat, qui dicitur mortalis) damnificat & exsiccat carnem, unde fit, ut cibi & potus marcorem

corem illius restaurare nequeant. Quarti generis pulsus deficientes (puta, cùm intervallo duarum spirationum integrarum unicus pulsus percipitur, qui monstrosus dicitur) damnificat nervos, quippe illorum remissio aut laxatio nequit jam curari. Quinti generis pulsus deficientes (puta, si intervallo duarum spirationum & mediæ pulsus unicus acciderit) damnificat ossa, & medullas exsiccat, quô fit, ut æger lecto affigatur, nec ampliùs surgere valeat.

Cum simili proportione discurrendum est de pulsibus excedentibus, qui morbos etiam ipsi indicant, sed in horum judicio illos faciunt ab inferioribus ad superiora, hoc est, à pulsibus illis, qui indicant ossa sicca, & causa sunt, ob quam æger è lecto surgere nequeat, usque dum veniatur ad pellis marcorem & defluxum capillorum, nam in pulsibus deficientibus morbi ascendunt quodammodo à superioribus ad inferiora, hoc est : à pellis marcore & capillorum defluxu usque ad ossium siccitatem. Qui autem hos vel illos pulsus habeat, indicantes morborum dictum progressum, omnino sibi mortem imminere credas.

Comment: Ex omnibus membris in loco superioris sedem habent pulmones, qui suis quasi alis membra alia tegunt, & intra se recipiunt omnium viarum motus, unde fit, ut via pulmonum sit ad instar maris, congregantis & reciprocantis omnes pulsus, quibus vitam confert vegetativam & vitales spiritus, & ad extrà quocunque se effundit, vegetationem tribuit pelli & capillis.

Quia verò morbi indicantur à pulsibus deficientibus, ascendendo in morbis à superioribus ad inferiora, ideo pulmones omnium supremum locum obtinentes, atque per suam viam pellem & pilos vegetantes, siquidem habeant primi generis deficientes pulsus, in primo loco manus dextræ necesse est primò quidem pellem marcescere, ac pilos defluere, unde morbus & mala constitutio pulmonum colligitur, & descenden-

ſcendendo ad inferiora, cùm cor (quod eſt Dominus ſanguinis) ſit infra pulmones, ideo pulſus deficientes ſecundi generis indicantes, malè affectum eſſe cor, indicant conſequenter, ſanguinem diminui, ſiccari, evacuari, unde ſequitur marcor in quinque membris & ſex inteſtinis ; Et cùm etiam infra cor reſideat ſtomachus, qui recipit quinque alimentorum ſpiritus (puta: tritici, orizæ, fabarum) per quos extrà quidem carnes alit, intrà verò membra & inteſtina: Ideo pulſus tertii generis deficientes damnum, quô fortè afficitur ſtomachus, indicant, & vel ex eo apparet, quòd nec cibus nec potus digerantur, unde neceſſe eſt carnem languere & marceſcere.

Rurſum cùm hepar (quod ſanguinis eſt officina) ſit infra circiter ſtomachum, ac illum ſanguinem conſervet, ac cordi ſubminiſtret, nervos item irriget, unguibusque tribuat vegetationem, ideo pulſus quarti generis deficientes malum, quod patitur hepar, manifeſtant, quod potiſſimùm in nervis, qui remiſſi & laxati corpus totum pari modo afficiunt, videre eſt.

Denique cùm veſica inferior ſit cæteris membris, & quinque membrorum ac ſex inteſtinorum vias conſervet ſuis ſpiritibus, fit, ut etiam ipſi capilli, oſſa & medullæ per ejus viam vegetentur, adeoque quinti generis pulſus deficientes malum & damnum veſicæ produnt, quod oſſa ipſa arefacta & marcida ſignificant ; Ex quo debilitas in corpore, & ſomni gravedo in ægroto oritur, qui è lecto ſe ampliùs erigere nequit.

Iſti quinque generum pulſus deficientes quinque genera morborum indicant, & hoc deſcendendo à morbis ſuperiorum membrorum ad inferiorum morbos; Puta à pulmonibus usque ad veſicam ſeu renes. Sed in excedentium pulſuum generibus contrarium accidit: Nam morbi inferiorum membrorum aſcendunt ad ſuperiorum membrorum morbos, puta à malo veſicæ usque ad malum pulmonum, ut ſuprà.

Textus:

Textus: Quâ ratione potissimùm mederi poterimus quinque jam dictis generibus deficientium pulsuum? Sanè hâc sequenti ratione: Si videas primi generis deficientes pulsus indicare morbum pulmonum, spiritus pulmonum restaurabis; Si secundi generis, indicare cordis morbum, motum spirituum & sanguinis attemperabis. Si tertii generis, morbum stomachi, medicina erit in potus & ciborum regulâ, frigida & tepida commiscendo. Si quarti generis hepatis morbum ostendentes, remissionem spirituum inducere oportebit. Si quinti generis, vesicæ morbum indicantes, augeas vesicæ qnalitates, quibus ipsa perficitur. Atque hæc quidem est ratio medicandi dictis pulsibus.

Comment. Frigus & cibi frigidi lædunt pulmones, ideo morbo pulmonum mederi debes per restaurationem spirituum, quibus dominantur. Nam per spiritus omnes pulsus perficiuntur, & ad naturalem statum reducuntur, unde etiam vigor pelli & pilis redit. Porrò tristitia & sollicitudo ac multa cogitatio lædit cor, quod dominatur sanguini, ideo morbo cordis medicari oportet per reductionem motus harmonici sanguinis & spirituum: Sic enim fiet, ut venæ spiritibus & sanguine repleantur, & motum pulsuum naturalem continuare pergant.

Cibus & potus nimius, ac multa defatigatio lædit lienem & stomachum, hujus namque qualitates quatuor anni tempestatibus tertio quôque mense magis apparent, & dominium suum in potum & cibos exercent; Hanc ob causam huic morbo stomachi mederi necesse est per ciborum ac potuum sapores, conformiter ad quatuor anni temporum frigidos vel tepidos spiritus, ut sic reductus ad suam temperiem possit alere carnes.

Ira & cholera nimia lædit hepar; Proinde hepatis morbis medicaberis, si dulcia comedas, v. gr. oryzam, quæ vino faciendo inservit, & ipsa dulcis est: Item bubulam & fructum

caò cù dictum, qui eſt ſimilis prunis & cæteris hujusmodi; Hepar enim naturam habet & qualitates celeres intenſas & vehementes. Verùm ſapores ac præcipuè dulcedo cùm ſint terrei temperamenti, remiſſas habent virtutes, ideoque intenſionem hepatis relaxant, quò fit, ut nervi, quibus dominatur hepar, attemperentur. Diuturna mora aut ſeſſio in locis humidis, nec non violenta contentio virium lædunt veſicam ſeu renes, veſica verò eſt fundamentum alimenti corporei. Morbis illis poteris mederi ſalis condimento, ſic enim reſtaurabis illius conſtitutionem & ſpiritus, per quos alit oſſa & oſſium medullas.

Et iſta quidem eſt regula medendi quinque generibus deficientium pulſuum: Et ex hâc colligitur, quomodo procedendum ſit in morbis, quos quinque genera excedentium indicant pulſuum.

Textus: Quidam pulſus habent unicâ exſpiratione tres ictus, & totidem unicâ introſpiratione; Item: una exſpiratione quatuor ictus, & unâ item introſpiratione quatuor: item quinque & quinque; item ſex & ſex; Aliqui verò pulſus unâ exſpiratione unum ictum, & unâ introſpiratione unum ictum; Item duabus exſpirationibus unum ictum, & duabus introſpirationibus unum ictum: item duabus exſpirationibus & duabus introſpirationibus unicum ſolùm ictum.

Sed quomodo cognoſces & diſtingues ex illis morbos? Reſpondeo: Si pulſuum ictus duo exſpirationis intervallo, & alii duo intervallo introſpirationis adveniant, utiq; nec magni nec parvi, vocabis eos pulſus æquales: Et ſi intervallo exſpirationis tres ictus, & introſpirationis tres alios ictus advertas, jam eſt morbus incipiens. Quòd ſi ictus pulſuum priores ſint magni, & poſteriores ſint parvi, ſcito, caput dolere, & oculos gravari & obſcurari. Si autem priores pulſuum ictus ſint parvi, & poſteriores magni, ſcito, pectus eſſe oppletum, & ſpiritus ſeu reſpirationem eſſe anguſtam.

Comment:

Comment: Si tempore unius integræ ſpirationis, (quæ extraſpiratione & introſpiratione conſtat) ictus pulſuum quatuor, nec adeo magni, nec adeo parvi, ſed mediocres ſunt, ſanum indicant hominem; Sed ſi hoc tempore ſex ictus advertis, celer eſt pulſus, & morbi initium deſignat.

Si ictus priores pulſuum (puta in primo loco) ſunt magni, & poſteriores pulſus (puta in tertio loco) ſunt parvi, (quia primus locus pulſuum cœlo eſt ſimilis, & ſupremam partem à pectore ad caput regit,) oſtendit capitis in cerebro dolorem, & oculorum, cùm moventur, gravitatem & obſcuritatem; Quòd ſi pulſus ſeu ictus priores ſunt parvi, & poſteriores magni, hoc eſt, poſt locum primum pulſuum: Si in ſecundo loco, qui ad mediam ſeu ſecundam regionem corporis ſpectat, (quæ homo dicitur) ſignificant, pectus eſſe oppletum, & genua gravari, adeoque pedibus inſidere tarditatem.

Textus: Intervallo unius exſpirationis quatuor ictus, & introſpirationis alii quatuor ictus magnum morbum indicant. Si pulſus ſint exundantes & magni, moleſtiam & inquietudinem ægri denunciant. At ſi ſint profundi & ſubtiles, intra ventriculum dolorem; Si etiam ſint pulſus crebro-acuti, læſionem à frigore; Si denique pulſus ſint obtuſo-rari percepti, humores intus eſſe multos frigidos judicandum.

Comment: Intervallo unius ſpirationis octo ictus oſtendunt, malum invaluiſſe: Et ſiquidem exundantes ſint & magni, morbus eſt in viâ triplicis caloris primig., nam ob multum calorem pulſus multi fiunt, & cor & pectus triſtitiâ repleri, & moleſtiâ & inquietudine ex frigore & calore exortâ indicant. Quòd ſi autem pulſus ſunt profundi & ſubtiles, morbus eſt à viâ triplicis humidi radicalis, multum enim humidum, dominans frigido, oſſium dolorem cauſatur & efficit, ut ſpiritus caloris primigenii lædantur ab extrinſeco nimio calore. Denique ſi pulſus fuerint obtuſo-rari, indicant, parùm eſſe ſangui-

 nis, ac

nis, ac vaporum ex nimio frigore esse abundantiam, unde intra viscera murmur personat.

Textus: Percepti intervallo exspirationis quinque ictus, & introspirationis alii quinque ictus, ægrum denunciant vehementer affligi; Porrò si sint profundi & subtiles, & de nocte veniant, ac deinde nutantes & magni evadant, de die verò neque magni neque parvi appareant, quamvis sit morbus difficillimus, potest curari. Quòd si duntaxat sint parvi & magni, difficillimè curabis, nam pulsus illi subtiles magni de die sunt multi.

Comment: Octo ictuum pulsus vocatur separationis, novem ictuum mortalis; Ista verba innuunt. Quòd si decem ictuum sint pulsus tempore plenæ spirationis, ægrotum subjici sepulturæ, nam morbus difficillimus & molestissimus est: Et si pulsus sint profundi ac subtiles, humidum valde auctum: Si natantes & magni, calorem valde auctum de die; Si nec magni, nec parvi, nec natantes, nec profundi, morbus, etsi difficilis & vehemens, potest curari; Quòd si pulsus inconstantes, hoc est: modò sint magni, modò parvi, modò celeres, modò tardi, certam mortem imminere, indicium est.

Textus: Percepti tempore exspirationis ictus sex, & totidem tempore introspirationis, indicant mortem; Si illi pulsuum ictus sint profundi, nocte mors contingit; Si sint natantes & magni, de die moriturum ægrum nunciant.

Comment: Unius spirationis intervallo duodecim ictus nunciant, animam seu vitam abrumpi. Ratio hujus est: quia calor primig. omnino nimius est. Si pulsus deprehendantur profundi & subtiles, & nox instet, sequitur, eâ ipsâ nocte mori ægrotum; Si verò sint magni & natantes, de die morietur, nam tum humidum radicale à calore primigenio separatur. Et hæc dicta sufficiant de multis pulsibus seu excedentibus, nam quod sequitur, est de paucis seu deficientibus.

Textus: Intervallo exspirationis unus ictus, & introspirationis

tionis alter ictus, est pulsus deficientis. Qui hunc habet, quamvis possit ambulare, non potest evadere, quin tandem in lectum incidat, quia sanguis & spiritus non sunt sufficientes.

Comment: Pulsuum deficientium genus, quod spatio unius spirationis integræ duos solùm ictus habet, & aliud genus, quod spatio unius spirationis unicum tantùm ictum habet, vocatur pulsuum corruptorum, quia videlicet membra & intestina habent malum exinanitionis, & amiserunt perfectionem, vigorem & alimentum, eò quòd sanguis & spiritus non sufficiant.

Textus: Intervallo duarum exspirationum unus ictus, & aliarum duarum introspirationum alter unus ictus vocantur sine animâ, quia ejusmodi hominem mori necesse est; Et licèt æger possit incedere, nomen obtinet vivi cadaveris.

Comment: Tempore spirationis integræ, quô fit unicus pulsus, anima ad calorem primigenium & corpus ad humidum radicale respicit, & calore etiam desinente, anima abit, æger autem, etsi incedat & moveatur, vivum cadaver appellatur.

Textus: Primus locus pulsuum in manibus si habeat pulsum, & tertius locus pulsuum, si illo careat, hominem illum necesse est vomere; Quòd si non vomat, omninò moritur. At si superior locus pulsu careat, & in tertio loco reperiatur, quamvis erit maxima difficultas & infirmi afflictio, non damnum mortale ex se affert, quia homo habens pulsum in tertio loco constanter, similis est arbori, quæ habet radicem, ramos & folia; Quòd si rami & folia exarescant, radix tamen remanet, unde cætera propagata sunt, Non est itaque de eo desperandum.

Comment: Si tertius locus caret pulsu, signum est, vitiô oppletionis laborare superiora, unde necesse est aut per vomitum oppletionem tollere, aut per spiritus inde progenitos suffocari interiora, ex quo mors. Porrò in sinistræ manus tertio loco pulsus ad viam vesicæ pertinet, in dextræ tertio loco ad

viam portæ vitæ pertinet, ambo enim recondunt ſpiritus, cùm ſint illorum locus & origo. Quare ſi primus locus in manibus careat omni pulſu, & tertio loco appareat, clarum eſt, originales ſpiritus perſeverare & conſervari ; Ideoque bene colligitur, necdum mori, qui illos habet.

Colligitur primò : Quare tam primi generis deficientes pulſus (ut : cùm intervallo integræ ſpirationis unicus tantùm pulſus fit) quàm excedentes (ut: cùm in intervallo ſpirationis ſex pulſus fiunt) vocantur aberrantes à viâ ordinariâ ? Quòd ſcilicet ſi tempore ſpirationis integræ contingat, ſpiritus & ſanguinem in corpore humano promovere ad ſex menſuras digitales, excedentes pulſus eodem tempore ſeptem menſuras conficerent ; Unde ſequitur, ut circuitum abſolvant celeriùs & citiùs, adeoque quaſi tertia pars (ob celeritatem pulſuum) temporis regularis ſuperſit.

Contrà in deficientibus pulſibus tantundem retardare neceſſe eſt & deficere à tempore regulari, ex quo patet, tam hos quàm illos à viâ aberrare ordinariâ. Idem cum proportione dicendum eſt de pulſibus tam deficientibus, quàm excedentibus ſecundi, tertii, quarti & quinti generis diſcurrendo reperies, quos omnes deficere comperies à menſuris ſpirationum ſani hominis ; Item revolutionis cœleſtis, item artificialis temporis in horologio aqueo : deniquè à curſu æquabili & ſpatio venarum in corpore humano ſuprà annotatis ; vel contrà excedere illas menſuras in excedentibus pulſibus.

Nunc unicum eſt perſequendum obiter : an dictarum menſurarum pulſus præſcripti in omni ætate & ſexu reperiantur hominum, an videlicet in puero & adulto, pingui & macilento, procero & brevi, tardo & agili, mare & fœminâ menſura ſit eadem pulſuum, vel ſaltem, an qualitas illorum pulſuum in illis ſit diverſa, & an aliquando pulſus ſiſtant & interpolent, & quid illa quies ſeu interpolatio portendat; Deniq; an pulſus

pulſus certo conſtans numero certa judicia temporum, mortis vel morborum dare poſſit?

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

An relata menſura ſpirationum eadem ſit in pueris & adultis, an qualitas pulſuum eadem ſit in mare & fœminâ, macilento & pingui, procero & puſillo, tardo & agili, & an pulſus ſiſtant, & in quam notitiam temporis, morborum & mortis venire quis poſſit, ex illâ quiete ad certum numerum pulſuum?

TExtus: Puerorum triennalium usque ad quintum annum ætatis, exſpirationis & integræ introſpirationis tempore, neceſſe eſt diligenter conſiderare pulſum, nam ſi ictus dicto tempore ſint octo, ſani ſunt, ſi novem, malum interius habent, ſi decem aut duodecim, morbus eſt difficilis, maximè verò, ſi ſint ictus modò breves, modò longi, modò parvi, magni, non carent periculo mortis. & malum radicatum oſtendunt.

Comment: Parvulorum pulſus omnino diverſi ſunt ab adultorum; Similiter: Si homo procerus habeat pulſum ſubtilem, & tenuis atque exilis magnum, lætus pulſum plenum, & triſtis pulſum vacuum, excitatus remiſſum, & gravis ac tardus velocem, agreſtis & groſſus delicatum, delicatus groſſum pulſum, brevis ac puſilli corporis longum, macilentus magnum, procerum corpus exundantem, & robuſtus tenuem, pinguis parvum, aut æger laborans fluxu alvi vel ſanguinis pulſum magnum, omnes iſti pulſus ferè ſunt prænuncii Mortis, aut morbum periculoſiſſimum indicant. Quare exploraturus pulſum diligenter advertet animum, an homo ſit altus, brevis, agilis, tardus &c. an pulſus reſpondeant nec ne in tribus pulſuum locis utriusque manus ingenitæ, cujusq; conditionis ſeu complexionis.

An ve-

An verò maris & fœminæ pulſus obſervent eadem loca aut menſuram, quæſtio eſſe poſſit? Reſpondent Sinenſes Medici, maſculorum locum tertium utriusque manus *che* dictum ſemper habere debiliores pulſus, contrà in fœminis utriusque manus primi loci *cun* eſſe pulſus debiliores, & tertii loci robuſtiores. Quare (inquiunt) ſi reperias in viro, locum tertium *che* pulſus habere ſolidos, ſcias, illum hominem pulſum fœminæ habere, qui pulſus in viro eſt ex deficientibus; Si verò in fœminâ in *che* loco tertio pulſum debilem reperias, intellige, fœminam habere pulſum viri, qui pulſus ſunt ex excedentibus, unde tam virum quàm fœminam malè habere judicabis.

Textus: Pulſus ſunt alii naturales ſeu ordinarii, alii ſunt contra naturales ſeu extraordinarii. Maris & fœminæ pulſus quare ſunt oppoſiti? Quia nimirum primus vir cœpit vivere ad principium horæ *ym* (Eſt tertia & quarta poſt mediam noctem) quæ hora pertinet ad *yam* calorem primigenium, & prima fœmina cœpit vivere horâ *Xin* (eſt tertia & quarta poſt meridiem) quæ ſpectat ad humidum radicale, ideo viri pulſus primus ſeu principalis eſt infra locum ſecundum, ex quo fit, ut pulſus in tertio loco *chĕ* in viro ſint debiles, & in fœminâ ſint ſolidi ordinariè loquendo; Nam ſi contrà evenit, vir aſſequitur pulſum mulieris, & mulier viri.

Comment: Pulſus vel pertinent ad humidum radicale, vel calorem primigenium, vel ſunt in viis naturales, vel præternaturales. Fœminæ & viro ſunt propriæ ſuæ complexiones, quare? Quia (per Sinenſes) vir, qui primùm in rerum naturâ apparuit, horâ *ym* creditur exſtitiſſe, cui calor primigenius dominatur, & qualitatem validiorem habet; Fœmina verò hora *Xin*, cui dominatur humidum radicale, cujus qualitas debilior eſt; Jam verò tres viæ caloris primigenii à primo loco, & tres viæ humidi radicalis à tertio loco motum ſuum ordiuntur, ideo fit, ut pulſus in viro in loco primo fortiores ſint, & pulſus in fœminâ in tertio loco, & contrà in tertio loco debiliores

biliores ſint in viro, & in fœminâ fortiores ſint, quàm in primo, præter alias multas rationes, quas afferunt Sinenſes.

Textus: Morbus quomodo homini accidit? Si nimirum vir habet pulſus fœminæ (qui ſunt deficientes) indicant, morbum eſſe interius; Ad dextram quidem, ſi pulſus ſit ad dextram ad ſiniſtram autem, ſi pulſus ſit ad ſiniſtram. At ſi fœmina habeat viri pulſus (qui ſunt excedentes) morbus eſt in membris, & ſi pulſus ſunt ad dextram, vel ſiniſtram, morbus ſimilis erit.

Kipeus Author inquit: Pulſus, qui non obſervant, ſed deſtruunt quatuor anni tempeſtatum qualitates, ſunt vel deficientes, vel excedentes: Loquendo de deficientibus, oriuntur illi ex eo, quòd parùm ſit humidi radicalis, quod oſſibus dominatur, & facit illa replendo gravia, pulſus ejusmodi ſunt ſummè deficientes. Quòd ſi quem advertas bibere & comedere parùm, & ſemper minùs ac minùs, ſcito, corpus marceſcere, & quodammodò imminui. Pulſus, qui hoc indicant, vocantur deficientes à fine intento. Si verò videris hominem dormiturire & quieſcere, nec tamen egerere, & oculos aut aures non rectè ſuo officio fungi, pulſus id indicantes, vocantur deficientis corporis pulſus. Si deinde advertas, exſpirationem & introſpirationem non ſibi mutuò reſpondere, item quinque colores in corpore vigorem deperdere, pulſus, qui tunc repeniuntur, vocantur animæ deficientis. Denique, ſi quatuor partium corporis (puta: pedum duorum, & totidem manuum, quæquæ illis annexa ſunt) pulſus videas perturbatos, ſunt & dicuntur illi pulſus ſpirituum deficientium.

Præter hos ſunt alii pulſus ſummè deficientes ſpatio triginta annorum, hoc eſt, qui non niſi trigeſimo anno vitam ablatum iri indicant; Alii pulſus medio modo deficientes, ſpatio viginti annorum, hoc eſt, qui indicant, vigeſimo anno ætatis vitam finitum iri; Alii pulſus minimè ſeu admodum parùm deficientes ſpatio decem annorum, hoc eſt, qui decimo anno vitam abruptum iri indicant. Hos pulſus relatos ſcito repe-

riri vere, æſtate, autumno & hyeme. Quare ſi ſanus homo ſit corpore procero, & habeat pulſum brevem, ſcito illius pulſus eſſe primi generis, qui multùm deficiunt.

Si autem homo ſit brevis ſtaturæ, & pulſus habeat longos, ſcito, illius pulſus eſſe ſecundi generis, qui minùs deficiunt, & vitam promittunt minoris temporis ſeu medii, viginti ſcilicet annorum. Si ille pedes & manus habeat exiles, illius pulſus dicendi ſunt tertii generis, qui admodum parùm deficiunt, perexigui temporis annorum, ſcilicet decem, vitam pollicentur. Quòd ſi advertas, aliquem deficere in ſpiratione ac ſpirituum perfectione, intellige, illum diu vivere non poſſe ordinariè.

Si in Maris ſiniſtrâ manu pulſus *tuon* breves, & in dextrâ *cham* longi ſint, indicant, eſſe pulſus caloris primigenii deficientis, & vitam ſolùm medii anni promittunt. Si in fœminæ dextrâ pulſus ſint breves, & in ſiniſtrâ longi, indicant, eſſe pulſus humidi radicalis deficientis, & ſolùm vitam ſemeſtrem fœminis promittentis.

Præter enumeratos pulſus deficientes ſunt alii, de quibus infrà, ubi de mutatione quatuor anni tempeſtatum dicetur fuſiùs, ut cùm v. gr. verni pulſus temporis, qui eſt in loco hepatis viæ, (hoc eſt, in ſecundo puncto ſiniſtræ manus) ſtomachi viæ pulſum obtinet, vocatur ſtomachi deficiens pulſus; Et cùm æſtate pulſus cordis in primo loco ſiniſtræ eſſe debeat, ſi ibi viæ veſicæ vel pulmonum pulſus apparent, vocantur pulſus deficientes veſicæ vel pulmonum. Si in autumno in loco primo dextræ debent videri pulſus pulmonum, quòd ſi apparent hepatis vel cordis, vocantur pulſus deficientes hepatis vel cordis. In hyeme, ſi pulſus viæ veſicæ aut renum in loco tertio ſiniſtræ manus contenti apparent, contrà, ſi cordis vel ſtomachi viarum ibi pulſus appareant, appellantur cordis vel ſtomachi deficientes. Quæ omnia oportet diligenter animadvertere, an videlicet primo loco *cum keu* ſint pulſus interrupti, an verò pòſt: Quia ſi in primo loco

nullus

nullus ſit pulſus, & in tertio ſint inſtar tenſæ chordæ, pulſus illi habent adhuc ſtomachi ſpiritus; At ſi loca ſuperiora & inferiora nullos habeant pulſus, mortem indicant; Si illa vel hæc non omnino pulſibus careant, viventem adhuc hominem indicant.

Atq; iſti ſunt deficientes pulſus.

Excedentium pulſuum ſunt indicia, cùm quis vocis ſonum habeat valde profundum, & aſpiciendo res non adeo remotas, turbata omnia & confuſa, quaſi unum quid eſſet; Vocantur hi pulſus excedentes ſeu deficientis animi. Et ſi corpus ſit obeſum & magnum, & cibi potûsque multum abſumat, pulſus, qui tamẽ reperiuntur, ſunt multa ſollicitè meditantis, excedentes vocantur, & ſi aliena loquuntur, & non ſolùm pedibus, ſed & manibus videntur ambulare, deficientis corporis pulſus excedentes vocantur. Et ſi habent colorem herbarum, pulſus excedentes, qui tum ſunt, animæ deficientis vocantur. Si videas exiles aut parvos pulſus, & exſpirationem ac introſpirationem non ſibi reſpondentes, vel magnam, intelligitur, illos pulſus eſſe ex excedentibus. Atque hæc ſunt indicia illorum ab Imperatore Hoâmti Medicorum antiquiſſimo Poſteris tradita.

Sed de interpolatione pulſuum prognoſtica inquiramus.

Textus: Cujus pulſus ſemel dat ictum, & alterâ ſiſtit vice, ille alterâ die moritur.

Comment: Alius liber habet: poſt unum diem moritur.

Textus: Pulſus duorum ictuum, & poſt hoc ſemel ſiſtens ac interruptus, tertiâ die mortem denunciat.

Pulſus dans tres ictus, & poſtea ſiſtens, quarti diei mortem & interdum quinti.

Dans quatuor ictus, & poſtea ſemel ſiſtens, ſextâ die mortem denunciat.

Dans quinque ictus, & pòst semel sistens, quintâ die & interdum septimâ mortem.

Pulsus dans sex ictus, & dein sistens, octavâ die mortem.

Dans septem ictus, ac dein sistens, nonâ die.

Dans octo ictus, ac dein sistens, decimâ die mortem.

Pulsus dans novem ictus, & dein sistens, decimâ die, & interdum undecimâ die mortem indicat.

Comment: Alius liber habet, etiam decimâ tertiâ die mortem, & quidem principio veris denunciat.

Pulsus dans decem ictus, & postea sistens, principio æstatis mortem denunciat.

(Comment: Liber alius habet: principio veris moritur.)

Pulsus dans undecim ictus, & postea sistens, in solstitio æstivo moritur.

(Comment: Liber alius habet: initio æstatis, & alius: initio autumni.)

Pulsus duodecim vel tredecim dans ictus, & postea sistens, initio autumni moritur.

(Comment: Alius liber habet: initio hyemis)

Pulsus quatuordecim vel quindecim ictus dans, & postea semel sistens, initio hyemis moritur.

(Comment: Unus liber habet: initio æstatis proximæ)

Pulsus viginti ictus dans, & postea sistens, post unum annum mortem indicat, quæ accidit initio autumni.

Pulsus viginti & unius ictuum, & post hoc sistens, post duos annos mortem indicat.

Pulsus viginti quinque ictuum & postea sistens, initio hyemis moritur. (Comment: Alius liber habet: Post unum annum moritur, & interdum post duos.)

Pulsus triginta ictuum, & pòst semel sistens, post duos annos & interdum post tres moritur.

Pulsus triginta quinque ictuum semel sistens post tertium annum moritur.

Pulsus

Pulſus quadraginta ictuum ſemel ſiſtens, poſt quartum annum moritur.

Pulſus quinquaginta ictuum ſemel ſiſtens, poſt quintum annum moritur.

Pulſus venientes & abeuntes ſine interpolatione, quiete & ſtatu, ſic ut non interrumpant, quinquaginta ictus, oſtendunt, omnia membra & inteſtina habere ſpiritus, & propterea carere morbo.

Comment: *Sien kiñ ſan* liber ſic dictus, inquit: Quinq; Elementorum Spiritus abſoluti humidi radic: & caloris primig. numeros complent, ſimul etiam manifeſtant, permeare ſanguinem & ſpiritus ingredientes & egredientes motu ſuo per vias pulſuum, & percurrere illas intervallo noctis ac diei.

Pulſus quadraginta vicibus veniens, & poſtea ſemel ſiſtens, oſtendit, unum membrum deſtitui ſpiritibus, adeoque mortem poſt quartum annum obventuram, tempore illo veris, quo herbæ naſcuntur.

Pulſus triginta vicibus veniens, & poſtea ſemel ſiſtens, oſtendit, duo membra eſſe ſine ſpiritibus, ideoque mortem obventuram poſt tres annos, eo tempore, quo triticum matureſcit.

Pulſus viginti vicibus veniens, & poſtea ſemel ſiſtens, oſtendit, tria membra eſſe ſine ſpiritibus, adeoque futuram mortem poſt biennium, quo tempore mori arboris fructus matureſcunt & rubeſcunt.

Pulſus veniens decem vicibus, & deinde ſemel ſiſtens, oſtendit, quatuor membra carere ſpiritibus, & futuram mortem intra medii anni ſpatium. Et ſi evadit, cùm advenit tempus *ci in mi in* quod ſignificat tempus mutationes perfectioris claritatis, & eſt tempus circa ſecundam lunam, (incipiendo annum Sinicum à primâ lunâ, quæ eſt circa initium Februarii) moritur. Et ſi etiam hoc tempus evadit, mors differri diutius multò non poterit, nam tempore ſequenti mutationis

kö yn dicto, quod significat segetum pluviam, & est circa tertiam lunam.

Pulsus ictibus quinque veniens, & deinde subsistens, indicat, quinque membra sine spiritibus, & ideo mortem futuram post quinque dies.

Porrò, si videris, unius pulsus ictum diu hærere & morari, scito, fortem morbum esse in corde, & medium illius occupare. Si duorum pulsuum duos ictus similiter hærere, & moram trahere, scito, morbum esse in hepate, & illius extrema occupare. Si advertas, tres pulsuum ictus diutius hærere, scito, morbum esse in stomacho, & in illius infimæ partis medio residere. Si quatuor pulsuum ictus diutius morari sentias, scito, morbum esse in vesicâ seu renibus. Si quinque pulsuum ictus percipias diutiùs morari, scito, morbum esse in pulmonum extremitatibus.

Hos quinque proximè memoratos pulsus si habeat æger corpore delicatus vel obesus, mori illum necesse est, & nulla medicina ei prodest. Si sit æger corpore moderatè pleno, possunt dictorum pulsuum attemperari spiritus.

Colligitur primò ex hoc & præcedentibus capitibus, quæ mensura temporis sit ad pulsus necessaria, & quare illam adeo sollicitè Sinenses observent. Adverte autem diligentissimè, per pulsus, quos reperies in tertio loco, sive naturales illi sint, sive præternaturales, statum tertiæ regionis corporis indicare, quos verò invenies in primo loco *cum keu*, statum supremæ regionis corporis, & quos invenies in medio seu secundo pulsuum loco, statum mediæ regionis corporis : In quo medio loco, si pulsus sint spectantes ad calorem primig., manifestant ab umbilico ad caput primam regionem corporis; Si verò sint pulsus ad humidum radic. spectantes, manifestant ab umbilico ad pedes statum infimæ partis corporis. Cùm verò accidit in primo loco nullos reperiri pulsus, ideo fit, quòd pulsus tertii loci non procedant ad medium locum, quia humidum ra-

dum radic. deſtruitur & deficit, quoniam deſtructo humido radicali & exiguo apparente calore primig. mortem ſequi neceſſe eſt. Collige hinc, tria loca pulſuum, ſive habeant aliquos pulſus, ſive nullos, indicare frigus ſtomachi, quod eſt in causâ, quare pulſus minùs perveniant ac pulſent. Idcircò primus locus *cun këu* habens pulſum, & tertius eo carens, indicat, hominem omninò vomiturum, & ſi non vomat, moriturum. Si primus locus ſit ſine pulſu, & tertius habeat pulſum, licèt ſit difficilis curatu morbus, ſpem vitæ facit, ſicut radix, quæ arefactis ramis adhuc viget ipſa, & fructus olim ſpondet. Et ſi perceptô, qui ſolet eſſe pulſus ſani hominis, accidat tamen, eundem mori, inde fit, quòd viæ ſpirituum repleantur in veſicâ ſeu renibus, nec non in portâ vitæ, & omnino intercipiantur.

Colligitur ſecundò, ex quo ſit vitæ cauſa, & ubi reſideat, & quomodo per corpus propagetur, ac per pulſus perfectio illius ac defectus cognoſcantur. Cùm verò jam pulſuum loca aſſignaverimus, & motûs (qui eſt cauſa illorum) oſtenderimus tam mobile quàm menſuram, in quâ ille motus incipit & deſinit, reſtat, ut de pulſibus ipſis eorumque qualitate agamus, proinde pulſuum genera, quæcunque à Sinenſibus proferuntur, adducemus & definiemus, ac etiam ad ipſam imaginationem imaginibus, quas illi adhibent, exprimemus, ſicut in veteribus & neotericis reperimus; Tum verò pulſus ordinarios ſeu naturales ſex (trium locorum in dextrâ & trium locorum in ſiniſtrâ) hoc eſt: ſex vitæ fontium (membrorum videlicet & inteſtinorum) deſcribemus, ac poſtea, an ſemper iidem pulſus connaturales perſeverent, an verò pro viciſſitudine qualitatum quatuor anni tempeſtatum mutentur, perquiremus, & irrepentes vitioſos pulſus ac contra naturales per quatuor anni tempeſtates aperiemus; Item, quomodo ex pulſibus omnium morborum ſymptomata cognoſci & prædici poſſint, atque etiam ex coloribus, vocis ſono, appetitu, ſomniis atque

aliis

aliis ſignis ea colligant Sinenſes, docebimus, & ſi tempus ſuperſit, de morbis, febribus, ac morte ipſa agemus, ac praxin omnium annotabimus; Ad extremum de ratione medendi uſitatâ à Sinis proferemus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Pulſuum genera, quæ à Sinenſibus aſſignantur, deſcripta etiam in imaginibus; Item: Quæ Elementa & quatuor anni tempora dominantur illis, nec non cujus membri vel inteſtini naturam ſortiuntur.

OStendimus ſuprà, calorem primigenium & humidum radicale congruè & aptè unita vitam tribuere, & eam in totum corpus diffundere, operâ motûs ſanguinis & ſpirituum, ex quo motu pulſus exorti indicant vitæ in locis manuum aſſignatis vel bonam vel malam conſtitutionem. Hôc poſitô, cùm de pulſibus agere inſtituamus, illos habere naturam motûs & mobilium, à quibus ſunt, neceſſe eſt declarare. Quare cùm motus ſit triplex ſecundùm triplicem viam caloris primig., & iterum alius triplex ſecundùm triplicem viam humidi radic., ſequitur, pulſus ſive ex hoc ſive ex illo motu exortos, tam connaturales quàm præternaturales quoſdam ſpectare ad calorem primigenium, & quoſdam ad humidum radicale; Item, cùm illæ duæ qualitates diverſimode in diverſis originibus Elementa & eorum virtutes includant, pulſus quoque diverſos ad diverſa Elementa ſpectare. Denique, cùm in viis exoriantur, vel in vias irrepant, etiam naturam originum habere illarum debent, quarum virtutes magis participant.

Nunc primò pulſuum omnium deſcriptionem (quam alibi expreſſam ſuis imaginibus reperies) an ſcilicet ad *yâm* vel *iñ* pertineant, cujus item Elementi & conſequenter originis (membri

(membri inquam & inteſtini) naturam habeant, & nomen proponemus. Quomodo autem ex pulſibus ſingulis in locis ſex pulſuum deprehenſis divinare quis queat morbos, ſymptomata & affectiones cujusque partis, infrà dicemus.

Pulſuum genera vulgò recepta ſunt hæc: *Mĕ ciĕ piáo* ſeptem, quæ ad extra ſunt, & *me chum pa* octo, quæ ad intra ſunt; Deinde *kieŭ tao mĕ*, novem viarum pulſus; Poſtea ſunt pulſus octo, *k'í kim̃ pă mĕ* extraordinariarum viarum; Denique ſunt pulſus *quay mĕ* monſtroſi ſedecim, qui omnes ſunt mortales.

Septem pulſuum, qui extrà apparent, & ad *yâm* calorem primig. pertinent, deſcriptio.

1. *Feu:* pulſus natans in ſuperficie ad *yâm* ſpectat. Ictus, quem digitus explorando percipit, deorſum deficere videtur, & ad ſuperficiem ſuperabundare, quem ſi iterum atque iterum explores, videbitur eſſe quaſi *t'aí quo* pulſus multùm excedens.

Comment: Quòd videatur hic pulſus deorſum deficere, provenit ab *in* humido radicali; Quòd verò elevatus habeat exceſſum, provenit ab *yâm* calore primig. multùm excedente. Antiquiſſimus liber hunc pulſum deſcribit: Pulſus *feú* facit ejusmodi planè motum, qualem efficit folium ceparum, cùm depreſſum ſe ſurſum reducit.

Subjicitur Elemento Synico *kiñ* metallorum.

In morbis repertus indicat pulmonum ventum.

2. *Keu* pulſus ad *yâm* pertinet, digitis explorans ictum natantem, & magis reperit in utroque extremo, ſed in medio ruptum & vacuum, unde hic pulſus non eſt integer.

Comment: Ignis caloris primig. pulſum intendit, & natare facit, qui, cùm ſit natans, quia ſine viribus in medio eſt vacuus, & in duobus extremis plenus.

Antiquiſſimus liber inquit: *Keú* pulſus habet duo capita, ſed in medio illorum eſt vacuus.

Subjicitur Elemento ignis, repertus in morbis, ſanguinis multitudinem atque evacuationem ſignificat.

3. *Hiĕ* acuto-creber, pertinet ad *yâm*. Digitus explorans illum in tribus locis manuum invenit. Ejusmodi videtur eſſe tactus, cujusmodi fit à gemmâ rotundâ decurrente, & ſi iterum palpas locum, cadens ictus eſſe videtur, & qui nec ingreditur nec egreditur.

Comment: *Hiĕ* pulſus habet caloris primig. aqueam qualitatem. Antiquiſſimus liber, *hiĕ*, inquit, pulſus videtur eſſe ſimilis motui gemmæ, quæ accedit & recedit, & in fine acuta eſt vel pungens. Subjicitur Elemento aquæ; Repertus in morbis indicat vomitum, cui ventus contrariatur.

4. *Xĕ:* Plenus & ſolidus pulſus pertinet ad *yâm*; Ictum illius digiti inveniunt integrum, qui cùm elevatur, habet exceſſum.

Comment: Pulſus plenus eſt ignis caloris primig. Idem liber ait: Plenus pulſus in medio videtur natare.

Alius liber antiquus ait: Pulſus plenus idem eſt cum longo: Subjicitur ignis Elemento, repertus in morbis ſignificat, cordis calorem ſuffocari.

5. *Hiên*. Eſt pulſus chordæ extenſæ, pertinet ad *yâm*. Qui illum explorat, deorſum non ſufficere, ſed elevatum excedere percipit.

Similis eſt arcûs intenſi ictui, interdum eſt frequens liber antiquus idem dicit.

Subjicitur Elemento Sinico arborum ſeu aëri, repertus in morbis, indicat oculorum dolorem & nervorem defatigationem.

6. *Kiù*, vehemens, intenſus & validus, pertinet ad *yâm*. Digitus explorans in tribus manuum locis excedere illum intelligit, & cùm elevatur, valde celerem. Aſſimilatur torrentis curſui intenſo.

Liber ait: *Kin* pulſus vocatur tenſæ chordæ ſimilis; Subjicitur

citur Elemento arborum ſeu aëris, repertus in morbis indicat, dominari ventum, & ex eo exortum dolorem.

7. *Kum* exundans, pertinet ad *yâm*. Qui illum explorat, infrà eſſe valde magnum, & cùm elevatur, excedere percipit.

Liber habet: Cùm elevatur, excedit, & valde magnus eſt. Subjicitur Elemento ignis. In morbis repertus ſignificat, dominari calorem & capitis dolorem.

Octo pulſuum genera, qui ad intrà ſunt, & pertinent ad *iñ* humidum radicale.

1. *Vî* pulſus parvus, pertinet ad *iñ*. Eſt ictus, qui cùm quæritur, accedit & abſcedit valde exiguus, iterum verò atque iterum perquiſitus modò videtur eſſe, modò non eſſe.

Comment: Pulſus parvi regula eſt: Ille ictus, qui in autumno & hyeme ſolet eſſe, oritur ab humido radicali.

Liber antiquus idem ait: Pulſus parvus ſubtilis eſt, prorſus ac ſi quis filum ſericum palpet. Subjicitur Elemento terræ; In morbis repertus groſſum ſanguinem ſignificat & corruptum, & ideo defluentem, etiam triſtitiam ob exceſſum humidi & defectum caloris.

2. *Xîn* profundus ad *iñ* pertinet. Ictus cùm quæritur, deorſum videtur percipi, ſed ubi elevatur, abſolutè non apparet; Remiſſus pervadit tria loca pulſuum, & inſtar mollis goſſypii percipitur.

Comment: Pulſus profundus eſt ab aqueo humido radicali, contingit nervos, innititur oſſibus, naſcitur propriè ex ſpiritibus humidi radicalis deficientibus & contrariis, & excludit ſpiritus caloris primigenii.

Liber idem ait: Profundus pulſus tactum afficit planè inſtar goſſypii mollis, invenitur proximè ad oſſa, ſubjicitur aquæ Elemento, in morbis ſignificat copiam ſpirituum frigidorum.

3. *Huôn*, id eſt remiſſus, pertinet ad *iñ*. Ictus ad digitum cùm accedit & recedit, tardus & lentus eſt, & pulſus ex non magno & tardo componitur, vocaturque remiſſus.

 Comment:

Comment: Est à magno calore, cùm ventus lædit motum sanguinis & spirituum, qui adeò se non possunt mutuò pervadere.

Liber ait: Pulsus remissus est, cùm parvus & tardus accedit & abscedit paulatim. Subjicitur Elemento terræ. In morbis repertus indicat stomachi calorem & putridum teporem.

4. *Ci*, obtuso-rarus, pertinet ad *in*. Exploranti digito adesse videtur infrà, sed ubi elevatur, non percipitur, in principio vacuus, in fine plenus, qui mox etiam dissipatur, & ob subtilitatem difficulter reperitur.

Comment: Est talis eò, quòd sanguis sæpius est læsus.

Liber ait: *Ci* pulsus similis esse videtur, cùm quis cultro superficiem corticum cannæ seu arundinis sæpius radit. Subjicitur Elemento metallorum. In morbis significat, ab humido radicali sanguinem corrumpi, & in prægnante proximum partum, & si non gerat uterum, corrumpi in illo sanguinem.

5. *Chî*, tardus pertinet ad *in*. Digitus non nisi fortiter applicitus àd manum reperit illum, nam est occultior.

Comment: Oritur id ex eo, quòd caloris abundantia sit debilitata, unde motus spirituum & sanguinis condensatus & quasi congelatus videtur esse. Ideo pulsus tardus dicitur, utpote qui intervallo unius spirationis tres ictus tantùm habet.

Liber idem habet.

Subjicitur Elemento terræ; Repertus in morbis significat à frigore generatos spiritus aut aêrem.

6. *Siú*: mollis, natans, subtilissimus, lenissimus & debilissimus; Manus illum percipiens planè si tangeretur à gossypio intra aquam.

Pertinet ad *in*. Sæpius accedit absceditque, & explorantem repentè fallit.

Liber ait: Cùm invenitur, statim abire percipitur. Subjicitur aquæ Elemento.

In mor-

In morbis inferiorem partem corporis frigidam valde indicat.

7. *Fo* cadens pulſus, pertinet ad *iñ*, videtur percipi, ſed unius ſpirationis intervallo vix apparet, iterum ac iterum inquiſitus ſe prodit, nec elongatur à tribus locis pulſuum.

Comment: Non niſi diligenter perquiſitum invenies; Illius extremum ſeu finis non eſt longè à locis pulſuum *cuñ quan chĕ*.

Liber ait: Eſt ictus ad inſtar demerſæ rei, & mox emergentis, ad oſſium fortem attactum interdum ſe prodit, non habet imaginem, ſed literam dictam *miĕ*, quod ſignificat quære.

Subjicitur Elemento arborum vel aëris. In morbis ſignificat venenoſorum ſpirituum conjunctionem & copiam.

8. *Jŏ* debilis ſeu fragilis pulſus, pertinet ad *iñ*. Digitus afficitur ab illo, ſicut â lanâ vel goſſypio, & leviſſimo attactu percipitur, ſed validâ & forti impreſſione factâ evaneſcit.

Comment: Ad pellem & carnem apparet molliſſimus, idem ait liber. Subjicitur Elemento metallorum. In morbis ſignificat ventum cum ſpiritibus colligatum.

Adverte 1. Pulſus *hieu* & *kin* extenſæ chordæ & intenſæ: Vî & *jŏ* parvum & debilem : *hiĕ* & *ſiŭ* crebrum & molliter natantem : *feu* & *kúm* natantem & exundantem: *chi* & *ci* tardum & rarum: *chin* & *fŏ* profundum & cadentem videri ſimillimos, & planè eoſdem, ac propterea morbos ſimiles, ſed tandem omnino alios indicare. Porrò pulſus *feu* & *chin* natans & profundus : *kúm* & *ci* exundans ſeu groſſus & ſubtilis : *hien* & *huen* intenſus ac remiſſus ; *ſú* & *chi* frequens ſeu concitans & tardus : *Xe* & *hiu* plenus & vacuus : *ham* & *tuon* longus & brevis : *hie* & *ci* creber & rarus : *hien* & *vi* chordæ extenſæ, ſeu magnus & parvus, ſunt omninò contrarii & inter ſe oppoſiti pulſus, & contrarios indicant morbos.

Adverte 2. Septem pulſus ad extra, qui pertinent ad *yâm*, pleroſque percipi in locis pulſuum manus ſiniſtræ, quia nimi-

 rum ibi

rum ibi in locum connaturalium pulſuum plerique ex illis inſtar hoſpitum ſubintrant, & hoc pro mutationibus corporis humani, quæ ſunt hujusmodi pulſuum cauſæ. Porrò octo pulſus ad intrà, qui pertinent ad *iñ*, plerique ſolent percipi in manus dextræ locis pulſuum, & hoc, quia ibidem in locum connaturalem pulſuum ſimili modò irrepunt pro mutationibus corporis, ut ſuprà. Manus ſiniſtræ tria loca pulſuum *cuñ quañ chĕ* mutationem pulſuum, quæ illis accidit, habent, & dicuntur vel *ueñ* tepidi, vel *fúm* venti, vel *heñ* frigidi, quæ tria cauſant morbum ad extrà; Ad manus dextræ alia tria loca mutationes pulſuum habent ex dominio *c. ŏ* aduſtarum qualitatum, *Xe* humidarum, *Xu* magni æſtus; Hæc enim tria cauſant morbos ad intra. Id verò nota per quàm diligenter, ut intelligas qualitatem morborum; Nam prout ſunt mutationes, pulſus interdum videntur in dextram manum ex ſeptem exterioribus irrepere, interdum in ſiniſtram ex interioribus. Aliquando humidum radicale & calor primigenius ſe invadunt & opprimunt, (quod ex pulſibus, qui illorum habent naturam, cognoſcitur, interdum ſe invicem ſuffocant & demergunt, aliquando unus pulſus, ſeu potiùs locus unius pulſus, decem varias mutationes ſubit. Equidem cùm ratio pulſuum ſit ſubtiliſſima, breviter hîc deſcribi non poteſt. Verùm, quod maximè notare oportet, quòd videlicet omnes pulſus vel *yâm* vel *iñ* naturam habent & quinque Elementorum qualitates; Cùm verò ſeptem pulſus & octo faciant 15., Elementa autem ſint quinque, ſequitur. cuilibet Elemento attribui tres pulſus. Sic pulſus *feú ci* natans obtuſo-rarus debilis habent naturam Elementi metallorum, & ſic de reliquis ſuprà dictis collige.

Hinc quoque colliges, ſingulos relatos pulſus irrepentes in ſex loca pulſuum habere ſuam gravitatem aut levitatem, prout Elementa, quorum naturam ſequuntur, ſunt gravia vel levia, aut ſecundum quod occupant in locis pulſuum ſuperiorem

periorem vel inferiorem locum. Quod verò attinet ad ipſa quinque Elementa, ipſa etiam ſubinde habent & obſervant inter ſe æqualitatem, & ſubinde patiuntur inæqualitatem, quod in morbis adverti facilè poteſt. Solet quoque dici, quòd illa, quæ intrà ſunt, ſe ipſa lædant, non ſibi faciunt malum, verùm ea, quæ extrà ſe mutuò commovent, quæ duo ſi neſcias, diſtinguere cœli videlicet & terræ medium, & ſex ſpirituum motus, (corpus enim hominis eſt inſtar parvi cœli & terræ) multùm aberrare poteris.

Malum ad extrà irrepens & commovens ſequitur malignam naturam, v. g. ventus & humidum radicale ad extrà commoventes indicant, Elementum arborum & ignis (puta, hepar & cor) exceſſum pati, nimirum, ac terram & metalla (puta ſtomachum & pulmones) deficere; Ex quo patet, quòd aqua (puta, veſica) non ſit ſufficiens hæc conciliare aut reſtaurare. Et hoc eſt, quod ſuprà dixi, quòd malum extrà adveniens & movens, v. gr. ignis, hoc eſt, cor, facit alia Elementa, hoc eſt, membra ſuam perdere qualitatem. Dixi etiam, ea, quæ ſunt ad intrà, ſe lædere, hoc eſt, eadem quinque Elementa, hoc eſt membra, ex ſe ipſis ſibi non poſſe reſtituere æqualitatem. Idcirco operæ pretium eſt, ut bene percipias Metallorum, Aquæ, Arborum ſeu Aëris, Ignis ac Terræ naturam & qualitates, (hoc eſt, membrorum, quæ naturam illorum participant) tum verò examines, quæ vacua & exhauſta ſunt, & quæ plena & redundantia. Præterea malum latrocinii irrepens, & malum exiguitatis, & malum, quod à ſeipſo venit, quæ infra explicabimus.

Adde operæ pretium eſſe, ſingulorum locorum qui in manibus ſunt, diſtinguere *feú chúm xín* ſuperficiei, medii & profundi loca & pulſus illic diligenter perſcrutari, an congruant & conveniant cum naturâ locorum, hoc eſt: an illæ viæ, quæ dictis locis pulſuum ſunt aſſignatæ, cum pulſuum (qui aliunde velut hoſpites adveniunt vel irrepunt) naturâ & qualitatibus

litatibus conveniant; Nam si non correspondeant, scias, illos esse advenas & hospites, ut ipsi loquuntur, & præternaturales. Quòd si hoc bene perspexeris, facile erit cognoscere, quæ sint illa, quæ intrà lædunt, & quæ illa, quæ extrà moventur, qui morbi sint extrà apparentes foliorum instar, & qui intrà exorti sicut radices.

Adverte 3. Medicos primò assignasse pulsus septem ad extrà, & octo ad intrà, qui omnes sunt quindecim, eò quòd ex illis membrorum & intestinorum status, vita & mors satis colligi possit. Verùm, cùm animadvertissent, per annum regnare quoque alios pulsus (nam uti cœlum habet viginti quatuor mutationes aëris, ita esse in corpore humano, in quod cœlum plurimùm influit) pulsus viginti quatuor diversos invenerunt, seu novem vias pulsuum illis quindecim addidêre; Sed crediderim, hos novos pulsus qualitates superaddere relatis potiùs quàm novos constituere pulsus.

Novem viarum pulsus *kieù tào inè* dicti.

Primus: *Cham* id est longus, pertinet ad *yâm*; Ictus in tribus locis pulsuum instar lanceæ vibratæ, cùm elevatur, habet excessum. Vocatur longus etiam, cùm propriô locô egreditur; Liber antiquissimus idem habet. Oritur â viâ magnorum intestinorum, in morbis æstuans corpus & perturbatum indicat.

Secundus: *tuon* brevis, pertinet ad *in*, est deficiens, nec pertingens ad proprium locum. Liber ait: Non attingit ad medium digiti. Est à viâ stomachi. In morbis manus pedesque sudare, & cibos non digeri significat. Assimilatur motui grani oryzæ.

Tertius: *hiú* vacuus, ad *in* pertinet. Ictus non est sufficiens, & cùm elevatur, non pertingit.

Comment: Non est plenus ex exinanitione sanguinis.

Liber habet antiquus: Quæsitus etiam, cùm elevatur, est deficiens. Oritur à viâ cordis, similis est serici fili glomo. In morbis

morbis significat timorem, vires exiguas & difficilem spirationem.

Quartus: *Sú* celer & non latus, seu arcto-celer, pertinet ad *yâm.* Ictus illius est velox, & sedem habet in primo loco *cum keu*, ubi si augeatur, mortem, si introrsum se colligat & quasi recondat, vitam promittit.

Comment: Pulsus creberrimè veniens, & interdum semel sistens, ac iterum veniens; vocatur celer. Oritur à calore naturali, qui est à viâ vesicæ seu renum. In morbis indicat *yâm* & *iñ* perturbata.

Quintus: *Kiè* alligatus seu interruptus, pertinet ad *iñ*. Ictus interdum est veniens, interdum abiens & rediens.

Comment: Pulsus est creber, & quasi cumulatim veniens, & postea sistens ac rediens.

Liber inquit: Pulsus cùm venit latus, sistens & rediens, vocatur *kiĕ;* Oritur à viâ pulmonum. In morbis indicat in stomacho, latere, spiritus aggregatos, & tristitiam ac defatigationem.

Sextus: *tái:* vicarius; dicitur etiam mortis pulsus & intercidens, pertinet ad *iñ*, movetur, & redeundo elevare se nititur iterum atque iterum, & nequit se elevare. Componitur ex reditu & statu seu quiete. Explorans illum, aliquo tempore advertit violenter se elevare.

Liber ait: Pulsus hic veniens in medio sistit, nec redire potest; Oritur ab animâ & corpore. In morbis indicat spiritus dissipari, membra & intestina destrui, mortem advenire.

Septimus: *Kieū*, id est, trahens pulsus, ad *iñ* pertinet. Si explores tantùm more solito, non percipies, percipies autem, si appressô fortiùs digitô eum quæsieris.

Liber ait: Si quæratur, plenus non reperitur, nisi valde premas.

Comment: Durior & profundior est, & habet vires, nec

mutatur. Oritur à viâ hepatis. In morbis dolorem ossium & spirituum sursum evagationem indicat.

Octavus: *tum*, motus: Pulsus motûs pertinet ad *iñ*. Videtur à digito deprehendi, verùm cùm elevari deberet, evanescit, iterum ac iterum quæsitus reperitur, nec longè est à suo loco.

Comment: Neque accedens nec abscedens vocatur pulsus motûs. Videtur hic pulsus, cùm nec veniat nec abeat, sed sit continuus, quasi motus citissimus, qui tamen propter ipsam celeritatem, quâ circumagitur, videtur non moveri, estque instar montis quiescentis. Vocatur hic pulsus, cùm nec veniat, nec abeat, sed sit continuus quasi, ut ipsi loquuntur, orbicularis.

Liber ait: Si intra aquam lapidem molarem projicias, motui ab ipso facto in aquâ quiescente hic pulsus persimilis est. Oritur à viâ parvorum intestinorum; In membris indicat omnia membra defatigata, & sanguinem corruptum defluere deorsum.

Nonus: *Si:* subtilis, pertinet ad *iñ*. Ictus quasi si gossypium tangatur est, accedens & recedens, valde parvus. Oritur à viâ umbilici. In morbis indicat, vesicam carere alimento medullarum, frigus, defectum virium, dolere interiora & defluere.

Kí kim̃ pa mĕ Extraordinariarum viarum pulsus ordo. Duodecim viæ habent rivulos quindecim, quos â se hinc inde derivant. Hi colligantur viis, & præter duodecim rivulos, qui respondent duodecim viis, tres alios rivulos reperire est; Manuum magni caloris primig. ab intestinis parvis habet ejusdem nominis rivulum *lo*, & sic consequenter; Sed cùm non sit decima tertia via, *lo* rivulus vocatur *pi chi tá lo:* magnus à liene rivulus, & decimus quartus *yn kiào lo* humidi radic. ad calorem rivulus: & decimus quintus *jâm kiáo lo*, caloris primig. eodem tendens rivulus. Sed adverte, quòd

horum

horum trium rivulorum quamvis ſint pulſus extravagantium viarum, aliquâ tamen ratione colligantur cum viis ordinariis. Verùm aliarum viarum extraordinariarum pulſus quamvis originem ducant à viis ordinariis, tamen illas non ſequuntur. Harum proinde viarum ſunt octo pulſus & octo loca, quæ morbos etiam diverſos indicant.

Primus: *yâm quêy*: caloris primig. vinculum; Via pulſus eſt in confluxu omnium vinculorum *yâm*, quòd circulum facit inſtar vermis longum circa caput, & poſtea in obliquum vergit, reſidens in ore pectoris cauſat morbum, & calorem primig. demittit ad ſtomachum, & inde ad cor, quod malum illud recipit, ex quo calor & frigus ad extra prodit, eſt morbus frigido-calidus. Cauſa morbi eſt, quòd caloris primig. vincula innitantur viis ordinariis, ſed non colligentur cum ipſo corpore.

Locus hujus pulſus *yâm quêy* eſt in omnibus locis, in quibus *yâm* viarum pulſus reperitur.

Secundus: *iñ qúêy*: humidi radicalis vinculum. Pulſus hujus via eſt ex confluxu omnium vinculorum humidi radic., pervadit deorſum, & circuit corpus inſtar vermis. Sedes ejus eſt in medio pectoris, ubi & morbum cauſat, ex eo, quòd omnes vias humidi radic. ſuffocet & demittat ad lienem, & inde ad cor. Hujus viæ malum eſt pedum diminuti humidi via. Morbus ex illâ ortus fatigat cor & dolore afficit, eſtque ad intrà in ſanguine & non extrà. Pulsûs *iñ quêy* locus eſt in omnibus locis, in quibus ſunt pulſus viarum humidi radicalis.

Tam morbus ex *yâm quêy* quàm ex *iñ quêy* indicat, multam ſollicitudinem ineſſe, & animi generoſitatem deperdi, corpusque torpore & pigritiâ corripi.

Tertius: *yâm kiáo*: via caloris primig. ad calcaneum. Hujus pulſus via in calcaneo circuit os ſupernum calcanei, procedens ſurſum pertingit ad locum capitis, qui *di fum xi ten* (capillorum extremitas) vocatur. Inſtar ſerpentis ejus eſt motus, re-

tus, residet in ventriculo. Morbus est in juncturis pedum, & ubi facit tumorem & spoliat viribus; In corde verò causat metum. Origo viæ hujus est in manuum & pedum humidi radic. viis.

Quartus: *in k'iâo:* via humidi radic. ad calcaneum pedis. Pulsus & via circuit os supernum calcanei ad latus, & progreditur ad guttur, & inde ad oculos. Pulsus est similis chordæ extensæ, morbus, quem causat, manus & pedes atque illis conjuncta occupat, & vires ambulandi adimit, etiam intestinorum & nervorum spiritus diminuit. Origo ejus est in pedum & manuum defectuosi humidi radicalis viis.

Adverte: Omnes pulsus humidi radic. plenos & mox dispersos ingredi in viam humidi radic. ad calcaneum, qui indicant, malum esse in humido radicali, & non in calore, unde calor est remissus, & humidum intensum. Porrò ex intensione & remissione dictâ sequitur exinanitio & repletio, ac proinpe *in k'iâo* via humidi radic. ad calcaneum gyrans circum os, & ascendens sursum operatur morbum ad intrà, quem & intendit, verùm ad extrà remittit; At verò *yâm k'iâo* morbus est frigidus, & residet in loco *fum fú*, calor enim ad extrà fertur (sicut humidum ad intrà se recipit) unde si exstat extrà, ægrotum necesse est sudorem procurare; Si ad intrà, portionem purgativam necesse est adhibere.

Quintus: *chūm*, via transversa, pervadens spiritus in mediâ magnâ parte corporis à viâ pedum caloris puri. Locus est supra umbilicum usque ad ventris medium; Pulsus verò est similis ictui avis grana carpentis, qui in procedendo ad pectus ascendit, & ad latus utrinque dispergitur. Inter vesicam seu renes & tertiam regionem corporis, ubi est locus dictus civitas spirituum, quorum ibi est officina, perfectio & irrigatio, amittitur, unde quatuor partes, puta, manus & pedes tumore flavo inficiuntur. Subjicitur manuum magni humidi radicalis viæ, facit intendi dolorem stomachi ad intrà.

Sextus:

Sextus: *Gín me:* Pulſus prægnantis, eſt via in medio umbilici, quæ deſcendit ad ſinuoſum flexum, & ad id, quod infra illum eſt. Via pulſus illius eſt ſine capite ſeu principio, ſed habet extremum. Circuitus ejus eſt circa ventriculum, & ſurſum pertingit ad locum, qui ventorum porta dicitur. Morbus eſt mulierum fluxum infrà patientium, qui quatuor partes, puta, manuum & pedum deſtituit viribus. Subjicitur viæ magni caloris primig., quæ hunc rivulum mittit ad cor, quod fatigat, & illam fatigationem in colore rubro vultûs & oris ſiccitate explicat, & ſubit etiam locum *quan uên*, unde venit ad guttur.

Si mulier jam concepit, morbum hunc habet.

Septimus: *To me:* pulſus gubernans, ut ipſi vocant. Via illius eſt in infimo loco infimæ partis ad os ultimum, quæ ſurſum aſcendit ad locum capitis *fum fu* dictum. Pulſus eſt inſtar extenſæ chordæ. Morbus, quem indicat, cauſatur ex copiâ ſpirituum, triſtitiam, dolorem laterum, oculorum obſcuritatem affert. Subjicitur viæ pedum diminuti humidi radicalis.

Octavus: *Tui*, cinguli ſeu balthei. Pulſus & via eſt intra latera corporis, circuit totum corpus. Pulſus eſt inſtar papilionis, caudam longam habentis, interdum pulſat, interdum quieſcit. Dominatur pedibus & manibus, quos immobiles reddit. In renibus & veſica dolorem cauſat. Eſt à pedum caloris primig. puri viâ, ſtomachus præterea repletus eſſe videtur, quaſi intra aquam latens. Morbus horum eſt frigidus.

Monſtroſi & mortales pulſus ſedecim.

Primus: *Chîa yên*: ranæ motus, pulſus ſic dicitur, quia non aliter quàm ranæ ſubſilientis inſtar movetur. Per tria loca pulſuum progreditur. Intervallo integræ ſpirationis nunquam integer apparet, & ſemel tantùm pulſat: Digitus ſaltum percipit. Indicat febrem malignam, & tertiâ die mortem; Aſt ſi in loco, ubi veſicæ ſeu renum locus aſſignatus eſt,

 depre-

deprehendatur post diem mortem nunciat. Vocatur pulsus *Sanxi* dissipans corpus. Codex ait: Abit anima, & corpus fit cadaver.

Secundus: *Yû vî:* piscis cauda. Pulsus sic dicitur, quòd moveat digitum, sicuti piscis natans immotâ caudâ. Interdum redit ictus, interdum sistit. Intervallo unius spirationis percipitur, maligna tunc febris suffocat humidum. Qui hunc pulsum habet, post biduum moritur, & si sit senex, post medium diem. Vocatur *kiue xi* dividens corpus. Pulsus hic vesicam seu renes destrui nunciat, similis est uti cum piscis caudâ immotâ caput movet, quem si manè perceperis, resolve, vesperi moriturum, qui eum habet.

Tertius: *Yen tāo:* absconditus gladius. Pulsus sic vocatur, quòd (sicut in manu gladius absconsus repente vibratur) appareat & dispareat celeriter. Celeritas ejus pulsus est, cùm intervallo unius exspirationis & introspiratio duo ictus fiunt, indicat, destrui pulmones. Morbus est narium emittentium sanguinem. Qui ejusmodi pulsum habet, post duos dies moritur; Si antiquus est morbus pulmonum, post unum diem. Vocatur *him xi* ambulantis cadaveris.

Quartus: *Feu liên*, eversum folium floris *liên* dicti (*liên* est flos, fructum proferens rotundarum amygdalarum instar, quæ in lacubus nascuntur) planè ejusmodi figuræ ad manum ictus pervenit, qui in primordio est parvus, in fine postea obliquè descendit, & inæqualis est, intervallo integræ spirationis semel pulsat, indicat, pectus oppletum spiritibus brevem habere spirationem. In morbis Senum hujumodi pulsus mortem post tres dies, in Juvenibus post unum diem nunciat. Vocatur *sum xi* elati foras cadaveris.

Quintus: *Kem xam feu che*, id est: jusculum pingue sursum fluctuans, & bullas seu orbiculos gemmarum instar natantes in superficiem emittens, Pulsus illi similis, cùm venit, parvus est, cùm abit, magnus. Indicat spiritus debiles;

Vocatur

Vocatur *hie* & *fu fee* fervens & aqua bulliens. Unde intervallo integræ ſpirationis facit duodecim ictus, & ſemel ſiſtit. Antiquus liber ait: Digitus percipit ictum, atque ſi eſſent undæ juſculi natantis. Qui ejusmodi pulſum manè habent, veſperi mortem expectent. Apparens in loco medio, ubi eſt viæ lienis & ſtomachi pulſus, annunciat mortem poſt tres dies; Vocatur *feu xi* natantis cadaveris.

Sextus: *Chen keu*: calicis orificium, pulſus hic dicitur, quia motus dicti vaſis figuræ ad inſtar afficit digitum. Nam duo capita ſeu potiùs labra cum medio vacua & profunda percipiuntur. Cùm abit & venit, motum habet, qualem manus, quæ funiculum circumligat. Intervallo integræ ſpirationis octo ictus & interdum novem fiunt, & poſt diem mortem nunciant; Et ſi unum ictum ſuprà dictis addant, poſt unam horam mortem nunciant. Vocantur *kuem xi* uncti cadaveris.

Septimus: *Cio c'hui*, ictus avium ſeu gallinarum, cùm roſtro carpunt grana. Pulſus ſic vocantur, cùm veniunt, ſunt celeres, & digitum pungunt, prorſus uti gallina carpit grana. Interdum intervallo integræ ſpirationis faciunt tres ictus, interdum octo vel novem. Omnes indicant poſt tres dies mortem, & ſi pulſus reperiantur in loco, qui eſt aſſignatus ſtomachi viæ, poſt unam horam. Vocatur *ſu, xi* diſponens ad cadaver. Antiquus liber ait: Ictus comedentium gallinarum continui & interdum valde celeres ſtomachum (originem ſcilicet ſpirituum, qui ex alimentorum materiâ fiunt) deficere ſignificant, & difficulter reſtaurari.

Octavus: *Ilo leu*, id eſt domûs ſtillicidium. Pulſus, qui ſimilis eſt aquæ decurrenti, aut potiùs ſtillanti guttatim ex domo, tres ictus plerumque habet, & curſum interrumpit, quos intervallo integræ ſpirationis percipies in ægrotis; Cùm veniunt, ſunt pleni, cùm abeunt, debiliſſimi. In Senibus poſt decem vel triginta dies mortem, in Juvenibus poſt tres nunciant. Quicunque in loco viæ ſtomachi ejusmodi pulſum

habet,

habet, post diem unum moritur. Vocantur *pim xi* cadaveris ægrotantis. Antiquus liber ait : Trium calorum spiritus exinanitos & à stomacho separatos indicant. Similes sunt stillis pluviæ delabentis ex tecto.

Nonus : *Tan xe* : Id est pulsus pilæ lapideæ; Sic dicitur, quia habet ictum, quem facit projectus lapis seu pila, qui intervallo integræ spirationis non iterum redit. Indicat, pedum diminuti humidi radic: viæ à vesicâ spiritus destrui. Cùm venit & abit, motum efficit quem qui sufflat in plumam. Aliquando integræ spirationis intervallo unicum ictum, aliquando duarum integrarum spirationum similiter unum ictum habet. Uterque mortem post diem nunciat. Vocatur *Xoen xi* anima cadaveris. Antiquus liber ait : Ictus, qui vadit celeriter, & venit tardè, significat vitam abrumpi. Similis est motui, quem lapis projectus efficit.

Decimus *kiaj so*, solutæ chordæ motui pulsus persimilis, frequens est & dispersus, nec continuus, sive ètiam colligatus, planè sicut cùm aliquis cordam aut cingulum dissòlvit â corpore. Intervallo frequentium spirationum interdum unicum ictum habet ; Cùm venit, mox dispergitur, cùm abit moram facit, videturque ejus motus, sicut si torqueas herbas in funis modum, annunciat post tertium diem mortem, & si in loco viæ vesicæ deprehendatur, post unum diem ; Vocatur *tai xi* cincti cadaveris.

Undecimus : *Siĕ kíum* : duarum herbarum sic dictarum radices, qui statim atque natant mox evanescunt. Pulsus similis illis à digitis exploratus deficere comperitur, sed cùm elevatur, impleri. Integræ spirationis ictus novem vel decem fiunt; Ictus, cùm accedunt, longi, cùm abeunt, carent viribus. Si in pedum diminuti humidi radic: seu vesicæ viâ pulsum hunc videris, mortem post diem resolves. Vocatur pulsus *fi xi* volantis cadaveris.

Duode-

Duodecimus : *Hú nón*, terræ globulus ſeu gleba. Pulſus ſimilis huic facit ictum, in digito percipi plenum & magnum, nec principium nec finem habet. Intervallo unius ſpirationis novies & decies accidit : Nunciat mortem poſt duos dies. Si in veſicæ viæ loco reperitur, ſpiritus finiri, & poſt diem unum mortem nunciat. Vocatur pulſus *ciue xi* deſtructi cadaveris.

Decimus tertius : *Fan pai*, everſus & deſtruens. Sic dictus pulſus aſſimilatur duabus fabis parvis in aquâ natantibus, ictus ſimilis illarum motui. Cùm venit, eſt levis, cùm abit, eſt tardus. Intervallo unius ſpirationis ſepties vel octies accidit, & eſt in malignâ febri, quando ob laborem delirat ægrotus. Qui ejusmodi pulſum habet, poſt unam horam moritur, vocatur *te xi* cadaver auferens.

Decimus quartus : *Ta ke*, polus ſeu axis : Eſt pulſus inſtar digitalis indicis. Ictus cùm venit, eſt magnus, cùm abit, eſt plenus, nunquam ſiſtit aut quieſcit, interim unus ictus intervallo integræ ſpirationis, interdum duarum, ſed valdè debilis fit. Qui iſtos pulſus habet, poſt horam moritur. Vocatur pulſus *kien xi* trahens cadaver.

Decimus quintus : *Kiai ſo*, ſolventis lumbos. Pulſus eſt inſtar fili delicatiſſimi & ſubtiliſſimi, cùm venit, eſt parvus & ſine capite : Similis eſt motui, complicantis quidpiam, & qui non poteſt iterum redire. Indicat, originales ſpiritus finiri. Tempore unius ſpirationis decem ictus facit, & poſt illos ſubſiſtit. Poſt diem mortem nunciat. Vocatur pulſus *Cŏ xi* deplorantis cadaver.

Decimus ſextus : *To Xi*, ſignificat, afferens Mortem. Pulſus ſic dictus ſimilis eſt chordæ perſonantis intenſo ictu. Cùm venit, eſt creberrimus, cùm abit, minùs creber, principium habet magnum, finem valdè parvum, chordæ percuſſæ aſſimilatum. Intervallo ſpirationis unicus ictus, vel tres celerrimi absque quiete, vel octo cum ſubſequenti quiete accidunt,

& post diem mortem nunciant. Vocatur pulsus *mày xi*, sepultum cadaver.

Commemorati pulsus omnes sunt mortales, & quasi singuli ex intervallo regularis spirationis, quam suprà diximus esse mensuram omnium pulsuum bene colligi possunt, etiam oportet hoc idem intelligere ex vocibus seu sonis, coloribus atque appetitu ægrotantium, ad quod si pertigeris, artis perfectionem attigeris, nam inde quoque morbos & affectiones ac mortem prædicere poteris.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Qui sint pulsus connaturales in tribus locis manus dextræ, & in tribus locis manus sinistræ, assignati viis duodecim, manantibus à membris & sex intestinis.

ADverte primò, tam in dextrâ quàm sinistrâ locum primum *cuñ keu* subditum esse *lao yâm* calori primig. perfecto, & occupare de spatio *kieu fuèn* seu mensuræ digitalis novem partes ex decem *ki* dictis seu numero impari. At verò in utrâque manu locum tertium seu ultimum *chĕ* subditum esse *lao iñ* humido radicali perfecto, & occupare de spatio decem partes in numero pari, seu integram unam mensuram digitalem. Porrò medium locum seu secundum pulsum *quañ* esse limitem distinguentem primum & tertium locum, & unientem inter se calorem primig. & humidum radic. Nam locus primus *cun keu* est sedes caloris primig., & pulsum connaturalem habere debet in novem partibus natantem, & locus tertius *chĕ* humidi radic. pulsum connaturalem habere debet in decem partibus, hoc est in uno articulo *Xin seu* profundum. Sed medius seu secundus locus *quan*, sedem utriusque habere debet, & pulsum connaturalem, nec suprà nec infrà natantem, sed medium inter hæc duo, qui cùm à *queȳ ki* spiritibus stomachi exoriatur, (qui utiq; in medio

medio consistit) inde fit, ut temperamentum indicet ac æqualitatem primi & tertii loci pulsibus, quam si amittat, tam primi quàm tertii loci pulsus indicant, calorem & humidum excedere vel deficere, & si extra *yn ci* (sic locus vocatur in extremo palmæ) & *chĕ* (alter locus ad extremum *chĕ* mensuræ) terminos evagantur, & pulsus medii loci *quan* & spiritus nulli se attemperantes appareant, contingit, homines, qui ejusmodi pulsus habent, sine morbo mori.

Textus: Pulsus alii sunt *tai que*, excedentes, alii *pu kie* deficientes; Interdum *iñ* & *yâm* se mutuò opprimunt, interdum pulsus *feu* retrocedunt, interdum *iĕ* excedunt, interdum limites intrà & extrà pervadunt. Quare? nimirum, quando ad medium locum *quan yâm* movetur, si pulsus natans ultra partes novem mensuræ digitalis transgrediatur, vocantur pulsus *tai quo* excedentes; Si ad illos non pertingant, vocantur *pu kie* deficientes; Porrò, si ascendant locum *iu ci* palmæ manus extremum, exundantes, qui limites egrediuntur, & ad intrà pertingunt, tales pulsus esse humidi radic. opprimentis; Cùm verò post seu infra locum medium *quan* in humidum radic. movetur, pulsus in spatio integro unius articuli profundi sunt, qui si illud spatium pertranseant, vocantur excedentes, si non attingant, deficientes, & si non attingant locum *che te*, sunt pulsus *feu* retrocedentes, quia limitem ipsum ingrediuntur, & ad extrà se recolligunt, vocanturque *yâm* caloris primig. vincentis pulsus.

Comment: Ante medium locum in utrâque manu primo loco pulsus natantes caloris primig. moveri oportet in novem partibus in impari numero; Post secundum locum verò seu medium *chĕ* tertius locus humidi radic. profundos pulsus habere debet integro spatio seu decem partibus *iñ* pari numero. Hic & ille pulsus bene habentem indicant, siquidem illa loca distinguunt *yâm* & *iñ*, quæ & in unione mutuâ conservantur, unde æqualitas & temperies sequitur, unde fit, ut

unum aliud nequaquam ſuperet. Quòd ſi unum aliud ſuperare contingit, tum verò pulſus *tai quo* excedentes, *pu kie* non pertingentes ſeu deficientes, *iĕ* excedentes, *ſeu* retrocedentes, *quan* limites invadentes aut non attingentes exoriantur. Quando nimirum ſpiritus *iñ* valde ſunt copioſi, faciunt, *yâm* ſpiritus deorſum non poſſe pervadere à loco, unde ſunt, unde illos neceſſe eſt à proprio loco evagari, & pulſum aſcendere ad *in ci* locum, ubi pulſus ſunt, qui exundantes appellantur: quòd videlicet *vai quān* extra limites progreſſi fuerunt, & *núy kie* intrà pertingere non potuerint; Nam multum humidum radic. vincens opprimit calidum primig. quare humidi radic., pulſus habere dicuntur *tăi quŏ* excedentes, & calor primig. *pu kie* deficientes. Et ſi ſpiritus caloris primig. ſunt valde multi, faciunt humidum ſurſum pervadere cum ſuis ſpiritibus, & à loco connaturali deſcendere & evagari infra locum quartum *che ce*, ubi pulſus reperti *feú* retrocedentes appellantur: hoc eſt, intra ipſos limites *nuy quan* progreſſi & *vai kie* ad extra non procedentes ampliùs. Nam calor primig. vincens opprimit humidum radic., & hic habet pulſus excedentes, illud verò deficientes.

Textus: *feu* pulſus retrocedentes, & *ye* exundantes ſolent eſſe pulſus, *chĕ cam̄* recti inteſtini: Qui illos habet, etiam ſine morbo moritur.

Comment: Uterque indicat, calorem & humidum non ſibi mutuò cohærere, quòd videlicet unum ab alio ſeparetur, â ſe mutuò deficiant, ſiquidem *yâm* calor primigenius nihil producit, & in humidum radicale nihil efficit, unde ſusque deque ſibi mutuò commixta. *Chĕ cam̄* inteſtini recti pulſum efficiunt, & cùm ſtomachus ſpiritus nullos habeat, per quos ad temperiem reducat calorem & humidum, accidit, ut quamvis homo ſine morbo ſit, cùm unum ab altero vincatur, ut repente moriatur.

Paradigma.

Cum

Cum primus	*Quan̄* secundus	*Chĕ* tertius locus.
yâm caloris pr. pulsus & motus.	limes utriusque in medio.	*In̄* humidi rad. pulsus & motus.

Pulsus.

Qui locum *in ci* ingreditur est exundans extrà limitem vadẽs, & intrà sistens, indicat moribundum.

Qui novem partes superat, dicitur *tai quo* excedens, qui non attingit *pu kiĕ* deficiens, indicat morbū.

Qui sunt in *chum* loco, qui est *chĕ* profundus, sanum indicat.

Qui novem partibus *feu* supernatat, sanum hominem indicat.

Pulsus.

Qui superat *cum̄* spatium mensuræ digitalis *tai quo* sunt excedentes, qui non attingunt, sunt deficientes, indicant morbū.

Qui intrant locum *chĕ ce*, dicuntur retrocedentes, intra limitem recollecti & extra sistentes indicant moribundū.

Adverte autem diligenter, in tribus locis tam sinistræ quàm dextræ, si connaturales pulsus sint, debere esse vel natantes, vel medios, vel profundos. Quòd si *feu* natantes degenerent in *tai huo*, excedentes tunc fiunt, vel *ta* magni, vel *cham* longi, vel *Xe* pleni & solidi, vel *hien* chordæ ad instar tensæ, vel *kúm* exundantes, vel *keú* in utroque extremo plani, & in medio interrupti, vel *hie* crebri; At verò si *chum* pulsus profundus degenerat in *pa kie*, deficientes tunc fiunt, vel *si* subtiles, vel *tuon* breves, vel *hui* vacui, & *chi* tardi, vel *me* debiles, vel *fo* introcedentes, vel *ci* rari.

Soli pulsus *chum* in medio, qui indicant spiritus, ventris sunt, nec magni, nec subtiles, nec parvi, seu *pú ta pú si*, item: *pú cham*, *pú taon* nec longi nec breves, *pú chon pú feu* nec profundi, nec supernatantes, *pú kie pú kua* nec deficientes, nec excedentes, seu quod idem esse dicitur, digiti explorantes illos

mediocres reperiunt, & poſſunt vocari pulſus ſpirituum ſtomachi, quia ſunt medii inter duos extremos pulſus.

Adverte ſecundò, quôd pulſus connaturales, qui competunt locis tribus utriusque manus, ac viarum, ac ſtatuum originem congenitam indicant, habent cauſam generalem calori primig. & humido radic: ſanguinis ac ſpirituum motu illo devectorum. Verùm diſtinctio & qualitas pulſuum provenit ex ordine & diſtinctione triplicis viæ ejusdem caloris primig: & triplicis viæ ejusdem humidi radic:, prout illæ diverſimode à ſuis originibus dimanant, quam diverſitatem pulsûs in dictis locis explicant, ac proinde cauſa integra diverſitatis ordinis ac pulſuum connaturalium in locis tribus utriusque manus eſt calor & humidum, prout hæc in viis motûs ſanguinis & ſpirituum congenitas qualitates originum communicant, quas pulſus dicti explicant.

Textus: An pulſus habeant humidi radicalis & caloris primigenii menſuram? Omnino habent, nam *hú* exſpiratio egreditur de corde & pulmonibus, *hie* introſpiratio ingreditur veſicam & hepar, & hæc duo integram componunt *ſiĕ* ſpirationem. Stomachus ſitus in medio, recipiens alimentorum ſapores, pulſum, à quo ſtatus ſuus indicatur, habet quoque in medio.

Comment: Pulſus habent humidi radic: & caloris primig: ſpiritus diſtinctos & diverſos. Exſufflatio & inſufflatio, ut ipſi dicunt, videtur in exſpiratione & introſpiratione. Cor & pulmones exiſtunt in ſupremâ parte, calor primig: prædominans illorum ſpiritibus apparet in exſpirationis egreſſu; At verò veſica & hepar in inferiori parte conſiſtunt, & dominans illorum ſpiritibus apparet in introſpirationis ingreſſu. Lien & ſtomachus quamvis non pertineant ad ſpirationis egreſſum vel ingreſſum, tamen quia dominatur & præeſt recipiendis alimentis; ex quorum materiâ ſpiritus enaſcuntur, ſicut locum medium obtinet in membris, ita in medio pulſuum illius con-

lius constitutio indicatur, & pulsus reperiuntur medii inter pulsus, qui intervallo introspirationum & exspirationum contingunt.

Textus: Pulsus supernatantes sunt à calore primigenio, & profundi pulsus ab humido radicali, unde omnes vel ad humidum vel ad calorem pertinent; Sed cor & pulmones sunt pulsus supernatantes, quomodo ergò inter se distingui poterunt? Nimirum: Si pulsus sunt *feu ta san* natantes, magni, qui & subito dispergunтur, pertinent ad cor, & ejus statum naturalem indicant; Si autem sint *feu tuon*, natantes breves ac rari, ad pulmones pertinent, eorumque naturalem statum indicant. Item hepar & vesica seu renes pulsum habent profundum. Sed quomodo eorum differentia poterit cognosci? Si nempe pulsus sunt *Xin kin chām* profundi, vehementes, intensi ac longi, hi enim ad hepar spectant, illiusque naturalem constitutionem indicant; Quòd si verò *Xin so* profundi debiles, advertant, illi vesicam seu renes & illorum statum naturalem indicant.

Stomachus in medio residet quasi custos civitatis, unde & pulsus, qui statum illius indicant, in medio sunt, & officium habent in aliis pulsibus humidum radicale & calorem primigenium attemperare.

Comment. Pulsus magnus, qui statim dispergitur & longus est, pertinet ad calorem primigenium; Pulsus breves, rari, intensi, debiles ac vacui ab humido radicali proveniunt. Quòd verò dicuntur *Xe* lapides, intelligere debes profundos, nam ima petunt, ut & lapis. Qui pulsus ascendunt sursum, vocantur supernatantes, natura illorum est elevari ac dimitti; Qui autem descendunt deorsum, profundi sunt; natura eorum est, ut, si leniter à manu explorantur, prorsus non sentiantur, & non nisi fortiùs compressi reperiantur. Atque inde cùm cor & pulmones aliis supereimineant, pulsus, qui indicant statum, supernatare debent, ac vesica & hepar cùm deorsum

resideant,

residéant, pulsus, qui eorum statum indicant, profundos esse oportet.

Nota verò diligenter, quòd pulsus natantes, magni, & qui mox disperguntur, quia sunt à *chîm yâm*, à perfectissimo calore primig: ideo indicant cordis naturalem constitutionem, & pulsus natantes, breves & rari, qui sunt à *yâm chúm chi iñ* ab humido radicali quod est in medio caloris primig:, indicant pulmonum affectionem connaturalem, & pulsus profundi, intensi & longi, quia sunt ab *iñ chum̃ chī yâm* à calore primigenio, qui est in medio humidi radicalis, indicant statum naturalem hepatis: Et pulsus profundi, molles & debiles, quia sunt à perfecto humido radic. per pedum humidum radic: perfectum calorem primg: intelligitur non mixtus, sed simplex. Porrò per *yâm chúm̃ chī iñ* & *iñ chum̃ chī yâm* intellige calorem intra humidum radic: & humidum radic: intra calorem primig: seu in medio caloris primig., æqualem verò utriusque mixtionem, caloris scilicet & humidi, esse stomachi pulsus, qui qualitatibus terreis subjecti sunt, & cùm ipse in medio pulmonum & vesicæ consistit, & tanquam à centro ad omnia membra illas propagat qualitates, atque temperiem in illarum calorem primig. & humidum radic: inducit, pulsus etiam illius in medio aliorum pulsuum sunt. Addiscentem oportet hæc profundè speculari.

Textus: Alii pulsus sunt *yĕ yñ yĕ yâm* ab unâ origine humidi radic. & ab unâ origine caloris, alii *yĕ iñ Ch yâm* ab unâ origine humidi radic. & duabus caloris: alii *yĕ iñ sañ yâm* ab unâ origine humidi radic. & à tribus caloris: Deinde *yĕ yâm yĕ iñ* ab unâ origine caloris & ab unâ origine humidi radic: alii *yĕ yâm Ch in* ab unâ origine caloris & duabus originibus humidi radic. alii *yĕ yâm sañ iñ* ab unâ origine caloris & tribus humidi radic. Unde sequitur, quòd *cũn keu* locus primus habeat interdum pulsuum qualitates sex, aut iisdem careat pro accessu vel recessu contrariorum pulsuum. Pulsus natantes & profundi vel sunt

breves

breves & longi, vel crebri & rari, ſed qui ſunt natantes à calore primig: & qui profundi, ab humido radicali. Quare pulſus hos diximus ab unâ origine humidi & unâ caloris eſſe *xin kie*, ſunt profundi & crebri, qui *yĕ iñ ch yâm* ab unâ origine humidi, & duabus caloris ſunt: *Xim kie chañ* profundi crebri & longi? Singuli quos diximus *yĕ iñ ſañ cañ* ab unâ origine humidi & tribus caloris ſunt pulſus *feu kie ulli chan xi yĕ xim* natantes, crebri, longi ſunt, & poſtea ſuperveniens illis profundus.

Quos autem diximus pulſus eſſe *yĕ yâm yĕ iñ* ab origine caloris alterâ, alterâ humidi ſunt *feu lli ci*, natantes & rari ſunt, quos *yĕ yâm Ch iñ* ab unâ origine caloris & duabus humidi ſunt, *chañ ch chañ ci* ſimul longi, profundi & rari ſunt. Quos *yĕ yâm ſan iñ* ab unâ origine caloris, & tribus humidi ſunt *Xin ci le tuon xi ien feu* ſunt ſimul profundi, rari, breves, & poſtea ſuperveniens natans. Per ſimiles pulſus viæ membrorum ac inteſtinorum manifeſtantur, & bona ſingulorum vel mala conſtitutio.

Comment: Pulſus ab unâ origine humidi & unâ caloris eſt profundus & creber; In manus ſiniſtræ tertio loco indicat ſtatum veſicæ & ureterum connaturalem. Quòd ſi idem pulſus appareat in manus ſiniſtræ primo loco, eſt contrarius cordis membro & parvis inteſtinis, (quia aqua ſeu veſica, cujus pulſus eſt naturalis, ignem ſuffocat, qui cordi dominatur.

Pulſus ab unâ origine humidi & duabus caloris, v. gr. profundus creber & longus, ſi appareat in tertio loco (ſive dextræ ſive ſiniſtræ) qui ſubjectus eſt humido radic., manifeſtum eſt, à calore primig. opprimi humidum. Pulſus ab unâ origine humidi, & tribus caloris natans, creber, longus & ſubſequens profundus; Si in tertio loco ſive dextræ ſive ſiniſtræ appareat, manifeſtum eſt, in medio caloris primig. ſuffocari & interire humidum radicale, Item: Pulſus ab unâ origine caloris & unâ humidi, hoc eſt: natans & rarus, ſi appareat in dextræ manus ſecundo loco, eſt hepati & felli pulſus contrarius.

Pulſus ab unâ origine caloris, & duabus humidi, ſimul

longus, profundus & rarus, si reperitur in primo loco seu dextræ seu sinistræ, (cui dominatur *yâm*) significat sanguinis & spirituum exinanitionem, quòd humidum radicale opprimat calorem. Pulsus ab unâ origine caloris & tribus humidi, hoc est: profundus, rarus, brevis, & post illos natans, si reperiatur in primo loco seu dextræ seu sinistræ, manifestum est, in medio humidi radicalis intercedere & suffocari calorem primigenium. Quare necesse est singularum duodecim viarum & originum loca assignata pulsuum inquirere, & quatuor temporum examinare pulsus, præterea mutationes sex pulsuum, & ex illis statū naturalem vel præternaturalem corporis humani resolvere.

Paradigma rerum suprà dictarum.

Xin pulsus profundus ab humido rad.

hîc introspiratio ingreditur vesicā & hepar, ambo sunt *Xin* pulsus profundi, sed pulsus profundus, mollis debilis indicat vesicā & ureteres, quia est humidū radic. intra humidū radic. hoc est: via intra viā alteram ejusdem naturæ. Et sic intellige de reliquis.

Spiratio

hum kie, stomachus recipiens cibos & sapores, habet pulsum remissum sed parvū quia indicat stomachi statum.

chum chan hie profundus, longus, creber, indicat *han tan* hepar & fel, quia est in *chum chi can* intra humidum radic. calor primig.

sed solidus indicat *pi* lienem nam cō naturalis eorū stat9 est humidū intra calorem & contrà.

hu exspiratio.

egreditur à pulmonib9 & corde, ambo sunt pulsus natantes *yâm* caloris, sed natans, brevis, rarus, indicat pulmonem & magna intestina, nam est in medio caloris humidum radic.

pulsus natans est à *yâm* calore primigen.

natans magnus & mox dissipatus indicat cor & pauca intestina nam est calor primig. intra calorē.

Introspiratio sequitur humidi ingressum.

Exspiratio cum calore egreditur.

Dico

Dico primò: Sex puncta manuum ſex habere pulſus, qui ſtatum connaturalem membrorum & cohærentium inteſtinorum indicant, & quidem in ſiniſtræ primo loco *cun keu* pulſus viarum cordis & parvorum inteſtinorum eſt *feu ta ſan*, natans, magnus, & qui mox diſpergitur; Oritur à calore puro & non mixto, ideo dicitur eſſe à calore intra calorem. In manus dextræ primo loco *cuñ keu* pulſus viarum, pulmonum, & magnorum inteſtinorum eſt *feu túm ci*, natans, brevis & rarus. Oritur à calore primigenio, in cujus medio eſt humidum radicale.

Ambo pulſus cùm fiunt natantes, pertinent ad *yâm* calorem primigenium, cujus ſpiritus ſurſum feruntur, ideo *hu* exſpiratio egreditur à corde & pulmonibus ſurſum. Proinde primo loco tam in dextrâ quàm ſiniſtrâ ejusmodi pulſus ſunt aſſignati, quia ibi ſunt eminentes & natantes, & quaſi ſuperiores, ſicut & ipſa membra in corpore humano, quorum ſtatum connaturalem indicant, videntur eſſe in primo & ſuperiori loco præ reliquis.

Iterum in ſecundo loco ſeu medio *quan* manus dextræ, qui hepatis infrà ſiti, & fellis vias indicat, pulſus eſt profundus, intenſus atque longus. Oritur ab humido radicali, in cujus medio eſt calor primigenius.

Similiter in manus ſiniſtræ tertio loco *chĕ*, quia viam veſicæ ſeu renum & ureterum inferiùs ſitorum indicat, pulſus eſt profundus, mollis, debilis, oritur ab humido puro & non mixto, ideo dicitur eſſe ab humido intra humidum. Talem pulſum habet in manu dextrâ tertius locus, qui indicat ſtatum vitæ portæ & tertiæ regionis corporis; Et cùm pulſus profundi ab *iñ* humido radicali deorſum ferantur, ideo *hiĕ* introſpiratio, quæ conſequitur humidum radicale, ingreditur hepar, veſicam ſeu renes & portam vitæ, in quibus humidum reſidet radicale.

Hinc tam ſecundus locus in manu dextrâ, quàm tertius lo-

cus in dextrâ & ſiniſtrâ, pulſus habet profundos, quia etiam membra & inteſtina, quorum indicant ſtatum connaturalem ſunt in inferioris vel infimo corporis humani ſituata loco, hoc eſt: ſecundo & tertio.

Porrò inter *hú* & *hie* exſpirationem & introſpirationem (puta: inter *yâm* & *iñ* humidum & calorem, ſeu inter pulſus natantes & profundos, cùm ſint extremè contrarii) medium neceſſe fuit poni, ideo pulſus medius temperatus remiſſus videlicet eſt. In medio loco manûs dextræ ſeu ſecundo qui *quan* dicitur. Hic pulſus remiſſus ſi ſit & parvus, indicat ſtomachi ſtatum connaturalem; Si verò ſit ſolidus, indicat lienis ſtatum item connaturalem. Oritur ex æqualitate *yâm* & *iñ* mutua, ſeu humidi radic. & caloris primig.; Nam cùm lien & ſtomachus neque ſint ſupra nec infra alia membra, ſed in medio, pulſus quoque, qui amborum ſtatum indicant, medios ſeu mediocres; hoc eſt: neque natantes neque profundos eſſe oportuit, & locum etiam eorum, ubi reperiuntur, medium, hoc eſt: ſecundum in manu dextrâ *quan* dictum, ubi percipiuntur eorum pulſus. Planè in menſurâ temporis ſeu ſpirationis mediâ morâ, quæ intercedat inter *hu ke* exſpirationem & introſpirationem, ſi ſint quinque pulſus, vel in ipſis ictibus pulſuum, ſi ſint quatuor, nam in intervallo unius ſpirationis in ſano homine non plures quinque, nec pauciores quatuor pulſus inveniri, diximus ſuprà.

Colligitur, primum locum utriusque manus ſubjici calori primigenio, ſimiliter tertium ſubjici humido radicali, medium verò æqualiter humido radic: & calori primigenio; Proinde & pulſus, qui reperiuntur, connaturales alios eſſe à calore, quales ſunt natans, creber, longus, alios ab humido, quales ſunt profundus, rarus, brevis, ac præterea in dextræ primo loco pulſus natans, brevis & obtuſo-rarus eſt à calore; In quo eſt humidum, hoc eſt, ab unâ origine caloris & duabus originibus humidi, indicant congenitum ſtatum pulmonum & magno-

magnorum Inteſtinorum, quibus metallorum frigus dominatur; Et cùm ignis frigori contrarietur, ideo cor pulmonibus, & pulſus cordis exundans magnus pulſui viæ pulmonum natanti & raro. Ideo repertus in primo loco dextræ indicat, à corde igneo deſtrui metallicam pulmonum naturam.

In primo loco manus ſiniſtræ pulſus exundans, magnus, qui mox diſpergitur, eſt à calore primig:, qui eſt in medio caloris primigenii, hoc eſt: ſolummodo ab originibus caloris primig: indicat connaturalem cordis & parvorum inteſtinorum ſtatum, ſed igni ſicco contrariatur aqua, ideo cordi veſica ſeu renes, ac proinde illius pulſus profundus, debilis & creber pulſui cordis magno natanti. Quare repertus in loco ſiniſtræ manus indicat, ab aquâ, hoc eſt: veſicâ extingui ignem, hoc eſt, cor. In tertio loco ſiniſtræ manus pulſus profundi & crebro-acuti ac debiles ſunt ab humido radicali, in cujus medio eſt calor primig: ſeu à duabus originibus humidi radic: (quatenus profundi ſunt & debiles) & ab unâ origine caloris primig:(quatenus ſunt crebri) indicant congenitum ſtatum veſicæ ſeu renum & ureterum, nec non in tertio loco dextræ ſtatum portæ vitæ & tertiæ regionis corporis, quorum natura eſt aquea, licèt qualitates item igneas habeant; Atqui humidæ aquæ ſicca terra contrariatur, & veſicæ & portæ vitæ lien & ſtomachus, ac proinde pulſus viæ ſtomachi remiſſus & languidus repertus in tertio loco (ſeu dextræ ſeu ſiniſtræ) indicat, à terrâ deſtrui aquam, hoc eſt: à ſtomacho veſicam ſeu portam vitæ. In medio ſeu ſecundo loco ſiniſtræ pulſus profundi, longi & intenſi, ſeu ſimiles chordæ tenſæ, ſunt ab humido radic: in cujus medio eſt calor primig:(quatenus profundi & intenſi) indicant connaturalem ſtatum hepatis, cui dominatur Sinarũ Elementum arboreum ſeu aêreum; Verùm arboribus ſeu aëri humido metalla per ſuam ſiccitatem contrariantur, ac proinde hepati pulmones, & horum pulſus utrique natans, brevis & rarus ſimul contrariatur pulſui hepatis profundo, longo & in-

 tenſo;

tenso; Quare repertus in secundo loco sinistræ, significat, à Metallis arbores seu aêrem frigidum destrui, & à pulmonibus hepar.

In secundo loco seu medio dextræ pulsus remissi & simul languidi, sunt à caloris & humidi temperie, & medii sunt inter natantes & profundos, breves & longos, crebros & tardos ac languidos, indicant lienis & stomachi statum connaturalem. Porrò lieni & stomacho dominatur terra, sed siccæ terræ contrariatur arborum seu aëris humiditas & subtilitas, ideo stomacho contrarium est hepar, & pulsus viæ hepatis profundi, longi & crebri pulsibus stomachi remissis, languidis & tardis: Unde reperti in dextræ secundo loco terram destrui ab arboribus seu aëre, & stomachum ab hepate, indicant. Quòd si bene percepisti pulsus connaturales à calore primig: & humido radic: exortos, qui mediantibus viis originum in punctis sex manuum apparent, facilè contrarios pulsus & præternaturales, qui irrepere solent, advertes: Item, in quo peccant, (aut deficiant aut excedant) à connaturalibus, & consequenter, quomodo origines connaturalium pulsuum afficiantur, diminuantur aut dejiciantur à suo connaturali statu ac temperamento; Nec te fugiat notitia morborum, qui destruunt sanitatem, & inducunt Mortem: nam sanitas in temperie caloris primig: & humidi radic:, quam pulsus explicant, consistit, morbi in mutatione & horum alteratione, mors verò in dissolutione, aut victoriâ, aut excessu alterutrius, vel destructione utriusque.

Colligitur secundò: Cùm loca pulsuum aliquos natantes, aliquos profundos habeant, bene animadversum esse à Medicis Sinicis, natantes pulsus, qui sursum feruntur, levitatem habere, & profundos gravitatem, quæ etiam bene sunt notanda, & locus cujuslibet pulsus perscrutandus, prout majorem gravitatem in illo aut minorem habent: Si videlicet aut ad pellem & carnem, aut ad nervos, aut ad ossa illorum demoratio

moratio

moratio sit connaturalis, vel adventitia, ac irrepens per modum advenæ & hospitis, quemadmodũ Sinenses loqui solent, Ex hoc enim percipi poterit clarè, ubi in illo loco resideat morbus, videlicet, an in ossibus, an in nervis tantùm, vel etiam in sanguine vel superficie carnis.

Colligitur tertiò: Non solùm in locis assignatis pulsuum necesse est obiter pulsum explorare per mensuram unius spirationis, si nimirum ad intervallum unius spirationis quatuor vel quinque ictus connaturales ille pulsus excitet, ut indicetur illa via & origo (membrorum, inquam, & intestinorum) bonam habere constitutionem; Verùm necesse est octo vel decem spirationum intervallo quadraginta quinque aut quinquaginta ictus ejusdem loci pulsuum explorare. Nam si intervallo prædicto constanter iidem immutati reperiantur, intelligetur via illa & origo (membrorum, inquam, & intestinorum) non solùm ipsa bene habere, sed alias quoque vias & origines, à quibus sunt, cum illâ viâ & origine.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

An pulsus connaturales assignatis viis duodecim & originibus spiritus iidem persistant in locis sinistræ & dextræ manus hominis sani, an suas etiam vicissitudines temporis annui patiantur, & quis vicissitudinum sit motus & causa.

ADverte primò: Sinenses uti anno lunari, qui constat 360. diebus, Continet verò hic numerus sexies sexaginta dies, (qui cyclus apud illos horariarum literarum duodecim, & annuarum decem conversiones obtinet.) Porrò, cùm sint quatuor anni tempestates (quarum quælibet ex duodecim Mensibus tres menses, seu ferè nonaginta dies occupat) Sinenses quintam anni tempestatem seu mutationem.

cationem invenerunt, & quidem tam veri & æſtati quàm autumno & hyemi ſingulis ſeptuaginta duos dies ex nonaginta diebus ſeu ternis menſibus aſſignârunt ; Quintæ verò tempeſtati octodecim dies, (qui à 72. diebus ad nonaginta dies excurrunt) decerptos de quâlibet ex quatuor tempeſtatibus tribuerunt. Unde fit, ut quater octodecim faciant 72. & quinquies 72. efficiant trecentos ſexaginta dies, qui complent annum Sinicum lunarem, conſtantem quinque tempeſtatibus ſeu mutationibus annuis ſecundùm illos.

Adverte ſecundò quòd non ſolùm membra & inteſtina adhærentia ſubjecta ſint quinque Elementis, verùm etiam ſingulas anni tempeſtates, quare dominium, quod quinque anni tempeſtates ſupra membra & inteſtina habent, rectè dicitur dominium Elementorum,& dominium,quod Elementa habent, rectè vocatur dominium quinq; tempeſtatum. Sic ver dominari aëri & arboribus, hoc eſt : hepati, quod naturam earum habet, dicitur. Æſtas igni, h. e. cordi, Autumnus metallis, h. e. pulmonibus, hyems aquæ, h. e. veſicæ ſeu renibus, denique annua tempeſtas, (quæ eſt tempus extremum octodecim dierum cujuslibet ex quatuor præcipuis tempeſtatibus) terræ dominatur, hoc eſt, lieni & ſtomacho.

Neque ſolummodo tempus annuum in quinque tempeſtates, quæ quinque mutationes notabiles indicant, diviſerunt, verùm in reliquo tempore alias etiam varietates & immutationes minores ſeu minùs notabiles repererunt,diſtinxeruntq;, quas 24. eſſe volunt, & quidem in primis duodecim mutationibus *yâm* calorem primig: creſcere & augeri, *iñ* verò diminui duodecim viis corporis humani,ac proinde & pulſus in illis exortos variari, in aliis verò duodecim mutationibus creſcere *iñ* humidum radicale, & *yâm* calorem diminui, & ſimiliter pulſus variari, notârunt. Verùm maximè notabilis variatio & diſtinctio pulſuum fit per quinque tempeſtates annuas, quam & præcipuo cum ſtudio obſervari jubent.

Textus;

Textus: Codex ſic ait: Diminuti caloris primig: via & origo tertiæ partis corporis pulſum interdum producit magnum, interdum parvum, interdum longum.

Puri caloris via & origo magnorum inteſtinorum pulſum producit *feu ta ch ton* natantem magnum & brevem.

Magni caloris primig: via & origo parvorum inteſtinorum producit pulſum exundantem, magnum & longum.

Magni humidi radicalis via & origo pulmonum pulſum producit intenſum, magnum & longum.

Diminuti humidi radicalis via & origo cordis producit pulſum intenſum, ſubtilem & parvum.

Defectuoſi humidi via & origo hepatis producit profundum, brevem & celerem.

Ex iſtis ſex pulſibus alii ſunt connaturales & ſani hominis, aliqui apparent, cùm morbus advenit. Quælibet viæ dictorum pulſuum habent pulſus prædominantes, eò, quòd Spiritus illorum in determinatis menſibus dominari ſoleant pluribus diebus. Sic in ſolſtitii hyberni tempore in cyclo ſexaginta dierum prædominatur diminuti caloris via, in ſequenti verò cyclo ſexaginta dierum caloris puri via dicitur, poſtea diminuti humidi radic. in alio item cyclo ſexaginta dierum dominatur ſpatio.

Unde, cùm cujuslibet originis & viæ dominium duret ſexaginta diebus, & ſexies ſexaginta conficiant 360. dies, ſequitur per annum in ſex viis diverſarum qualitatum dominia apparere. Iſta autem dominia trium viarum & originum humidi radic. & ſimiliter trium viarum & originum caloris primig. atque tempus dierum, quo illa exercent, maximi ſunt momenti.

Comment: Humidi radic. & caloris primig. diverſi ſpiritus in annuis tempeſtatibus maximè apparent; Solſtitium hyemale habet perfectiſſimum *iñ kiĕ* humidum radic. quòd producit calorem primig. ſolſtitium æſtivum habet *yâm kiĕ* perfectiſ-

perfectiſſimum calorem primig. quòd producit humidum radicale.

Sequuntur cycli primi ſexaginta dies, in quo tempore diminuti caloris via producere incipit ſpiritus prædominantes, qui adhuc parvi ſunt, quia tempus frigidum; Ideo pulſus potiùs ingrediuntur, quàm egrediuntur: Unde modò magni, modò parvi, modò longi vel breves promiſcuè ſunt. Sic primus Cyclus ſexagenarius incipiens à tempore ſolſtitii hyemalis incidit in undecimam vel duodecimam lunam, & pulſus illi indicant ſtatum magnæ tertiæ partis corporis & portæ vitæ. Secundus cyclus item ſexaginta dierum (qui incidit in primam, vel ſecundam, vel tertiam lunam) in hoc tempore dominatur via puri & lucidi caloris in ſecundo ordine; Spiritus, qui tunc vigent, veniunt ſolidi, & tempus anni incipit eſſe clarius ac lucidius. Pulſus ſunt natantes, magni & breves: Indicant vias hepatis & fellis.

Succedit tertius cyclus ſexaginta dierum (qui incidit vel in tertiam, vel quartam, vel quintam lunam) magni caloris via dominatur illo tempore & in ordine tertio. Spiritus hujus temporis ſunt multi & magni, ipſum tempus valde calidum, ideo pulſus adveniunt exundantes magni & longi indicantes ſtatum parvorum inteſtinorum & cordis.

Poſtea tempore ſolſtitii æſtivi in cyclo quarto ſexaginta dierum dominatur magni caloris primig. via. (Incidit cyclus in quintam, ſextam vel ſeptimam lunam) in quarto ordine. Spiritus perfecti ſunt, & calor primig. eſt perfectiſſimus, incipitque producere humidum radicale & ejus ſpiritus, tempus eſt calidum & humidum, ideoque pulſus vehementes, magni & longi; Indicant pulmones & magna inteſtina.

Quintus cyclus ſexaginta dierum (incidit in ſeptimam, octavam vel nonam lunam) in hoc humidi radic. diminuti via dominatur in quinto ordine, ſpiritus caloris primigenii diminuuntur, & ſe recolligunt; At verò ſpiritus humidi radicalis augen-

augentur. Ipſum tempus anni tepidum eſt & ſubfrigidum, adeoq́; pulſus vehementes, ſubtiles & parvi, indicant ureteres.

Sextus cyclus dierum ſexaginta (incidit in nonam vel decimam lunam) dominatur in hoc tempore humidi radicalis via. Spiritus illo tempore humidi radicalis ſunt intenſi & perfecti: Tempus ipſum eſt frigidum ſeu glaciale & pluvium, ideoq́ue ſunt pulſus profundi, breves, graves, vel ponderoſi, & indicant veſicam ſeu renes.

Recenſiti hi pulſus non poſſunt vocari æquales, & abſolutè ſano homini connaturales, ſed nec poſſe dici contranaturales aut infirmi hominis; Illos tamen hîc retulimus, ut vel inde intelligas, quomodo tres viæ & origines caloris primig. dominia ſua exerceant in circulo anni, ac pulſus cauſent in corpore humano.

Colligitur, ſpiritus pro varietate caloris & humidi variari &c.

Atque hæc ſunt, quæ deſiderabantur ad complementum clavis Medicæ, nam quæ ſequuntur jam dudum in Europam miſſa ſunt, & fortè præpropero prælo excuſa, quibus adeo iterum deſcribendis ſuperſedemus, quæque procul dubio correctioni repetito prælo ſubjicienda. Quandoquidem autem in hâc clavi Medicâ toties fiat mentio membrorum & inteſtinorum, uti & viarum ab illis dimanantium, placuit hîc apponere, quæ in libris ipſorum continentur, ſingulorum imagines ſeu figuras. Anatomiam nullam habent, niſi hîc appoſitam figuram Anatomiam vocare volueris. Hinc quæ referuntur, ex traditione magis habere omnia credibile eſt; Adde, quòd dicant, etiam in hominis demortui corpore multa diſſolvi & diffluere, quæ in vivente ſunt, adeoq́ue in Anatomiâ multa adhuc poſſe latere perſpicaciſſimos Anatomicos. Cæterùm obiter indaganti ſingularum viarum principia & terminos, quibus ajunt correſpondere pulſus, multa ſanè occurrunt, in quibus ſibi contradicere videntur; Quo pacto enim, v. gr. hepatis,

quod ad dextram collocant, pulſus in ſiniſtrâ manu explorari debet, & lienis cum ſtomacho in dextrâ, cùm ad ſiniſtram collocetur: Adhæc, per quas venas ureterum via ad pedes terminari dicitur, quo item pacto tertiæ regionis corporis via à manibus ad caput tendit, cùm hæc via ſpectare potiùs videatur ad ſupremam corporis regionem. Atque hinc dubitare licet, an terni pulſus utriusque manus eatenus duntaxat & eo ordine inter ſe diſtinguantur, quatenus correſpondent ordini trium corporis humani regionum, earumque rectam aut pravam conſtitutionem indicant. Meritò item quæri poteſt, quidnam ipſi intelligi velint per veſicam, quam renum figurâ videntur exprimere, an ſuccenturiatorum, an aliarum glandularum? neſcio; Nam hoc membrum (quod Author clavis medicæ vocat veſicam) comparant duabus rubeis fabis majoribus, *lum teu* dictis, annecti dicunt immediatè poſt decimam quartam vertebram ſpinæ dorſi utrinque ad latera, ſinguli diſtant à vertebrâ duabus menſuris digitalibus, & tribus partibus, immediatè utrinque ſunt infra ſtomachum, & umbilico directè correſpondent. In medio collocatur porta vitæ ſeu calor primigenius, conſtitutus inter humidum radicale velut inter duas portas, à cordis venâ dimanant dicti renes, & inferior via ſeu vena deſcendit ad magnum os, dein aſcendit ad medullam ſpinæ dorſi, donec tandem perveniat ad medium capitis ſeu locum *ſui hai*, medullarum (ſeu cerebri potiùs) mare dictum. Item alia hujusmodi multa, quæ hîc prætereo, quæque incredibilia & ridicula potiùs videbuntur Europæis, niſi fortè credamus, Priſcorum mentem Medicos tot nondum aſſequi potuiſſe, qui tamen mordicus per tot ſeculorum ſeriem juxta illos Artem ſuam exercere ſe jactitant, ſuâ ſcientiâ illâ Empiricâ ſeu experimentali duntaxat contenti; Nam revera rationem philoſophicam rerum ſuarum dare nequeunt, & ſi quid lucis ab Europæo accipere queant, utique gaudebunt doceri, & lubenter fatebuntur, in multis ſe erràſſe, uti fatentur de Mathematicâ & Aſtrologiâ ſuâ

licèt

licèt vetustissimâ, quam reformârunt Patres è Societate nostrâ Europæi, cum tanto plausu & fructu Christianæ legis hinc consecuto.

Ad figuras infra positas quod attinet, notandum, quòd vias illas seu loca cavitatum, (quas suis nominibus indigitant, & inter se distinguunt) duntaxat notent in ordine ad ustiones seu cauteria, & acuum punctionibus inter musculos, quæ ars priscis illis temporibus (quibus passionum adeoque interiorum morborum expertes erant, adeoque si quod malum paterentur, ab exteriori promanare credebant) maximè vigebat, & quam usque hodie nondum se assecutos, utpote per tot seculorum vicissitudines dilapsam, ac veluti sepultam, ingenuè fatentur. Figuras autem viarum singularum per tot flexus & mæandros intra membra & intestina hactenus consequi non licuit, neque ullibi exstare intra Chinam putandum est. Quare solùm duntaxat cujusque viæ principium & finem in his figuris descripsére, omissis interioribus flexibus, uti & semitis seu rivulis venularum, per quos unaquæque membri & intestini via plerumque terminat, & ab alterius membri viâ excipitur, uti in descriptione & paradigmate circulationis videre est, de quâ quidem circulatione omnes omnino libri identidem ajunt. Et si Europæo fortè videbitur phantastica, præsertim, ubi mensuram 810 *cham̄* (quæ continet octo mille & centum cubitos minores) in totâ circumvolutione 24. horarum assignant, nisi dicamus, singulis horæ quadrantibus singulas fieri revolutiones, aut certè singulis mediis horis unicam, seu universim 50. revolutiones intra 24: horas juxta cœlorum per 50. domos circuitum, quod ipsum asserunt etiam Sinenses libri. Cæterùm expertissimorum judicio & censuræ ego ignarus rerum hujusmodi Medicam Sinarum per 40. secula conservatam facultatem lubens relinquo & subjicio.


Cum reliquæ Tabellæ, quæ modò recensitas quinque sequuntur, omnes in Nobiliss. Dn. Andreæ Cleyeri Specimine Medicinæ Sinicæ, A. M. DC. LXXXII. Francofurti in lucem producto, jam prostent, easdem hîc repetere nolumus, sed potiùs curiosum Lectorem ad librum illum remittimus, indicaturi tantùm varietatem in inscriptionibus observatam, meliorem interim pulsuum sub carpo explorandorum rationem tabula quinta exhibet.

Tabella V. quæ in Cleyeriano tractatu Tabulâ 1. comparet, hanc habet inscriptionem: Monstri Sinarum anatomizati vera effigies.


Tabella VI. cum Cleyeriana Tabula numero, ut & sequentes reliquæ, coincidunt: & huic 6tæ sequens addita est inscriptio: Pulmonis imago. Pulmo pondus habet trium librarum & totidem unciarum: sex folia, duas auriculas: adjacet spinæ dorsi tertio articulo: continet 24. vacuitates, per quas spiritus per cætera membra derivatur: trachea habet novem articulos seu annulos. Introspiratione dilatatur, exspiratione contrahitur. Hujus & cæterorum membrorum & intestinorum viam vide, ubi de circulatione agitur. Pulmo nascitur ordine quartus, perficitur ordine nonus.

Tabella VII. est cum hac adscriptione: Pulmonum via magnum humidum vehens terminatur ad manus, initium sumens à media regione corporis, seu potiùs ab ipsis pulmonibus. Notandum in his & sequentibus figuris mediam tantùm partem cavitatum notari, nam eo ordine de alia quoque parte, quæ eidem correspondet, judicandum esse. Continet ad lævam & ad dextram universim 22. cavitatum loca.

Tabella VIII. cum hac inscriptione. Intestinorum majorum figura. Majus intestinum pondus habet duarum librarum & 12. unciarum, longum est duas orgyas Sinic. & unum cubitum, seu cubitos undecim, latum quatuor mensuris digitalibus; sed cùm gyros habet, capit mensuram unius *teŭ* alimento-



Ad Append. Anni IV


Octo aggregationum seu scaturigenum Paradigma.
Oßium scaturigo.
Spirituum scaturigo.
Sanguinis scaturigo.
membrorum scaturigo.
Intestinorum scaturigo.
pulsuum scaturigo.
nervorum scaturigo.
medullarum scaturigo.

Paradigma, quo tria loca determinata pulsuum exploran=dorum designantur.



Utriusq; manus ea=dem est ratio.




Vetus codex primo loco aßignat pulsum cordis et pericardii.
Secundo loco pulsum epatis et diaphragmatis.
Tertio loco pulsum renum ad sinistram et gracilium intestinorum et ureterum.

Vetus codex dextræ primo loco aßignat pulsum pulmonum et meditullii pectoris.
Secundo loco pulsum stomachi seu ventriculi et lienis.
Tertio loco pulsum renum ad dextrum et magnorum intestinorum.



Utriusq; manus primus locus spectat ad calorem primigenium et respondet supremæ regioni corporis.
Secundus locus æqualiter participat de calido et humido, et respondet mediæ corporis regioni.
Tertius locus spectat ad humidum, et respondet infimæ regioni corporis.



Ordo pulsuum in sinistra et dextra manu juxta veterem codicem et juxta modernos, qui auctore Vâm, Xŏ hŏ (floruit hic mille abhinc circiter annis) cùm ex ordine circulationis in veteri codice contentæ didicißent, intestina gracilia cum corde, et craßa cum pulmone relationem magnam habere, ordinem pulsuum nonnihil immutandum censuerunt; quos item refutant hujus seculi Scriptores medici. Notandum hic quoq; bifariam dividi renes, sicut horum sinister ad sinistram, dexter ad dextram pertinent, et prout ad dextram et portam vitæ inter renum utrumq; collocant.

Regula pulsûs sui ipsius explorandi, circumducendo dextram ad pulsus sinistræ, sic ut index exploret primum locum pulsuum, uti infra.



Regula pulsus alterius hominis explorandi, sic ut index respondeat primo pulsuum loco, medius digitus secundo, annularis tertio loco.



Delineatio cavitatum vel locorum pulsuum et trium partium corporis.

Fum fu. i.e. ventorum urbs: locus in occipitis parte ima, ubi extremi capilli statum pulmonis indicant.

Xám ciāo. i.e. suprema pars corporis à vertice usq; ad os supremum stomachi infra cor et pectus.

Feū pĕ. i.e. natans albedo, locus in occipite infra aures.

Chūm ciāo. i.e. media pars corporis à stomacho ad ventris medium: continet fel, hepar, stomachum et ventrem.

Kî muēn. i.e. extremorum: locus infra mammillam, prodit originem intestini magni.

Hiā ciāo. i.e. infima pars corporis, à ventris inferiore ore ad plantas pedum.

Kî Keū. i.e. spirituum os in dextra ante locum Quān.

Gîn yîn. i.e. hominis obviantis seu viarum humidi radicalis et caloris primigenii occursus in sinistra: prodit originem epatis et fellis.

Kî hái. i.e. spirituum mare, uno et dimidio infra umbilicum digito distans locus.

Quān yûen i.e. limes originum infra umbilicum tribus et dimidio digiti articulo: perfectorum spirituum receptaculum. Prodit originem ad vesicam.

Tàn hên. i.e. rubeus ager, locus tribus infra umbilicum digitis.

Chùm yâm. i.e. penetratio viarum caloris primigenii in pedum superiore parte, ab imo et extremo osse tribus digiti articulis distans. Prodit originem ad ventriculum.

Taî chùm. i.e. magna penetratio in ipso plantæ pedis medio. Dicitur et porta vitæ, quia cessante illic pulsu, moritur æger.

Tá Kî. i.e. magna lacuna, ad latera pedum supra talum, sunt illi pulsus. Mares in pede sinistro, fœminæ in dextro habent.

Ad Append...

mentorum & aquæ ſeptem menſuras cum dimidia. Hujus os ſuperius eſt gracilium inteſtinorum os inferius.

Tabella IX. hanc habet inſcriptionem : Majorum inteſtinorum via lucidi caloris à manibus ad caput, continet loca cavitatum utrinque quadringenta.

Tab. X. hac cum adſcriptione: Stomachi figura. Stomachus pondus habet duarum librarum & quatuordecim unciarum, longitudinem duorum cubitorum & ſex menſurarum digitalium, capit duas menſuras alimenti & unam & dimidiam aquæ. Inferius os eſt gracilium inteſtinorum os ſuperius.

Tab. XI. hujus eſt inſcriptionis: Stomachi via ludici caloris à capite ad pedes. Continet utrinque cavitatum loca nonaginta.

Tab. XII. cum hac inſcriptione: Lienis figura. Lien pondus habet 2. librarum & 3. unciarum: altus quinque menſuris digitalibus, latus tribus : pinguedo illi adhærens mediam libram continet. Eſt infra undecimam vertebram ſpinæ dorſi.

Tab. XIII. c. h. i. Lienis via magni humidi à pedibus terminatur ad cor: continet cavitatũ loca utrinq; quadraginta duo.

Tab. XIV. c. h. i. Cordis figura. Cor habet pondus 12. unciarum : continet 7. cavitates, 3. pilos: capit liquoris puriſſimi 3. pugillos: adhæret quintæ vertebræ dorſi. Quatuor membra pendent à corde, cui ſubjacent. Cor naſcitur ordine ſecundum, perficitur ordine ſeptimum.

Tab. XV. c.h.i. Cordis via diminuti humidi ab ipſo corde ad manus. Continet cavitatum loca octodecim utrinq;.

Tab. XVI. c.h.i. Inteſtinorum minorum ſive gracilium figura. Horum os ſuperius eſt ſtomachi os inferius, & hoc eſt magni inteſtini os ſuperius. Habent pondus 2. librarum & 4. unciarum, longitudinem 12. cubitorum : ſedecim gyros habent, capiunt alimenti menſuras duas & ferè mediam, aquæ mediam menſuram & amplius aliquid.


Tab. XVII. Eadem inſcriptio huic eſt, quæ Tabulæ Cleyerianæ.

Tab. XVIII. c. h. i. Ureterum figura. Os ſuperius adjacet gracilibus inteſtinis: Ureterum pondus eſt novem unciarum & duorum ſcrupulorum.

Tab. XIX. Inſcriptio cum Cleyeriana coincidit.

Tab. XX. c. h. i. Renum figura. Renes pondus habent unius libræ & duarum unciarum, & ſunt aquæ ſeu ſpirituum ſeminalium adeoq; vitæ & duodecim viarum fontes: intra ſecundinam (ut ajunt) & intra umbilici nodum minimum quid, quod ibi naſcitur eſt principium vitæ, dein in duos veluti ramulos ſeu (uti videtur) renes utrinque dividitur.

Tab. XXI. Inſcriptio Cleyerianæ reſpondet.



Tab. XXII. In Cleyeriano tractatu non eſt, & hanc habet inſcriptionem: Pericardii ſive cordis involucri via, devehens defectuoſum humidum à pectore ad manus. Figura ejus eſt hæc præſens, infra cor nonnihil, & ſupra diaphragma.

Tab. XXIII. Similis eſt Cleyerianæ inſcriptioni.

Tab. XXIV. c.h.i. Folliculi fellis imago. Fel pondus habet trium unciarum & totidem ſcrupulorum; longitudinem trium menſurarum digitalium; tres pugillos liquoris capit.

Tab. XXV. Eadem inſcriptio cum Cleyeri.

Tab. XXVI. c. h. i. Hepatis figura. Hepar ſitum eſt infra nonam vertebram ſpinæ dorſi, pondus habet duarum librarum & 4. unciarum. Ad dextrum continet 4. folia, ad lævam verò tria. Naſcitur ordine tertium, perficitur ordine octavum.

Tab. XXVII. Tab. XXVIII. & XXIX. cum Cleyerianis conveniunt.




EPISTOLA III.
JOH. CHRISTOPH. STURMII,
Math. & Physſ. P. P.

Ad

JOH. GEORGIUM VOLCKAMERUM, M.D.


Quarta Borelli Indago, à Joh. Chriſtoph. Sturmio oculariter & paucis ope machinulæ ſuæ exhibenda.


ANNO M DC LXXXVI.


















ven
ipſc
ſtra
bus



fol. 147. *Ad Appendicis Epist. 3. Sturmii.*





VIR
NOBILISSIME, EXCELLENTISSIME ET EXPERIENTISSIME
Fautor Observande.

MOnes per Filium Tui similem æmulumque, uti cœptam semel telam pertexere pergam; & ego monenti pareo, si nihil aliud, obsequii saltem laudem à Te reportaturus. Ostendi binis antehac ad Te datis epistoliis, quo pacto ALPHONSI BORELLI tres indagines priores, ex fundamentis Mathematicis ab ipso solicitè ac subtiliter, ideoque prolixiùs aliquantò, deductas, ope machinulæ cujusdam in hunc finem excogitatæ ad oculum demonstrare soleam tyronibus, viâ breviore multò ac faciliore, tametsi non adeò accuratâ & præcisâ, ad veritatem tamen prope inspiciendam ita deducente, ut in hoc rerum genere major subtilitas & ἀκρίβεια non aspernanda quidem aliis, qui eam assequi possunt, nec exposcenda tamen aliis plerisque videatur. Cùm itaque huc unicè collineent omnes hæ BORELLI Indagines, ut ostendant, Naturam in motibus articulorum animalis corporis ea compendia movendi, quibus ars & ingenium humanum debilitatem virium compensare, non tamen sine temporis dispendio, solet, prorsus negligere, &, quò velocius exsequi sua munia commodiusque posset, ingentes ubique vires molibus exiguis emovendis impendere; id quidem ex triplici capite hactenus ab ipso rectissimè demonstratum esse ocularibus machinulæ nostræ experimentis evicimus: ex eo nempe 1. quòd, cùm ossibus utatur tanquam vectibus, vires fibrarum muscularium

ossa trahentium breviori semper parti vectium illorum applicet, ponderibus contrà ex longiore suspensis; quo casu necessum est vires moventes superare pondus movendum eadem proportione, quâ pars vectis longior breviorem: 2. ex eo, quòd vectes illos adhibeat, non rigidos & continuos, velut ars utiliter facere solet, (nec enim animalibus functionibus apti erant aut brachium, aut pes, ex uno continuo osse formati) sed pluribus in locis fractos quasi & flexiles; Unde necessum est ut e. g. cùm ab extremitate digitorum suspensum pondus ope totius brachii venit elevandum, non agat solus Deltois musculus (uti quidem solus hîc sufficeret, si humerus, cubitus, carpus &c. Unicum os continuum essent) os humeri circa centrum suum sursum adtrahendo, sed opus sit alios musculos plurimos unà agere, quò reliquas brachii flexuras omnes, effectui præsenti aliàs obfuturas, eâ rigiditate extendant, quæ brachium totum adinstar unius ossis rigidi exporrigat: 3. denique ex eo, quòd funiculi illi musculares non solùm tendinibus suis alligati vectibus osseis attollendis, sed etiam ex parte opposita principiis sive capitibus suis alicubi affixi sunt (nec enim animalis fabrica patiebatur illos solutos pendere, aut ab externa quadam vi trahi, sicuti funes machinarum ab hominibus ex altera parte soluti liberique trahuntur;) quo casu necessum est vires trahentes, ob resistentiam gemini alligationis termini, statim duplicari. Ex hoc triplici capite ostendimus cum BORELLO, in dirigendo suspendendoque brachio toto unà cum pondere $9\frac{1}{2}$ ℔. ab extremis digitis pendente, naturæ animali eas esse insumendas vires in contrahendis omnium musculorum hîc concurrentium fibris, quæ, si ad libram sive vectem æqualium brachiorum applicarentur, in oppositâ lance aut ex oppositâ brachii alterius extremitate, sustentare valerent pondus minimùm 1990 librarum.

Et hæ quidem ingentes vires tam parvulo effectui, sed mirâ commoditate, præstando suffecissent, siquidem fibræ muscula-

ſculares ubique rectà ad os vel articulum movendum exporrigi potuiſſent, prout e. g. in (Fig. 1.) fibræ muſculares *a b* rectà in tendinem latum *b c d b* exporrectæ articulum E directè traherent.

Verùm enim verò cùm aliqui muſculi, ut Glutéus, Deltois, &c. ingentem vim exſerere debeant, virium autem muſcularium magnitudo ex fibrarum multitudine pendeat (ut in ſeqq. magis patebit ac interim ex eo per analogiam colligi poteſt, quòd, quò plures funes uni ponderi, funibusque reſpondentes motores, adhibiti fuerint, eò major etiam moles loco moveri queat) ſi fibræ tam copioſæ parallelo illo ſitu conjungerentur, non haberent tendines tam lati ſatis ſpatii in lateribus oſſium, niſi hæc ingentia eſſent, præſertim cùm ob neceſſariam motuum varietatem, alii plures muſculi tendinesque eidem articulo eſſent affigendi. Quamobrem Natura, & decoram animalis formam ſervatura, & multiplicitatem motuum commodè præſtitura, coacta fuit aliam fibrarum muſcularium diſpoſitionem meditari, & commoditates iſtas novo impendendarum virium augmento redimere. Tendinem ergo in plerisque muſculis gracilem inſtar funiculi directè ad articulum movendum (qui hoc pacto plures horum ambitu ſuo excipere facilè poterat) exporrexit, e. g. C D (Fig. 2. per totum autem circuitum hujus funiculi tendinoſi copioſiſſimas applicavit fibras, *a b* tendinem cum annexo oſſe obliquâ tractione, adeoque majori cum difficultate, adducentes; quod equidem muſculorum genus *Penniformium* nomine inſignire ſolet BORELLUS: in quibusdam autem (e. g. in *Deltoide*) compoſitionem ex pluribus penniformibus molita eſt, quorum tendines E D (Fig. 3.) in unum communem D C deſinentes, hunc obliquè trahunt, ipſi quoque à ſuis fibris *f g* obliquè tracti, ut ſic ex obliquitate gemina in hujus generis muſculis (quos *Radioſos* Borellus vocat) geminata quoque dif-

ficultas oboriatur, novâ virium impendendarum acceſſione ſuperanda. Et in hac demonſtranda occupatur

Quarta BORELLI Indago, à nobis ocularitèr & paucis ope machinulæ noſtræ exhibenda,

prout ab ipſo μαθηματικοτέρως & prolixiùs à Prop. LXIII. ad XC. incluſivè deducitur per paginas triginta integras. Tota nimirum hujus indaginis ratio duobus hiſce fundamentis nititur: 1. In penniformibus muſculis, quia fibræ muſculares tendinem medium cùm annexo pondere obliquè trahunt omnes, & eadem ſenſibiliter inclinatione, harum contractioni plus virium adhibendum eſſe ad eundem affectum præſtandum, quàm ſi directè traherent ac tendini ſuo parallelæ, & quidem tantò plus, quantò fibra quælibet obliqua *ba* longior eſt ſuâ ſublimitate *bc*: 2. In radioſis, qui ex pluribus penniformibus ſimilibus componuntur, augmentum illud virium ex obliquitate geminata, tendinum ſc. ipſorum, & fibrarum, tendines trahentium, efflagitatum æſtimari per rationem compoſitam, ex ratione fibræ unius *fg* ad ſuam ſublimitatem *fh*, (Fig. 3.) & ex ratione tendinis unius E D ad ſuam ſublimitatem D F; ſuppoſito nimirum, & fibrarum eandem eſſe quam proximè in muſculis partialibus obliquitatem, ac tendinum quoque pares ſenſibiliter inclinationes. Hæc duo fundamenta ſic illuſtrat & ad oculum demonſtrat noſtra machinula:

I. Inclinatis ad invicem eò viciniæ machinulæ noſtræ brachiis, ut ſupremæ rotulæ *d* & *d* (Fig. 4.) ſe proximè contingant, & utraque fila *e d* directè ſurſum trahant, appendimus geminato filo medio pondus *r* 1. lib. protracto verò ſupra rotulas utrinque pondera inter ſe æqualia *s. s*, utrumq; ſc. ½ ℔. ut ſimul æqualia ſint ſuſtinendo medio; videmusq; hoc ipſum medium *r*. ab illis extremis s. s. hac directa tractione in æquilibrium omnimodum reduci.

Mox II.

Mox II. diducimus brachia machinulæ *a d* & *a d* (Fig. 5.) videmusque ad oculum, pondus medium tantò magis prævalere ac descendere, alteris è contrà elevatis, quantò evadit obliquior tractio filorum *d e*, & consequenter utrique ponderi *s*. addendum quid esse, si prius obtinere momentum, & medium pondus ad pristinum situm reducere debeant. Quod equidem additamentum eam habere rationem, quam BORELLI Mathematicæ deductiones exposcunt, ut ad oculum mechanicè ostenderemus, levantes digito pondus r; donec cum lateralibus *s*, *s* situm æquilibrem haberet, his ipsis adjecimus unciam unam & mox alteram, eoque facto vidimus æquilibrium quàmproximè servari. Observato igitur decenter angulo quem fila *d e* cum directione perpendiculari *g f* faciebant, transversimque applicatâ regulâ *d d*, notavimus sublimitatem *g f* prope verùm ad longitudinem fili g d esse ut 8 ad 9: Eandem verò rationem cùm deprehenderemus inter pondera æquilibrata, r np. 1. ℔. sive 32. unc. & duo s s cum additamentis 1. ℔. 4. unc. f. 36. unc; in primo hoc casu Borelliani asserti veritatem ipsis oculis lustravimus.

III. Similiter ex 4. filis obliquis & parallelis *d e* & *g e* (Fig. 6.) totidem suspendimus ponduscula, s, s, s, s, singula ¼ ℔, quæ medium filum e h, & pondus ex ipso pendulum r 1. ℔. suspenderent: Vidimus hoc directè trahens illis quatuor obliquè trahentibus (quibus aliàs æquilibre foret, si & ipsa directè traherent) notabiliter prævalere. Ut igitur augmentum obliquis addendum ex BORELLI præscripto indagaremus, digito sustulimus pondus medium ad æquilibrium desideratum, & observavimus angulum d e f grad. circiter 40. qui ex Tabb. Sin. si *d e* ponatur 100, dat pro *e f*. circiter 76: ut *d e* esset ad *e f* sicut 100 ad 76. sive ut 50 ad 38. Postea æquilibrium, attollente digito hactenus obtentum, additamento ponderis procuravimus, quod requirebatur 10. circiter unciarum; ut potentiæ *s. s. s. s.* cum hoc suo augmento ad pondus *r* essent

quàm-

quàmproximè ut 42 ad 32.; quæ cum illa priore 50 ad 38 quàm proximè eadem eſt.

IV. Tandem ex binis filis *eg* (Fig.7.) in 4. alia *de* rameſcentibus, & his annexis ponduſculis *s. s. s. s.* ſuſpendimus idem pondus *r* & hoc magis nunc quàm in caſibus prioribus deſcendere notavimus, facilè hinc judicantes, in hoc caſu majorem etiam acceſſionem ponduſculis s deberi, ut pondus r in ſitu æquilibri ſuſtinerent. Teſtabatur autem experientia, non potuiſſe obtineri hoc æquilibrium, niſi additis 18 unciis (ſive adderentur uni ſoli ex ponduſculis, ſive diſtributivè $4\frac{1}{2}$ unciæ ſingulis) ut potentiæ *s. s. s. s.* ſimul ſumptæ unà cùm his ſuis augmentis, ad pondus *r* ſe haberent ut 50 ad 32. Facturi igitur periculum, an hoc congruenter aſſerto Borelliano contingat, obſervavimus angulum *e g e* graduum circiter 60, & angulum *d e d* quàmproximè 90. Cùm igitur ſublimitas *h g* ſit ſinus complementi dimidii illius *e g h*, & *e f* ſinus complementi dimidii anguli hujus *d e f*, poſito *e g* vel *e d* pro radio, 100, *g h* ex Tabb. facilè habebatur 86, & *e f* 70. quamproximè; ut ratio *e g* ad *g h* eſſet, ut 100 ad 86, & ratio *e d* ad *e f* ut 100 ad 70, ſive ut 86 ad 60 & paulò amplius, adeoque ratio ex 100 ad 86 & 86 ad 60 &c. compoſita ſe haberet ut 100 ad 60, ſive 50 ad 30 & paulò ampliùs; quæ parum differebat à ſuperiore, 50 ad 32, & Borellianum aſſertum ſatis confirmabat pro inſtituto præſenti.

Neque verò diſſimulandum eſt, VIR AESTUMATISSIME, neque ſatis temporis hac vice nobis ſuppetiiſſe, neque ponduſculorum genera neceſſaria &c. ad manûs ita fuiſſe, ut plura hujus rei experimenta capere, aut enumerata, rigoroſiore curâ & examine inſtituere licuiſſet. Non deſperamus tamen, iis, quos hæc talia delectant viam nos commonſtrâſſe planam & facilem, quâ pervenire poſſint ad intellectum eorum fundamentorum, quibus hæc quarta Indago nititur

Cap. XIII.

Cap. XIII & XIV. operosiùs expositis, quibusque intellectis, applicatio Cap. XV. facta nihil habere ampliùs obscuritatis potest. Hæc enim huc tendit unicè, ut vires musculorum Indagine superiore tertiâ determinatæ nunc limitentur porrò, & ex principio novo hactenus exposito tantillum augeantur.

Nimirum 1. cùm portio musculi KO (Fig. 4. Epist. II.) adhiberet vires extimo digiti articulo dirigendo plusquam 76 librarum, siquidem ejus fibræ rectæ essent ac tendini parallelæ; nunc, ubi obliquas illas ad tendinem, inclinatione 14 graduum ad summum, observatio testatur, (quo casu sublimitas b c (Fig. 2.) ad longitudinem fibræ ba est ut 97 ad 100) erunt, ut 97 ad 100 sic vires illæ 76 librarum tractionis rectæ ad vires obliquæ tractionis 78 ℔. Similiter 2. Musculus K N, si rectà traheret, adhiberet vires 152 ℔, prout in Epist. II. indago tertia docuit. Nunc autem, quia ejus fibræ trahunt obliquè sub angulo 14 gr. erunt ut 97 ad 100, sic 152 ad 157 quàmproximè. 3. Portio prioris musculi K M unà cum lumbricalibus rectà trahendo vires impenderet 190 libr. & sine lumbricalibus partem saltem dim. 95 (alterâ medietate lumbricalibus relictâ.) Nunc autem, propter fibrarum obliquitatem, erunt ut 97 ad 100, ita vires rectæ portionis K M 95 ad obliquas 98. Totus igitur musculus KO vires adhibet (ex duabus portionibus 78 & 98 compositas) libr. 176. 4. Musculi K L carpiflexoris inventæ sunt vires 240 ℔. Jam verò quia fibræ ejus obliquæ sunt (est enim & hic penniformis) sub angulo pariter 14 gr. circiter; ut 97 ad 100, sic erunt 240 ad 247 libr. vires accuratiùs determinatas. 5. Musculorum cubitum flectentium P K vires ex hypothesi fibrarum tendini parallelarum deprehensæ fuerunt ℔ 552. Nunc autem, ob exiguam fibrarum inclinationem, parum augenda est eorum vis motiva, ut minimùm adæquent 558 ℔. 6. Deniq; musculus Deltoides I P, si parallelas haberet tendini fibras, impenderet brachio toto exporrigendo, & u-

na cum appenso pondere sustinendo, 780 ℔. vires. Jam verò hic radiosus est, ex pluribus penniformibus compositus, quorum fibræ vix ultra 8 gr. inclinatæ sunt, cùm tendinum inclinationes gradûs 30 non superent: Illa dat rationem sublimitatis ad longitudinem fibræ, ut 99 ad 100; hæc rationem sublimitatis ad longitudinem tendinis ut 87 ad 100, h. e. 86 ad 99. Ergo ratio composita ex his duabus, nempe 86 ad 100, dabit rationem virium antè inventarum 780 ad auctiores nunc & correctas 907.

Sic igitur limitatiùs correctiusq; computatæ vires omnium musculorum, ad brachium dirigendum & pondus $9\frac{1}{2}$ ℔. ab extremitate digitorum suspendendum, in summam ita colligendæ veniunt:

Portio musculi KO una adhibet vires plusquam -	78 ℔.
Altera portio KM plusquam - - -	98
Lumbricales - - - - - -	95
Musculus KN - - - - -	157
Carpi flexor KL - - - - -	247
Cubiti flexores PK - - - -	558
Deltois humerum flectens - - -	907
Summa virium æquivalentium libris - -	2140
Quam Indago tertia sub finem Epist. II. dederat tantùm	1990.

Cæterùm, cùm facilè videret BORELLUS vastam illam Deltoidis musculi molem in attollendo brachio cum parvo $9\frac{1}{2}$ librarũ pondere (debilioribus sc. digitorum flexoribus proportionato) non omnes suas adhibuisse vires; ut hasce totales erueret, experimento novo, quantum ageret solitarius Deltois ingeniosè scrutatus est, suspendendo sc. ab extremitate humeri B (Fig. 8.)

B (Fig. 8.) pondus maximum, quod exporrecto humero A B ſuſtineri à Deltoide poterat, idque majus 55 libris deprehendendo. Et cùm notâſſet longitudinem vectis A B ad diſtantiam directionis muſculi C D â centro A eſſe ut 14 ad 1, facilè erat concludere ex indagine prima, ſi tendo muſculi C D traheretur liberè ſub illa directione (h.e. non fixus altero termino C) requiri potentiam trahentem, quæ ad pondus 55 ℔. ſe haberet ut 14 ad 1, ſive ad quam idem pondus reciprocè ſe haberet ut 1 ad 14. h.e. æquivalentem 770 libris. Enimverò cum muſculus Deltois non in D ſolùm ſed altero extremo in C quoque fixus trahat, ex indagine ſecunda inferre promptum erat, ipſum adhibere debere vires geminatas h. e. 1540 libris æquivalentes, & has fore vires ejus totales, ſi fibræ muſculi hujus rectà ſecundùm directionem C D eſſent extenſæ. Nunc autem, quando certum eſt ipſum eſſe radioſum, ex pluribus penniformibus compoſitum (uti STENONIUS curioſè inveſtigavit) ita quidem ut fibrarum inclinatio in quovis penniformi ſit 8, circiter graduum, & intermediæ tendinum inclinationes ad ſummum 30 gr. ex præſenti quarta indagine concludendum erat, rationem fibrarum ad ſuas ſulimitates eſſe quamproximè ut 100 ad 99, & tendinum longitudinem ad ſuas ſublimitates ut 100 ad 87 ſive 99 ad 86, ſecundùm rationem ex utraque compoſitam 100 ad 86, concludendum eſſet, ſic eſſe vires Deltoidis ex hypotheſi tractionis directæ inventas 1540 ad vires totales veras & obliquè trahentes 1790 libraum.

Habes igitur, Fautor Honorande, BORELLI quartam etiam indaginem machinulæ noſtræ tentaminibus ocularibus illuſtratam; neque ſupereſt hac vice quidquam, quàm ut hoc etiam, ſi poſſim, TIBI perſuadeam: Uti muſcularium fibrarum vires per has indagines gradatim auctiores majoresque eliciuntur, ſic indies augeſcere meum inſerviendi

TIBI ſtudium, ac tantò magis quò frequentior mihi obviat ejus demonſtrandi occaſio. Vale &, quod facis, amare me perge, futurum indeſinenter

NOBILISSIMÆ TUÆ
EXCELLENTIÆ

Dabam Altorfi poſtridie Kal.
Febr. CIↃ DC XXCVI.

toto pectore deditiſſimum

Joh. Chriſtoph. Sturmium P.P.

DE

DE SPECIERUM ERECTIONE *in* CAMERA OPTICA

DISSERTATIO EPISTOLICA

LUDOVICI LAURENTII

PHILOSOPHI, ET MEDICI

BONONIENSIS.

Cui nonnulla obiter de Visione annectuntur.

Communicata à Clar.

D. ANTONIO MEGLIABECHIO.

ANNO M DC LXXXVI.



CLARISSIMO P. JOSEPH FERRONIO

E SOCIETATE JESU

In Collegio Bononiensi Matheseos Professori,

LUDOVICUS LAURENTIUS. G.

VIsum, Reverende Pater, Nobilissimum esse inter alios Corporis sensus latissimè patet, si cum Galeno, aliisque Anatomicis totam Capitis Harmoniam in gratiam Oculorum constructam esse perpendamus: immo ipsum ἐγκέφαλον Animalium operationum Principem, & Viscus tam nobile, Oculorum causâ in Capite reponi fateamur. Porrò si præstantia, & nobilitas istius Sensus est tanta, ut tenear cum Seneca Tragico asserere. *Visu carenti magna pars Veri latet*; vel cum Plauto: *Qui audiunt audita dicunt, qui vident planè sciunt.* Quæcunque possunt aliquam huic sensui præstare utilitatem, non pauci sunt facienda. Et cum fuerim expertus inter alias labyrinthei Studii anatomici difficultates non infimum obtinere locum Quæstionem de Speciebus, quæ in Oculum introducuntur, quatenus nimirum, an ipsæ in fundo Retinæ pingantur inversæ, ac pinguntur in Camera Optica, an repræsententur sicut apparent. Hoc Theorema exagitatum in Philosophorum Scholis, discussum in Medicorum, Dioptricorumque Palæstris, & hinc inde rationes, & experimenta à Viris Præclarissimis adducta ancipitem me reddiderunt. Pro dirimenda hac lite te conveni, Vir Doctissime: Et tui Nominis Fama me non fefellit; siquidem Te non tantùm in hac Scientia, verumetiam, & in quacunque alia Facultate

cultate peritissimum deprehendi. Noster autem sermo duas potissimùm offendit difficultates. Alteram de modo, quo Species terminatæ in Camera Optica inversæ erigi possint. Alteram, an similiter operetur Natura intra bulbum ocularem. Hanc unanimiter enodavimus asserendo Objecta externa pingi inversa in Retina, adeoque à nobis erecta videri. Et quæ externè sunt inversa, erecta in eadem repræsentari, adeoque inversa nobis apparere: hocque esse Theorema commune, apud Opticos, Anatomicos, ac Philosophos nemini dubium est. Mihi tamen occurrit suspicio, an in omni distantia Objectorum, ipsa semper inversa in Retina pingantur, sed juxta varias distantias, nunc inversa, nunc erecta in Retina repræsententur. Et hujusce Rei conjectura deducitur ex unica convexa lente ab Oculo proportionabiliter distanti diversoq; in loco ostendente modò Objectum inversum, modò erectum. Cæterùm hoc cogitatum sit dubitativè prolatum, & tantùm verisimilem difficultatem contra communem Sententiam tetigisse mihi sufficiat; nam alii fortè in suis de Oculo observationibus rem hanc exponent. Primam postea difficultatem elucidavit Tua Paternitas, benignè communicando in Camera Optica Specierum per Prisma erectionem à nullo usque adhuc publici Juris factam, nullaque ratione excogitatam, sed, ut refers, à nonnullis tuis Amicis Eruditissimis fortuitò adinventam. Quamobrem lepidè admodum testatus est Cartesius Dioptricam non sine aliquo Scientiarum nostrarum opprobrio à vagis experimentis inopinatò fuisse repertam. Hinc opportunum duxi, ne in Oblivionem hoc caderet inventum, Typis ipsum mandare, & hac occasione, alios modos Species erigendi à me compertos omnibus hujus Scientiæ Amatoribus palam facere, nec non aliquid circa istos physico-mathematicè ratiocinari, quæ omnia complectens omni possibili brevitate, nunc tuo Examini, qui harum rerum meditullium tangis, castiganda submitto; ut, si quid in hac re scriptum sit, quod in Matheseos ja-

ſeos jacturam vergere queat, condemnes errorem, ſi autem non, Veritatis traditionem, ut tuearis inſtanter rogo, ne timeat judicium præſentis, nec poſterioris Ævi ſubire.

Vulgare, & tritum eſt poſſe per foramen factum in Valva alicujus Cameræ, & Vitro convexo objectivo armatum introduci in eandem Cameram obſcuram Objecta externa, ſeu Species Objectorum externorum, & terminari in diſtantia Foci, ſeu concurſus radiorum ipſius Lentis ab alba Papyro, vel quovis alio corpore albo, in quo Objecta externa apparent ita ad vivum propriis coloribus expreſſa, ut Sol Apollo, Paraſtaſis Pictor, vel ipſum Apellem ſuperet. Sed inverſa Pictura, minuit Paraſtaſis pulchritudinem, cum ſit Oculo ingratiſſimum Homines per Viam deambulantes, Domosque, ac alia Objecta inverſa videre. Ut autem huic rei aliqua poſſet afferri medela Dioptrici multi multa excogitarunt, & impreſſerunt, ſed tamen non ita felici exitu Praxis, ſicut forſan Theorematis.

Multos igitur extare modos apud eosdem Dioptricæ Profeſſores, quibus inverſarum Specierum fit erectio, eſt jam indubitatum: Unde ut meliùs inter iſtos, & recens inventum â tua Paternitate mihi communicatum, & inter alia à me reperta, innoteſcat diſcrimen, ſtudio, & arte illos laconicè priùs enarrare, præmittere, ac examinare decrevi.

1. Eriguntur Species duobus Vitris ambo convexis, & cum debita diſtantia in Tubo diſpoſitis, & foramini Valvæ applicitis. Sed iſte modus deficit in Claritate, & in Campo.

2. Directæ fiunt, quando invertuntur extra foramen, ſi fieri poteſt, ut ſi quis Statuam aliquam, vel aliquod aliud Objectum delineare vellet in Camera Optica ipſum extra invertat & erectum in Camera apparebit. Sed iſte modus reſpicit tantùm aliqua particularia Objecta, & ad univerſalia non extenditur.

3. Si accipiatur Speculum planum & ita diſponatur, ut maneat in Angulo ſemirecto Horizonti apud foramen Valvæ

absque Lente, tunc à Speculo sursum reverberatæ Species apparebunt erectæ in fornice vel tecto Cameræ obscuræ : sed reflexio à Speculo producta exuit propriis vivacibus coloribus Species, nec distinctæ apparent, & earundem Visio aspicienti est incommoda.

4. In Problemate quodam Typis edito à Patre Georgio Beem, talis modus erigendi Species reperitur. *Si per occlusarum fenestræ Valvarum foramen, vel liberum, vel convexo vitro munitum Species Objecti in obscurum Cubiculum intrantes in debita distantia Speculo plano excipiantur, & Speculum eo Loci ita moveatur, vel tuus Oculus ita collocetur, ut in Speculo foramen Valvæ, quod dicitur foramen Opticum, & post hoc Videns Objectum, apparet Objectum illud in speculo plano visum, situ recto non inverso, ut in Carta contingit.* Sed in Praxi modus iste non arridet, etenim, est perdifficile invenire illud determinatum punctum Oculi, à quo appareat in Speculo foramen illud Valvæ ab Authore vocatum foramen Opticum. Quapropter nec aliis, nec mihi licuit ipsum comperire.

5. Pater Ægidius Cottignies Societatis Jesu eximius Mathematicus extrahit à primo Tubo Telescopii quadrilentis, Tubum interiorem continentem duas Lentes convexas oculares, & hunc Tubulum aptans Oculo aspicit Species inversas erectas, etiam aliqua delectatione ipsas eminus ostendendi : sed hic modus propter parvitatem Lentium ocularium minimum detigit Campum, & obscurat Objectum.

6. Si extra Cubiculum paulò infrà foramen ponas Speculum, aut Pelvim aquâ plenam; tunc si Species rerum in Speculum incidentes repercutiantur, & subintrent Foramen exhibebunt rerum Imagines erectas : sed cum Inventores istius modi non explicent, qualis debeat esse Speculi positio; nam Speculum quolibet modo collocatum non potest rerum simulacra erigere. Si enim respectu foraminis Valvæ ex parte exteriori ejusdem collocetur horizontaliter, etiam si Speculum

repræ-

repræſentet Objecta inverſa, nunquam poſſunt præberi in Camera. Si collocetur perpendiculariter demonſtrabit Objecta erecta non externa, ſed interna, nimirum illa quæ per foramen Valvæ, ſi repræſentari poſſunt, in Camera reperiuntur, quod non eſt noſtrum intentum. Si ad Angulum ſemirectum, non tota moles extenſio, ac magnitudo Objectorum externorum, quæ habent reſpicere partem anteriorem Speculi, ſed tantùm cacumina, & Extremitates eorundem Objectorum, experientiâ docente, in Speculo inverſa oſtenduntur.

Igitur quum non ſit ita facile prædicta parare, ac etiam benè diſpoſita medietatem tantùm Objectorum demonſtrent, & ſemper obſcuritatem Specierum producant. Hinc eſt quod hic modus pro Specierum Erectione, ſit cæteris minùs idoneus.

7. Alii utuntur Speculo Cavo-ſphærico ex Metallo conſtructo, ipſum in tali diſtantia collocando, ut imago inverſa cadat intra concavam Speculi ſuperficiem, & ejus focum, qui erit ad quartam Diametri partem, & Species eriguntur longè â puncto, in quó fit radiorum Concurſus à Speculo. Modus explicatu difficilis in figura, & difficilior in Praxi. Si verò aliquis in hac re uberius deſideraret alimentum, conſulat P. Franciſcum Claudium Millies de Chales in ſua Dioptrica.

8. Si daretur Vitrum lenticulare hyperboliforme habens ſcilicet figuram Sphæricam ex uno latere, & ex oppoſito hyperbolicam: Vitrum hoc ex ſe ſolo foramini feneſtræ applicito, erigeret Species, ut conſtat in Apiariis Patris Marii Bettini. Sed cum hactenus non innotuerit modus dandi Vitro Structuram conicam, de qua, Deo dante, alibi: Etenim dum laborantur in Clypeis, vel Patinis conicis contrahunt figuram ſphæricam; Proinde eſt, quòd iſte modus nondum ſit natus Praxi, ſed ſolùm vagetur per Ideas Dioptricæ ſpeculativas.

9. Alii revocant ad Praxim Capſulam Paraſtaticam, intra quam eſt Speculum planum, poſitum ad Angulum ſemire-

ctum, quare Species introductæ intra Capsulam per foramen lenticulari Crystallo armatum, reflectuntur à Speculo in Laminam vitream horizontaliter positam, & habentem superficiem exteriorem rudem; sicque ipsas terminando erigit. Et hic modus est pulchrior, jam assignatis. Et si istud Instrumentum esset magis in promptu, & parabile in erigendis Speciebus forsan nulli esset secundum. Collocatur Instrumentum hoc in Camera, seu alio loco obscuro, vel saltem ubi non adsit Sol, & optatum finem præstat.

Interim volo duos Cameræ Parastaticæ usus insinuare. Primus est, quòd Tubus, ubi detinetur Lens, sit satis crassus, longus, & trusatilis. Crassus, ne angustia Tubi debitam impediat Specierum propagationem. Longus, etenim dum cernitur aliquod Objectum, quod sit maximè proximum, ut F. G. si vellemus Objectum aliquod in Cubiculo aspicere, in hoc casu, debet multùm extrahi extra Lentis focum; Et hoc pacto lucidiora, ac multò plùs majora conspiciuntur Objecta. E contra verò quando volumus cernere Objecta longè sita, Tubus debet reponi ad proprium Lentis focum. Trusatilis, propter beneficium extractionis, & intrusionis.

Alter istius Instrumenti est Usus, & cum utilitate à me excogitatus, & feliciter revocatus ad praxim. Apponitur Tubus Instrumenti foramini Valvæ Cameræ obscuræ, & sic meliùs apparent Species introductæ, & magis suis naturalibus coloribus donatæ cum maxima Intuentium admiratione. Quare in gratiam Pictorum, Opticorumque insinuo hoc Instrumentum ipsis esse aprimè utile, ac necessarium. Ut igitur ipsis inserviat debet taliter parari. Supra Laminam vitream non ampliùs ex una parte rudem, sed ex utraque parte diaphanam, ac pellucidam extenditur Papyrus alba subtilior, in qua apparebunt Objecta externa ita naturaliter, ut quisque etiam delineamenti prorsus ignarus, meliùs, ac faciliùs, quàm Parallelogrammo Patris Scheiner, quælibet externa Objecta delineare possit.

possit exactiùs, ac citiùs, quàm faceret in Arte Picturæ Peritissimus Magister. Unde Icones Ædificiorum Romanorum, Fontium, Prospectuum, Arcium &c. ære incisarum, quæ tam miro artificio factæ, communiter venduntur in Officinis, faciliter tali Instrumento possumus imitari, & æmulari.


10. Eriguntur, ait Sanctorius in Comm. supra Fen primam Avicennæ. Quæst. 123. *Si inter Cartam, & Crystallum convexum ponatur vitrum excavatum, in quo Aqua sit inclusa, Imagines in Carta, erecto, & non inverso situ recipiuntur.* Sed modus iste ob multiplices refractiones valdè minuit splendorem, & claritatem Idolorum.

11. Sed verior, qui usque adhuc sit repertus modus Species erigendi est per Prisma, scilicet per Vitrum ex Crystallo artificiali, sive naturali constructum, obtinetque tria latera æqualia. Etenim non solùm, ut postea ego observavi, easdem erigit ostendendo totum Campum apparentem supra Papyrum, verum & notabiliter augendo. Itaque tam nobile inventum, & propter Specierum Erectionem, ac earundem Augmentum in iisdem erigendis inter cæteros modos primas obtinere debet.

In Praxi Modus talis est. Accipiatur Prisma N V P Q, quod taliter Oculis applicari debet, ut ejus superficies plana N P Q R, tota adæquetur supra Nasum; ita ut Acies Vitri P Q, secet principium, seu radicem Nasi. Oculi postea extollantur aspiciendo in superius Vitri planum V P Q S. Et hoc pacto cernentur Species erectæ unico obtutu super subjectum, quod ipsas recipit (nec coloratæ apparebunt colore Iridis, Phasma proprium istius Vitri; unde propterea vocatur Stultorum Paradisus) sed aspicientur propriis, ac nativis coloribus pictæ, & ut dixi, etiam auctæ, supposità tamen Lente objectivâ in foramine Valvæ. Nec hoc admirationem parere debet; etenim est proprietas Prismatis, ut supra appliciti, Objecta erecta ostendere inversa, consequenter rarum est Objecta in-

versa præbere erecta, & ita debet erigere Species parastaticas inversas.

Quod juxta Dioptricæ Regulas breviter sic explicari potest. Sit A B C, Imago parastatica inversa supra Cartam albam X Z, in Camera obscura. Extremitas A, Specie intentionalis fertur per rectam lineam A G, in Prisma, cui perpendiculariter incidit, & quoniam Triangulum E F D, est Æquilaterum, ideo Angulus D, est graduum 60. Et Angulus O, est rectus,



permanente D E, in situ perpendiculari Horizonti. Et quia radius perpendicularis non patitur refractionem; ideo radius A D, penetrabit Vitrum proveniendo in G, absque refractione. Et per 32. Libri primi Euclidis erit Angulus A G D, graduum 30. Et quia Angulo Incidentiæ A G D, est æqualis, ut sciunt

sciunt Catoptrici, Angulus Reflexionis KGF, idcirco & ipse erit graduum 30. Et quoniam Angulus Æquilateri D F E, est graduum 60. sequitur per 32. primi Euclidis, quod Angulus G T F, erit graduum 90. Angulus rectus, quare Radius reflexus G T, egreditur perpendiculariter à Vitro, Igitur non patitur refractionem nec coloratur, cum sint colores apparentes producti à sola Luminis modificatione, factâ à refractione. Igitur Punctum A, Parastasis transmittit suam Speciem intentionalem per radium rectum A G, reflexum G K, in punctum K, & ipsam ibi erigit existentibus in K, Sagittæ pinnulis in situ opposito Cuspidi A. Eadem demonstratione probabitur Cuspidulam C, in Parastasi inversam, exhiberi in M, erectam.

Hic suppono ex Anatomicorum Experimentis (quicquid sit universaliter, ut supra dubitatum est) illa Objecta à nobis visa erecta pingi inversa in Retina; adeoque à nobis erecta videri. Producitur itaque in Vitro Imago K L M, similis illi, quæ producitur in Telescopiis bilentibus in concursu Focorum duarũ Lentium, idcirco à Dioptricis vocatur Vicaria Objecti. Hæc Imago Vicaria K L M, est illa, quæ (licet non videatur in Vitro depicta, quia à Prismate Diaphano non terminatur) transmittit suas Species intra Oculum. Et quoniam ipsa est erecta, pingitur in fundo Retinæ inversa. Et juxta suppositionem præmissam videmus Imaginem Vicariam K L M, erectam: & in ipsa, quæ est Vicaria sui Objecti, videmus Objectum A B C, non ampliùs inversum, sed erectum.

Duo in Praxi pro Speciebus cum Prismate erigendis, ut animadvertas, Benigne Lector, rogo. Primum, quod est genericum, & extenditur ad alios modos Specierum erigendarum debet præcipuè pro hoc observari, nimirum, ut in Cubiculo, ubi paratur Parastasis, debeat omnis intercludi aditus Luci, aliàs parum, aut nihil apparebit. Secundum, quod est proprium ipsius Prismatis, est magnitudo, & pelluciditas ejusdem.

dem. Etenim quò majus, & pellucidius, eò magis in talem conducet effectum.

Hæc sunt, quæ circa inventum à Paternitate tua mihi communicatum physico-mathematicè licuit speculari.

Hactenus secundum aliorum Sententiam, & Experimenta prosequutus sum Specierum Erectionem artificio aliquo: hinc oritur ansa quærendi, an tantùm unica Lente, vel etiam absque Lente in obscurô Cubiculo Simulacra Objectorum erigere possimus.

Ad primum respondeo secundum illa, quæ in hac re observavi me agnoscere Specierum erectionem accipiendo cartam albam, vel quodlibet aliud Objectum album, quod collocetur in debita distantia Foci Lentis foramini appositæ, ut Radiorum reflexorum Conus supra Cartam recipiatur. Papyrus, ut moris est, non teneatur perpendicularis Horizonti, sed flectatur quasi ad Angulum semirectum, & diametraliter opponatur illi Objecto, quod repræsentari debet supra ipsam, aliàs contortum apparebit, tunc Aspiciens post hanc videbit Imagines introductas erectas nec colore, nec claritate diminutas.

Et quamvis Repræsentatio Cameræ Parastaticæ sit pulchra, hæc verò est pulchrior, & nulli postponenda, eò quia Simulacra lucidiora atque distinctiora supra subjectum refulgent. Finis quàm maximè à Dioptricis optatus, sive ratione majoris luciditatis, sive ratione erectionis, sive ratione minoris numeri Instrumentorum ad hunc finem necessariorum; etenim ultra subjectum album, & Lentem convexam nil aliud requiritur. Ratio majoris luciditatis in promptu est; quia radii transeuntes solùm per Lentem patiuntur unicam refractionem, non verò multiplicem, ut in Capsula Parastatica, ac aliis modis contingit. Quò minus enim radii refranguntur, eò magis Obiecta lucidiora cernuntur: Et si Papyrus firmabitur aliquo in subjecto, ut supra ipsam delineari, ac pingi possint Objecta,

Objecta, naturalissimè, ac vivacissimè ab Artis Pictoriæ Imperito, propriis etiam coloribus ad actum supra Cartam, Duce Naturâ, reducentur.

Secundo eriguntur si accipatur Speculum convexo-concavum ex metallo constructum, & in debita distantia à Lente collocatum, tunc si Speculum horizontaliter ad foramen Valvæ teneatur, sive ex parte concava, sive ex convexa, meliùs tamen ex concava, Species erectæ Aspicienti apparebunt. Similiter Speculum collocari potest ad Angulum semirectum, & Imagines etiam erigentur.

Possunt itidem erigi Species, si casu, vel arte aliqua, subter parietem, in quo sit foramen Opticum, flumen, vel aqua reperiatur. Quod testatus est etiam Sanctorius Loc. al. dum ait. *Si Species visibiles, antequam perveniant ad Lentem vitream, transeant per Aquam, in Lente eriguntur, & ad cartam veniunt erecto, & non everso situ, sicut observatur Domi nostræ, cujus parieti Aqua fluminis adjacet, dum per Lentem vitream foramini appositam inspicimus Objecta, quæ sunt trans Aquam, illa erecto, & non inverso situ apparent.*

Ad secundum Postulatum dico me interdum observasse in Camera Optica per foramen Valvæ Lente non munitum aliquorum Objectorum erectionem, & aliorum inversionem. In pariete foramini opposito inversionem illorum Objectorum vidi, quæ è longinquo erant, & per rectam lineam aspici poterant per foramen. In pariete verò laterali sinistro, non multùm distanti à foramine; Erectionem illorum Objectorum aspexi, quæ sub pariete erant, nec per foramen videri poterant. Quare & ex præfata Sanctorii Observatione, & ex mea deduco Objecta erecta repræsentari, si refractionem prope parietem patiantur. Ex quibus colligo hoc Theorema universale. Si prope parietem, ubi est foramen Opticum, fiat Specierum Objectivarum refractio, debeat necessariò, & earundem fieri erectio.

An autem Objecta, quæ à me visa fuere in pariete laterali sinistro erecta absque Lente, possint erecto situ cum Lente observari, non mihi licuit addiscere. Siquidem hæc animadverti in Cubiculo cujusdam mei Amici, qui cum aliam duxisset Domum, non potui ampliùs procedere in observatione. Ex quibus omnibus relinquitur locus Cæteris alios modos Specierum erigendarum speculandi.

Ultimo addo, & sit Corollarium, ad extractionem duarum Lentium ocularium in Tubo quadrilenti, quæ est inventio, ut palam feci, P. Cottignies, non debere Lentes illas esse laboratas in eadem Patina, sed in diversis, quatenus nimirum ocularis sit satis minoris Diametri, quàm Objectiva. Unde suadeo, quòd arte, & studio fiat Telescopium prædictis Lentibus constructum ope cujus habebitur Specierum erectio, Augmentum, & Major Campus, quàm duabus Lentibus univocis, quæ, etiamsi erigant, non ita tamen augent, nec ita magnum, Campum faciunt.

Hæc sunt, quæ extra medicam facultatem otii tempore, & mihi facere periculum, & speculari licuit, quibus finem impono, ne id mihi, quod olim Protogeni, detur convicio.

Dabam Bononiæ VII. Kalendas Augusti Anno M DC LXXXV.

Illustriss. & Excellent. D. D. Jo. Hieronymus Sbaralea Medicus Phisicus S. Offic. videat pro eodem S. Off. & referat.

F. P. H. Inqu. Bonon.

Pro Reverendiss. Patre Inquisitore Bononiæ Vidit Jo. Hieronymus Sbaralea, & admitti posse censuit.

Vid. D. Fulgentius Orighettus Clericus Regularis Pœnitentiarius pro Illustriss. & Reverendiss. D. D. Josepho Musotto Vic. Capitulari.

Imprimatur.

Fr. Angelus Gulielmus Molus Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.

PLANE-

PLANETOLABIUM
Diu desideratum, à plurimis tentatum, à nemine perfectum, nunc tandem inventum
A LOTHARIO ZUMBACH dicto KOESFELDT, Familiæ Uranogeæ Euclide.

AD ASTROPHILUM.

ARtis mysteria doctus judicet. Quam operosa sit problematum primi mobilis per calculum resolutio artis istius gnari non modo testantur, sed & Astronomiæ plerique cultores hujusce molestiam prorsus abominantur; Quam verò facilis & jucunda sit istiusmodi mechanica per globum aut planisphærium inquisitio, usus ejus adeo frequens & tritus abundè probat, globus enim aut planisphærium meta passim esse solet eorum saltem Astronomorum qui Trigonometriæ & reliqui calculi tædium abhorrent, quorum si attentius perlustres ingens est numerus; At si operationis hujus acriphiam inquiras aut nullam aut à calculo prorsus degenerem invenies, dicamné globi aut planisphærii usum nedum ad aliquot sæcula sine enormi errore extendi posse.

Protinus in Astronomiæ momenta & dignitates si inquiramus, offert sese motuum planetarium Calculus, sed quam pauci hujus nobilis & abditæ artis atrium: pertranseunt ne dicam penetralia penitus subeunt, dum hic obstant calculi molestiæ & tædia quamplurima illic multifaria in computatione reflexio, isthic moræ in calculo diuturnitas, & plurima alia quæ animum impatientem & difficultates hasce prorsus abhor-

rentem reddunt. Desiderandum igitur est & maximè optandum, ut quemadmodum primi Mobilis per compendiosum globi cœlestis & planisphærii usum tolluntur, ita quoque spinæ & tribuli Theoricæ planetarum evitentur substituta & præmonstrata placidiori per Mechanicam via. Mihi haud exiguo temporis spatio in hâc parte sollicito obtigit tandem hunc Labyrinthum evitare, inventâ quadam machina non minus accuratè quam compendiosè absque omni calculo motus Planetarum tam apparentes in Longum & Latum, quam reales, Distantias eorum à Sole & Terra phases ♂♀☿ æque ac ☾, Eclipses Solis & Lunæ, aliaque quamplurima inde derivata pro multis post & retro sæculis in Systemate Coperniceo unico excentrico pro singulis planetis simplicissima certe hypothesi representante, ita ut consimili acriphia cum calculo certet, quod ipsum in globis & planisphæriis adhuc desideratur, non dicam eorum valorem ne quidem uni sæculo satisfacere.

Machina motus ♄♃♂☉♀☿ representans figuram orbicularem refert duorum pedum in diametro, adest tamen & alterum partiale Systema orbitas ♂☉♀☿ tantum exhibens eo quod in universali systemate eorum orbes ob exilitatem nimiam Locis planetarum exactè representandis sint minus idoneæ: Cæterum multifaria ejus cum observationibus collatio acriphiam ejus sufficienter probat, compendiosum illius usum declarant problemata sequentia, præstantiam tu Astronomiæ peritus facilè colliges.

Quamvis me non lateat plerosque non inferioris notæ Astronomos in genuini planetolabii inventione multum desudasse, utpote Petrum Apianum, Franciscum Sarrosum, Joannem Schonerum, Joannem Fernelium, Rheinholdum, Bonaventuram Cavalerium, at impari successu ob hypotheseos genuinæ defectum & operosum adhuc satis eorum usum profunda facilè oblivione sepulta hucusque jacuerunt tantorum virorum conamina; habet enim planetolabium nostrum

eximiam

eximiam ſanè à prænominatorum planetolabiis differentiam, tum in inquiſitionis compendio, cum in Locorum planetarum acripheia, maximè verò in rerum exhibendarum diverſitate, quibus planetolabia reliqua carent. An verò compendioſius unquam Longitudo planetarum acquiri poſſit habitâ ſolâ (præter unius ex 6 planetis aphelii locum) Anomalia ſimplici heliocentrica (quæ non additione ſed ſimpliciſſima, quadam numeratione obtinetur) nemo unquam niſi imperitus dubitabit, unum enim parallelogrammum debitè applicatum mox planetæ longitudinem deſignabit.

Sed expendantur ſequentia problemata quorum quidem explicatio ſi ventorum tantummodo rationem habuiſſem multum contrahi potuiſſet, ſed in tyronum gratiam paulo me in eorundem expoſitione prolixiorem eſſe neceſſum fuit.

PROBLEMA PRIMUM

Quâ arte Anomalia ſimplex per numerationem inveniatur, docet.

Aſſignatis Sæculo, anno, menſe, die & hora, proximè completis, quære in tabula competenti Epocham ſæculi proximè antecedenter completi, & pone in circulo proprio perpendiculum ad competentem ſigni gradum hujus Epochæ (omiſſis vel notatis ſeorſim tantisper minutis) Dein in Tabula competenti quære motum pro annis à ſæculi initio completis (ſi annus ille præcisè ibidem reperiatur, alias accipiantur motus pro anno proxime inferiori ibidem poſito) Signa igitur & gradus pro annis completis, prioribus (id eſt ubi ultimo perpendiculum poſuiſti) juxta ſignorum & graduum ordinem adnumera incipiendo à ſignis, quod facile fiet ſi perpendiculum ad eundem gradum ſigni ſequentis ponas & ſic deinceps ſi plura ſigna numeranda ſint, Signis igitur numeratis gradus quoquè ſupernumera idque primo per decades (ſi plures ſint) ponendo ſcilicet perpendiculum ad

eundem gradum decadis ſequentis & ſic deinceps, hiſce reliquos deinde gradus adnumera (minutis quoquè uti antea de Epochâ dictum tantisper omiſſis vel ſeorſim notatis) ponens perpendiculum ad numerationis terminum. Tertio ſi ob defectum anni propoſiti proximè minorem eligere debuiſti, quære deinceps in tabula eadem motus pro annis reſiduis ab anno proximè minori accepto, & hos motus in circulo competenti prioribus ſignis & gradibus ubi ultimo perpendiculum poſuiſti adnumera modo prorſus eodem quo ante dixi ponendo ad ultimum numeratis gradum perpendiculum. Quarto, ſimili modo excerpe pro menſibus, diebus, horis &c. proximè completis, motus competentes, atquè (omiſſis vel ſeorſim notatis interea minutis) horum ſigna & gradus prioribus ubi perpendiculum ultimo poſuiſti adnumera ponens perpendiculum ad ultimum numerationis gradum. Demum minuta antea omiſſa collige & in gradus redige tribuendo unicuique gradui 60. minuta (quod, arithmetices imperiti per decadum numerationem ſeu per Arithmeticam ruſticam facilè abſolvent) hoſce tandem gradus & ultimo ipſa reſidua minuta prioribus appone ponendo ad terminum perpendiculum quod oſtendet quotum ſignum, gradus, & minuta, acſi Logiſticè omnes prædictos motus in unam ſummam collegiſſes.

PROBLEMA SECUNDUM

Loca Apheliorum, nodorum, & ſtellarum reperire oſtendit.

PRo ſæculo, annis, menſibus &c. completis, erue ordinè ex tabula motus aphelii & ſtellarum competentes motus, atque ab Epocha exordiendo, ſumptoque perpendiculo centri numera rite in extimo circulo qui Eclipticam refert juxta ſignorum & graduum ordinem motus prædictos, quemadmodum præcedenti problemate oſtendi, & ad numerationis terminum ponatur perpendiculum centri, juxta quod deinde aphelium exactè dirigatur & obtinebis Locum aphelii & ſtellarum pro aſſignato anno. PRO-

PROBLEMA TERTIUM

Verum solis Locum reperire docet.

PRo assignato tempore, primo inveniatur Locus Aphelii per problema 2. Tunc assumpto perpendiculo ex centro æquantis Terræ propenso, Excerpe ex Tabula Anomaliæ simplicis solis Motus competentes & juxta problema 1. numera ritè motus illos in æquante Terræ, & posito perpendiculo ad terminum numerationis designabit in Orbita terræ Locum Terræ, ad hunc Terræ locum per intersectionem perpendiculi in orbita sua designatum ponatur perpendiculum centri & ostendet ipsum in Ecliptica verum locum Solis in gradibus & minutis.

PROBLEMA QUARTUM

Verum Locum ♄♃♂♀☿ in prporia orbita investigare.

AD assignatum tempus inveniatur primo per probl. 2. & 3. Locus aphelii & solis; Deinde assumpto perpendiculo ex centro æquantis propositi planetæ propenso, quære & numera ritè per probl. 1, motus omnes competentes planetæ proposito, ad numerationis terminũ perpendiculum positum designabit intersecando Orbitam planetæ locum. Tunc pone unum parallelogrammi latus ad Locum Terræ & planetæ in orbitis suis, immoto interea hoc parallelogrammi latere, alterum latus parallelogrammi dirigatur ad centrum planetolabii seu solis, ita tamen ut qua parte planeta à Sole vergit Latus parallelogrammi ad centrum solis applicati simul ad extimum Circulum seu Eclipticam pertingat; ibidem enim verum Locum planetæ in propria orbita designabit, simul & quibus cum stellis conjunctus appareat.

PROBLEMA QUINTUM

Verum locum ♄♃♂♀☿ ab Orbita ad Eclipticam reducere.

PRoblema hoc in ♄♃♂ non est necessariũ sed in ♀ & ☿ plus requiritur. Cognito igitur prævie Loco planetæ in orbita

bita propria per probl. 4, Applica gnomonem exactè ad lineam inclinationis & simul ad Locum planetæ in sua orbita, & designabit gnomon Locum planetæ in Linea reductionis, tunc ad hunc Locum planetæ in Linea reductionis & ad terræ locum applicetur unum Latus parallelogrammi, alterum autem ad centrum planetolabii, quod ostendet in Ecliptica Locum planetæ ad Eclipticam reductum.

PROBLEMA SEXTUM.

Veram Latitudinem planetæ reperire.

NOtus sit primo verus Locus Terræ & planetæ tum in propriâ Orbita tum in Reductionis Linea. Sic cape circino bene acuminato distantiam Terræ à loco planetæ in linea reductionis, hanc distantiam transfer ex angulo inclinationis in Basin (cujus figura in altero parallelogrammi Latere expressa) ad cujus distantiæ terminum promoveatur filum transversum parallelogrammi lateri perpendiculariter circumligatum. 2. Cape distantiam planetæ in sua orbita positi à linea inclinationis, hanc transfer ex angulo inclinationis in hypothenusam proprio planetæ charactere notatam & manente altero circini pede in hypothenusa fixo, reflecte pedem alterum ad basin & cape distantiam ejus perpendicularem à base, hanc distantiam (quæ vocatur sinus Latitudinis) transfer in filum transversum ex puncto quo basim perpendiculariter intersecat, & terminũ in filo transverso nota, protenso enim ex centro inclinationis filo per terminum istum ad arcum latitudinum usquè, ostendet in eo latitudinem planetæ geocentricam.

Hæc 6 problemata sufficiant pro nostri planetolabii fide, horum plurima quidem alia supersunt, sed cum in his prioribus tanquam basi fundentur in eorum descriptione supersedere consultum magis fore duxi quo usquè ipsum et planetolabium Lucem videat & à luce sive ab Astronomorum hujus temporis luminibus videatur.

ISIBOR-

ISIBORDI AB AMELUNXEN,
ET
ALEXANDRI DE INSULA MONACHORUM CORBEIÆ SAXONICÆ,

BREVIARIUM
RERUM MEMORABILIUM,
complectens

Varias historias curiosas, non minùs jucundas quàm utiles, nunc primùm è MSS. erutas, & Scholiis illustratas

à

D. CHRISTIANO FRANCISCO PAULLINI,
Curiosorum ARIONE.

ANNO M DC LXXXVI.

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO,

Imperialis ſemperque Liberæ Eccleſiæ Corbeienſis Abbati Religioſiſſimo, S.R.I. Principi, Virtutis, Doctrinæ, omniumq; Bonorum

Patrono ſingulari,

Domino meo Clementiſſimo,

Breviarium hoc humilimè inſcrib:

ARION.

LECTORI MEO BENEVOLO ET CURIOSO.

Salutem & gaudium in JESU crucifixo!

SIsto Tibi, A. L., duos antiquioris *Corbeiæ* alumnos, & vel ideò commendandos, quòd ultrà vulgus ſurrexerint, fœdumque ſomnolentiæ crimen, abs ipſo Celeberrimo *Trithemio* Ordinis Sui hominibus paſſim objectum, induſtriâ ſuâ abſterſerint, Antiquitates patriæ, utiles ac jucundas, fidâ manû annotantes. Hem! rogas, quinam illi? alter ISIBORDUS, ex antiqua & Equeſtri AMELUNXIORUM familia, quam *Karolus M.* expugnatâ *Brunsbergâ*, ob res præclarè geſtas, in *amœno* iſto, quô adhuc germinant, *locô*, qui & nomen eis, aſperſit, ſatam natamque, *Corbeiæ* tamen, quam tunc Glorioſiſſimus Imperator, ex voto Deo piè facto, parturiebat, devotè ſubjectam eſſe voluit. Nobilis hic & venuſtioris ingenii *Aſceta* è membranis faſtisque monaſticis (qui omnes abiêre in fumum) ſelectiora, & ea tantùm decerpere, inque unum faſciculum colligere voluit, quæ futuræ ætatis memoriâ digna cenſebat. Catè igitur vocat *Breviarium rerum memorabilium.* Intrâſſe videtur Monaſterium ſub *Fridrico*, Abbate XXI., quem Comitem *Hojenſem* alii faciunt, circa A C. MLXXXII. vixiſſe ſub *Erkenberto*, ſeu, ut ipſe ſcribit, *Erkenoto*, deceſſiſſe autem ſub *Henrico* I, circa annum, ſi calculum

 benè

benè posui, 1144. Næ, haud fuit sellularius aliquis homuncio, aut gurgulio monasticus, cum qua colluvie *Corbeia* tunc ultrà semiseculum pro aris focisque colluctabatur, testibus literis, à tota Universitate ad *Eugenium* III. lachrymas inter & Suspiria scriptis; sed nobilis sanguis, qui, pietatis doctrinæque elegantioris fundamento ad *Visurgim* præcociùs jactô, benè multos consumsit Soles in vetustissimis Celeberrimisque Academiis *Parisiensi*, *Oxoniensi*, *Coloniensi*, *Lovaniensi*, discendi cupidus. Mirè mihi placet discretio Viri, non nescientis, quid distent æra lupinis. Alter ALEXANDER est, ex illustri Comitum de INSULA stirpe, quorum castrum quondam in Vicinia Urbis *Hildesiæ* stetit. Ex hisce Insulanis ad 1188. maximè floruit *Theodoricus*, Nobilis Advocatus Illustris Collegii *Gandersheimensis*. Meminit etiam *Letznerus* in hist. *Ludov. Pii* (quam sive *Chronicon Corbeiense contractum* vocites, perinde est) *edit. Secund. cap. 31. p. 65.* a. *Alexandri* de *Insula*, Monachi *Corbeiensis*, quem sub Pio *Adelgario* Anno 859. vixisse retur, factum postea ibi Priorem. Non equidem inficior, Juniorem *Insulanum* tunc commoratum fuisse in cœnobio *Corbeiensi*, non tamen *Priorem*. Hæc enim vox *Letzneriana* est & præterea nihil. Scilicet hoc munus tunc bajulabat *Raginharius* de *Herivortio*, ut in vetusto codice legi, antiquæ & Illustris Comitum *Herifordensium* familiæ generosa propago. Hic ALEXANDER, industriâ *Isibordi* accensus, Memorabilia quædam, suæ potissimùm ætatis, compilavit, bonæ certè monetæ, & curiosô scrutiniô digna. A *Guicboldo*, Comite *Northeimensi*, & Domino *Bömeneburgico*, Professo, ut loquuntur, *Corbeiensi*, (licèt *Bucellin.* P. II. *Germ. Sacr. & Profan. p. 281.* a. eum filium Monasterii *Vazorensis* in Diœces. *Leodiens.* falsò afferat,) ex Abbate *Stabulensi*, demum, speciali *Conradi III.* mandatô, (siquidem maluit *bubulcus* esse, quàm *Antistes Corbeiæ*, adeò sorduit tunc, ob collapsam disciplinam, &, quæ inde nascitur,

Iliada malorum, bonum *Sacrosanctæ* olim, *Arnulfi* Imp. encomiô, (*orbeiæ* nomen) Abbate & Restauratore Monasterii XXVIII. ut religiosissimô, sic fortunatissimô; Sub hoc, inquam, *Guicboldo* sacram induit togam, extinctus verò sub *Wittekindo*, Nobile *Spigelio*, pedo & ense insigni, quicquid etiam *Frideric. Formarus*, S. Theol. D., Episcopus *Herbronnensis* & Suffraganeus *Bambergens. L. II. de Temulent. & ebriet. c. 13. p. m. 172. è Cæsarii* (quem â cœnobio suo Ordin. Cistertiens. Archi-Dioeces. Coloniens. *Heisterbaccensem* vulgò nominant) *L. XII.* de *miracul. c. 40.* de eo, præter veritatem, scripserit. At, heus tu, mussitas, ubi impetrâsti hæc antiqua *Corbeiæ* spolia? dic, si Vir es. Vix enim aliquis *Corbeiensium* vel fando quid accepit aut de *Isibordo* vel *Alexandro* isto. Obtinui codicillos abs Eruditissimo Viro, inque dignitate constituto, qui ex quisquiliis reformati Monasterii protraxerat, nescio quem in usum. Excussô autem, quô squallebant, pulvere, visisque in fronte *Isibordi* & *Alexandri* nominibus, mutatâ fortè sententiâ, operæ pretium duxit sacculo includere bonos Cœnobitas, donec origines eorum (quarum curiosissimus erat) sagaciùs indagâsset. Quas cùm Ipsi dextrè explicuissem, meque singulari desiderio hujusmodi *Sorditiei* (liceat sic appellâsse) teneri, & tantùm non angi, animadverteret, ultrò dedit, ut in stercore, si quirem, piscarer uniones. Perlegi subitò, & insanùm mihi placuit Vetus curiositas Monastica. Tandem, Bonorum suasû, queîs vetusta videntur venusta, è sordidis codicibus cuncta fideliter meâ manu descripsi, scholiisque, ut vides, illustravi, utinam feliciter! Memorabilia sunt, & potissimùm è *secretiori* Physica, tanquàm è tripode, hausta, (quæ inprimis ego seligere volui, amputatis reliquis, suo tamen loco reservatis,) cujus licèt uterque, præter morem seculi, amantissimus fuerit, ob infelicitatem tamen ejus, haud adeò gnarus. Interim plausum

 dabunt

dabunt Emunctioris naris Viri: & solis hisce placuisse sat est. Ego enim nunquam *laudari* volui ab his, quorum laus est *criminatio*: nec *culpari* veritus sum ab illis, quorum *reprehensio* laus est. Vides hîc, mi Lector, in quàm honestis occupationibus, præter sacra, queîs ex voto devincti erant, studia, præterque diurnos nocturnosque hymnos, si quæ suffurari poterant temporis momenta, ea contriverint antiquioris *Corbeiæ* inquilini. Vale, mihique, si mereor, fave.

Guelferbyti, d. X. Nov. 1685.

INDEX

INDEX BREVIARII.

XXXIV. Lac

BREVIA-

BREVIARIUM RERUM MEMORABILIUM.

I. SAL VERMINOSUM.

A C. DCCCXLVIII. ob denegatas, à moroſo Portarii famulo, quem ſubſtituerat ipſe ſacris intentus, indigentibus eleemoſynas, in *ſale* noſtro è Budinfeldio allato, copioſi reperti ſunt *vermes*, ut in Wiſarah projecerimus. *Iſib.*) *Sal verminoſum.*

Non ibimus quidem inficias Nemeſin divinam, interim & naturaliter, ut omnibus rebus, ſic etiam *ſali* ineſſe poſſunt *vermes*. Vid. *Eph. noſtr. German. ann.* VIII. *Obſ.* 52. Budinfeld, nunc Bôhmfeld, eſt locus ad Viſurgim, in quo Ducatu Ludov. *Salinas* ſuas, cum omni jure contulit *Corbeiæ* Saxon., ut in literis pleniùs continetur, dat. VI. Id. Jun. ad Imperii Ludoviciani XX. indict. XI. *Budinfeld.*

II. CARO SPLENDIDE LUCENS.

A C. DCCCLXVIII. ſub *Adelgario*, Pio Patre, in ipſa vigilia S. Viti, coquus noſter, mediâ ſurgens nocte, ut ſe ritè ſummoq; mane præpararet ad confeſſionem, intrat culinam, ex hac in cellam vicinam penariam, neſcio quid ibi facturus. Oſtiô apertô, omnia intus eleganter luce & qs. ſole irradiata. Coctâ autem comeſtâque in feſto Patroni *carne*, quam ubi ſuſpenderat Oeconomus, *ſplendor* iſte evanuit. *Iſib.*) *Caro lucens.*

Idem in itinere ſuo Montiſpeſſulano An. 1641. obſervavit Præceptor meus ὁ πάνυ, D. D. *Th. Bartholin. de luce brutor. c. VI. p. m.* 180. *ſeqq. & C. I. epiſt. 9. & 12.* & ante eum Summus Gymnaſii Patavini Anatomicus, *Hieron. Fabricius ab Aquapendente L. de oculo, c. VI.* An. 1592. Unde autem lux iſta? à *lampyridibus*, re- *Cauſa.*

mur, noctû per patentes fenestras involitantibus, carniq; & pinguedini ejus densô agmine insidentibus, vel, examinis instar apum, conglobatim adhærentibus, mutuatitiam fuisse. Sanè circa festum *S. Viti* (i. e. Mens. Jun.) hujusmodi *lampyrides* circa Corbeiam copiosissimè reperi, ut conjecturam meam aliquid ponderis habere putem. Omnia insecta, etiam minutissimos *vermiculos*, suâ nativâ radiare luce, Illustris *Bartholinus L. II. de luce anim. c. 12. & Cl. J. Theod. Schenk. in hist. general. de humorib. c. 5. p. 72.* luculenter probârunt. Hinc *παράδοξον Langianum*, de igne fatuo *vermincso*, quo de in *cynograph.* mea *curiosa Sect. IV. c. 4. p. 172. seqq.* fusiùs. Die Holländer/ ait *Levin. Hulsius* in seiner siebenden Schiffarth in Guineam c. 37. haben einmal bey Nacht auf dem Felde etwas sehen leuchten und schimmern / derhalben sie hingelauffen/ und dasselbe in ein Wischtuch gebunden / da es denn durch das Tuch durchgeschienen / und geleuchtet / als wann feurige Kohlen drinn gewesen. Sie haben es den Mohren gezeigt / die sich zwar drüber verwundert/ aber nicht gewust/ was es gewesen. Als es aber Tag worden / hat man gesehen / daß es kleine schwartze Fliegen gewesen / den Spanischen nicht ungleich / ohne daß sie gar schwartz gewesen/ wie ein Pech. Et in Insula *Ceylon* in monte *Pico d'Adam*, *arbor* est noctû manifestè *lucens*. *Joh. Heinric. Seyfried. in medull. mirabil. Nat. L. II. c. 5. p. m. 684.*

Muscæ lucentes.

III. CATTUS EX FOEMINA, ET VITULUS EX EQUA.

Cattus ex fœmina, & vitulus ex equa.

AC. DCCCLXXIV. Vidit *Geroldus*, Regia proles, Commonachus noster, in villa sua *Gadelehom* fœminam, quæ ex dæmone peperit *nigrun cattum*, igne combustum. Idem retulit, *equam* peperisse *vitulum*. *Isib.*)

Geroldus iste fuit Karol. M. propinquus, illustre *Corbeia* Saxonicæ sidus. Cur verò *cattum* istum, seu *ater* fuerit aut niveus, dæmonis prolem dixerit, non video. *Canis marinus* in ventriculo Viri repertus, teste *Zephyro* nostro D. D. *Tilingio de*

Plura exempla.

Tuba

Tuba Uteri Sect. II. p. m. 90. catuli albi, vivi, repentes, & nondum videntes per vomitum rejecti. *Meibom. in chron. Brunsv. Magdenb. P. III. p. m. 548.* Mulier quædam, cùm *felium* aliquot clamores audiret, ut suam sibi carissimam liberaret, accurrit, sed accedens ad locum, ubi ejulatus ejusmodi audiebatur, invenit *felem* in puteo, quam ut eriperet, urnam demisit, eâq; illam extraxit. Hôc labore lassata & sitiens, ex urna bibit aquam, à quo tempore malè habuit. Vomitoriô tandem sumtô, *cattum* ex ore projecit. *T. 1. Ephem. Curios. obs. 109.* An fœmina ista *Godelheimensis* fortè, ut hæc, unà cum aqua ex urna pota, *semen felium*, post coitum super puteo excretum, adhuc *calidum* simul hauserit, curiosiori disquisitioni relinquimus. Sic alia *canem felemq;* peperit, teste *Jacob. Philipp. Bergomens.* Ord. Eremit. S. August. *in supplem. chron. impress. Venet.* Anno 1483. & quidem *L. XV. p. m. 175. c. p.* alia *glirem, Barthol. C. I. obs. 10.* quod & Isenaci factum esse refert *Weinrich. L. de monstris c. 17. p. m. 161.* alia *leonem, Abb. Urspergens. in chron. p. m. 351.* pluscula hujus rei exempla studiosè collegi in *cynograph. mea Sect. I. c. 3. & 54. seqq. & tract. de bufone Sect. I. c. 3 §. 15. seqq.* Equam verò peperisse *vitulum*, faciliùs credo, quàm quod Val. Max. *L. I. c. 6. ext. n. 1. ex Herod. L. VIII. de lepusculo* refert, equæ filio, quo de in *Lagographia* nostra *curiosa Sect. II. P. II. c. 1.* prolixiùs. Apud *Cæl. Rhodigin.* tamen *L XIII. L. a. c. 14. & Ælian. L. I. c. 29.* ovis enixa *leonem*; apud *Gobel. Person. Cosmodr. æt.* vi. *c. 4.* bos *agnum.* In Dania nuper *vacca*, unà cum vitulo XXX. *catulos caninos* peperit. *Vol. II. Act. Med. Hafn. obs. 2. & Vol. III. obs. 86.* In *ovis*, in *seminiis* cuncta latent Naturæ secreta. Quàm facilè autem *taurus* conscendere potuit *equam*? Prudenti pauca!

Causa.

Insoliti partus.

Lepus ex equa.

Catuli ex vacca.

Causa.

IV. VARIOLÆ VERMINOSÆ.

Variolæ verminosæ.

AC. DCCCLXXVI. *Bobe* Abbas hoc consignavit. In *Bovezen* Ministerialis nostri filius, paucorum annorum, commu-

communi puerorum [morbo tunc grassante, correptus, unà cum contractura brachii, tactis B. *Viti* reliquiis, postea *pusillos* & *vix visibiles* per totam cutim exsudavit *vermiculos*, ferè *anguilli formes. Isibord.*)

Bovo I. *Bovo* iste, hujus nominis I., erat VI. novæ Corbeiæ Abbas, *& diligens sui seculi actuarius*, ut vetus membrana habet; scripsit historiam Saxonicam, cujus etiam meminit *Ad. Bremens. L. I. H. E. c. 35.* Per communem puerorum morbum, tunc grassantem, quid nisi *variolas* intelligam? Autor expulsionem *vermium*, quos curiosè annotavit, tactis *Viti* reliquiis assignat: At dubio sine nobiles parentes domestica adhibuêre remedia & facilè parabilia, cùm & illa, censurâ *Herophili*, *manus Dei* sint. Sumtô igitur sudoriferô è *card. ben. salv. junip.* cum tantillo *theriacæ*, quæ ut omnibus nota, sic familiaria, robustior adhuc pusionis natura unà cum sudore faustè exantlavit *vermiculos* istos. *Variolas* enim & *morbillos* nil aliud esse quàm *animatam, ac innumerorum minutissimorumq́, vel atomorum ad instar insensibilium, Vermiculorum pullulaginem*, acutissimus *Langius*, explosô veterum deliriô, catè docuit in judiciosissima sua de *Morbilis disp.* habit. Lips. anno 1660. Quam thesin tùm aliorum, tùm curiosâ nostrâ observatione apertè demonstravimus in *ann. VI. Ephem. Germ. obs. 3.* Add. hìs *cynograph. nostræ S. IV. c. 8. & 11.* Exc. *Bonett. Med. Septentr. L. III. Sect. XVI. c. 15.* Fidem huic postea fecit Cl. *D. Schmid.*, Phys. Dantisci primar. in *Eph. cit. T. VIII. obs. 85.* dicens: puellum biennem post febrem continuam, eamque malignam, *variolis* correptum, de colli pruritu, quod continuò vehementer fricabat, conquestum esse, ibique in plicis colli *vermes* plus quàm 50, tineas referentes, & articuli digiti magnitudinem æquantes, repertos. Quos ligno à cute in scatulam abrasos, vivos adhuc & salientes, ipsa monstrabat mater. Quàm tornatilia referant corpuscula, adeò, ut sint veluti *sceleta vagientia*, infantes *vermibus dorsi* infestati, tantùm non quotidie cernimus. Habui olim

Variolæ nil nisi vermes.

Probatur.

olim talem puellum quinquennem, ad ſummam maciem perductum, *morbillis* ſupervenientibus, meæ curæ commiſſum. Subitò orta ſuſpicio de *vermibus.* Conjecturam auxit pruritus dorſi, narium, halitus fœtidus, & ſententia, quam cum *Kirchero*, *Langio*, aliiſque *animatæ Pathologiæ* modeſtis ſcrutatoribus, conſtanter defendo. Datô igitur pulv. bezoard. *Sennerti*, tergôque melle & farinâ frumentaceâ bene inunctô, ad ſudorem compoſui puſionem. Qui ad nutum obſequens, unà cum *ſudore*, copioſos rejecit *vermiculos*, in cute adhuc ejus & lectulo hinc inde reptantes, reliquos è tergo proſpicientes capite pleximus novaculâ, turbamque reſiduam feliciter expulimus, ſervatô pueruló. Meminit quidem *Henr. ab Heer. obſ. 23.* cujusdam nobilis, qui ſanguinem, cumque eo *pedicillos* ruberrimos ſudavit, cui minimè contradico. Et *Joh. Vigver.* vidit poſt morbum chronicum convaleſcentem veſicis per totum corpus ſcatuiſſe, qſ. admotô veſicante remediô univerſali; quibus apertis, parvi *pediculi* innumeri exibant. Habebat Batavus quidam *ſtrumam* in collo, ad ovi magnitudinem, quæ, enſe fortuitò aperta, innumeros evomuit *pediculos. Foreſt. L. VIII. obſ. 58. in ſchol.* *Sudorem* verò in *variolis* & *morbillis* verè *verminoſum*, vix quisquam ante me divulgavit. De puero iſto fortè rythmi Saxonici è membranis eruti:

Morbilli verminoſi.

Sudor pedicularis.

Struma pediculis plena.

Rythmi Sax.

Do iſt hie nah und fort geſchehn/
Dat een Kind ſeßjarig kleen/
Welchs hadde een Arm ſehr lahm/
Na dem et vor Sünte Vith Hilgdohm kam/
Und dat ſülve am Avend Sünte Johann
Mit Demötigheit gerochen an/
Heft weder kregen ſine Macht ꝛc.

Cùm dicant: *in vicinia* & *brevi*, i. e. eô ſaltem ſeculô, quô corpus *Viti* Corbeiam translatum, factum hoc eſſe in puero ſexenni in hunc *Bæſſenſem* remur digitum intendiſſe Poëtaſtrum noſtrum. Quàm acutè, quàm curiosè autem *Iſibord.* vermi-

 culos

culos iſtos vocat *anguilliformes.* Næ, tales in *aceto* natantes notârunt *Eph. noſtr. Curioſ. ann. I. p.* 26. & *ſerpentiformes Borellus obſ. microſcop.* 1. Quàm verum *Jobi* oraculum! *Adam putredo:* (eſt enim prima *vermium* mortisque origo,) & *filius hominis* (ſeu Adami, vel putredinis,) *Vermiculus.* c. XXV. 6. Der Menſch die Made / und ein Menſchenkind der Wurm. Ergò vive memor lethi!

V. CANIS RELIGIOSUS.

Canis religioſus.

A C. DCCCXCVII. *Theodulus*, (Gottſchalck/) Pius Pater, habebat *canem* punicei coloris, ſtaturæ mediocris, robuſtum tamen, valdeque religioſum & pene rationalem. Quoties ſignum dabatur ad ſacra, quocunque diei tempore, velociter ad templum currens, *lentè* & *modeſte* intrabat, conſidebatque ante ſummum altare, continuò fixis id oculis intuens. Ad lectionem Evangelii, quaſi admonitus, promtè *ſtabat erectus;* recitatô eô, iterum conſidebat. Sub elevatione Sacramenti totus proſtatus *immotusq;* jacebat, ore ad terram preſsô, *ductoq;* è præcordiis *gemitû.* Finitâ communione, more ſolitô, pedibus poſterioribus inſidebat, ſtans demum ad lectionem Evangelii. Benedictionem *humi proſtratus*, oculis ad Presbyterum elevatis, accipiebat. Et ſic ſuô more iterum lentè modeſtèque exibat templô. Si videret ſocios ſuos ad parietes Eccleſiæ mingentes, acriter mordebat: nunquam etiam permiſit, ut alieni canes, aut noſtri, ſacris intereſſent. Imò ſi quos in area latrantes inter Miſſam audiret, tardè exiens compeſcebat petulantiam eorum. Quô factô redibat. Dies abſtinentiæ tàm accuratè diſtinguebat, ut nullis blandimentis ad *eſum carnis* iisdem eum perduxeris. Auditô nomine JESU, ſubitò in terram proſtratus concidebat. *Iſibord.*)

Aliud exemplum.

Mirabilius ferè exemplum de alio cane recenſet *Joh. Euſeb. Nierenberg.* Soc. JESU, Prof. Phyſ. Madrit. L. *IX. H. N. c. 94.* idque ex eo tranſcriptum repetit *Schott. L. VIII. Phyſ. curioſ. c. 19. §. 1. p. m. 827.*

VI. HÆ-

VI. HÆMORRHAGIA MIRE CURATA.

A C. DCCCXCIX. *Baddo de Plesse* patiebatur largam *narium hæmorrhagiam*, nullis superandam remediis. Venit tandem paupercula, eleemosynas petens, quæ, cùm ex rumore domestico casum fratris audiret, medelam promittit. Admittitur cum consensu Superiorum. Insufflatô prius *pulvere* in nares, quem parabat ex animalculo, & scriptis aliquot *in fronte* literis sanguine *Baddonis*, muccinio eam circumligavit. Et statim fatalis desiit affectus. *Isibord.*) *Hæmorrhagia mirè curata.*

Pulvis iste, meô equidem judiciô, fuit ex *busone* incinerato, qui in tali casu maximè commendatur. Literas *in fronte* scriptas divinare nequeo, reus tamen, fuisse secretum *Agricolæ*, etiam eô tempore cognitum, quod habet in *Chirurg. parv. Tract. II. p. m. 193. seq.* cujusq; felicem eventum vidit *Purmann. Chirurg. P. IV. c. 5. p. m. 211.* & est tale: *Pulv. è busone.*

Calamô stramineô, patientis sanguine imbutô, *fronti* ejus inscribantur seqq. literæ: O. J. P. U. L. U. & fluxus, miraculi instar, cessabit.

VII. SANGVIS LACTEUS.

A C. DCCCC. in vigilia *S. Scholasticæ* rusticus Fürstenauensis furti accusatus, factum negat, dicens coram Judice: Si *ego furatus sum parocho vaccam*, faxit Deus *ut ne guttula sani cruoris in corpore meo repeiratur.* Alterô die incidit in febrem. Jubet venam tundi. Effluit *merum lac.* Suspensus ergo de patibulo. *Isibord.*) *Sanguis lacteus.*

Magna, nec declinanda, perjurii pœna. Interim an *sanguis iste albicans* certum ejus testimonium fuerit, suspendio dignum, dubito. Sanguis ægro in *tertiana duplici* extractus & salvatella *planè albus* fuit, & *glutinosus instar pituitæ. Rhod. C. I. obs. 36.* Puellæ in *Synocho* sanguis ter missus semper apparuit *albus.* Id. *C. III. obs. 32.* Novi quendam, ait *Willis de febrib. c. 1.* vitiosô cor- *In febribus frequens.*

sô corporis habitû præditum (talis etiam dubio sine rusticus iste fuit,) *cruorem albicantem* & *lacti* similem emittere solitum. *Borell.* vidit virum *febre malignâ* decumbentem, cujus sanguis statim à phlebotomia *lactis albedinem* retulit. Idem in scabioso notavit *Isaac. River.* Alius ex omnibus venis, vulgò secari solitis, semper *album* sanguinem emisit. Plura hujus rei exempla collegit *Phosphorus* (eheu!) Curiosorum olim, D. *Sachs.* Fautor meus, dum viveret, sincerus in *Schol. ad obs. 28. T. I. Ephem. Germ. Curios.* Malè igitur, si ex *solo* hoc indicio suspensus fuerit rusticus.

IIX. COQVI ASTUTA MALITIA.

Coqui astuta malitia.

A C. DCCCCIII. Famulus coci Monastici in vicinia, jussu Prælati, vapulat. Nebulo hoc vindicaturus, vetulam consulit, cujus consiliô *radices* quasdam, è *dumetis* & circa *corylos* evulsas, collectasque, macerat per noctem in aheno aquæ pleno, in quo alterô die cibos ordinarios coxit. Totus Conventus cum Prælato securè comedit. Inter vesperas alter post alterum clanculùm se subducit, quos tandem ipse Abbas sequitur. Summa: enormiter *vomituriunt* omnes, & *purgantur* terribiliter. Interim furcifer ille aufugerat: captus tamen culpam suam deprecatus est. *Isibord.)*

Radices quales fuerint.

Radices istæ in *dumetis*, & circa *corylos* repertæ, dubio sine fuêre *rad. bryon.* & *asari*, quæ ἄνω καὶ κάτω violenter purgant. Cùm verò nemo ex istis Monachis decesserit, robusti utique fuêre & bonæ constitutionis. Sic cùm *Solon* radices *hellebori* quàmplurimas in Plictum amnem conjiciendas curâsset, atque nunc satis infestam medicamento aquam intelligeret, quem prius in urbem fluentem averterat, in pristinum alveum omnem reposuit. *Cirrhæi* avidius eam bibentes, perpetuo *alvi profluvio* laborabant; ideò præsidio relictô Amphyctionibus urbs tradita, ut è *Pausania* refert *Schenck. L. VII. obs. 9.*

Stratagema Solonis.

IX. EPI-

IX. EPILEPSIA VALDE MEMORABILIS.

A C. DCCCCX. *Hoholdus* de *Hachenvverthera*, Athanasii & Catharinæ filius, Confrater noster, singulis annis in *die natali* parentum suorum *epilepticis* insultibus infestabatur, aliàs per totum annum optimè valens. *Isib.)* *Epilepsia valdè memorabilis.*

Singularia & valde memorabilia *die natali* plurimis accidisse in *Lagegraph. nostra Curios. S.I.c.3.* selectis comprobavimus exemplis. *Antipater Sidonius*, Poëta, omnibus annis *unô die* tantùm *natali* corripiebatur febri, eôdemque consumtus est longâ satis senectâ. *Plin. L. VII. H. N. c. 51. Val. Max. L. I. c. 8. num. 16.* Verùm tale exemplum, quale noster hic recitat, nuspiam legi. Ceterùm dominium *Hachenvverd*, seu *Habenvverd*, erat olim ad *Ocrum* fluvium, *Brunsvigam* inter & *Wolffenbyttelum*, ubi, ante conditam illam urbem, sedem suam habebant Marchiones Saxoniæ. *Bruno* enim, Ottonis, Duc. Saxon. & Svev. Fil., qui ex Monacho *Corbeiensi* factus Episcopus *Verdæ* XVI., tandem *Pontifex Maximus*, dictusque *Gregor. V.* (vid. *Theatr. meum Illustr. Corb. Saxon. Viror.*) se scripsit *Marchionem Saxoniæ* & *Dominum in Hohenvverda* & *Mevelrode*. Vid. *Kranz. IV. Saxon. 27.*

X. MULIER PEPERIT CATULOS.

A C. M. *Ulhelricus*, frater noster in *Visbike*, novit feminam opilionis, quæ rem habuit cum *molosso*, exque eo suscepit *duos catulos*, ope Dæmonis. *Isib.)* *Catuli ex muliere.*

Quidnî absq; opera Dæmonis, *Isiborde?* ecce enim pluscula detestandi hujus coitus exempla. Refert *Helvvaderus in sylv. chronol. circul. Balth.* ad ann. 1600. ancillam *Schvvabstetensem* in Ducatu Slesvicensi à *cane anglico* imprægnatam, tres peperisse *catulos*. Et *Alexandro VI.* in cathedra sedente alia mulier ex *cane* peperit *catulum*. *Sim. Majol. T. I. colloq. dier. canicul. p. m. 42. a.*

XI. MENDICUS BRUTICIDA.

Mendicus bruticida.

A C. MXIII. venit ad nos è *Normannia* Juvenis, ſi habitum ſpectes, pauperculus, ſi vultum, ſatis modeſtus, ſi animum verò, *ſceleſtiſſimus*. Is, ſtipem qui denegârat, pecora pulv. quodam diabolico enecabat, ſic ut etiam comminuerentur beſtiarum oſſa. Tandem rotæ impoſitus eſt. *Iſib.)*

Suſpicio mea.

Suſpicari poſſes, cùm è *Normannia* veniſſe dicatur, attuliſſe ſecum herbam, ab effectu *oſſifragam* dictam, qua de Celeberrimus *D. Sim. Paulli*, trium Regum Borealium Archiater, & Prælatus Aarrhuſanus, Fautor quondam meus ſingularis, in *Bot. quadrip. Cl. IV. p. m. 529.* Norwagi vocant Beengras. Hæc enim oſſa adeò mollefacit & conterit, *ut baculô qs. circumvolvi queat animal;* quod tamen non moritur, modò oſſa alterius beſtiæ, esû hujus herbæ enecatæ contrita ei exhibeas. Malitiam, conjecturâ Paullianâ, cum nutrimento ſuo fortè è minera *Saturnina*, vel *Mercuriali*, magneticè è terra attrahit planta, ut metalli, ſupra quod creſcit, particeps fiat.

XII. EPILEPSIA E SINISTRO LATERE.

Epilepſia è ſiniſtro latere.

A C. MXIX. *Werinboldus* de *Poppenburg*, Commonachus noſter, dixit *Erutmaro* Abbati, ſe habere propinquum, qui, quoties noctû *ſiniſtro* lateri incubaret, toties ſentiret inſultus *epilepticos*, aliàs ab hoc malo immunis. *Iſibord.)*

Sic Ampliſſimus *Tulp. I. obſ. 9.* juvenem nobis ſiſtit, cujus preſsâ, vel ſolo digito, regione *lienis*, contrahebantur illicò omnes nervi, & ſequebatur confeſtim miſerabilis univerſi corporis diſtentio, lædens iteratis ſuis circuitibus usque adeò mentem, & cumprimis vim ejus imaginatricem, ut crederet, ſe neſcio quem Regem: diſtribueretque, non minus largiter, qualiacunque munera, imò integras regiones, ac ſi revera rerum potitus foret. Erat verò *Werinboldus* iſte ex antiquis

Comiti-

Comitibus *Poppenburgicis*, quorum dominium, ſub nomine Præfecturæ, nunc pertinet ad Epiſcopatum *Hildesheimenſem.*

XIII. INSOLITÆ STRUMÆ.

AC. MXLV. Venit ad *Drutmarum* Abbatem ruſticus in collo, ſub utraque *axilla* in *pectore* & circa ipſam *virilitatem* ingentes *ſtrumas* oſtendens. *Iſib.*) *Inſolitæ ſtrumæ.*

Terribilius exemplum, quod habet *Nic. Fontanus L. I. reſponſ. & curat. p. m. 66.* de juvene, cujus gulam, aſperamque arteriam ſimul adeò compreſſerant *ſtrumæ*, ut neque potus, vel ipſe aër tranſire poſſet. Diſſectô cadavere, reperiebantur ſimiles in orificio ſtomachi, pulmonibus, omento, meſenterio, pancreate, ipſis inteſtinis, & circa veſicæ collum. Quæ de *Seminibus* ſtrumarum, ſub qualibet clanculum deliteſcentibus, curioſè obſervavit *Tulp. I, obſ. 46.* aurea ſunt, & ſublimiori ſcrutinio digna. *Semen earum.*

XIV. SPUTUM VERMINOSUM.

AC. MXLVII. *Richburgis* de *veteri domo*, religioſa Soror noſtra in *Herivortio*, de dolore lateris ſiniſtri capitiſque gravativo, cordis palpitatione, reſpiratione difficili, ructibus ventris, tumore pedum, lividis aliquando maculis, nummi magnitudine, q.ſ. pictorum, &, quod moleſtiſſimum erat, habitû ſummè fœtido diu conqueſta, multa incaſsùm adhibuerat remedia. Tandem in ſputo ejus ore rejecto manifeſtè viſi ſunt *puſilli vermiculi albi*, ut in caſeo. Hæc ex vita ejus, à *Fritharico* de *Frencken* deſcripta excerpſi. *Iſibord.*) *Sputum verminoſum.*

Richburgis illa, Comitiſſa ab *Oldenhuſen* è Marchia, ſummè erat ſcorbutica, ut ex tota relatione patet. Maximè igitur notabile *ſputum* ejus *verminoſum*, quale exemplum etiam notavit Excellentiſſ. *D. D. Dolæus*, Conſil. & Archiat. Haſſo-Caſſellanus, Curioſ. ANDROMACHUS, Fautor & collega magni æſtimandus, *Vid. L. II. Med. Sept. Bonett. Sect. III. c. 3.* *In ſcorbuto.*

XV. CATA FURTI DELUSIO.

Cata furti delusio.

AC. MLVI. *Scholaſtica Bibermannia*, Prioriſſa in Abbatiola noſtra *Vusbeke*, in feſto annunciationis B. M. V., pro exornanda ſtatua ejus in templo, è cella ſua in culinam affert rubicundiſſima *corallia* in ſcatula, ut ea per filum trajiceret, & collo imaginis circumligaret. Sedit fortè ad focum vetula, eleemoſynas quæ petierat, & mentiebatur ſomnum. Signo interim ad veſperas datô, in cellam recurrit Prioriſſa, relictâ cum coralliis ſcatulâ, in angulo quodam culinæ, patinâ coopertâ. Finitis ſacris, reverſa deflet ea ablata. Suſpicio cadit in anum. Quæ, rumore à Vicinis in caſula ſua perceptô, ſubitò deglutiebat omnia corallia, & ſponte ſuâ regrediebatur, neſcio quid prætendens, ad cœnobium. Prioriſſa durioribus eam affatur verbis. Illa Sanctos omnes in teſtimonium advocans, aſtutè malitiam defendit. Sed ecce! ingenioſa quædam ſoror, *Beatrix* de *Dorringſen* ita ad eam: *Mi Rixa*, bono, quæſo, ſis animô: *non ſunt deperdita corallia, reperiemus, ſi non hodie, aliô tamen die, & perinde eſt.* Sede tu ad focum, habeas, cùm vigilia ſit, offam, quam ipſamet tibi parabo. Illa interim *purgans* præparat, quod, inſciâ vetulâ, in juſculo diluit. Comedit anus, nil ſiniſtri ſuſpicans. Interim *Beatrix* omnes ejus egreſſus obſervans, paulò poſt videt ad *vomitum* proclivem. Subitò pelvis ſupponitur, digitôque in fauces intrusô, conatus Naturæ promovetur. Tunc en! in putidis excrementis *rubentia corrallia*, ceteris aliâ via excluſis. *Iſib.*)

Similem planè hiſtoriam de *margaritivoro* Pariſienſi habuimus in relationibus hebdomadariis publicis anni hujus 1685.

XVI. INFANS FLAVA CUTE NATUS.

Infans flavâ cute natus.

AC. MLXII. Uxor *Viti Bretſlhels*, Walburgis, anno ætatis ſuæ XXV. tertiùm gravida, neſcio quô inordinato appetitu fe-

tu ferebatur in *crocum*, adeò ut omnes faſtidiret cibos, ſi non *croco* eſſent conditi. Peperit tandem lepidum puellum, cujus tota cutis *crocei coloris* erat. An adultior factus retineat necne, dies docebit. *Iſib.*)

Simile ferè exemplum affert *Amat. Luſit.* (*V. curat. med. p. 71.* quod etiam in *cane* felici cum ſucceſſu tentavit ORPHEUS noſter Curioſus, *D. Hertod. T. I. Ephem. Cur. Germ. obſ. 60.*

XVII. TUMOR A PEDICULIS CURATUS.

AC. MLXV. Hermannus de *Welfenbyttel* habebat magnum tumorem in capite, qui preſſus tenuem fœtidumque emiſit humorem. Suasû Henrici de *Stoppelberg* matris, capiti ſuo innumeros *pediculos* immiſit, idque linteo arctè beneque munivit, ut nullus elaberetur. Cruciârunt eum terribiliter; tumore autem iſtô penitus ab eis exſuctô, optimè valuit. *Iſib.*) *Tumor à pediculis curatus.*

Adde elegantem hiſtoriam *D. Jacozii*, Medici Coſtenſis, & lucem afflâſti *Iſibordianæ. River. in obſ. commun. p. m. 346.*

XVIII. RANUNCULI VIRIDES IN TUMORE.

AC. MLXVII. *Godſchalcus* de *Wittorp inſigni* tumore ſub læva papilla diu excruciatus, tandem juſsû *Saracho* Prælati eum ferro aperiri curat, & ecce! cùm copioſa materia *duos* minutos *ranunculos prorſus virides*, quorum alter poſt alterum in menſam, cui aſſedit patiens, deſiliit. *Iſibord.*) *Ranunculi in tumore.*

De ſtupendis aliis tumoribus vide sîs *Schenck.*, *Donat.*, *Paræum*, *Sennert. Ephem. noſtr. Curios. &c.* Addo ſaltem memorabile exemplum *Kircheri*, Fautoris mei, dum viveret, ſingularis *L. de peſte Sect. III. p. m. 309. ſeqq.* & *D. Sorbait*, Collegæ in *T. II. Eph. Germ. noſtr. obſ. 103.* de *bufone* in tumore dorſi & colli *Et bufones.*

reperto. Unde ergò *ranunculi* iſti ? ex ovulis, è ſeminiis ſuis, quocunque etiam modô ingeſtis, , adque hunc locum à Natura devectis. Ceterùm neſcio, an Hermannum iſtum à *Witt.rpiis* iſtis in agro *Verdenſi* deducam, ſeu, an rectiùs legam *Wittenborch* ? Qui Comites inter reponuntur à *Kranzio L. IIX. Vandal. c. 3. & 11.*

XIX. VITES AUREÆ.

Vites aureæ.

AC. M L XXIII. *Ekenriech* de *Badevvitha* è Hungaria reverſus, attulit *botros aureos*, quos, niſi Fridricus Abbas toti Conventui aliisque oſtendiſſet, pro fabula haberem. *Iſib.)*

Cauſa.

Vide quæ *Sachſius* noſter collegit L.I. *Ampelogr. c. 5. p.m. 40. ſeqq.* Cauſam miraculi è vicinia *aurifodinarum* facilè erues, qui intimiora Naturæ myſteria ſcrutaris. Num *Ekenricus* iſte è Comitibus de *Badevvide,* qui olim versùs Holſatiam habitârunt? Vid. *Helmold. L. I. c. 15. 55. & 57.*

XX. INFANS IN UTERO PRÆGNANS.

Infans in utero prægnans.

CUm Anno M LXXXVIII. in monte S. Petri *Erfurti* degerem, incidi in vetuſtum & illegibilem codicem, è quo hoc tantùm decerpſi. An. 896. puella 19. annorum ob ingravidationem famoſa, ideoque coram Judice accuſata, negabat, omnia, dicens : *Si ego gravida ſum,* faxit Deus, ut *& infans in utero meo talis ſit !* Paulò poſt peperit puellam mortuam, ventre nimis prætumidô, ut jamjam rumpi videretur. Mulierculæ rem inſolitam mirantes, Judici indicant ordinario. Apertô corpuſculô, ecce alia *puella* in *puella modò nata,* etiam mortua omnibus tamen membrulis bene conformata. An fabula ſit, neſcio. *Iſiberd.)*

Et ego pro fabula haberem, niſi ſcirem, quæ de *embryone prægnante* ὁ θαυμάσιος *Bartholinus,* Præceptor meus deſideratiſſimus, *C. VI. hiſt. anat. 100.* & noviſſimè D. D. *Gabriel Clauder.,* *Archiat.*

Archiat. Altenburg., Curiof. THESEUS, in *Decur. II. Miſcell. Cur. ann. 3. num. 72. p. m. 163. ſeq.* curioſiſſimè annotâſſent.

XXI. FELIS EXCLUDIT OVA.

A C. MXCI. *Anas* molitoris noſtri in remoto ſtabuli angulo novem poſuerat ova, ſolitô more ea excluſura, nî à petulantibus pueris, ob capturam piſciũ in dimola, ipſi operi intenta, ocyùs fuiſſet occiſa. Interim *felis* domeſtica, neſcio quô casû, nidum anatis inveſtigat, obque commoditatem loci, & murium copiam, quos ibi poterat venari, habitaculum ibi ſeligit, diu noctuq; ovis incubans. Statô tempore prorumpunt pulli benè conformati, *felina* tamen indolis. Nam puſilli adhuc *muſculos* cupidè vorabant, adulti autem majoribus inſidias ſtruxêre, præſertim *aquaticis*. Felis, mater, ſummo mane eas ad paſtum educebat, gregem præeundo, & dum pulli in aqua hærerent, ipſa ad littus cubans, canes hominesque prætereuntes quaſi, in rabiem acta, invadebat aut arcebat. Serô demum veſpere in hoſpitium ſuum reducebat. *Iſibord.)* *Felis ex cludit ova.*

Add. quæ de *cane* ova excludente inſperſimus *Cynograph. noſtr. Curioſ. S. II. Membr. 3. c. 2. §. 1.*

XXII. CANCER VERMINANS.

A C. MXCII. *Euſemia*, pia Soror in Herivortio, contagio ſibi contraxerat *cancrum* lævæ mammæ, Qui, cùm à nullo curari poſſet, ferrô apertus & reſciſſus, multùm licèt reluctante *Euſemia*. Perreptabant carnem putidam abſciſſamq; *longi candidique vermiculi, nigris in capite notati punctulis. Iſib.)* *Cancer verminans.*

Eadem in ſectula eôdem in affectû vidit *D. D. Giſeler*, Amicus heu! quondam, Phyſ. Reip. Brunſvicenſ. Ord. & Curioſ. HIPPOCRATES I. *in Eph. noſtr. ann. I. obſ. 148.*

XXIII. MI-

XXIII. MIRABILIS SYMPATHIA.

Mirabilis sympathia.

AC. MXCIV. *Lovanii* mihi dixit primarius quidam Vir, inque eminenti dignitate constitutus, se toties, quoties conjux ejus *fluxum menstruum* ordinariè haberet, & ipsum pati *fluxum hæmorrhoidum*, eâdem quasi horâ & die cum fluxu muliebri incipientem. *Isibord.*)

Lucem historiæ afflat curiosa observatio Summi *Bartholini C. V. hist. 79.* de marito pro uxore puerpera dolente & decumbente.

XXIV. NUMERUS OCTONARIUS SACER.

Numerus octonarius sacer.

AC. MXCVI. Parisiis novi devotam virginem, quæ numerum *octonarium* sacrum habebat ideo, quòd quôvis *octennio*, singularia & memorabilia sibi suisque accidisse notârat. Etenim anno 1048 avus ejus maternus decesserat, ætatis suæ 68. Anno 1068. avus paternus d. 8. Januar., æt. suæ 38. An. 1058. pater ejus natus d. 18. Maji. Mater verò an. 1068. d. 28. Novem. An. 1088. d. 28. Maj. nuptiæ parentum habitæ. Anno ætat. *octavo*, d. 8. Novemb. in ipsa *octava* adhuc omnium Sanctorum, ipsa Monasterium ingressa, *octies* tunc in eo graviter decumbens. Annum itaque 1098. fatalem credebat, uti factum. *Isibord.*)

Ita memini, me adhuc puerulum sæpius à Celsissima Ducissa Saxoniæ CHRISTINA, nata Landgravia Hassiæ, Susceptrice & Benefactrice mea clementissima longâ serie narrantem audiisse, quæ tùm sibi, tùm Majoribus ejus, quolibet *octennio* evenerant. Ipsa demum (ut crebriùs prædixerat) annô ætat. 88. post Christi natalem 1658. d. 18. Aug. circa hor. *octav.* vespertin. obiit, sepulta Isenaci d. 18. *Octob.* ejusd. anni. Sic *octo* memorabilia iræ divinæ exempla in SS. reperiuntur, quæ studiosè collegit *J. Moller in Alvear. Sac. §. 188.*

XXV. GAL-

XXV. GALLUS SINE CORDE.

A C. MXCVIII. *Lugduni* in Gallia mactavimus *gallum* in cujus toto corpore *cor* non est inventum. *Isib.*) *Gallus sine corde.*

Dixerim ego potius cum *Arist. L. IV. G.A. c. 4. corde* carens nullum animal unquam ortum est. *Dubito.*

XXVI. PURGATIO EX INSOMNIO.

A C. MXCIX. Somniabat *Oxoniæ* Monachus Ord. nostri, qs. potiunculam purgantem, pridie confectam, exhausisset. Et ecce! surgens mane, ab eâdem phantasia adhuc delusus, vel *octies* cum levamine alvum deposuit. *Isib.*) *Purgatio ex insomnio.*

Simile exemplum vid. *Ann. III. Eph. Germ. Curios. obs. 234.* ab Excell. *D. D.* Waldschmied / Illustris Acad. *Marpurg.* P. P. & Archiatro Cassellano, Curios. PRIAMO, communicatum, quod hûc bellè quadrat.

XXVII. PUELLÆ AURES MOBILES.

A C. MC. Vidi apud *Britones* puellam septennem, *aures* suas pro lubitu *moventem.* Quô spectaculô multos alliciebat. *Isib.*) *Aures mobiles.*

Curiosam hac de materia disput. in Illustri Acad. *Heydelb.* an. 1676. habuit *D. D. Francus*, Curios. ARGUS, Fautor noster venerandus, quæ omninò legi meretur.

XXVIII. CORVUS VIVIPARUS.

A C. MCIV. Pro certo mihi narrârunt P P. nostri, *corvum*, quem alebant in refectorio, sine *ovis*, more prorsus inaudito, *duos* peperisse *pullos*, ipsum verò cum prole sua ocyùs mortuum. *Isibord.*) *Corvus viviparus.*

Fidem mereri videtur relatio, si addas & expendas; quæ de *gallina* vivipara *D. Mich. Lyserus*, Vir candidus, *obs. 6. D. Th. Bartholin.* transmiss. & *J. Euseb. Nierenberg de pisce viviparo* habet *L. VI. de mirac. Nat. in Europ. c. 41.*

XXIX. SECRETUM IN VERTIGINE.

Secretum in vertigine.

A C. MCV. Venator noster, *Niger Casparus* vulgò dictus, annum tunc agens 87. altissima adhuc arborum cacumina promtè conscendebat, sine ullo *vertiginis* metû. Rogatus à me, num solius Naturæ beneficium, seu Artis adminiculum foret? Utriusque respondit, ecce! hoc meum arcanum. Avus meus, cui inventum debeo, vegetam suam agilitatem in festo S. Viti olim *Corbeiæ*, præsente multo populo, publicè contestaturus, *nonagesimo* ætat. suæ annô, altissimam abietem, ex Hercynia ad hoc spectaculum allatam, cum jubilo conscendit, stansque in summo vertice longè lateque prospexit, tunc, funiculô in terram demissô, lagenam, vini plenam, hilariter ad se pertraxit. Quâ hilariter evacuatâ ad terrena è sublimi descendit. Sciscitanti mihi, quale igitur arcanum esset? candidè dixit: pulverem *sciuri*, *summè rubicundi*, & potius *fæmellæ*, quàm *masculi*, ad pondus scutati, quôvis mane in vino, seu cervisia, sumtum. Maximè tamen hanc efficaciam inesse *capiti & cerebro* eâdem dosi. *Isib.*)

Probatur abs aliis.

Memini, idem nobis commendâsse olim in Regia Hafniensi Virum incomparabilem *D. Christian. Ostenfeld.* Phil. U. Jur. & Med. D. P. P. inque Summo tribunali Assessorem, Fautorem Doctoremque meum summè venerandum. Et Celeberrimum *D. Michaël.*, Prof. Lips., idem carô pretiô à *funambulone* quodam, ægrè licet, obtinuisse, multi Auditorum suorum constanter affirmârunt.

XXX. ODONTALGIA A TONSURA BARBÆ.

Odontalgia à barbæ tonsura. & cæcitas.

A C. MCVI. In Gallia vidi monachum, qui semper à *tonsura barbæ* magnum patiebatur *dolorem dentium. Isib.*)

Cæcitatem à barba rasa vide sis in *epist. Barthol. C. III. n. 67. p. 275.*

XXXI. MAM-

XXXI. MAMMÆ IN TERGO.

A C. MCLXIV. Rustica fæmina è comitatu *Winzenborch*, præter *duas* in loco ordinario, adhuc *duas* alias ejusdem quantitatis & qualitatis *mammas*, lacte fœcundas, habuit è regione in *tergo*. Jam tertiâ vice pepererat gemellos, qui antè retroque suxerunt. *Alex.*) *Mammæ in tergo.*

Vidit etiam *J. Faber Lynceus* quatuor in muliere Romana mammas, at non in *tergo*. *Borell. C. I. obs. 49.*

XXXII. PUELLUS BARBATUS.

A C. MCLXV. *Guicboldus*, Abbas adhuc *Stabulensis*, vidit puerum vix sexennem, bene *barbatum*. Quem & circa pubem *crinitum* dixêre alii. *Alexand.*) *Puellus barbatus.*

De alius pueri *mentula hirsuta* etiam fidem nobis fecit *Exc. D. Th. Barthol.* Conf. *Borell. C. I. obs. 58.*

XXXIII. CRINES ET BARBA COERULEA.

A C. MCLXV. Vidit idem *Guicboldus* in aula *Conradi* Imp. Virum metalli fossorem, ex sylva *Hardgo*, annor. XLII. cujus *capilli & barba* erant *cærulei* coloris. Eruditi causam conjiciebant partim in *vapores metallicos*, partim in *singulare* Viri *temperamentum*, partim in *bilis* quandam speciem, quam *æruginosam* dicunt. Eundem Virum & pater meus & Comes de *Popenborch* viderunt. *Alex.*) *Crines & barba cærulea.*

De *sudore* planè *cæruleo*, ex eadem *bile æruginosa*, curiosissimam vid. sis ANDROMACHI nostri *D. D. Dolæi observ. 67. T. VI. Eph. Germ. Curios.* Pilos *virides* vid. apud *Borell. C. II. obs. 56. & Bartholin. I. hist. 40.* *Sudor cæruleus.*

XXXIV. LAC LUTEUM.

A C. M. CLXVI. Puerpera *Schlademensis*, ut à Comitissa ibidem, agnata mea habeo, alvi constipatione miserè excru- *Lac luteum.*

 ciata,

ciata, quod malum etiam in parvulum suum derivârat. Svasû mulierum, ut utrique consuleretur, nodulum è contuso *rhabarbaro* cerevisiæ pro potu ordinario immergit. A quo alvus matris infantisque bene soluta, *lac* verò planè *luteum* factum in utraque mamma, quod tandem, ob amaritiem, pusio aversabatur. Remotô *rhabarbarô*, & lacti *niveus* rediit color. *Alex.*)

Sudor luteus.

Næ curiosa & elegans hæc observatio, asteriscô digna. Notum aliàs, quod de *luteo sudore*, etiam ab assumto *rhabarbaro*, in seipso notavit Excell. *D. D. Menzelius*, Consil. & Archiat. Brandenb. Curios. APOLLO, Fautor & Collega magni semper æstimandus. *T. V. Eph. Cur. obs. 78.*

XXXV. LAC VERE OLEOSUM.

Lac oleosum.

AC. MCLXVII. Sic recordor, me ab *Agnete*, Comitissâ *Wunstorpiensi*, audivisse, se, quoties filiolus, adhuc ab ubere pendens, durioris alvi esset, sumere in calido jusculo tria, seu duo cochlearia *olei olivar.*, quod lac sapore, odore & pingvedine manifestè tingeret: quôque acceptô melius esset parvulo. *Alex.*)

Lac suillum an tutò infantibus detur?

Mira muliercularum inventa! Nostrates in tali casu infantibus exhibent *lac suillum*, à quo alvus quidem fit lubrica; sed vidimus copiosum phlegma relictum, à quo ventris tormina, vigiliæ, asthma, & alia mala, ut novissimè observavimus ad Hercyniam.

XXXVI. PULLI GALLINACEI PULCHRE MONSTROSI.

Pulli gallinacei pulcrè monstrosi.

AC. MC LXXI. Blankenauæ aluit villicus noster *anatem* masculum, gallinas crebriùs comprimentem. Hinc una ex iis peperit *pullos* verè *gallinaceos*, rostris tamen pedibusque planè *anatinis*. Erant animalcula *amphibia* & pulcrè monstrosa. *Alex.*)

XXXVII. ANA-

XXXVII. ANATES IN QUERCU NATÆ.

A C. MC LXXIV. Abstulerant pagani pueri *corvæ*, queîs incubabat, ova in monte *Köterberg*. Illa, prolis cupidè amans, iterum aufert, neſcio ubi, ova *anatum* ſuppoſita, eaque in nido ſuo, in vertice quercûs ſtructo, excludit. Pulcherrimas tandem *anaticulas*, numero quatuor, fortè repertas, omnes tamen ad *nigredinem* aliqualem vergentes, unà cum corva & nido, apportavit Venator noſter. *Alex.*) *Anates in quercu natæ.*

Dixit mihi Comes ab *Itteren*, ſe quondam, fractis ovis *corvinis*, ſuppoſuiſſe *columbina*, & inde veras quidem enatas eſſe *columbulas*, colore naturali, oculis verò roſtrisque *corvinis*. Eſt Scholion *Alex.* noſtri. *Columbæ ex corvo.*

XXXVIII. HOMUNCULUS IN VENTRICULO LUCII.

A C. MCLXXV. In culina Comitis de *Popenburch* exenteratus *lucius* piſcis in ventriculo habuit *homunculum* verum, ſed non planè perfectum. Habeo ex ipſius Comitis ore. *Alex.*) *Homunculus in lucio.*

Puto, *abortum*, fortè à muliere rejectum, inque aquam conjectum, denuò à lucio, paulò antequam caperetur, deglutitum fuiſſe.

XXXIX. CORVUS EXCOMMUNICATUS.

Conradus, Abbas noſter, manus olim loturus, *annulum* ſuum, deponit. Advolat *corvus*, contubernalis ejus, & furatur illicô. Quæritur annulus in omnibus angulis, at reperitur nuſpiam. Rogat famulos omnesque inquilinos, utrum quis invenerit? negant univerſi. Sic iratus Archimandrita ignotum ſibi furem ſacrô ſtrinxit fulmine. Ab illa hora *corvus* antea hilaris & facetus, omnem ſubitò indolem exuit, nec nidô egreditur, nec eſcam cupit. Narratur Prælato. Hem, ait unus è famulis, diſpeream ego, ſi non ater iſte nebulo *annulum* furatus ſit. Viſitant nidum, repertô *annulô*. Abſolvitur *Corvus exsommunicatus.*

 ab ex-

ab excommunicatione. Ita antiquum ſuum obtinet hilaris ſanusque. *Alex.)*

D.II.A.V Appnd. Hanc hiſtoriam fuſiùs & venuſtius deſcribit *Angelinus Gazæus* è Soc. JESU, in *piis ſuis hilariis edit. Muſſipont. p. m. 66. ſeqq.* ad quem curioſum lectorem ablego.

XL. PODAGRA A FORMICIS CURATA.

Podagra à formicis curata.

AC. MCLXXIX. Parocho in comitatu *Peynenſi,* podagrâ & chiragrâ miſerè afflicto, ex amore & officio quaſi inſerviebat cuſtos templi. At moroſus patiens, ut ſolent ejusmodi homines, quicquid etiam faciebat cuſtos, ſiniſtrè interpretabatur. Die quodam dominico cuſtos in horto, parochi ædibus vicino, neſcio quem in uſum, colligit cum myrmecio *formicas.* Quas dum domum portare vellet, revocatur à parocho. Accurrit ſubitò, reponens tamdiu ſaccum ſub lecto, donec mandata Paſtoris ſui implêſſet. Interea ſignum dandum erat ruſticis ad preces veſpertinas. Oblitus ergò ſacci ſub lecto poſiti, clauſis ædibus, in templum properat. Beſtiolæ turmatim conſcendunt lectum, miſellumque parochum terribiliter excruciant. Is ſacrum inter & ſaxum conſtitutus membra elevat, ſurgit, inque vicinam cameram prorepit. Ibi, abjecto induſio, juxta feneſtram nudus conſidens, tibialibus, ore & digitis fortè arreptis, beſtiolas de cute ſua abigit. Supervenit tandem cuſtos, deprecans errorem ſuum. Delatus itaque parochus in alium lectum, incidit in ſomnum & largiſſimum ſudorem. Ab hoc die athleticè valuit. *Alex.)*

Plurimos equidem *podagricos* ex inſperato *terrore* perfectè fuiſſe curatos, paſſim teſtantur hiſtoriæ. Vid. ſîs ſaltem *Salmut. C. I. obſ. 48.*

XLI. MILVI EX OVIS GALLINÆ A TERRORE.

Milvi ex ovis gallinæ à terrore.

AC. MCLXXIX. Gallina parochi noſtri in *Lüchtringen* nidum ſibi fecerat in angulo areæ, ova ſua ibi excluſura. Sed quotidie

quotidie aliquoties terebatur à pervolitante *milvo*, adeò, ut ad levem auræ flatum *milvum* adesse crederet. Ex hoc terrore & errore phantasiæ tres demum exclusit *milvos* è propriis ovis, qui adultiores facti rapax suum ingenium manifestè ostendebant. *Alex.*)

XLII. CHAMOMILLA E CERVI CAPITE NATA.

A C. MCLXXX. *Sigebodo* de *Schnakenburg* vidit in Lotharingia *cervum* captum, cui inter cornua è capite elegans *chamomilla*, cum floribus svavem exhalans odorem, enata erat. *Alex.*) *Chamomilla è capite Cervi nata.*

Ipsemet ego Hamburgi vidi *lucium*, è cujus capite nata erat *anserina*. Plura in hanc rem consignata exempla dabunt *Ephem. à Cl. Nitsch. vers. T. IV. p. 126. seqq. Eph. nostr. Cur. ann. II. obs. 53. Act. Med. Hafn. T. I. obs. 3. Bartol. C. II. hist. 20. Borell. C. I. obs. 10. Nierenb. L. I. H. N. c. 10. Bonett. L. III. Med. Sept. S. XII. c. 14. Sachs. Ampelograph. L. I. c. 7. p. 62. & in append. p. 17. Kerger. de ferment. S. I. c. 6. p. 51.*

XLIII. LAC PLANE NIGRUM.

A C. MCLXXXI. Sororis meæ villica, multis ab hinc annis valetudinaria, peperit tandem puellam; quam verò, cùm ipsa lactare non posset, siquidem omne lac ejus *nigrum* & maximè *acidum*, nec etiam aliam substituere nutricem (ocyùs defunctam audivi. *Alex.*) *Lac atrū.*

Quis dubitet, puerperam hanc perfectè fuisse *hypochondriacam*? In his enim tale quid sæpè notamus, ut *feces alvi nigerrimas* picis instar, imô *semen atramenti instar scriptorii* emissum. *Ann. I. Eph. nostr. Cur. obs. 63.* Ante biennium in fœmina è Præfectura Schlademensi XXVII. annor. fluxum menstruum *nigerrimum* obsérvavi ultrà sex menses. Et *sputa* etiam talia erant, durante fluxû, ut hisce vidi oculis. *Urina* ab assumtis crebriùs *nigra*, teste *Actuar. L. I. de judic. urin. cap. 20. Barthol. C. V. hist. 90. D. Schmidio*, *Phys.* Gedani primar. in *Eph. nostris.* *Unde?* *Menstrua atra.* *& urina.*

nostris Curios. ann. VIII. obs. 87. Schenk. L. III. obs. 7. Non tamen semper *sinistri* quid portendunt, ut *Barthol.* l. c. doctè probavit. Vidit *Isibordus* noster Lovanii Monachum, qui noctû immensùm sitiens, omnesque angulos perquirens, incidit tandem in *urceum atramenti* plenum, retrò fornacem positum, è quo avidè & largiter bibit. Reversus in cellam svaviter quiescit, usque ad matutinas. Tunc sentiens tormina Ventris, pulverem sumit, ex quo copiosè minxit *nigerrimam* urinam. Attonitus ipse, & nescius, quid hauserit noctû, rem narrat aliis. Convaluit tamen bellè. Hæc *Isibord.*)

Hist. lepida.

XLIV. QUATUOR MIRABILIA IN PUELLO ÆTHIOPICO.

IV. Mirabilia in puero.

A C. MCLXXXIII. Cùm *Erfurtô* tenderem *Coloniam* in Ubiis vidi in oppidulo quodam lepidum puellum ex *æthiope*, & venusta matre natum, in quo *quatuor* singularia notavi. (1.) *Nasum* ferè *cœruleum.* (2.) *Lunæ imaginem pectori manifestè impressam.* (3.) in *vertice pilos albos*, cùm ceteri essent atri & crispuli. (4) addebant alii *virilitatem* ejus planè *albam.* Scilicet gravida mater linteamina lota *amylo cæruleo* (intelligit blaue Stärcke oder Stübels) magis magisque cùm expurgaret, & nitidiora redderet, frater ejus fortè superveniens clanculum, immissô in patellam amyli plenam digitô, oblinit eô *nasum* ejus. Ex quo terrore nævum istum asperserat infanti. Somnians aliquando, ac si *Luna* magno cum fragore cœlo super pectus ejus delapsa, valde perterrita, somniumq; istud semper ruminans & referens, & *alteram* inusserat notam. Ob terrorem igitur, ex hoc, aliisque turbulentis somniis, sæpè conceptum, *capillos* subinde fricabat, interdum *candore* eorum quasi delectata, coram speculo crebriùs intuebatur, donec *tertium* infanti imprimeretur signum. De *quarto* judicent alii non ego. *Alex.*)

Quàm mirabilis phantasiæ vis, quam omnes, quotquot sumus & erimus, Curiosi nunquam dignè vel commendabimus, vel

mus, vel explicabimus. Scrutabimur interim & Dei & Naturæ codicem, NUNQUAM OTIOSI!

XLV. EPILEPSIA EX INSOMNIO.

A C. MCLXXXIV. Si forſan alicui hæc mirabilia phantaſiæ ficta videantur, cùm tamen veriſſima ſint, ecquid ad hoc reſpondebit inſomnium? Erat ſoror mea Cæcilia in horto: in quo cùm rubicundiſſima conſpiceret ceraſa, accurrit, decerpens ea. Sed ecce! *lepuſculus* è frutice ſurgens viam interturbat. Somnô discuſsô, tantô corripiebatur terrore, ut omnes artus tremerent. Hinc prolapſa in *febrim*. Peperit poſtea filiolum, qui, *viſo* tantum *lepore*, *vivô* ſeu *mortuo*, etiam *pictô*, ſtatim fit *epilepticus*. Quod oculatus conteſtari poſſum. *Alex.)* *Epilepſia ex inſomnio.*

Cùm adhuc in Illuſtri Gymnaſio *Gothano*, ſtudiorum cauſa, commorarer, vidi puellam toties, quoties *araneam* videret, gravi correptam Syncope. Cauſam rei indaganti dixit mater, ſe vidiſſe olim per quietem *araneum*, ſuper ventrem ejus prorepentem, ex quo terrore filiæ hæc labes aſperſa. *Ab aranea viſa.*

XLVI. MONSTRUM CAPRINUM.

A C. MCLXXXV. Parentis mei molitor in uno ſtabulo alebat *aſinos capras*q; ſuas, è quibus una hædulum cum capella enixa. Hæc *nigerrima* erat, *auribus* planè *aſininis*, quas robuſta armabant cornua. Cauda prolixa & *aſinina*: cetera matri ſuæ ſimilia. *Alex.)* *Monſtrũ caprinum.*

Bonâ fide mihi dixit *M. Henr.* Simmel/ Eccleſiaſtes Mihlanus, ſe nôſſe puerum *auribus aſininis* natum, & molitoris filium, quod vitium prægnans mater contraxerat. Et anno 1174. agnus in monte Jacobi natus eſt *auribus leporinis*. *Puer auribus aſininis. & agnus leporinis.*

XLVII. IMAGO CRUCIFIXI PECTORI IMPRESSA.

A C. MCLXXXVIII. Devotiſſima mulier, ubi ſtabat, ibat, ſedebat, vel cubabat, ibi imaginem crucifixi habebat appictam, ſeu adfixam, aut poſitam. Diû noctûque inter ubera ejus pendebat, ceu faſciculus Myrrhæ, ut Canticum ait, ut nun- *Imago crucifixi pectori impreſſa.*

quam non piis ſuſpiriis JESU crucifixi meminiſſet. Nunquam præteriit, aut adſpexit talem imaguncularn, niſi ut ad os & pectus premeret. Pariebat demum filium primogenitum, ipſi DEO in utero ſacratum, qui elegantiſſimam *JESU crucifixi imaginem* pectori habebat impreſſam, ſanguineis lineolis, vel potius arteriolis, artificioſiſſimè diſtinctam. *Alex.*)

Fidem huic hiſtoriæ facit vetus membrana, quæ ita:

Cunigunda de *Doerſtad*, JESU crucifixi ſemper memor, adeò ut etiam imaginem ejus in utero adhuc concluſo impreſſerit infanti. O bonum factum!

XLVIII. PICÆ AVIS MENSTRUA.

Picæ avis menſtrua.

A C. MCLXXXIX. Habuimus *picam* feminam, ſingulis menſibus in novilunio, ad duos vel tres dies, per inferiora ſanguinem, ſuô more, ſat copiosè excernentem, cæterà optimè ſanam. Cibis initiò adſcripſimus, at ab ipſa experientia meliora edocti vidimus, quàm mirabilis ſit Dominus in omni creatura ſua. *Alex.*)

& aliorum brutorum.

Menſtruam purgationem in *equabus*, *ſcrofis & ovibus* aliquando notavimus. Vidit ὁ χαριέστατος *Cortnummius* meus, Prof. olim Reg. in Equeſtri Danorum *Sorana*, Doctor optimè meritus, *pavonem* fœminam, quôvis menſe Lunâ decreſcente, *globulum* quendam, lentâ pituitâ qs. incruſtatum, egerentem, qui apertus nil niſi *innumeras* continebat *arenulas* deglutitas, & à provida Natura certô tempore prudenter expulſas.

XLIX. CARPIO ULCEROSUS.

Carpio ulceroſus.

A C. MCXC. In culina Comitis de *Wintzenborch*, propinqui mei, exenteratus *carpio* in ventre totus fuit *ulceroſus & puſtulis* plenus, quæ aciculâ apertæ fœdam ſpirabant mephitim. *Alex.*)

Gammarus leproſus.

I nunc, *Nonni*, & jacta perpetuam piſcium ſanitatem *L. III. de re cibar. c. 8.* Conf. quæ de *gammaro leproſo* habet *D. Bernitz Ann. II. Eph. Curioſ. noſtr. obſerv. 99. p. m. 174.*

L. HE-

L. HEPAR ANSERIS SILICEUM.

A C. MCXCI. Mactavit coquus noster *anserem* pro fratribus, & ecce totum ejus *epar*, præter omnium expectationem, planè fuit *siliceum*, (non lapideum,) ut etiam mallei percussiones elideret, colore subruffo. *Alex.*) *Hepar siliceum.*

De variis hepatis lapidibus varia collegit *Sachs. in epist. de miranda lapidum natura & Miscell. nostr. Curios. Ann. I. obs. 66.* tota verò ejus substantia in *silicem* conversa haud passim obveniet. Servo mihi adhuc *renem* perfectè *siliceum*, è cadavere Norwagi cujusdam excisum, aliquot uncias pendentem, & ab Excell. *D. D. Cortnummio*, Medico & Philosopho consummatissimo, liberaliter olim in Dania mihi datum. Hominem totum, mammas tenus, *siliceum* vide in *Muséo Wormiano L. I. sect. II. c. 13.* Conf. *Ann. I. Eph. Cur. obs. 27.* *Ren siliceus.* *Homo siliceus.*

LI. FEBRIS A VENÆSECTIONE SEMPER.

A C. MCXCII. Habemus quendam in familia nostra temperamenti maximè sanguinei, cui crebriorem Venæsectionem imperârunt Medici. At quoties obsequitur, inprimis vere & auctumno, toties alterô vel tertiô die postea certô certiùs incidit in *tertianam*. *Alex.*) *Febris à V. S.*

Utrum primâ alterâve statim vice subsecuta fuerit febris, reticet *Autor*. Ceterum ratio in promtu est, cur crebra V. S. homines *febri* aptiores reddat? Scilicet quia *sulphur* in massa sanguinea ita copiosiùs congeritur, *Sal* verò (quod ipsum frenare, & ab efferatione cohibere debet,) hàc ratione subducitur. Etenim sanguis, quò magis inveterascit, eò evadit *salsior*, Sale nimirum præ ceteris elementis minimè evaporante. Quò verò *Sale* magis abundat cruor, eò minus *sulphure*. Sal enim sulphur atterit, absumit & evaporare facit. Cùm itaque V. S. pristinus sanguis detrahitur, ejus vice alius opulentior, & *sulphure* imprægnatior substituitur, adeò ut evadat minùs *salsus*, & plus *sulphureus*. Vide subtiliss. *Willis. L. de febrib. c. IX. p. m. 166.* *Ratio.*

LII. MIRA LACTIS DIVERSITAS IN FÆMINA.

Mira lactis diversitas in fæmina.

A C. MCXCIII. Novi fæminam rusticam, cujus mira constitutio *lactis* in mammis. Si enim è *dextra* sugat infans optimè valet: si è *sinistra* verò, statim patitur insultus *epilepticos*. Suasit igitur mater mea, ut *dextræ* solummodò apponeretur infans. Rei tamen veritatem porrò indagatura, ipsa lac è *sinistra* mamma emulctum alii dedit infanti, & statim in eundem incidebat morbum. *Alex.*)

Conf. si placet, quæ notavit *Cl. Lyser. obs. XI. ad Th. Barthol. missa.*

LIII. CATTUS CUM PEDIBUS ANSERINIS,

Cattus cũ pedibus anserinis.

A C. MCXCIV. In vicino Monasterio natus est *cattus* pedibus planè *anserinis*, quem adhuc raritatis causâ servat Abbas. *Isibord.*)

Sic *cattum* pedibus *humanis* in agro Patavino natum anno 1629. refert Licet. Et anno 1474. in Germenia natus est infans manibus pedibusque *anserinis*. In Gallia ovum *anserinum* fractum exhibuit *humanum* caput, quod, locô capillorum & barbæ, *colla* habuit *anserina*, cum rostris & oculis. Figuram dabit *Schott. in Phys. Curios. L. V.* & longè monstrosiora exempla, ut alios hîc taceam.

LIV. MUS VENATUR MURES.

Mus venatur mures.

A C. MCXCV. habuimus *murem* in conventu adeò cicurem, ut aliquando cum fratribus colluderet. Id singulare & valde memorabile in eo, omnes alios in toto refectorio, quos poterat, cupidè venabatur instar *catti*. Occidebat autem saltem, non vorabat. *Alex.*)

Vide quæ de *lupo*, caulæ custode, aliorumque luporum animoso invasore habet *Schott. L. VIII. Phys. curios. c. 48. p. m. 904.* Adeò consuetudo potentior Naturâ!

LV, GRA-

LV. GRATA CICONIÆ PIETAS.

AC. MCXCVI. *Ciconia* è vicinia, ob incendium, cum conjuge è laribus pulsa, domicilium sibi eligit Corbiæ. Conatum ejus fratres juniores ultrò promovent, lignumque pro structura nidi largiter suppeditant. Circa auctumnum discessuri, Missam inter templum intrant Seniores, subsequentibus, quos eô pepererant annô, quatuor junioribus. Ibi coram altari è latere singulæ unô eôdemque consistentes pede, omnium oculos in se convertunt. Finitô sacrô, cùm nemo tributum suum peteret, Seniores cum junioribus *natû minimum* alis rostrisque ad sellam Abbatis quasi protrudunt. Quâ retentâ, templô exeunt, eâdemque nocte discedunt. *Alex.)* *Grata ciconiæ pietas.*

Conf. *Jonst. thaumat. nat. Class. VI. c. XV. p. m. 249. seqq. & C. Schott. Phys. Curios. L. IX. c. 26.*

LVI. MULIER EPILEPTICA IN PAROXYSMO PARIENS.

AC. MCXCVII. Sororis meæ villica in ipso paroxysmo *epileptico* peperit venustos *gemellos. Alex.)* *Mulier in paroxysmo epileptico pariens.*

Simile exemplum vid. *apud Tulp. I. obs. 10.*

LVII. CERASUS IN SALICE NATA.

AC. MCXCVIII. Stabat in pomario nostro ad muros annosa *salix*, nunc excisa, in qua elegans *cerasus* enata, cujus fructus summa cum voluptate decerpsêre fratres. *Alex.)* *Cerasus in salice.*

Sic *Theophrast. L. II. de caus. plant. c. 23.* memorat terebinthum in *olea* natam; *laurum* in platano & quercu *Licet. L. I. de monstr. c. 5.*

LVIII. OMINOSA GUICBOLDI ELECTIO.

Eôdem annô, quô *Guicboldus*, Abbas, qui mihi sacrum dedit habitum, præesse cœpit, tria valdè memorabilia acciderunt, fausti regiminis omina. (I.) *Ovis* ad ostium templi peperit agnum. (II.) *Canis* in sacello S. *Gertrudis septem* peperit catulos. (III.) *Gallina* in ipso limine Ecclesiæ pullos exclusit XII. *Alex.)* *Ominosa Guicboldi electio.*

Explicatio. Aliâ manû hæc in margine erant ſcripta. *Ovis* denotat incrementum gregis religioſi. O utinam omnes eſſemus *oves* mancipatæ *agno!* Deus faxit! *Canis* peperit VII. catulos, numero ſacro. Fiamus omnes *catuli* latrantes pro Deo & Eccleſia. Væ enim mutis! *Gallina* XII. excluſit pullos. *Tot* erant Apoſtoli. *Tot* fontes in Helim *Exod.* XV. 22. *tot* gemmæ pretioſæ in veſte ſacerdotali *Exod.* XXXIX. 14 *tot* Præfecti Salomonis *1. Reg. IV. 7.* *tot* portæ Hieroſolymæ cœleſtis. *Ap.* XXI. 12. O ſimus & nos tales, ſi non omnes, ſaltem XII. ut Saxonia habeat *ZODIACUM CHRISTIANUM*: Næ, divina providentia non minùs ethnicis, quàm Chriſtianis, interdum memorabilia obtinendi, amittendi aut infeliciter & feliciter etiam adminiſtrandi imperii omina monſtrat, quorum catalogum dabit Cl. *Bernegger. obſ. hiſt. polit. 10.* Adde sîs *Phil. Carol. animadverſ. in Q. Curt. n. 2. & Richter. axiom. polit. 18.*

LIX. MONSTRA MARINA IN VISURGI CAPTA.

Monſtra marina in Viſurgi capta. INtra *Corbiam* & *Hemelen* capta ſunt monſtra marina, quæ omni populo incuſſerunt terrorem; *cete* ſc. & *canes marini*, unà cum inſolito & grandi piſce. *Alex.)*

Equidem ex Oceano in *Viſurgim* delabi potuiſſe *catulos marinos*, Junioresque *balænas,* aut alias ponti incolas, captis, fugatis ſeu occiſis, parentibus, ecquis negabit? Sed quòd miraculum inde cudat *Juſt. ab Hoxar,* U. J. L. & Cancellar. olim Corbeienſ., magnum profectò puerilis ignorantiæ ſpecimen eſt.

LX. GALLUS QUADRUPES.

Gallus quadrupes. AC. MCXCIX. Vidi Coloniæ in monaſterio ordinis noſtri nigerrimum *gallum*, quatuor pedibus animosè gradientem. *Alex.)*

Similia exempla pete ex *Licet. L. I. de monſtr. c. 4. & Lycoſthen. de prodig. ac oſtent.*, *ac Jul. obſeq. de prodig. p. 80.*

LXI. MO-

LXI. MOTACILLA SINE GUTTURE INF:

A C. MCXCIX. Ceperunt Fratres noſtri juniores *motacillam*, quæ excrementa ſua quotidie per *os* rejecit, cùm via ordinaria à Natura penitus occluſa eſſet, optimè tamen valuit. *Alex.)* *Motacilla ſine gutture inferiori.*

Contrà *Lycoſthen. de prodig. & oſtent. p. 610.* depinxit *columbam quadrupedem*, cum *duplici* excrementorum exitu.

LXII. PSITTACI ASTUTIA.

A C. MCC. Alebat Abbas noſter aſtutiſſimum *pſittacum*, & ad mira quævis ingenioſè eruditum. Singulis matutinis, juſſû domini ſui, diſtinctè promtèque recitabat *Pater noſter &c.* cum annexo: *Gloria Patri &c.* Si quando fratres juniores, Muſices noſtræ, nondum ſatis gnari, in decantandis pſalmis fortè errarent, ſtatim animadvertebat iſte nequam, & inclinato capite, roſtroque ad pectus preſsô, altâ voce cantabat: *O mea culpa! mea maxima culpa!* Cùm verò, agnitô errore, rectà procederent, tunc iſte cum cachinno; *Deo gratias!* Prælatus in vicinia aliquando in Conventu volebat, ut recitaret *Pater noſter.* Sed cùm non nôſſet bonum virum, parere noluit, aliàs domino ſuo obſequentiſſimus. Interim Abbas iſte ſemper præibat, dicens: *Pater noſter;* &, cùm adhuc repugnaret, repetens verba iſta, ſubdidit: ey bete du Schelm! Tunc avis clarâ voce: *Qui ES.* Proh! quantus inde cachinnus. Intererat Miſſæ nobilis, at faſtuoſa, mulier, quam cùm videret, capiti ejus inſedit, faciens opus Naturæ, & clamans: *PULVIS & UMBRA SUMUS!* *Alex.)* *Pſittaci aſtutia.*

De alio, *Symbolum* qui recitabat *Apoſtolicum*, & ad interrogata reſpondit, vid. *Drexel. P.II. Aurifod. c. 6. p. m. 173. Jonſton. Thaumat. nat. Cl. VI. c. 36. Londini* aliquis in Tamaſin lâpſus, *cymbam, cymbam*, clamabat, *pro 20. libris.* Poſtea reſpondebat redemptori ſuo: *date nebuloni ſolidum. J. Henr. Seyfried. in medull. Memorabil. Nat. L. II. c. 4. p. 625.* *Et alius.*

LXIII. FOEMINA PEPERIT CANCRUM.

Cancer ex fœmina. AC. MCCII. Fœmina, partui vicina, ex horto ſuo domum reditura, ad rivulum fortè conſidet, nudis pedibus limpidæ aquæ immerſis. Ita incidit in ſomnum. Interim *cancer* (non tamen adeò magnus) fortè arreptans, ipsâ planè inſciâ, ad *uterum* usque pertingit. Excitata demum ad ſuos revertitur. Alterô die *acutos* uteri dolores ſentit, quos mulierculæ à *partu* vicino, Medici verò ab *aquæ frigore* deducebant. Sequente ſeptimanâ parit venuſtam ſanamque filiam, tandem, maximis cum doloribus, verum *vivumq; cancrum*, ut à teſtibus habeo oculatis. *Alex.*)

Conf. Scholion Eruditiſſimi *Sachs. ad obſ. 109. T.I. Eph. Curioſ.*

LXIV. RANÆ CUM MENSIBUS EXCRETÆ.

Ranæ cum menſibus excretæ. AC. MCCIII. Puella XVI. annorum, de *doloribus uteri* diu queſta, tandem, unà cum menſibus, XI. minutiſſimos *ranunculos* rejecit, omni dolore ceſſante. *Alex.*)

Menſes verminoſi. Sic *Panarol. Pent. IV. obſ. 12.* narrat: fœminam quandam quolibet menſe, ſine ullô dolore, quàmplurimos *vermes*, locô menſium, excreviſſe.

LXV. PASSER ALBUS.

Paſſer albus. AC. MCCIV. Vidi apud Comitem *Homburgicum*, ſummæ raritatis causâ, *paſſerem* verè *niveum*, qui eum ab Hebræo emerat tribus ſcutatis. *Alex.*)

Et corvi. Conf. de *corvis* verè *albis* in Wetteravia captis D. *Witzelii*, Reip. Francf. Phyſ. ord. *obſ. 57. in T.III. Eph. Curioſ. p.m. 94.* & de *aquila alba T.IV. Eph. obſ. 59.*

LXVI. VERBENA IN CALVARIA.

Verbena in calvaria. AC. MCCIV. Vidi elegantiſſimam *verbenam* cum flore in abjecta Calvaria natam. *Alex.*)

Conf. quæ D. *Bernitz* habet *Ann. II. Eph. Curioſ. Germ. noſtr. obſ. 53.*

DEO GRATIAS!

HISTO-

HISTORIÆ LITERARIÆ

S. R. I.

ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM

CONTINUATIO II.

AUTHORE

MICH. BERNHARDO VALENTINI,
Med. Licent. & Acad. Germ. Cur.
Collegæ.

NORIMBERGÆ,
ANNO M DC LXXXVI.

JOH. LAURENTII BAUSCHII,

Med. Doct. & Reip. Swinf. Physic. Ordin.

SCHEDIASMA
de
Lapide Hæmatite & Schiſtô,

ad modum & mentem Acad. N. C. Lipſiæ 1665.

PRo continuandâ nuper cœptâ Hiſtoriâ Literariâ, addo jam ea, quæ primò omnium recenſenda erant, curioſa ſc. Beatiſſimi Dn. BAUSCHII, Primi Acad. Noſtræ & Præſidis, Scripta, quæ inter agmen meritò ducit curatiſſima Lapidis Hæmatitæ Hiſtoria, in quâ mirare mecum indefeſſam atque variam Illuſtris Viri lectionem, quæ vel ex ſolô *Prœmiô* Tractatui huic præfixo colligi poterat: Bipartitum autem eſt: Primùm enim conquiſitis ex optimæ notæ Scriptoribus exemplis, tragicos eorum caſus enumerat, qui omnis generis *hæmorrhagiis* perierunt. Abhinc arduam omninò & perquam difficilem *de Lethalitate vulnerum* doctrinam expedivit, ut quas alii hunc in finem annotârunt Obſervationes, hìc in compendiô ferè conſpici poſſint. Quod verò ipſam tractationem concernit, præmiſſâ *nominis* evolutione, *generationem* hæmatitæ docet & ex ramentis rubricæ per calorem in lapidis conſiſtentiam induratis provenire credit. Quoad verò *locum natalem* notatu forte dignum eſt, quod ferrifodinas maximè amet & cum ♂ inſignem affinitatem habeat; inde enim eſt, quòd inſtar magnetis ferrum ſæpiuſculè attrahere dicatur. *Differentiæ* ejus variæ ſunt, ratione ſc. *figuræ, coloris* & *conſiſtentiæ*, ſicut fusè oſtendit. *Vires* autem *adſtrictivas* & *exſiccativas* illi tribuit; hinc in omnis generis hæmorrhagiis, hæmoptyſi, mictione

cruentâ &c. Sacra vulgò anchora eſt,, intus & extus adhibitus. *Traumaticum* pariter remedium conſtituit in phthiſi, vulneribus ulceribusque extremis: Quin ubicunque adſtrictione quâdam opus eſt, egregiè ſeſe gerit. Multæ tamen *virtutes fabuloſæ* huic pariter lapidi adſcribuntur, quas fusè ridet Author. In *mechanicis* Aurifabris quoque inſervire ſolet. Cùm verò à Matthiolô olim dubitatum fuerit, an vulgaris officinarum hæmatites idem ſit cum hæmatite Dioſcoridis, hinc eum *eligere* docet, qui frangibilis æquè ac friabilis ſit, æqualis duritiei, coloris ſanguinei & ab omnibus ſordibus liberi. Variæ poſtmodùm hujus *præparationes* in officinis inſtituuntur, frequentiſſimè tamen in formâ *pulveris* præſcribi ſolet.

Inter *ſuccedanea* ejus *Schiſtum lapidem* extollit, qui hæmatitæ quædam ſpecies eſt & tantam invicem ſimilitudinem habent, ùt Schiſtum frequentius, quàm verum hæmatiten nobis offerri credat, utut formâ multùm, variet, ut adjectæ *tabulæ æneæ* demonſtrant. Hinc hujus pariter *differentias* atque *vires* tradit, queîs cum hæmatite ferè colludit. Tandem & alios eosque *Spurios hæmatitas* addit, non tantùm *naturales*, ſed & *artificiales*, quorum deſcriptiones tum ex Authore, tum *Ephemeridum Noſtrar. Dec. I.* haurire poterunt.

De

Lapide Aëtite

SCHEDIASMA,

ad modum & mentem Acad. Nat. Cur. congeſtum

à

JOH. LAURENTIO BAUSCHIO,

Med. Doct. & Phyſ. Svvinf. Ordin.

Lipſiæ Anno 1665.

SCriptum hoc priori junctum eſt, & eadem fere methodô elaboratum, in cujus *Proœmiô* varia muliercularum infortunia

nia, aut ex abortu aut præternaturali vel difficili partu illis ſubnata recenſet; queis *Aëtites* aliâs mederi dicitur. Lapis hic aquilæ ferè *nomen* debet, quòd in ejusdem nido vulgò reperiri dicatur, quod tamen ut prorſus fabuloſum ridet Author Venerabilis, & in fluminibus, ripis, agris atque montibus colligi refert: Unde ſterilis eſt diſceptatio, an in aquilarum nidis vel corporibus generetur, an verò ab iis eò deportetur, utrumque enim falſum; hinc convenientius adhibentur alia ejus nomina ab Authore addita.

Species ejus pro varietate contentorum variant admodum: Vel enim calculis, terrâ, arenâ, vel aqua prægnans eſt, unde varias ſortitur denominationes, quatenus cruſta illa lapidoſa circa aliam vel aliam materiam concreſcit, id quod *modum generationis* abſolvit. Sunt tamen & aliæ *differentiæ à loco natali, colore, odore, magnitudine & figura* deſumtæ, ut ex adjectis *iconibus* videre eſt. Quod verò *vires* ejus attinet, multa illi tribuuntur, quæ & naturæ & Medicinæ limites ſuperare videntur. Præcipua ejus vis eſt, quòd pro diverſô applicandi modô & abortum præcaveat & partum promoveat, quod contra alios & authoritatibus & experimentis confirmat, cum hâc tamen diſtinctione, ut non cuivis partus difficultati præternaturali, ſed naturali (nec hujus tamen cauſis ſingulis) opitulari credat; ſicut abortum pariter à cauſa violentâ neutiquam præcavere ſoleat. Alias ejusdem virtutes, ut & *vires fabuloſas* ſuis Authoribus relinquit, tandemque *coronidis & Appendicis* loco aliis lapidibus gravidis concludit, utut ſub cenſum aëtitarum nullibi cadant, quos inter & ſaxa illa calcaria refert, quorum ager Suinfurtenſis æque ac thermæ Malliacæ fertiles ſunt, quibus minores quidam lapilli ex una parte convexi ſunt incluſi; vulgò *bufonum lapides*, die Krötenſtein / audire ſolent, quos (neſcio in quem finem) auro circundare & de collo ſuſpendere ſolent. Quin & viva ſæpè animalcula, ranas, bufones, ſerpentes, &c. in lapidum meditullio reperiri plurimis experimentis oſtendit.

De Unicornu Fossili

Ad normam & formam Acad. Nat. Cur.

SCHEDIASMA

JOH. LAURENTII BAUSCHII,
Med. Doct. & Phys. Svvinf.

TRactatus hic curiosæ Dn. D. FEHRII Scorzoneræ adjectus est, ubi præmissis variis *nominibus* hujus unicornu, *materiam* & *modum generationis* inquirit, quam margam quandam, bolum vel succum lapidescentem esse credit, qui intercedente motu in terræ visceribus, conceptô atque variâ matricis sive loci conditione, vel ipsius etiam naturæ lusu in cornuum, dentium &c. formas abeat & coaguletur. Unde jam patet, quid de eorum opinione sit sentiendum, qui cornua hæc, aut monocerotum cornua aut dentes elephantinos, diluvii tempore terrâ obrutos & qs. calcinatos esse statuunt. Illud verò haud impossibile esse credit, quòd lacteus hujusmodi liquor, ex margâ lignorum cornuum vel dentium porulis se insinuans, hæc in lapides successive indurare possit.

Abhinc *diversitatem* animale inter atque minerale unicornu occurrentem tradit, quæ à *colore*, *odore*, *sapore*, *consistentiâ* aliisque proprietatibus hauriri facilè potest. *Locum* verò *natalem* diversa Germaniæ æque ac Italiæ loca esse variis exemplis & historiis comprobat. *Vires* quod concernit, pares illi ac terræ cuidam sigillatæ ascribit, præcipitantes scilicet, diaphoreticas & alexipharmacas. Quod verò à vulgo tot eæque stupendæ prorsus facultates illi tribuantur & auro contra pretiosius æstimetur, id ex præconceptâ ferè opinione de Unicornu verô provenire credit, quod ipsum tamen tantas adversus venena vires neutiquam habere ex Clariss. Medicorum testimoniis adstruit. Multi interea in epilepsiâ, febribus malignis,

gnis, variolis, diarrhœis &c. *usus* esse non inficiari potest. *Modum utendi* in *præparatô* potissimum esse subjungit, utut ex eôdem pariter ac terrâ quâdam sigillata *Spiritum* quoque per destill. elici posse nullus dubitet. Quin & variis illud *compositionibus* admisceri solet, quas inter elegantes imprimis sunt *globuli bezoardici* à Dn. Authore in febb. malignis & variolis expertissimi:

℞ Unicornu mineral.
Terr. Sigill. alb.
CC. Philos. calc. aa. ℥iij.
Antimon. diaph. ℥j. Terantur subtil. & cum mucilag. Tragac. alb. c. aq. Scord. vel Scorzon. fact. F. Globuli in form. Terræ Sigill. Turcicæ Dos. ℈j. ad ℈ij.

SCHEDIASMA POSTHUMUM
De
Cœruleô & Chrysocolla,

AUTHORE
D. JOH. LAURENTIO BAUSCHIO,
Physicô Svvinf. Ord. & Acad. Nat. Cur. PRÆSIDE benè meritô.

Jenæ 1668.

DUobus hoc membris absolvitur: Prius eleganti *Proœmiô Melancholicô-Historiologicô* est instructum, in quô collectis undique exemplis varia Melancholicorum deliria recenset: Et cum in affectuum horum curatione cœruleum specificè conveniat, non potest non in ejus heîc naturam curatiùs inquirere: Quandoquidem verò cœruleum nativum, lapis Armenus & Lazuli ab aliis prorsus confunduntur, hinc eorum *differentias* docet, à *Patriâ, colore, sapore* &c. petendas. Sic quod ex Armeniâ olim adferebatur cœruleum, *lapis Armenus* dicebatur,

cum

cum terrâ tamen seu bolo Armenô neutiquam confundendus. Ubi verò cœruleum aureis quasi punctulis est distinctum, *lapis Lazuli* audire solet. Jam verò *modum generationis* quod concernit, lapides hosce tum generari putat, si quando humor quidam acidus sive salsus materiam fortè metallicam corroserit, auream v. g. vel argenteam, quæ à calore demum subterraneô, in lapidis duritiem excoquatur. Non negat interim eandem sive per sublimationem lapidibus, sive per præparationem sabulo & arenæ adhærendo lapides hosce producere posse. Instituto postmodum *delectu* varias ejus & *præparationes* & *compositiones* annectit, una cum *viribus*, ubi præter qualitates calido-siccas, *externè* vis potissimum *caustica* illi tribuitur, quæ tamen non tam lapidi crudo, quàm ustione prius calcinato attribui potest. *Internè* atram bilem purgare dicitur, in affectibus melancholicis, inde vulgò deductis, melanchol. maniâ, epilepsia. Quin & cordialibus annumerant, quô fine celebrem alkermes confectionem ingreditur. De *usu* tandem *mechanicô* res est in vadô; unde ad alterum

De Chrysocollâ

MEmbrum nos convertimus, quod cum pari ferè methodo absolvatur, parciùs heîc attingemus. Duplex verò est *Chrysocolla*, *nativa* & *factitia*. Illa propriè hoc venit nomine & *viribus* ferè cum superioribus cœrulei speciebus colludit: Hæc verò *borrax Officinarum* dicitur & ex Nitro, Sale Armon. & Urina Venetiis copiosè coquitur, eximii *usus* in rebus aphrodisiasticis & cosmeticis. Quin in ciendis menstruis, partu, lochiis &c. ferè ultimum est refugium. De *usu mechanicô* Pictores & Aurifabri loquantur. *De valore* Taxæ.

Anchora

Anchora Sacra vel Scorzonera

Ad normam & formam Acad. Nat. Curiof. elaborata

à

JOH. MICH. FEHR D.

Jenæ 1666.

ABſolutis ita B. Dn. D. BAUSCHII penſis ea jam ſubjungimus, quæ ab *Illuſtri Noſtro Argonauta* D. D. FEHRIO hactenus expedita ſunt; qui & Dignitate & Eruditione Anteceſſoris ſui veſtigia legens, bina Nobis eaque Curioſiſſima ſcripta concredidit, *de Scorzonera* unum, alterum *de Abſinthiô*. Hoc cum jam ad manus non ſit, alibi forte recenſebimus. Illi verò eruditam *ad Lectorem Præfationem* præmiſit, in quâ non tantùm miratur, quòd ſaluberrima *Scorzonera* tot retro ſeculis in obſcurô latuerit, ſed &, quòd à Dioſcoridis ævô nemo ferè ſe obtulerit, qui pari vel fervore vel ſtudiô Studium proſecutus ſit Botanicum, adeò q. ut non ſine cauſa Scholis objecerit olim HELMONTIUS, bis mille fere annos nequicquam luminis in rem herbariam allatum eſſe, dum maxima Botanicorum pars formam ſaltem admirantur & varia corradunt nomina, prætereaque nihil. Eorum ex adversô conatum ſummoperè dilaudat, qui cum ad TRAGI & Diſcipuli ejus TABERNÆMONTANI imitationem uſum herbarum Practicum pariter indagare eundemque Materiæ Medicæ applicare ſtudent; quo fine & hanc Scorzoneræ hiſtoriam tradidit. Antequam autem ad pleniorem ejus evolutionem dilabatur, *prodromi* loco prolixum vegetabilium numerum addit, quorum Germania Noſtra ac ager ſpeciatim Swinfurtenſis fertilis eſt, quæ inter & quædam tragopogi Species reperitur, *Scorzonera* à ſerpente Scorzo dicta, cujus morſui mederi dicitur. Addita ergò *deſcriptione*, diverſas ejus *Species* recenſet latifolias ſc. & anguſtifolias, ſubnexis elegantiſſimis *figuris* adul-

tam æquè Scorzoneram ac in primâ adhuc herbâ pullulantem exprimentibus, cùm utriusque cognitionem Medico necessariam omninò esse peculiari *quæstione* doceat. Abhinc *locum natalem* considerat, qui certæ cuidam Regioni adscribi nequit, cùm non Italiam modò, Galliam aut Hispaniam, sed &, quod suprà dictum, Germaniam pariter pro Patriâ agnoscat: Quin & in utrâque India quædam ejus vestigia reperiuntur, ut ex Itinerariis constat. Quod verò *Vires* attinet, ex primis, ut audiunt, qualitatibus caliditatem, atque siccitatem ei quidem cum aliis non denegat, *facultatem* tamen *alexiteriam* ab altiori, eoque occulto ferè principiô derivare amat, quâ latifoliam Hispanicam f. Germanicam majorem excellere dicit, justô q. tempore collectam; Ita enim ratione Salis Volatilis omnis quoque generis *obstructionibus* mederi, quin & viscera nobiliora cor, cerebrum & alia singulariter *corroborare* solet.

Nec *externè* in fistulis & ulceribus putridis penitus rejicula est. Hunc in finem variæ formæ *præparationes* atque *compositiones* inde parandas addit earumque *usum* & *culinarem* & *Medicum*, in *affectibus* præprimis *malignis* tam *cum febre* affligentibus, ut feb. petech. Ung. Peste, variolis morbillis aliisque exanthematibus, quàm *sine febre*, ut: Convulf. Epil. Melancholia, Gangræna &c. Tandem occasione Serpentis Scorzo *parecbasi* quâdam de venenis eorumque antidotis, ut & aliis *quæstionibus* curiosis concludit.

HISTORIA

HISTORIA MOSCHI

Ad

Normam Acad. Nat. Curiof. confcripta

à

LUCA SCHRÖCKIO LUC. F.

Med. D. & Phyf. Aug. S. R J. Acad. N. C.
Adjuncto d. Celsô.
Auguft. Vindel. Anno 1682.

QUàm in Cathedrâ olim Academicâ Jenenfi, tanquam in Synopfi dederat Mofchi Hiftoriam, hanc loco Penfi Curiofi jam locupletatam magis offert Celeberrimus Author & eleganti carmine Reverendiffimo atque Eminentiffimo Academiæ Noftræ Protectori confecrat. *In primô* verò *Tractationis limine* ea ftatim præoccupat, quæ Alii fortè circa Mofchi noftri ufum objicere poterant, quod aut Vetuftiffimis Artis Medicæ Scriptoribus fit incognitus, peregrinus, pretiofus nimis, adulteratus, aut alio quovis modo rejiculus. Quibus cum *Philologicâ nominis evolutione* expeditis, *originem* ejus & *materiam* inquirit, & recenfitis variis variorum opinionibus tandem duplicem ejus ortum effe concludit, unum *naturalem*, alterum magis *artificialem:* Illic in peculiari folliculô, ad animalis mofchiferi umbilicum locato generari, & ut ingeniosè fufpicatur, per glandulas quasdam minutiffimas fub humoris excrementitii formâ fecerni putat, qui cum folliculo fuo, non tam fpontaneâ animalis affrictione, quàm manuali hominum encheirefi refecto, fub mofchi nomine nobis innotefcat. Negare interim prorfus non audet, & aliis eundem modis, adulterinis magis, artificio parari poffe, ex fanguine nimirum, per crebras bruti fuftigationes extravafato; tefti-

bus item, renibus, imò tota animalis ſubſtantiâ minutiſſimè contuſa & verò Moſchô folliculario impraegnatâ, ut ab Indicarum Rerum Scriptoribus annotatae encheireſes & hiſtoriae referunt. Quoad *animal* illud *moſchiferum*, collatis invicem aliorum deſcriptionibus, ex propriâ autopſiâ illud ex capreolorum genere eſſe probat; hinc non ſine inſigni c. Zibethico animali confuſione catum moſchatum alii vocarunt die Biesſem-Katze. Utut non unum modò, ſed duplex animalis hujus moſchiferi genus eſſe credat. Verùm interim *Capreolum moſchiferum* cutè variegatâ, capite lupinô, duobus ex ore terram verſus protenſis dentibus & infra umbilicũ folliculô quodam inſtructum eſſe depingit. Sicut non minus accuratam *folliculi* iſtius *anatomiam* inſtituit, qui extus piloſus, magnitudine ſuâ ovum gallinaceum adaequat & in cavitate ſua nuciſtam facile continere valet, non tam carnoſae quam membranaceae ſubſtantiae, ductu peculiari, orificio ſuo & muſculo ſphinctere munito gaudens, ne prodigè profundatur moſchus inibi contentus. In interiore verò ſuperficie adhuc ſpecialem habet pelliculam moſchum cingentem, in qua praeter vaſa ſanguifera circa meatus moſchiferi orificium complures glandulas, ad moſchi procul dubio ſecretionem facientes reperit, in quas pilorum, orificium illud cingentium, radices implantantur, quas cavitate ſatis pervias eſſe obſervavit, & unà cum climatis folliculi figuris ob oculos ponit. *Patriam* autem animalis hujus Tartariam, Chinam atque Indiam eſſe probat. Quae verò alii de moſcho Perſico, Syriaco & Americano referunt, ſubleſtae ferè fidei ſunt. Multò minùs in Europaeis regionibus illud reperiri credit, niſi fortè aliunde deportatum in Magnatum Aulis aleretur, ubi tamen aut de vita aut moſchi bonitate periclitatur. Quandoquidem verò plurimis à Dn. Authore detectis fraudibus *adulterari* ſolet, de *electione* ejus etiam eſt ſollicitus; ubi primatum ſemper folliculario illi, humanâ ope exemto tribuit, non tamen rejectis penitus aliis, ex ſanguine, renibus

bus vel teſtibus paratis maſſis, modò fragrantiâ nativâ, comi-
nus gravi, eminus verò ſuavi ſe commendent, cui magna hoc in paſſu fides aſcribenda, eoque major, ſi reliqua quoque ſigna, integritas ſc. folliculi, amaror &c. conſpirent, quæ ſenſim ſumta non ſufficiunt, quicquid m. alii de hæmorrhagiâ narium, colore &c. proferant. Quo ad *qualitates* ejus, in eorum ſententiâ acquieſcit, qui calidum & ſiccum pronunciant, cum volatilis admodum & tenuium ſit partium, unde vis attenuans & diſſolvens. Adſtrictiva nulla eſt. In *odore* moſchi explicandô miſſis qualitatibus intentionalibus, Recentiorum DYGBÆI, BOYLEI, HELMONTII &c. ſententiæ favet, qui per effluvia ejus & miaſmata ſalino-volatili-oleoſa, quæ ad CARTESIANORUM mentem particulis ſuis & moleculis flexibilibus odoratûs, organon blandè titillare valeant, rem explicare amant, in quibus vis ejus & ἐνέργεια conſiſtit; Unde ne hujus diſpendium ferat, curatam ejus *aſſervationem* ſuadet, ut folliculo ſuo contectus pyxidi aut vitreæ aut metallicæ indatur. Antequam autem ipſas moſchi virtutes explicandas ſuſcipiat, de *incommodis* ejus primùm cavere jubet, dum ob ſummam, quâ fervet, caliditatem, tenerioris texturæ hominibus cephalalgiam, vertiginem epilepſiam, ſuffocationem & ſexcenta alia creare poteſt. Curioſum eſt, quod in Pictore ſuo Auguſtano, cui folliculos moſchiferos, aqua licet maceratos delineandos tradiderat, obſervavit Author, qui ad primam ejus perceptionem immani capitis dolore, mox lypothymia correptus, cœptum ferè opus derelinquere coactus fuit. Aliis hæmorrhagias excitat, ob ſummam ſanguinis reſolutionem & incaleſcentiam à moſchô cauſatam. Hinc pro curandis hiſce ſymptomatis, temperata, oleoſa, fœtida & quæ narcoſi quadam gaudent, adhibere jubet. Inter *virtutes* è contra *alexipharmacam* primò tradit, non quod omnibus in genere venenis adverſetur, ſed quod ea præprimis, quæ ſpiritus C. H. ſtupore quodam & narcoſi afficere ſolent, validè retundat,

 qualia

qualia ſunt: Napellus, coriandrum, juglans arbor, felis cerebrum &c. Sed an & peſtiferæ malignitati reſiſtat, quæreres? Cautus hic omninò eſt Author Nobiliſſ. & ut pro naturarum & ſymptomatum ratione non planè rejicit, ita aliis experientia ſtatuminatis alexipharmacis anteferre non ſuſtinet: Quin verendum ferè eſt, ne M. S. nimis rarefaciendo malum augeat. Magis E. ob ſummam *confortandi vim* expetendus, quam à ſalis vol. animali, ſpiritibus noſtris analogo haud ineptè deducunt. Quâ ratione & *Cephalicis* annumerandus, cùm tam in genere quibusvis affectibus nervinis, quàm in ſpeciè cephalalgiæ, catarrhis, memoriæ deperditæ, fatuitati &c. opituletur. An & maniæ atque phreniditi conducat, dubitat Author, ob ſummam affectuum horum fervorem. Imprimis verò ſoporoſos diſcutit affectus, lethargum ſc. carum, comata &c. Apoplexiam it. paralyſin & epilepſiam. Sic ſenſuum externorum organis pariter appropriatum eſt remedium, cum & in collyriis pro *oculorum affectibus* applicetur, & in *aurium* vitiis præter alia inde parata communiſſimum è bombace moſchata petatur euporiſton. In *narium* quoque *&* *oris affectibus*, fœtore præprimis, mirè juvat. Rarum eſt, quod ex relatione Celeb. Dn. WEDELII obtinuit Author Noſter, quòd Gregorius quidam Belga odontalgiam per aquam moſchatam auri lateris affecti infuſam ſæpiſſimè curaverit. Ratio ex Anatomicis non ignota. Sed nec inferiores C. H. regiones moſcho defraudandæ ſunt, cum & *vires* ſuas *pectorales* habeat, in aſthmate præprimis atque tuſſi. Moſcho verò quid *cordialius* eſt, inquit laudatus modò WEDELIUS. Unde in omnibus, qui cordi vulgò aſcribuntur, morbis, lipothymiâ, ſyncope, palpitatione, aſphyxia, divinum eſt remedium Imò *hepaticis* quoque & *ſpleneticis* ſæpe non inconvenienter addendum ſuadet moſchum.

Stomacho aliàs favere in modum, nullum ampliùs eſt dubium, in ſenibus præprimis atq; pueris, cardialgiâ, nauſeâ & flatibus vexatis, magis verò in bulimo, lipothymiis crebris comitato, quas

to, quas validè retundit. Quantùm & in *colicis* valeat *cruciatibus*, etiam veteribus incognitũ non fuit, & quatenus balſamica ſua fragrantiâ verminantem putredinem aufert, *anthelminticis* quoq; accenſeri ſolet: Nec *utero* proſus inimicum eſt. Utut enim plures, odorem ejus ferre nequeant absq; ſummô paſſionis hyſtericæ cruciatu, ſunt tamen aliæ, quæ moſchi odore, juvari fœtidis è contra peſſimè affligi ſolent, exempla proſtant in Authore. Ut taceam *Sterilitati* ſpecificè convenire, ſicut & in Viris aphrodiſiacum eſt. Hinc pro naturarum & ſubjectorum varietate internè pariter ac externè applicari poſſe, nihil impedit, cùm ut toto ſyſtemati nervoſo, ita uteri pariter ſubſtantiæ ſæpè ſit ſolatio. Quò nomine & *arthriticis* in uſum cedit, acidum furioſum ſale ſuo volatili ſubvertendo.

Tandem & illi, qui Thaidis inſtar hircum olent, & *alarum, inguinum aut aliorum membrorum fœtore* laborant, certùm in moſcho refugium habent, ut cum minori, tùm ſui, tum aliorum tædiô vivere nec à conjugibus ſuis divortium pertimeſcere neceſſum habeant, ſicut notabilem prorſus hiſtoriam enarrat AMMANN in Medicina Criticâ. *Doſin* interim ejus non granulis, ſed granula doſibus dimetiri, h. e. parcè nec prodigè adminiſtrare jubet ut ægri tùm facultatibus, tùm ſanitati magis conſulatur. *Forma* remediorum inde deſumptorum varia eſt. *E liquidis* aquæ ſeu liquores moſchati excellunt, ſive jam per deſtillationẽ ſive macerationem ? cum moſcho parentur, perinde eſt. Huc ſpiritus vini moſchatus pertinet, & quem in corroboramentũ cordis magni æſtimant, ſpir. roſarum ambratus. Olea autem aliorum moſchata nullius ferè pretii ſunt. Nec operoſas ejus eſſentias, Q. E. tincturas &c. magni æſtimat, quin aut in ſubſtantiâ, aut ſimplici ſolutione filtrationeque potiùs eundem exhibere ſuadet; niſi fortè elixir vitæ M. adhuc eligere velis. *In formâ ſiccâ* verò hodiè pulveres imprimis atq; ſpecies eô, condiuntur, ut ſpec. diambræ, diamoſch. dulc. Porrò globulis, morſulis, rotulis quoq; additur. Sic & pulv. de Cypro, ſternu-

ſternutat. Trochiſc. Sapones & alia inde proſtant. In avicu-lis verò Cypriis, ſeu candelis fumalibus moſchum rectiùs omitti cenſet, cùm ſub aduſtione fœtorem potiùs quàm odorem ſpiret. *Medicè conſiſtentia medicamina* moſcho inſignita duo adhuc decantatiſſima ſunt unum internum, confectio alkermes; alterum externum, balſ. puta apoplect. Ubi elegantem in ſpecie D. D. WEDELII deſcriptionem addit, quàm è Polychreſtis ſuis Authori Noſtro, communicaverat. Abſolutis ita Medicis, nunc *ſacrum moſchi uſum* inſimul addit, dum non Antiqui modo, ſed & noſtræ ætatis Chriſtiani devotionem ſuam incenſis ſæpè ſuffumigiis, moſchum redolentibus, demonſtrant, utut cordis infucati & contriti fragrantiam ferè præferat; In hoc enim Chriſto bonus odor ſumus. *In Politicis* æquè donarii loco ab Exterorum Legatis offerri Magnatibus non ignotum eſt. Sic & in Principum *Oeconomia* culinæ ſæpè moſchum ſapiunt, imprimis apud Exteros. Muhametanis certè prodigum ciborum condimentum eſt. Itali pariter non modò embammata ſua moſchô condiunt, ut in moſtarda Venetiana videre eſt; ſed & potum eò ſæpè inficiunt. Hinc tanti æſtimare ſolent illud aquæ vitæ genus, quod Roſſolino vocant, alibi verò Ros ſolis dicitur, quod vel extimis labris deguſtatum moſchum prodit. *Uſus* tandem *Coſmeticus* eſt notiſſimus, cui Vir Excell. *Emblematicum* & *res varias*, tam naturales ex triplici regno petitas, quàm artificiales *moſchum odore æmulantes* per coronide adjicit, quæ cum aliis à Curioso Lectore in ipſo Authore legi merentur.

SALA-

SALAMANDROLOGIA,

Hoc est:

Descriptio Historico-Philosophico-Medica SALAMANDRÆ, quæ vulgò in igne vivere creditur, S. R. I. Academiæ Nat. Cur. exhibita opera atque studio

JOH. PAULI WURFFBAINII, D. Med. Norimb. Ordin. &. S. R. I. Acad. N. C. Colleg. HERMET. II. dicti. Norimbergæ Anno 1683.

AUthor Nobilissimus occasione Disputationis AltorphI, olim ab ipso de hoc argumentô habitæ, Academiæ Nostræ legibus satisfacturus, curiosam hanc Salamandræ anatomiam instituit, & in *proœmiô* non immeritò detestatur excessivam illam credendi facilitatem, quâ fictitia Antiquorum argumenta ad seram usque posteritatem propagantur, quam juxta ARNOBIUM tamen plenissimam sæpè errorum matrem esse constat, non in verbalibus modò Monachorum barbarismis, sed & realibus, historicis imprimis atque Physicis: Illîc Sibyllarum, heîc Salamandræ historiam in exemplum trahit, & promeritis encomiis evehit Eos, qui utrobique hoc Augiæ stabulum unquam expurgare sustinuerunt, subjunctô honorificô Eorum catalogo. Horum vestigia premens, in ea, quæ de *Salamandrâ* olim sive verè sive falsò dicta sunt, sedulò inquirit, & adstructâ primùm ejus *existentiâ*, præmissisque fusè *nominalibus* tandem accuratam ejus descriptionem annectit, & ad quadrupedum reptilium genus refert. Insectis verò neutiquam annumerari posse, ex ARISTOTELE, PLINIO, VOSSIO &c. insimul approbat. *Divisionem* ejus duplicem habet, partim ratione loci, in terrestrem & aquatilem: Utut neutiquam errare censeat Eos,

qui Salamandram ex amphibiorum numerô esse contendunt: Partim ratione sexus, in marem & fœminam, cum *differentiis* ab aliis lacertarum speciebus, additis elegantiss. *Iconibus* ex ALDROVANDO, MATTHIOLO, BESLERO & propriâ autopsiâ petitis, præmisso prius discursu curiosô, de artis cælatoriæ & præstantia & modernô ejus abusu. Ne verò circa corticem unicè hæreat, institutâ curatissimâ cùm JACOBÆO, BARTHOLINO, HOFFMANNO &c. *anatomia*, in partium internarum structuram est intentus, & quæ illîc unquam obsèrvârat, figuris æri incisis aliorum pariter oculis offert, addita simul *osteologia* atque *sceleto*. Hæ jam ad *Salamandræ naturam* atque *temperamentum* felicius eruenda quasi manu deducere poterant Virum Excellentissimum, ubi expeditis primò aliorũ problematibus, repetitô experimentô id ferè primus obsèrvavit, quòd & exuvias deponat Salamandra, idque in aqua potius, quam continenti, quod ultimum serpentibus aliàs haud insolens est. Ubi verò *generationem* ejus absolvit, eorum meritò castra deserit, qui plurimis adhuc difficultatibus obrutam, generationem æquivocam defendunt; quin potius ex ovulis pariter Salamandræ ortum petendum esse concludit, ita tamen ut ad viviparorum potius, quàm oviparorum classem accedere videatur. Victum quod attinet, non tam aërem, quàm insecta & in specie lumbricos esse docet, quorum frustula arenulis interspersa in stomacho ejus reperit. Quod verò caput rei & primaria Authoris est intentio, binos jam superstitiosæ antiquitatis errores in hoc argumento detegit, dum & summè *venenatam* Salamandram esse, & *in igne* sine quovis incommodô *vivere* credidit. *Quoad prius*, haud equidem omnem prorsus Salamandræ noxam ejurat, imprimis si viperarum instar ad morsum irritetur, quod tamen ægerrimè fieri experimentô constat; hinc & remedia quædã, ad morsus ejus curam addit: An verò adeò internecinum ejus venenum sit, ut Authores quidem perhibent, de eô meritò dubitat, ex plurimis tùm ra-
rationi-

tionibus, tùm experimentis. Quid quòd ipsi Veteres Salamandræ cineres intus propinarunt, quam venenatam adeo pronunciant. *Posterius* autem prorsus fabulosum & ex malè intellecto ARISTOTELE originem traxisse demonstrat. Sicut E. pleraque, quæ de corporibus quibusdam naturalibus ut incombustibilibus & ignis potentiam eludentibus dicuntur, gratis saltem & precariò efficta sunt, de adamante v. g. de asbestino, auro &c. sic & Salamandræ hoc falsò, attribui probat, tùm ratione, tùm experientiâ, quâ id tantùm evincitur, quòd per exiguum temporis intervallum igni reluctari & liquore suo è subcutaneis porulis exsudante carbones nonnihil suffocare, postmodùm verò concremari prorsus & in cineres fatiscere soleat. Quoad *usum Medicum* tandem pauca vel nulla exinde parari docet, nisi quod internè ad aphrodisiaca quoque à Veteribus relata legatur, quod tamen de Scinco potius intelligendum haud absurdè credit. Externè verò pro psilothro habuerunt olim, de quô tamen ipse dubitat. Magis verò superstitiosi dicam an ridiculi sunt, qui seu pro amuleto seu ad restinguenda incendia adhibent. Unde hæc in pretio suo relinquens, elegantia demum *Hieroglyphica*, *symbola* ac *Emblemata* à Salamandra petita pro coronide subnectit.





INDEX
Ephemeridum S. R. I. Acad. Nat. Curiof.
Decur. II. Anni IV.

Foliorum

Cranii

Mures

Ovum

Partium gmovens. 225.

Q.

R.

Rorisma-

Tabaci

T.

U.



Observationum Errata.

PAg. 2. lin. 9. tranſcendere. p. 19. l. 23. obſervamus. p. 39. l. 4. hebetant. l. 10. Ebn. p. 57. l. 26. imitari. p. 62. l. 8. àque. l. 9. dele ab. p. 70. l. ult. durationis. p. 123. l. 16. Iridem. p. 128. l. 3. exhibet. l. 11. Phil. Salm. p. 137. l. 17. tracheæ. p. 152. l. 16. hydatides. p. 154. l. 10. reni. p. 160. l. 27. evitaret. p. 181. l. 28. Grube. p. 184. l. 4. manuum. p. 204. l. ult. Dec. II. p. 213. l. 22. Aurichalci. p. 246. l. 2. pertingebant. p. 251. l. 11. perforando. p. 252. l. 25. recenſuerit. p. 263. ſeri ſalſi p. n. p. 281. l. 24. aliorum. p. 295. l. 27. nimium quantum inhæſiſſe. p. 305. l. 24. at. p. 318. l. 12. cœperit.

Appendicis.

Pag. 12. lin. 13. inveniſti. p. 19. l. 15. dicuntur. p. 61. l. 9. notitia. pag. 63. lin. 8. pulſuum. p. 116. proinde. p. 118. l. 17. introſpirationis. MAGLIABECHIO, p. 207. l. 1. terrebatur. p. 232. l. penultimâ, pro.

Ad Nobiliſſimos & Excellentiſſimos Dnn. Collegas, Amicos ſuaviſſimos.

OPtandum prorſus eſſet, ſi qui memores Symboli ſui frequentiores ad conferendum, ſi etiam ad communicandum promptiores apparerent, ut circa tempus Natalitiorum Chriſti ſuis cum Obſervationibus adeſſe poſſent, ne nimiâ ſuâ tarditate Typographo ad deproperandum Typum occaſionem darent, dumjam ad umbilicum opus feſtinat, & tot cœci parerentur catuli, in quibus removendis Lector Benevolus obviam haud gravatim ſuam accommodet operam.

Dem Buchbinder.

DJe Kupfertafel pag. 223. mag wol pag. 289. voran gebunden werden.

Die 6. Tafeln in Clavi ſollen ordentlich nach- und nicht gegeneinander zum folio 142. eingebunden werden.

DECURIÆ
ANNORUM SECUNDÆ
MISCELLANEORUM
MEDICO-PHYSICORUM
Sive
EPHEMERIDUM
GERMANICARUM
ANNUS QUINTUS.


COLLEGIUM
ACADEMIAE
NATURAE
CURIOSORUM
L
NUN QUAM OTI OSUS
EPHEMERID. GERM. MEDICO-PHYSICAR. CURIOSORUM
ANIMALIA.
MINERAL.
VEGETAB.
ANATOM.
CHYMIA.
BOTANICA.
DEC. II.
ANNUS IIII
GERM A NIA
Mora via
Bohe mia
Vratis lavia
Suevi
Fran

MISCELLANEA CURIOSA
SIVE
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM
DECURIÆ II.
ANNUS QVINTUS,
Anni M. DC. LXXXVI.

Continens

Celeberrimorum Virorum

Tum Medicorum, tum aliorum Eruditorum in Germania & extra Eam

OBSERVATIONES

MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,

Nec non

MATHEMATICAS.

Cum

APPENDICE.

NORIMBERGÆ,

Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI.

Anno M DC LXXXVII.

4.



POTENTISSIMO
Atque
INVICTISSIMO
IMPERATORI
LEOPOLDO,
SEMPER AUGUSTO,
PIO, JUSTO, FELICI;
ROMANORUM, GERMANIÆ,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ & SCLAVONIÆ
REGI,
ARCHIDUCI AUSTRIÆ
&c. &c. &c.

Barbarorum Domitori fortissimo,
Doctorum Parenti benignissimo.

Dum

DUm *Jovis* ultrici fuſcantur fulmine Gentes;
Pannonia Odryſiis oſſibus alba nitet;
& LEOPOLDE *Tuos* debuccinat inclutus enſes
Rumor; idem *Phœbi* ſuſpicit *ordo* decus.
Utque togá ferrum mulcere ferocius almâ,
laus eſt, AUSTRIACIS propria dicta DIIS:
Sic colit ille *Tuas*, CÆSAR, fidentius aras,
atque petit: *Tribui* Numen adeſſe ſuæ!
Annuis. Hinc, votis à *Te* ſolertior orbis
damnatus, pro *Te* vota ſecunda facit:
Armiger ungue Jovis felix inimica cruentet,
mitior ut pennis pectora docta fovet!

Sic vovent ſubjectisſimi

Academici Naturæ Curioſi.

SERE-

LEOPOLDINO-IMPERIALIS
ACADEMIÆ PRÆSES
JOH. GEORG. VOLCKAMER,

S. Cæs: Majest: Archiater ejusque Personæ Imperialis Medicus, S. R. I. Nobilis; Aulæ Cæsareæ Palatiique Lateran:
& Consistorii Imperialis Comes; Collegii Norimbergensis Medici Senior primarius & perpetuus

L. S. D.



Irtus sine invidia macrescit! Rosam armant spinæ! Felicitatem bonorum petulci petunt malevolorum assultus! Sacratissimus IMPERATOR Noster LEOPOLDVS immanitatem Turcæ fregit & perfidiam, ferociam ejus compescuit, ac longe retroque cedere coëgit DEO duce, comite militis generosi virtute, quæ foris arma eo felicius movit, quo salubrius domi erat Consilium. Sed ecce, dum mala MAGNVS Ille TRIVMPHATOR ex Oriente propellit atque ἐπινίκιον canit, ab Occidente longe graviora repullulascunt, quæ Germaniam tranquillam, fœderi & Sacramento fidentem ac non tam securam quam justitiæ confisam instar torrentis rapidi inundant, & tantum non submergunt. Adeo cum Nasone exclamamus:

Nubila sunt subitis tempora nostra malis! Nam *Qui venit, hic fluctus fluctus supereminet omnes*
Posterior nono est, undecimoque prior.

Verum & hîc DEVS quasi ex machina PIO JVSTO INCLVTO & INVICTO LEOPOLDO apparebit, ut Gemina Aquila, Imperii Orientis & Occidentis indicium, geminum hostem felicissime prosternat, & ex Utroque CÆSAR sit, dum ibi pro Aris, heic pro Focis justissime pugnabit, nosque sibi vindicabit & asseret. Sed nec hæc calamitas sola: quin Publicæ illi adhuc alia accedit ACADEMIÆ Nostræ LEOPOLDINO-IMPERIALI è gravissimo vulnere, quod nos ferit ex obitu Magnifici, Amplissimi atque Excellentissimi Dn. D. JOH. MICH. FEHRII, *Medici Cæsarei, & Archiatri Svinfurtensis, nec non Consulis & Prætoris Imperialis,* Ex-Præsidis nostri honoratissimi; quem DEUS ex hac miseriarum valle ad se recepit XV. Novembr. cIↃ IↃC XIIC.

Nec prosunt Domino, quæ prosunt omnibus artes!

In hoc tamen est, quod luctum refrenemus, quod Vir candidissimi pectoris, canæque fidei cultor præstantissimus, consilio medendique peritia vel maximè potens, tandem satur dierum (quippe ultra LXXVIII. annos natus) ad Superos evolârit, famam orbi nostræque ACADEMIÆ, successione & successu secundus Præses immortalem, & quod Caput rei est, sui similem reliquerit Filium paternarum virtutum ex asse heredem, Virum Nobil. Excell. atque Experientiss. Dn. JOH. LAVR. FEHRIVM; Med. D. ac in Patria Physicum probatissimum, Academiæque nostræ Collegam gratissimum. Nos interim Manibus beatis BENE MERENTISSIMI VIRI benè precemur, solatioque summo in utraque erit calamitate nobis, quod AVGVSTISSIMVS CÆSAR nos clementissimè protegat, & sub alis Aquila benefica nos suis tueatur: Cujus rei illustrissimum habemus testimonium, quando non ita pridem Nostræ Academiæ fecit suo de Nomine nomen, & LEOPOLDINO-CÆSAREAM vocavit, insuper Ejus PRÆSIDEM ac DIRECTOREM Ephemeridum Curiosarum in Archiatros suæque Personæ Imperialis Medicos, S.R.I. Nobiles veros antiquisque Nobilibus æquales, nec non Aulæ Cæsareæ Sacrique Palatii Lateranensis ut & Consistorii Imperialis Comites longè gratiosissimè recepit, easdemque una omnes dignitates omnibus eorum legitimis Successoribus perennes esse indulgentissimè jussit. HVIC ergo immortales gratiarum hecatombas pro nostro veterrimo verissimoque amore Dnn. COLLEGÆ Honoratissimi, mactabimus, ac pro Vita, Incolumitate SACRATISSIMI CAPITIS, & felicissimo armorum Ejus successu contra quoscumque hostes Divinum fatigabimus NVMEN precibus nostris; ut Divisum Imperium cum Jove CÆSAR habeat; Potentissimusque REX HVNGARIÆ JOSEPHVS, Orbis amor, & Generis humani delitiæ cum Divino PARENTE

Imperium Oceano, & famam terminet astris! Adeoque *Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ,*
Gratare, Austriacis thuraque pone focis!

VOBIS vero, Viri celeberrimi & in Naturæ Sacris maximoperè operosi, COLLEGÆ venerandi, hæc significare debui volui, officio meo defungens, speque fruens certa Vos omnia facturos, quæ in DEI gloriam, S. Cæs: Maj: obsequium devotissimum atque continuam oblectationem, Naturæ Artisque emolumentum insigne; proximi salutem, vestrumque decus concedere possunt. Agite, Viri Sollertissimi, non condormiscamus, manum nunquam de tabula subtrahamus. τῆς ἡσυχίης πάντες οἱ πόνοι ἡδίονες; judice Democrito apud Stobæum! Quin cogitemus sacra nostra non esse Opertanea, aut Eleusinia; immo verè publica almæ Matris nostræ quæ forte ideo πολύμαστος Poëtis fingebatur; ut omnibus inserviret. Ego vero officio hoc meo defungar, quantum DEVS & natura Septuagenario majori, & ad octuagenarium adscendenti permittent; interim

- - - - - - - fungar vice cotis, acutum *Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.*

Valete. PP. Norimbergæ XXIV. Decembr. Anno cIↃ IↃc LXXXVIII.



I

&

U

S

A

SERE-



SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. MAXIMILIANO EMANUELI

Utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatûs Duci,
Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Archidapifero & Electori,
Landgravio Leuchtenbergensi &c.

Domino & Principi Electori nostro Clementissimo.

SERENISSIME AC POTENTISSIME

PRINCEPS ELECTOR,

Domine Clementissime.



QUam sibi felicitatem exteri certatim omnes exoptant, quam potentissima *Hadriæ* ventosi domina, tanquam victoriarum suarum condimentum, tantopere expetiit; ut in ejus sibi liceret intueri vultus, per cujus virtutem maxime stat, ut barbari citra spem

)(resur-

resurgendi jaceant exercitus, cujus equo Troja capiebatur, cujus ultrice flamma ardebat Ilium, TE nempe, HEROS BOIORVM fortissime, frui coram, TE,

Vir factis maxime, cujus
dextera per ferrum, pietas spectata per ignes,

cominus nosse & admirari: Illam huic libro suo obtinere *Academici Naturæ Curiosi* impensius laborant. Exploraverunt autem illud sibi potissimum momentum invisendi ad TE, quo spirans è TVIS oculis Mars per hyberna paulatim mitigatus esset, & præludentem restaurandis præliis severitatem, frons resumeret: Vt ita non minus inter pacis artes serenantem facilitatem, quam è belli studiis decore fulgurantium lineamenta irarum eadem opera cognoscerent. Admitte igitur PRINCEPS CELSISSIME, quod humillime oramus, conspectum Tuum dignissimum ambientes has Cadmi nigellas filias; (sic Ausonius literarum elementa vocat) fœtui nostro spinosis seculi judiciis exponendo *Cuninam* præsta; suscipe, *literarum Parens illustrissime* illius Patrocinium adversus calumnias alienæ laudi obtrectantium: ne cunis Mosis nostri tenelli,



CATALOGUS

Excellentissimorum VIRORUM

Qui pro augendo Quinto hoc secundæ Ephemeridum Physico-Medicarum Decuriæ Anno, Observationes communicarunt.

1. D. JOHANNES CONRADUS BRUNNERUS, *Universitatis Heidelbergensis P. P.*
2. D. DANIEL BSCHERER, *Physicus Norimbergensis*, Academicus Curiosus.
3. D. RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS, *Physicus Tubingensis.*
4. D. THEODORUS CAROLI.
5. D. GABRIEL CLAUDERUS, *Archiater Electoralis & Ducalis Saxonicus*, Academicus Curiosus.
6. D. CHRISTIANUS ERNESTUS CLAUDERUS, *Reipubl. Cygneæ Medicus Ordinarius.*
7. D. ANDREAS CLEYERUS, *Societatis Batavo-Orientalis Proto-Medicus*, Academicus Curiosus.
8. D. DANIEL CRUGER, *Archiater Electoralis & Physicus Colbergensis.*
9. D. JOHANNES DOLÆUS, *Consiliarius & Archiater Hasso-Cassellanus*, Academicus Curiosus.
10. D. JOH. MICH. FEHR, *Medicus Cæsareus, Archiater Svinfurt. & S.R.I. Acad. Nat. Cur.* PRÆSES *Emeritus* d. Argonautæ.

occidens, quæ & Athon cavare possèt & mœstum pelagus gementis *Helles* intercludere ponte non natanti, immortali cantaberis literarum præconio: Doctique, quotquot erunt, omnes TE benignum sidus adorabunt, supremum fatigantes Numen precibus, pro Vita tua & Imperio Christianæ rei adeo salutari, suam quoque adjicient laudem, quam à Marte ipso reportasti,

ex quo prima truces amentia Thraces
impulit, & magno gens est damnata triumpho,

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ ELECTORALIS

humillimi, devotissimiq;

PRÆSES & COLLEGÆ CETERI
Academiæ S. R. I. Nat. Curios.

CATA-

demiæ Altdorffinæ P.P. & h. t. Rector Magnificus, Academicus Curiosus.

26. Dn. JACOBUS AUGUSTIN. HÜNERWOLFF, *Physicus Arnstadiensis*, Academicus Curiosus.

27. D. EMANUEL KÖNIG, *Medicus Basileensis*, Academicus Curiosus.

28. D. ADAMUS à LEBENWALD, *Com. Pal. Cæsar. & Incl. Ducatus Styriæ Consiliarius Medicus*, Academicus Curiosus.

29. D. SAMUEL LEDELIUS, *Physicus Grünbergensis in inferiore Silesia*, Academicus Curiosus.

30. Dn. ROSINUS LENTILIUS, *Med. Licent. Physicus Nordlingensis Ordinarius*, Academicus Curiosus.

31. D. MICHAEL FRIDERICUS LOCHNERUS, *Physicus Norimbergensis*, Academicus Curiosus.

32. D. CHRISTIANUS MENTZELIUS, *Sereniss. Elect. Brandenb. Consiliar. & Archiater*, Acad. Curiosus.

33. D. GEORGIUS ABRAHAMUS MERCKLINUS, *Physic. Norimb.* Academicus Curiosus.

34. D. JOHANNES THEODORUS MOEREN, *Prof. Publ. Moguntinus*, Academicus Curiosus.

35. D. FRIDERICUS MOLLER, *Medicus Electoralis Brandenburgicus in Castro Cüstrinensi.*

36. D. JOHANNES de MURALTO, *Physicus Tigurinus*, Academicus Curiosus.

37. D. JOH. CONRADUS PEYERUS, *Poliater Scaphusanus*, Academicus Curiosus.

38. D. GOTHOFREDUS SAMUEL POLISIUS, *Physicus Ordin. Francofurtensis ad Viadrum & P.P. Extraordinarius*, Academicus Curiosus.

39. D. PETRUS ROMMELIUS, *Physicus Ulmensis.*

40. Dn.

11. D. GEORGIUS FRANCUS, *Universitat. Heidelberg. Prorector, P.P. & Procancellarius, Elect. Trevirensis & March. Badensis Archiater*, Academicus Curiosus.

12. D. JOHANNES FRANCUS, *Physicus Ulmensis.*

13. D. JOHANNES DANIEL GEYER, *Seren. Elect. Palatini Phys. Ord. Præsidii Fridericiburg. & Manheim.* Academicus Curiosus.

14. D. ERNESTUS SIGISMUNDUS GRASSIUS, *Physicus in Javer. Siles.*

15. D. EBERHARDUS GOCKELIUS, *Archiater Würtembergico-Weiltingensis & Reipubl. Ulmensis Physicus*, Academicus Curiosus.

16. D. CHRISTIANUS LUDOVICUS GOCKELIUS, *Physicus Hersbrucco-Noricus.*

17. D. HERMANNUS NICOLAUS GRIMMIUS, *Poliater Niuköpingensis.*

18. D. JOHANNES BENEDICTUS GRUNDEL, *Incl. Styriæ Statuum Physicus, ac Marpurgi Practicus*, Academicus Curiosus.

19. D. EHRNFRID HAGENDORN, *Archiater Elect. Saxon. & Poliater Gorlizens.* Academicus Curiosus.

20. D. GEORGIUS HANNÆUS, *Practicus Otthiniensis in Dania*, Academicus Curiosus.

21. D. JOHANNES LUDOVICUS HANNEMANNUS, *P. P. Chiloniensis*, Academicus Curiosus.

22. D. PHILIPPUS JACOBUS HARTMANNUS, *Professor Publ. Regiomontanus.*

23. D. GEORGIUS HEINTKE, *Physicus Uratislaviensis.*

24. D. BENEDICTUS HERMANNUS, *Physicus Memmingensis.*

25. D. JOHANNES MAURITIUS HOFFMANNUS, *Academiæ*



CATALOGUS OBSERVATIONUM.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. LUCÆ SCHRÖCKII Luc. Fil.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

D. GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI.

40. Dn. GEORGIUS EBERHARDUS RUMPHIUS, *Illustris Societatis Indiæ Orientalis in Insula Moluccarum Ambona apud Belgas Senator & Mercator emeritus*, Academicus Curiosus.

41. D. GUNTHERUS CHRISTOPHORUS SCHELHAMMERUS, *in Universit: Helmstad. P.P.* Academicus Curiosus.

42. D. LUCAS SCHRÖCKIUS, Luc. Fil. *Physicus Augustanus*, Acad. Nat. Cur. Adjunctus, d. Celsus, *Ephemeridum Director.*

43. D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Poliater Francofurtensis ad Mœnum*, Academicus Curiosus.

44. D. JOHANNES GEORGIUS VOLCKAMERUS, Senior, *Sacr. Cæsareæ Majestatis Medicus, Collegii Medici Norimbergensis Senior Primarius*, Academiæ Naturæ Curiosorum PRÆSES, d. Helianthus I.

45. D. JOHANNES JACOBUS WAGNER, *Poliater Tigurinus.*

46. D. GEORGIUS WOLFGANGUS WEDELIUS, *Consiliarius & Archiater Ducalis Saxonicus, in Universitate Jenensi Prof. P. & h. t. Rector Magnificus*, Academiæ Naturæ Curiosorum Adjunctus, d. Hercules.

47. D. JOHANNES JACOBUS WEPFERUS, *Archiater Scaphusanus.*

48. D. JOHANNES PAULUS WURFFBAIN, *Medicus Norimbergensis Ordinarius*, Academiæ Naturæ Curiosorum Adjunctus, d. Hermes II.



CATA-

D. THEODORI CAROLI.

D. HERMANNI NICOLAI GRIMMII.

D. DANIELIS CRÜGERI.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. ANDREÆ CLEYERI.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. CHRISTIANI LUDOVICI GÖCKELII.

D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.

D. SAMUELIS LEDELII.

D. ADAM à LEBENWALDT.

Dn. Lic. JACOB. AUGUST. HÜNERWOLFFII.

D. DANIELIS CRÜGERI.

D. FRIDERICI MOLLERI.

D. PETRI ROMMELII.

D. BENEDICTI HERMANNI.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. JOHANNIS de MURALTO.

D. THEO-

D. GEORG. WOLFFGANGI WEDELII.

D. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.

D. MICH. FRIDERICI LOCHNERI.

D. EMANUELIS KÖNIG.

D. RUDOLPH. JAC. CAMERARII.

D. EBERHARDI GOCKELII.

D. GEORGII HEINTKE.

D. PHIL. JACOBI HARTMANNI.

D. GEORG.

D. JOHANNIS de MURALTO.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

D. JOHANNIS DOLÆI.

D. PETRI ROMMELII.

D. JOHANNIS JACOBI WEPFERI.

D. JOHANNIS GEORGII VOLCKAMERI Sen.

D. JOH. JACOBI WAGNERI.

D. DANIEL BSCHERERI.

D. JOH. THEODORI MOEREN.

Dn. GEORG. EVERH. RUMPHII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

D. GABRIELIS CLAUDERI.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII.

D. GEORGII HANNÆI.

D. JOHANNIS CONRADI PEYERI.

D. GA-

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

D. MICHAEL. FRIDERICI LOCHNERI.

D. GEORGII FRANCI.

D. JOH. DANIELIS GEYERI.

D. JOHANNIS FRANCI.

D. JOH. CONRADI BRUNNERI.

D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI.

D. LUCÆ SCHRÖCKII.

ADDENDA.


Dn. ROSINI LENTILII.

D. JOHANNIS GEORGII LAIBII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.



EPHEME-



EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM DECURIÆ SECUNDÆ ANNI QUINTI

BREVILOQUIUM

Ad

OBSERVATIONEM I. II. & III. D. CHRISTIANI MENTZELII.



Loriosa Imperatorum, Regum & Principum gesta literis consecrare, eorumq́ trophæa erigere, monumenta sunt memoriæ non perituræ. At præter bellicas virtutes etiam tot variarum rerum scientiis, quæ vel usum insignem humano generi præstare videntur, simul inclarescere, id demum in terris utramque immortalitatis paginam constituit. Hæc ambo cùm in Sereniss. & Potentiss. Principe ac Domino, Dn. FRIDERICO WILHELMO, Electore Brandenburgico &c. Domino meo clementissimo integra reperiantur, prius ab illis, quorum interest, & quibus convenit, præstabitur; alterum verò in his Ephemeridibus nostris, vel à sera posteritate contra omnem livorem suspiciendis, paucis delibare licebit, præmissis tribus sequentibus Observationibus Medico-Physicis, ab ipso Serenifs. Electore *expertis; fide confirmatis & enarratis, quas tanquam raras & notatu dignas erudito Orbi exponere placuit:*

OBSERVATIO I.

D. CHRISTIANI MENTZELII,

De

Vulnere ventriculi ultra undecim annos aperto, superstite viro.

INsterburgi, in Quæstura Borussiæ, quæ paret *Sereniss. Electori* nostro *Brandenburgico*, fur quidam, ex Lituania oriundus, noctu per fenestram sibi januam parans descendit in cubiculum cujusdam civis, ut auferret, quod ad se non spectaret. Id cùm paterfamilias persentisceret, arreptô venabulô, quod prope lectum habebat, furem cùm fugam caperet, in iisdem, quas repetebat, foribus, in dextrum abdominis latus prope epar transversim latô vulnere sauciat. Fur ita extra fenestras exceptus fugâ, quantum pedes valuêre, in proximum nemus se recipit; ibi cùm se solum & à nemine conspectum videret, evulsis graminibus & musco (quod postea fur ipse retulit) ursarum more vulnus obstruit: deinde, cùm ad suos rediret, mutatis his turundis, sibi ipsi Podalirius, illud stuppâ, linteaminibus, lardo imprimis, & aliis, quæ ad manus aderant, emplastris, obligat. Protrahitur cura hæc per aliquot dies, hebdomadas, tandem per integros annos sine ullo lethali symptomate, vulnere tamen nunquam clausô, ob callum labiis inductum. Interea temporis cùm pœnam plagæ sic per undecim annos luisset, innotuit vulgo vir, quòd cibum assumptum ex ventriculo per vulnus ejicere, & (ut quidam volunt) calorem ventriculi interius digito explorare valuisset, fitque lucri causâ spectaculum vulgi, quo tempore *Serenissimus Elector*, Juvenis adhuc Princeps Electoralis, Quæsturam illam visitans, cùm Ipsi talia de hoc viro narrarentur, eum accersi jussit; quo facto vir casum suum liberè enarrans, ostendit vulnus, & per id cibum assumptum non sine fœtore aliquo, manu expressit. Hoc cùm

p. 3.



Fig: 1.



Fig: 2.



Fig: 3.



Archiater p. t. Dietericus, Principi Electorali adstans simul videret, reique fidem adhibere dubitaret, exhibuit viro medicamentum quoddam innocuum sed coloratum, ut id per vulnus rejectum cognosceret, quod cùm vir præstitisset, D. Dietericus fidem adhibere rei coactus fuit. Vid. Fig. I. memoriæ ergo inventa.

[*Ex relatione* Serenis. Electoris Brandenb.]

SCHOLIUM.

CAsus hic rei medicæ usum aliquem præstare videtur, cùm nos edoceat, vulnera ventriculi non omnia esse lethalia, etsi aliquandiu aperta maneant. Nam etsi vulgò credatur, ventriculum læsum, tanquam membranam vix posse sanari; tamen cùm experientia & veterum nempe Galeni, Albucasis, Christoph. à Veiga, Fallopii, Schenckii &c. & neotericorum quandoque reclamet, vulnera ventriculi non omnia lethalia esse, liberè pronunciandum est, præsertim si accidant sive casu sive arte & ex proposito non in loco nervoso, circa nempe superius os ventriculi, sed paulo inferius, transversim, ut in nostro fure præsumendum, & in cultrivoro sive cultri deglutatore Brussico Anno 1635. die 29. Maji st. n. accidit, qui eodem die cum cultri sui manubrio adunco fauces irritando vomitum sibi ciere proponens, manubrii uncum nimis profundius in fauces recondidisset, earum lubricitate totus culter in œsophagum & tandem in ventriculum delapsus & deglutitus est, qui postea consensu totius Collegii Medici Regiomontani Borussorum per Chirurgum die 9. Julii illius anni feliciter versus sinistram regionem ventriculi fuit excisus & curatus, vid. Fig. II. ex autographo libri D. Danielis Beckeri de hoc cultrivoro Anno 1643. editi delineatam. Hunc rusticum, qui post vulnus curatum uxorem duxit & liberos procreavit, vidi adhuc superstitem Regiomonti Anno 1646. cùm ibi studiis medicis operam darem. Fig. III. exhibet cultrum deglutitum & arte excisum, cuspes in ventriculo arrosa fuit, ut apparet ex figura.

[*Christiani Mentzelii D.*]

Fig. I. II. III. A 2 OBSER-

OBSERVATIO II.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Stagno admirando Borussiæ, alternis trienniis spontè piscoso & frugifero.

QUi ruri œconomiam exercet, diligens Paterfamilias etiam inter primos reditus numerat, quos ex piscatura desumere potest, unde piscinas, stagna, lacus ita adaptat, ut post aliquot annos, cùm ex aquis piscaturâ commodum hausit, depletis iterum aquis in alveo sicco frumentum ferat, non tantùm in suæ œconomiæ, sed etiam, alveo iterum aqua repleto, futuri piscatûs usum fructum uberiorem. Verùm provida quandoque natura sponte quibusdam locis succurrit hac in re, uti manifestè apparet in stagno quodam Borussiæ in eadem Cameræ Electoralis Quæstura Insterburgensi prope oppidum Kauten: Hoc stagnum per tres annos aquâ repletum, & satis profundum, pisces suos omnis generis copiosè reddit; præterlapsis verò tribus annis sponte suâ, aquis in fundo se subducentibus, exarescit, adeò ut accolæ in alveo arido frumenta omnis generis serant & felici proventu metant per tres annos, quibus præterlapsis aquæ iterum ex fontibus in fundo latentibus regurgitent cum piscibus (quod mirum) mixtæ nullis in solo continente rivulis affluentibus. Tempore messis Serenissimus Elector aliquando alveum eques cum comitatu transiit leporesq; in eo venatus est. Manifesta hujus rei causa dari non facilè potest, nisi quis statuat, torrentes aliquos circa hunc locum dari, qui ex nive liquefacta, aliisque confluentibus aquis constantes, ex alto ruant prope hunc lacum, & tunc temporis per canales vel cuniculos quosdam subterraneos in stagnum illud cum piscibus se exonerent: Deficientibus verò iterum per certum tempus torrentibus illis,

aqua

aqua omnis ex ſtagno per cuniculos ſuos in fundo regurgitet, abſorbatur & deficiat, uti ſagaciter & cordatè Sereniſſimus opinatur.

[*Ex relatione* Sereniſs. Elect. Brandenb.]

SCHOLIUM.

FOntium certis tantùm temporibus ſcaturientium variæ paſſim occurrunt hiſtoriæ; quas inter inprimis memorabilis & huic Boruſſico ſimilis exſiſtit Americanus ille in provincia Chiapa apud Tafixam, quem per triennium continuò fluere, totidem verò poſteà annis evaneſcere, nunquam pluviæ vel abſentia vel præſentia fluxus hujus diverſitatem variante, *Johannes Latius in Deſcript. Americ.* & ex eodem *Dapperus lib. 2. cap. 16.* memorat. Thermas Piperinas Helveticas menſe Majo uſque ad Septembrem ſcaturire, poſteà verò ceſſare, plures tradunt; id tamen cum diſtinctione intelligendum eſſe, tum ex obſervatione propria, tum ex incolis edoctus *Guil. Fabricius Hildanus* teſtatur, qui, hyems ſi aſperrima & ſiccisſima fuerit, tunc omninò ſeſe ſubducere aquas iſtas, neque ante medium aut finem menſis Maji redire, hyems verò ſi pluvioſa fuerit, aquam quidem profluere, ſed in minori copia, vixque tepidam eſſe, dicebant. De fluvio etiam Italiæ, quem Torbidone vocant, legi merentur, quæ à Clar. *D. Paulo Boccone in obſerv. natur.* non ita dudum editis, *num. 19.* referuntur, eundem ſcilicet per ſeptem annos continuos aquam continere, totidem verò poſt aliis annis ſiccum remanere, ita ut qui modo piſces ſuppeditaret, jam frumento ſeminando & colligendo opportunum fundum præbeat: quanquam exactam illam ſeptennii alternationem infida relatione niti, diligentiori inquiſitione prælaudatus Autor cognoverit. Quod judicium fortaſſe plures alios hujusmodi fontes & fluvios, ſi exacto examini ſubjicerentur, maneret, & hac tamen ratione diverſi iſtius fluxûs cauſæ promtius conſignari poſſent.

[*L. Schröck, L.F.*]

OBSERVATIO III.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Alces monſtroſo partu & gratitudine in homines.

BRutorum in homines gratitudinis exempla Plinius & alii commemorant. Aquilæ in virginem apud Seſton urbem Plin. l. 10. c. 5. Simile quid de leone l. 8. c. 16. refert. Homine animalium præſtantiſſimo ſæpius erga benefactorem ſuum ingrato exiſtente. Apparuit tale quidpiam nuper, præterita hujus 1686. anni æſtate circa Potsdamum in Alce fœmina. Hujus animalis natales Boruſſiæ nemora imprimis ſunt, ex quibus cum *Sereniſſ. Elector* noſter aliquot animalia in Marchiam Brandenb. & in ſpecie Potsdamum ad alteram ſuam regiam afferri juſſiſſet, ut ibi in nemoribus & theriotrophiis alerentur & generentur, una earum, cum difficili partu ſe laborare ſentiret, miſſis nemorum latebris, ad viam publicam non procul à Potsdamo decubuit, ut opem humanam, neceſſitate ſic jubente, acquireret. Prætereunt quædam mulieres, miſeram alcem laboriosè parturientem aſpicientes, cùm animal ſe in pedes conjicere prorſus invalidum eſſet ac miſerrimo intuitu opem poſceret. Accurrit quædam mulierum miſeram animalis ſortem miſerata, manum adhibet obſtetricem, & extrahit ex utero alces partum mortuum & monſtroſum: gemellas nempe, uno capite & pectore conjunctas, reliquis membris & artubus ſeparatim exiſtentibus, vid. *Fig. IV.* qualem monſtroſum partum Ephemerides noſtræ *Obſ. 4. Anni 9. & 10. Dec. 1.* in agno, & *Obſ. 102. Anni 2. Dec. 2.* in homine quoque exhibent, adeò ut monſtra eadem æquè à brutis quàm homine fatô ſuô eveniant. Partu hoc monſtroſo ope humana ſic in lucem edito, Alce (Germa-

nis


Alces monstrosus partus.
Fig: 4. f. 7.



nis à miseria (Elend dicta) miseriam suam perpessa & ab ea sic liberata, surgit statim, nihil curans partum, hominesque aliàs fugiens, jam mulieres abeuntes tanquam gratitudinis signum & actum erga auxiliatricem suam ostendens usque ad Sedes Electorales invalido licet gressu concomitatur, argumentô solidô, quòd brutorum gratitudo quandoque superet hominum ingratitudinem, sicut Plinius l. c. de leonis gratitudine erga Elpida Samium, nave in Africam delatum, refert, is cùm leoni os avidiore morsu dentibus inhærens evulsisset, quamdiu navis ea litore steterit, venatus aggerendo leonem Elpidi gratiam retulisse. Vid. *Fig.* IV.

[*Jussu* Sereniss. Electoris Brandenb.]

SCHOLIUM.

Quamvis *Conrad. Gesnerus lib. 1. histor. quadrup.* cùm Illyrios etiam cervum Gelen vocare consideraret, fieri potuisse arbitretur, ut inde nomen hujus animantis ad Germanos translatum sit, propter similitudinem ejus cum genere cervino; non immeritò tamen à miseria nomen habere dicendum foret, quia, ut idem *paulò post* loquitur, *verè miserum est animal, si credendum est, quod sæpè audivimus, quotidianum ei morbum comitialem ingruere.* Et certè caduco aliquo morbo Alcen laborare, testimonio etiam *Martinierii* comprobatur, qui in *Itinerar. suo Septentr. cap. 3.* simile quid semetipsum vidisse testatur. Quod autem nonnulli modico vulnere læsam, præ timore, statim exspirare adserunt, id ex ejusdem *Martinierii* observatione refellitur, qui tale animal à Nobili vulneratum, per duas integras horas aufugisse, atque tres ejus canes anterioribus pedibus (siquidem, ut *in vita Joh. Franc. Commendoni Card. lib. 2. cap. 13.* legitur: *invadentes canes non cornibus* (id quod de maribus, cornutis nempe, intelligendum,) *sed calce petit, interdum letali ictu,*) prostravisse, nec facilè in prædam cessurum fuisse, scribit, nisi denuò morbo correptum concidisset. Cæterum in locis palustribus sese plurimum condere, illic-

illicq́ue & partus ſuos edere, ex *Eraſmo Stella Geſnerus d. l. in paralipom.* monet. Ut itaque & locus partûs, & monſtroſa ſoboles, quin & gratitudo, raritate ſe in hac obſervatione commendent. Plura verò brutorum in homines gratitudinis exempla, ut alios Autores taceam, *citatus Plinius* habet, & inprimis huic quodammodo quadrat, cujus *lib. 8, cap. 17.* mentionem facit, de Panthera, feritate inſigni aliàs famoſâ, cujus catuli cum in foſſam decidiſſent, & ipſa Philinis Philoſophi parentem conſpicata, leniter mordicus apprehenſa ejus veſte, pavidum illuc deduxiſſet, ipſeq́ue catulos è foſſa eduxiſſet, meriti hujus gratiam ut referret panthera, per totum illud iter hominem proſecuta, ab aliis eum feris hoſtibusq́ue defendit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO IV.

D. LUCÆ SCHRÖCKII, L. F.

De

Cervo glande plumbeâ trajecto,

à

SERENISSIMA ELECTRICE BRANDENBURGICA

D O R O T H E A &c. &c.

Mortui inſtar proſtrato, & poſt tres horæ quadrantes quatuor circiter paſſuum millia aufugiente.

CUm An. 1686. Menſe Septembri, hymæneorum cervinorum tempore, Sereniſſimus ac Potentiſſimus Elector Brandenburgicus, FRIDERICUS WILHELMUS &c. &c. cum Sereniſſima Electrice, DOROTHEA &c. &c. venationi apud Golze, in Præfectura Lebus, dimidio milliari à Cüſtrino ad Oderam diſtantem, vacarent, & d. 13. Septembr. d. ☽. à meridie, pro more, in rheda ad

da ad venandum exirent, magnitudine insignis cervus obviam factus est, & centum circiter passuum distantia, ad latus sinistrum rhedæ, versus quam etiam cervi latus sinistrum, frons autem in oppositam partem prospiciebat, substitit; quem Serenissima Domina eâ felicitate glande plumbea feriit, ut trecentos quidem vel quadringentos passus, tarde tamen, titubando, pedemque sinistrum anteriorem trahendo, ac multum cruoris profundendo, usque ad fossam quandam progrederetur; in quo postquam eundem Electoralis sclopeti aptator, nomine, *Conradus*, cane parvo indagatore comitatus, ejusdem vestigia jussus premere, stantem offendisset, atque ad triginta passus eidem adpropinquasset, occiput ejus globulo trajecit; verùm cervo neque sic ruente, ad sex usque passus ei propior factus, tertiam glandem plumbeam in caput juxta aurem sinistram emisit, à qua cervus mortui instar in humum prostratus, sine ullo motu jacuit, sicque in eodem statu permanens ex fossa à dicto Conrado, Saltuario aliquo, & Præfecto Stabulo Electorali *Dn. Frobenio*, qui interea accesserant, protractus fuit usque ad rhedam eos insecutam. *Dn. Frobenius* & *Conradus*, ex mandato Electorali, dum in primum vulnus à Serenissima inflictum inquirunt, cervum de latere in latus vertendo, illud in latere sinistro, infra scapulam, per os superius pedis anterioris penetrare inveniunt, digitisque ulterius explorantes, versus latus dextrum, nonnihil antrorsum, in cavitatem pectoris abire deprehendunt. Saltuarius jussus, rusticos cum plaustro in vicinia subsistentes accersit, qui post tres horæ quadrantes demum comparent, cervo interea mortui instar humi procumbente. Rustici verò postquam eundem à latere in abdomen verterunt, caput plaustro imposuerunt, & cornibus comprehenderunt, dum jam corpus etiam in plaustrum conjicere parant, cervus in pedes se erigit, reviviscens quasi, rusticorum manibus se eripit, & magnâ celeritate, omnium cum admiratione, & insigni inprimis rusticorum consternatione, per campos aufugit. Canes itaque venatici emissi, cervum tandem 3000. vel

4000. paſſuum diſtantia prope Oderam adſequuntur, eundem allatrando & continuè cingendo à fuga cohibentes; quos inſecutus Saltuarius, cervum globulo emiſſo in dorſi poſteriori parte ferit; is autem cum exin perterritus aufugere tentaret, à canibus excipitur & proſternitur, ſicque denuo captus & mortuus ad Electorale hoſpitium in Golze deportatur. Venatores dum eum diſſecant & eviſcerant, majori cum admiratione cor transfoſſum reperiunt, atque ut rarum quid *Sereniſſimis* offerunt, qui illud præſentibus tum Electoralibus Conſiliariis & Medicis, *D. D. Willichio*, & *D. D. Marchio*, ad pleniorem vulneris explorationem, transmittunt, à quibus, ictum in parte poſteriore per dextrum cordis ventriculum penetraſſe, ac ſiniſtrum unà tetigiſſe, anterius verò ſub dextra auricula exitum inveniſſe, obſervatum fuit. Vulnus ſat amplum fuerat, cui digitus ſine impedimento immitti poterat; quin & cordis caro ex utraque vulneris parte multum contuſa & dilacerata comparuit; prout hæc omnia, quantum poſſibile, adjecta Figura oſtendit.

Fig. V.

SCHOLIUM.

Hiſtoriam hanc à ſupra nominatis Nobiliſſimis Dnn. Archiatris Electoralibus commemoratam, & ab Amico ad nos transmiſſam, cum *Cl. Dn. Georg. Conr. Wolff, Berolenſis, Med. Cand.* in celeberrima Academia Francofurtenſi ad Oderam elucidandam publicè ſibi ſumſerit, aliqua inde decerpere & hîc ſubjungere libuit. Poſtquam itaque cordis vulnera non ſolum eſſe lethalia, ſed preſſo pede mortem etiam illa inſequi, aliorum teſtimoniis, quin & obſervationibus oſtendiſſet, præſens tamen caſus contrarium cum edoceat, & regulam illam univerſalem ſua exceptione limitet, corde vulneratos, ad ipſos licet ventriculos penetrante vulnere, aliquot nihilominus dies ſupervixiſſe, fide dignis hiſtoriis comprobat. Cervo autem quia cor maximum, proportione habitâ ad reliquum corpus, idcirco non obſtante vulnere, ſpatium ſatis amplum relictum

fuiſſe


Figura Cordis Cervi Globulo trajecti
à
SERENISS: ELECTRICE BRANDENBURGICA
DOROTHEA
Domina noſtra Clementiſſima
Aº. 1686. Die 13. Sept: prope Cüſtrinum Cervo mortui inſtar
proſtrato reviviſcente et tria ad quatuor paſſuum millia effu-
giente
Fig: 5.
p. 10.
Facies Cordis eſt poſtica tergum Animalis
reſpiciens.
a. b. c. Ventriculus dexter.
a. d. c. Ventriculus ſiniſter.
e. f. g. Auricula dextra.
h. i. k. Auricula ſiniſtra.
l. f. g. Venæ cavæ orificium.
m. m. Arteriæ pulmonalis portio.
n. i. k. Venæ pulmonalis orificium.
o. o. Arteriæ Aortæ portio.
p. Globuli introitus.
q. Globuli exitus.
p. q. r. Globuli tranſitus.
s. Inciſio facta ad videndam læſionem parietis Ventriculi ſiniſtri.

Dec: II.

fuiſſe, arbitratur, in cujus cavernulis ſanguis adhuc fermentare potuit; porro cum caro à glande plumbea fuerit contuſa & lacerata, è talismodi vulneribus ſanguinem raro exſtillare, cum *Guil. Fabricio Hildano*, quin & ſclopetorum vulnera cum ſemper eſcharam, ex *Nicol. de Blegny Zod. Med. Gall.* mente, inducere ſoleant, certiſſimum hæmorrhagiæ remedium hinc adferri, monet. Verum quia vulneris hiatus ſat magnus fuit, ex quo non potuerit non aliquid ſanguinis in pectoris cavum effundi, eo ipſo, pergit ſcribere, minor ſanguinis copia carotides ingreſſa eſt, arteriisque ſubſidentibus, pauci in cerebrum depoſiti fuére ſpiritus animales, qui dum muſculorum motui non ſufficiebant, hinc tardi & titubantes fuére animalis greſſus, quibus tandem deficientibus, procubuit humi, idque eo magis, quia iteratus globulorum impetus illud proſtravit. Jacuit ita in loco paludoſo, umbroſo & pro ratione temporis, accedente terræ cui incumbebat frigore, frigido, quo factum ut ſanguis paulatim de ſuo remitteret impetu, nec amplius adeo premeret vaſa, unde ille in vulnere cordis corrugato, facilius reliquo, cum magis externo aêri fuerit expoſitus, abiit in grumos, & ceu operculum hiatum obturavit. Elapſis tribus circiter horæ quadrantibus cum commoveretur, nec ſanguinis fermentationes (quas in cervo maxime eſſe conſtantes, longævitate ejus probat,) penitus intermiſiſſent, inque hoc cervo libidinis œſtro percito, valde is eſſet ſpirituoſus, circulum ſuum, qui quidem remiſerat, non tamen intermiſerat, denuo exorſus, ſpiritus eructavit animales, quorum defectu cum antea conciderit animal, his jam de novo influentibus, ſe in pedes conjecit atque aufugit.

[*Ex Diſſertatione Georg. Conrad. Wolff, ſub Præſidio D. Bernhard. Albini, P. P. Francof. ad Oderam Anno 1686. editâ.*]

OBSERVATIO V.
D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,
De
Uvulæ defectu & uſu.

PRopria homini uvula, in centro faucium reperibilis velut lingula quædam curioſa eſt pars, nec dùm ſatis ab anatomicis vel medicis exhauſta. Rariorem paulo faucium inveſtigationem inſtituimus, ubi tamen penitiora latitant arcana. De uſu in ſermonis & vocis efformatione cujus huic plectrum audit, alibi diximus, Exerc. Miſcell. Dec. I. Ex. XI. p. 39. Aliud phænomenum oblatum & confirmatum invitat, ut de alio quoque uſu quædam dicamus.

Ante annos quinque circiter in aulâ quadam natus infans ſugere non poterat obvians ex papillâ lac bonæ notæ, ſed id per nares mox rejiciebat, cum moleſtiâ & anxietate non levi. Judicabatur culpa hærere in linguâ, aſt frenulo forfice paullum diſciſſo, quoad extantiorem membranulam, parum vel nihil juvabat, quin lac ſubinde regurgitaret ſurſum. Examinatis faucibus, uvula aberat, unde inventa quidem cauſa curari tamen per πρόσθεσιν debitam non poterat. Suaſimus hinc profundius immergere papillam, ut linguæ concurſu faciliùs poſſet deglutiri, quod & factum eſt, ſucceſſivè naturâ adſuetâ remittente vitio, puellâ adhuc feliciter cæteroqui increſcente.

Nuperis menſibus conſilium petiebatur pro infante 5. hebdomadarum, ad fluorem alvi ſpumoſum cum torminibus addito & hoc, quod infans ſugere non poſſet, lacte per nares ut plurimum reſultante, & hoc nomine lacte nutricis oſtenſo ſimul, an forte vitio non careret, idque phænomenon cauſaret. Ediximus confeſtim, inſpiciendum guttur, ſine dubio infantem ſine uvulâ natum eſſe. Tunc demum fateri parentes, ſe jam id obſervaſſe, ſed occultare voluiſſe. Ipſe verò tenellus

nellus morbo consumptus fatis cedebat, accedentibus convulsivis motibus.

Difficile est hauriolari, quâ ideâ inductus archeus in fabricando corpore nonnunquam hujus partis velut obliviscatur, quamvis prioris mater referret, se attentius in os Carpionis inspexisse. Illud verò ceu porisma inde elucet, facere uvulam ad deglutitionem quoque eximiè.

Obtensus faucibus est musculus pensilis & mobilis, cujus pendulum, uvula, motum, quem præstat moderatur, motum ad vocem & sermonem multis modis variandum; motum ad deglutitionem quoque. Neque enim quis negaverit hunc ipsum in deglutitione actu moveri, vel illum ad hoc aptum esse. Cibus & potus non descendit gravitate suâ, (ut in moribundis, ob debilitatem & spiritus motores in actione suâ cessantes, *wie in einen hohlen Topf* vocant,) sed motu peristaltico manifesto & animali comite detruditur. Quod si verò uvula desit, adeoque musculus hic laudatus, cujus similis non est in toto corpore, nisi cum diaphragmate ex parte eum comparemus, non concurrat debito pacto, prius, quam natura hunc defectum consuetudine suppleverit, fit motus peristalticus quidem & sic sed inversus, ut dum deorsum debitè detrudi nequeat potus, regurgitet ἄνω, & sic ad nares deviet, quod erat demonstrandum.

OBSERVATIO VI.

D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,

Ab Uvulæ defectu in adultis diversa phænomena.

QUamvis verò in adultis phænomenon in deglutitione vitiatâ ab uvulæ defectu non ita observetur manifestè, quod partim in detrudendo corrigere id norint facilius, nec fluidiori saltim alimento utantur,

ſed groſſiori, quod circumplecti poteſt gula magis, ne de ſuctionis diverſitate dicamus quoque; alia tamen eveniunt notabilia & magis quidem circa vocem, nec illa unius ejusdemque commatis. Operæ pretium itaque fuerit, notare quæ in diverſis ſubjectis de eo obſervaverimus, citra repetitionem alibi dictorum.

In aliis nempe occurrit vox rauca, quod in fœmina vidimus ſcorbutica, & ita quidem, ut claram vocem emittere omninò non poſſet, ſed quando verba faciebat, ſubmiſsâ omnia proferre cogebatur voce, als wenn jemand heimlich redet/vocant Germani linguâ vernaculâ. Eo caſu credibile eſt elaterem glottidis ſimul de tono ſuo dejectum, ut ſcindi aër minus, neque ſic ſonare poſſit.

Miniſter quidam aulicus à pedibus cùm rigidiſſimo gelu iter feciſſet, inde inflammatâ uvulâ, per exulcerationem è medio amotâ penitus, clarâ quidem voce eloqui poterat, ſed eo ſaltim modo, ac qui compreſſis naribus in verba ſolvuntur, durch die Naſe reden vocamus. In quo ſine dubio ab illâ læſione reſonitus, ſeu productio aëris ſciſſi per mæandros narium, ad ampliandam vocem neceſſaria, vitiata fuit.

Concionator quidam in viciniâ crebrioribus defluxionibus catarrhalibus afflictus, tandem uvulam amiſit penitus, neſcius ipſe, quomodo conſumpta fuerit. Hinc exquiſitè quidem & ſonorâ voce è ſuggeſtu etiamnum officio ſuo fungi poteſt, ſed tamen defluxiones longè crebriores adhuc experitur, ut probè attendentibus, & quomodo olim ſe ſermo habuerit, memoriâ repetentibus, non ad illum tenorem vividum priſtinum accedat. Occaſio itidem fuit frigus, cum crebrius vi officii aëri ventoſo hyemali corpus exponere ipſum oporteat. Quod ſi difficultatem in loquendo, in iis occurrentem, qui à primâ nativitate hâc parte carent, & difficultatem in deglutiendo his addamus, bonam partem phænomenorum horum exhauſerimus.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,

Delirium ex contusione capitis extemporaneum.

ANno M DC LXXXIV. d. 10. Februar. tyro fabri stannarii templum frequentaturus ante ipsum ingressum à saxo, grandi satis & momentoso, sponte suâ deciduo, vulneratus in occipite insigniter duobus locis, concidit, non pauco profuso sanguine; Cranium integrum erat adhuc, sed pericranium vi illâ, ex sublimi adauctâ lapsu, contusum & lacerum ad unam alteramque unciam. Delatus ad Chirurgum cum ad se non rediret, sed deliraret extemplò, verbis minacibus, clausis oculis, & furibundis, si tangeretur, gestibus, quales sunt ebriorum, putabatur ab adstantibus largiùs bibisse & ad ebrietatem usque. Sed veritate cognitâ comperiebamur potius, à morbo, à vulnere extemporaneum & simultaneum id delirium inductum. Idem verò ad novem usque dies continuabat. Non agnoscebat matrem, non respondebat congruè, sed absurdè potiùs, cæteroqui subinde quasi dormitans. Venâ sectâ in pede; propinatâ essentiâ traumaticâ, cum bezoardicâ, pulvere ad casum cum bezoardico & cinnabarinis, impositis exterius sacculis ex beton. rosm. salv. fl. lil. convall. ros. & aliis ex legibus medendi methodi, imposito empl. de betonicâ & stictico, cum linteaminibus concerptis intecto cranio, ut par est, redibat sensim ad se, & curatus plenissimè convaluit. Mirandum est, non comminutum à saxo cerebrum & totum corpus, sed à tergo saltim tactum corruisse, citra læsionem aliam in reliquo corpore, si excepero levius vexatas simul scapulas. Mirandum tam subitò confusos spiritus & delirium momentaneum illatum, quod qui præsentes viderunt utrumque mille testes, non satis potuerunt animo assequi, adeò monstra fiunt etiamnum toto die in medicina.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.
D. GüNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.
Febris Quartanæ Anni 1684. indoles.

CUm Volumen Obſervationum Anni præteriti M DC LXXXI. avidis oculis perluſtrarem, *No. CX.* Celeberrimo Viro G. Franco, cujus amicitiâ ac familiaritate olim uti, inter felicitatis partes habuimus, nonnulla de illius anni Quartanis adnotata reperio. E re medicorum igitur eſſe autumo, ſcire, non ad Rhenum tantum ſed apud nos quoque epidemicè & tam atrociter ſæviiſſe, illud febrium genus, ſive frequentiam ſpectes, ſive pertinaciam, ut ſi ullum aliud, ſtrenuè medicos exerceret: Neque vulgaria erant, quibus ſtipatum, ſymptomata. Cœpit regnare menſe Auguſto, & ſtatim in principio, (ne quis putet culpa medici incrementa ſumſiſſe) triplex ſeſe mihi exhibuit in quodam non typo tantùm, ſed & ſymptomatibus diverſa. Prima aggrediebatur eum hora nona veſpertina, levi horrore, durabatve ad 2. matutinam. Hujus non admodum graves erant moleſtiæ, præter cardialgiam, alias etiam in aliis hic frequentem: Sequens dies erat tranquillus cum integra ſubſequente nocte. Altero mane II. oriebatur hora 8. Hæc nullo cum horrore, ſed ſtupore ingruebat: Finis paroxyſmi erat 9. veſpertina. Qua eadem hora III. incipiebat, alteri adhuc duranti prope ſuperveniens, ita ut nondum plane ceſſante calore, horror ac rigor ultimam hanc fabulæ partem exordiretur. Huic adjunctæ præcordiorum anxietates maximæ, quam, una cum horrore & frigore ceſſantem ſtatim cum calore immanes capitis dolores excipiebant, quæ in ſtatu paroxyſmi mentis alienationem manifeſtam habebant pedisſequam. Hujus paroxyſmi ſinguli ultra 12. horas protrahebantur, eratque hæc omnium graviſſima

eaque

eaque cum II. fixa, cum prima inconſtans aliquot horas præcurreret tempus quo prius acceſſerat. Hæc in iſto ægroto ita ſe habebant, expugnavi eam poſt menſes demum, variis febrifugis & alterantibus, præcipuè tamen China China.

In aliis haut minora erant quæ jungebantur morbo ſymptomata. Delirium præſertim non infrequens: Sudores fœtidiſſimi, ſive ſolveretur in eum paroxyſmus, ſive medicamentis iisdem proliceretur. Frigus præter morem diuturnum, 3. vel 4. horarum implebat ſpatium: cùm calor vix 6. horas haberet. Nonnullæ in continuam degenerabant, mox ad genium revertebantur, verùm hoc iis accidebat qui medicamentis efficaciſſimis obluctabantur. Dolores oſteocopi dicti, & debilitas ex iis ſumma. Pulſus etiam in rigore magnus & frequentior, ſanguis autem ſecta fortè vena profluens, nulla pellicula alba aut pravo colore, ſed qualis optimè conſtitutus eſſe ſolet. Cæterum ego omnes tandem, qui mihi ſuam valetudinem committebant, feliciter reſtitui, ſed præter morem erant pertinaces. Nullam tamen hydrops quod ſciam hîc loci conſecutus eſt.

Talis hîc loci graviſſimi hujus morbi mos fuit: quem depingere lubuit: utile enim ad artem vel faciendam vel excolendam eſſe puto, ut quales morbi hic illic epidemicè graſſentur, cognoſcamus, itaque ego præire volui, ſi fortè Nobiliſſimis Dominis Collegis placeat inſtitutum & deinceps velint de ſuæ etiam quilibet regionis morbis nobis aliquid communicare.

OBSERVATIO IX.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

Hepatis Vulnus feliciter curatum.

O*Bſervatione anni ejusdem CXXIV.* de Hepatis Vulneribus agi video: de quorum lethalitate perdoctè in *Scholio Celſus* noſter diſſeruit, adductis quampluri mis teſtimoniis, non omnia eſſe fatalia comprobans. His

etiam mea accedat experientia: Biennium enim est plus minus quod hîc loci quendam juvenem cultro acinaces in modum reflexo & lato in abdomen ad capulum usque adacto vulneratum curaverim: Vulneris ipsius & locus & profunditas (erat enim in dextro latere, tribus unciis ab umbilico distans eoque superius, & versus spurias costas obliquè procedebat, eratque profundum si specillum chirurgi non fallebat ultra digiti cum dimidio longitudinem,) hepar esse haut leviter tactum, luculenter ostendebant: magis tamen ingens profusio sanguinis, cujus ultra 6. ℔. amiserat, quantam copiam nonnisi hepar poterat in isto quidem loco suppeditâsse: Cùm autem robustus esset juvenis & optimæ constitutionis, & in tempore cum chirurgo adessem, non tantùm facilè stitit sanguis, sed & graviora adeo symptomata præter febrem vulnerariam non magnam, nulla sunt subsecuta, sed adhibitis dextrè remediis vulnerariis maximè potionibus & liquoribus siphone injectis, intra paucas hebdomadas lectum reliquit: Interim vulnus per menses ferè tres mansit apertum, nec claudi potuit. Ego, cum dudum ipsum chirurgi reliquissem industriæ, ea de re ab ipso admonitus, accessi denuò: deprehendi sinum excavatum versus inferiora, cum antea versus superiora vulnus abiret: Ex hoc sinu quovis mane effluebat pus coctum ad ℥j. aut ultra, subsidente mox tumore, qui ibi solebat prius apparere. Primum itaque ligatura & spleniis comprimere, & sic conglutinare tentavimus partes dissidentes, quæ cavitatem faciebant. Sed cùm viderem per dies aliquot continuato, nihil me proficere, deprehendebam etiam intra cutim & musculos pus illud colligi, ad sectionem accessi; Factâ itaque incisione in fundo, superius & verum vulnus claudere jussi, quo facto sensim etiam inferius, incisurâ data opera factum, fuit sanatum, nihilque amplius incommodi inde sensit juvenis.

Videlicet ita cum vulneribus hepatis comparatum esse existimo, ut ea quæ vasa majora attingant, periculosissima sint. Non enim potest facilè hæmorrhagia sisti ob loci difficilem aditum.

ditum. Ubi verò parenchyma & vaſa non adeò magna, nullum periculum eſt: cùm parenchyma etiam pulmonum coire ſit notum, quòd tamen in perpetuo motu, magnisque arteriis refertum, longè plus habeat difficultatis. In hepate enim præterquam quod quietum eſt, paucas etiam arterias habet easque exiguas, venas autem plurimas. Quod ſi in bile ſit balſamum naturæ, multò facilior quoque ex hoc erit ſanatio, verùm de hoc balſamo valdè dubito, adeoque ſententiam meam ſuſpendo.

OBSERVATIO X.
D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,
Lumbrici ex abſceſſu in inguinali regione erumpentes.

VErmes per umbilicum & inguina ſæpè prorupiſſe, multorum optimæ fidei auctorum teſtimonia perhibent, ut de rei veritate haut liceat ambigere. Utrum verò ex inteſtinis à ſe perforatis prodierint, *Felix Platerus* Avus, Germaniæ quondam decus præcipuum, nî fallor, primus dubitare cepit: cauſam adferens, quod nec roſtro acuto, nec dentibus præditi ſint ibi reperiundi, ſugendo autem tunicas eorum abſumere aut perrumpere, ſibique viam ſic parare non poſſint: Quapropter ſedibus externis, facto abſceſſu ſub cute ex putredine natos exiſtimat, nec lumbricos etiam referre, ſed vermes quales in ulceribus alias generentur, docere auſus eſt.

Equidem fateor, primo intuitu rem videri difficultatis plenam, ſi quis velit contra ipſum demonſtrare, prodiiſſe ex inteſtinis: ſive in regione pubis (ſic enim interpretandum, quando ex inguinibus prodiiſſe leguntur) ſive ex umbilico prorepere videantur: Cum enim peritonæum, muſculos, pan-

num adiposum & ipsam cutim perforare, non sit exigui operis, non videtur contemnenda ratio dubitandi quam attulit primo loco. Quod autem addit, non referre lumbricos id quidem, ipsa confutat experientia: Interim tamen etiam si veri lumbrici cernantur prodiisse, cum tamen exulcerationem, hoc ita facto, abesse, credi non possit, tacentibus licet auctoribus, semper objici potest, abscessum ab externis partibus ad intestina penetrasse, ibique orta fistula, viam non fecisse sibi, sed reperisse lumbricos, per quam prodierint id quod cuilibet, exempla à *Schenkio*, aliisque annotata expendenti, facile patebit.

Sed quicquid hujus sit, ego potius abscessum, à vermibus ex intestinis egressis, & in carnosis partibus rodendo inflammationem excitantibus, locumque cavum reddentibus effici, quàm per fistulam ex abscessu secutam illos egredi putaverim: quod ut credam, post alia hæc quoque observatio effecit: Mulier quædam rustica, anno ætatis quadragesimo sexto immanes ventris dolores perpessa est, per satis diuturnum tempus: Vicini ac mulierculæ amicæ, ita ut fit, visitatum veniunt: colicam esse putantes, anticolica ipsi remedia propinare instituunt: illa, nunquam se antea hoc malo laborasse causata, vix admisit, sed aliud quid subesse, continuo prædixit: nec à remediis istis dolor cessavit. Non multo verò post tumorem in inguinali regione prope os femoris oriri sensit, qui diebus aliquot elapsis rubere cepit, simulque ipsum pedis summum à tumore genu versus veluti radio protenso, tres uncias lato inflammatum est. Tumor verò sensim ad nigredinem vergere, ut gangrænam metuerent mulierculæ: Emollientia tamen applicantur, cum non jam amplius erigere se posset ægra, musculis ac tendinibus rigentibus, ac quoties id tentaret dolentibus. His abscessus ruptus est, ex quo primum pessimè fœtens pus effluxit, mox lumbrici veri, XXIV. alii parvi, maximi alii, ut ulnæ quadrantem cum dimidio excederent, exire ceperunt; bini vel terni diebus singulis, ita ut post octiduum tandem fi-

nem

nem exeundi facerent. Vivi autem fuére omnes: nonnulli verò capite prius ſe exhibente, alii media corporis parte, ut duplicati eſſent: magna cautela ægrotæ extrahendi.

His ita peractis, conſuluerunt porro medicatrices mulierculæ, oleum olivarum biberet, quo coiret ulcus & ſanaretur: Paruit: ſed idem mox oleum ex ulcuſculo rurſum effluxit: quo indicio patuit, inteſtina fuiſſe perforata. Ulcus itaque apertum manſit, ex quo cotidie ſerum tenue ſubflavum effuſum eſt, nullius odoris, ejusque tanta interdum copia, ut deſcendens per pedis longitudinem, ejus extremum attingeret. Hîc variam ſubiit ab agyrtis curationem, ſed cum data opera conſolidabatur, ſtatim ingens mulieri dolor, donec denuo materia antiqua veſtigia legens, cutim perrumperet.

Biennio ita elapſo, febre intermittente correpta, ſponte coivit, ſed cum eam interim male mulctaret febris abſurda remedia haut pauca, ut ſolent ruſtici, traxit in uſum: febre itaque ceſſante, fiſtula denuo aperta fuit, & in hunc usque diem patet, XVIII. jam à mali ortu anno labente. Eſt autem foraminulum, frumenti calamum non æquans, ex eovè jam aliquoties lumbrici iterum prodiere, tam magni & perfecti, quàm parvi & exiles, ut filum vix æquarent. Nullus inde dolor eſt, ſed levis intus titillatio, eorum egreſſum præcedit. Domeſtica munia materfamilias obit, ſed à ruſticis, quæ flexu corporis & motu violento conſtant, cogitur abſtinere.

De chylificatione ſollicitus, ſciſcitatus ſum ex muliere, de liquoris effluentis conſtantia. Reſpondit ſe obſervaſſe præter oleum, etiam alia quæ aſſumſerat, allium, cæteraque odore gravi: Braſſicam rubram colore fuſco eum inficere; lacteo lacticinia. De tempore interrogata, poſt horæ dimidium, vel paulo tardius ſe id percipere aſſeveravit, ex quo moram ciborum levioris coctionis in ventriculo patere exiſtimo. Plura experimenta lubens ipſe inſtituiſſem, ſed ſenium mulieris & locus affectus, quem nemini inſpiciendum præbet, prohibuere: audio interim, Excellentiſſimum *Meibomium*, Collegam ho-

noratiſſimum in homine id tentaſſe, qui poterit, ſi quando placebit, eruditas ſuas obſervationes publicæ utilitati conſecrare, plura ea de re reip. literariæ impertiri.

Sed ut redeam ad *Platerum*: Primum id contra ipſum hoc pariter atque aliis exemplis planè evincitur, Lumbricos veros ex ejusmodi proceſſibus prodire. Deinde, inteſtina à vermibus eroſa, non abſceſſu corrupta, teſtantur prægreſſi diu ante dolores, non illo in loco, ubi natus deinde eſt, ſed in medio abdomine: accedit, quod ibi loci prorepſere lumbrici, in quem ob peritonæi tenuitatem (cùm intra duplicaturam procedant vaſa ſpermatica) facilior vermibus tranſitus erat; & quidem, meretur notari, vix legi unquam per ventrem medium eos egreſſos, ſed vel per umbilicum, vel per inguina, id eſt, ipſum hunc locum: Minus deinde credibile, abſceſſum ortum in parte externa, nec adeò malè tractatum, cuniculos hîc loci egiſſe, & peritonæum à pure exeſum, ſurſum enim verſus pus debuiſſet aſcendere, & ſuperare os pubis, quod tamen contrario planè modo deorſum vergere conſtat; ſed ubi & illud factum fuiſſet, cùm inteſtina ſint contigua, non continua, nec eundem ſitum ſervent, quî potuerint affici, non patet: Deflueret enim in infimum ventrem fundum petiturum. Quæ omnia contra doctiſſimum virum videntur pugnare.

Quod verò ad illud attinet, quòd roſtro acuto & dentibus non eſſe inſtructos, ait, nihil nos debet movere, ſi quæ dixi, ſunt vera, fruſtrà enim contra experientiam rationibus pugnatur, nec ejus rei idoneus *Platerus* judex fuit, microſcopiis deſtitutus, quibus multa hodiè reperiuntur, veteribus non viſa: interim ingentes illi cruciatus, quos nobis adferunt lumbrici, de morſu ipſorum aut fortè punctura ſatis ſuperque teſtantur, non licet enim alii rei eos adſcribere. Cæterum eorum erit partium quibus microſcopiorum eſt copia, inquirere nunc curatiùs, utrum dentes ſint lumbricis, quales in vermiculis perexiguis ſubinde hodiè reperiuntur. Confer *Decur. II, Ann. IV. Obſerv. CXII.*

OB-

OBSERVATIO XI.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHEL-HAMMERI,

Abſceſſus hepatis.

ANno M DC LXXXIV. menſe Octobri, chirurgus me convenit, referens, ſe fœminam ſub manu habere, ingenti tumore in abdomine laborantem, haut longè ad umbilicum, dextrum verſus: Emollientia ſe impoſuiſſe, ſed nondum maturatum, imò ne abſceſſum quidem eſſe videri: Rogat ut in medium conſulerem, quid enim ulterius agendum, ſe neſcire, Penſitatis omnibus, jubeo ut adacta lancetta, aperiat: illico effluxere materiæ fœtidiſſimæ & purulentæ libræ tres. Deinde ſingulis diebus bis ulcus mundabat, inſtaurabatque idonea quæ judicabantur remedia, ubi ſingulis vicibus libra integra aut paulò minus materiæ effluebat, non tamen fœtidæ amplius, ſed craſſæ, albæ, pus coctum referentis, niſi quod ad viriditatem nonnihil vergebat: cujus rei bilis cauſa erat, quod ſtatim pateſcet. Omnia medicamenta fruſtrà adhibebantur: mundantia, adſtringentia, vulnerariæ potiones, injectionesque, ipſum unguentum fuſcum Wurzii, & poſt illud ægyptiacum, nihil mutabant ulcus, Appetitus interim proſtratus erat, nec quicquam cibi admittebat ægra, licet optimæ ætatis eſſet, annum enim agebat quadrageſimum. Sic tandem diem obit ſupremum. Aperto cadavere, invenitur hepar plenè computruiſſe ex illa parte qua peritonæo contiguum: quæ verò ventriculum ſpectabat, dimidium totius hepatis putrida illa materia erat repletum. Quæ penetraverat per peritonæum, muſculosve, & ſub cute latens, tumorem ingentem illum concitaverat, qui latus totum prope occupabat, pugnæ duplum excedens. Adhærebat autem hepar ſic ſatis firmiter peritonæo.

Ali-

Aliquoties ex hoc ulcere extraxit chirurgus volsella membranas convolutas, magnaque earum frusta aliquoties exhibuit. Has ego primum credidi esse partes membranæ adiposæ, sed tum patuit, omenti frusta fuisse.

Materia, cùm tanta esset ejus copia, ut evacuari omnis non posset, sub cute descendens, versus os pubis inter musculos se insinuaverat, ibique semel excitaverat tumorem, qui tamen iterum evanuit. Post obitum nihilominus magna ejus copia ibidem reperta est, quæ jam carnem absumserat circum, sed cutim, utpote crassam nimis, non potuit penetrare.

Hæc si conferas cum carbunculis, bubonibus, & abscessibus aliis, apparebit, pus carnes & ossa membranasque exedere, & consumere posse, vel corrumpere, cutim perrumpere vix posse, quod ob duritiem tendinosam, qua prædita est, videtur contingere: Si tamen sponte aperiuntur abscessus, vel in ipsa cute hærere, vel distendendo cutim tenuiorem reddere prius videntur.

Illud etiam addendum: Post ruptum abscessum nunquam de dolore conquestam esse ægram, sed in principio tantùm, ubi pus cutim adjacentesque carnes rodebat: Signo, hepar sensum habere vel nullum, vel valdè obtusum. Certè nullus dolor, nullum sensum indicat: Exprimebat enim sæpiùs vi purulentam materiam chirurgus, nullo doloris sensu.

Mortua est ex febre superveniente continua. Intestina nigricabant idque ab unguento fusco Wurzii & Ægyptiaco injecto accidisse, non est dubitandum.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

Opii vis deleteria & Symptomata ejus.

Quidam ex errore pilularum opiatarum, quarum compositio erat ex MP. de Styrac. ℈iij. & Opii ʒß. singulæ autem pilulæ ponderabant gr. jß. deglutiverat novem, quæ continebant opii grana tria cum dimidio, Croci totidem: Inde illa ſunt orta ſymptomata: Primum (cùm eſſet nox media) ſomnus confeſtim inſomniis gravis ac turbulentus, deinde poſt ¼ horæ linguæ motus impeditus & ſiccitas oris, ut vix verba proferre poſſet. Vigilare ſtatim juſſus eſt, & ſomnus variis ſermonibus diſcuſſus, ad quos reſpondere ſemper tenebatur. Poſt horam ſuperveniebat vertigo & circumgyratio, cepitque caput turbari; retulit etiam poſtea ſe cum lecto in aëre ſibi ſuſpenſum fuiſſe viſum, & quaſi volitare, omniaque cum ipſo circumgyrari; tunc non amplius in lecto commorandum eſſe, judicatum eſt. Itaque ſurrexit, cepitque ambulare: Primùm non ſine titubatione, mox tamen & turbatio illa ceſſavit nonnihil, & inceſſus firmior fuit, non tamen omnimodè, nam motus jamtum imminuebatur muſculorum ſed obtuſus animus & ſui ferè neſcius perſtitit. Non tamen incommoda loquebatur, ſed interrogatus rectè reſpondebat. Inde horæ dimidiæ ſpatio ſenſus omnes præter auditum & viſum ceſſârunt. Acerrimum acetum, jamtum initiò propinatum, nihil acredinis habere dicebat: Tum verò nec Spiritum Salis Armoniaci nec Sal volatile percipiebat nares titillare, imò odore deſtitui pronunciabat. Hinc & ſenſus tactus ceſſabat, & obtundebatur. Denique rurſus intercedente ½ horæ ſpatio frigus omnia membra potiſſimum extrema occupabat: quod tamen non percipiebat. Nam frigidas eſſe manus neſciebat, ita torpebant, ſed percipiebat, ubi

genis admoveret. Interim non ex causa externa esse frigus, sed à principio interno, argumento erat luculentissimo, quod in dorso sentiretur non secus ac ubi febrilis paroxysmus instat. Et hic erat morbi Status, in quo ad fornacem accedens, cum calore externo internum tentaret excitare, aut refocillare, tanta erat motûs musculorum difficultas, ut vix pedes proferre posset, ibique erat morti proximus, si enim accidisset omnimoda motûs intercessio, ut promovere gressum amplius non potuisset, res desperata fuisset penitus. Itaque continuò deambulare jubebatur, manuque ducebatur, etiam invitus, nam somnus admodum urgebat, & oculos sollicitabat assiduè, ita ut semel inter ambulandum obdormiret, nictitaretque, ac sisteret gradum. Sed jam tertia elapsa erat hora, itaque fractis medicamenti viribus, mentis obnebulatio velut è longinquo appropinquante sole noctis tenebræ, discuti cepit: pulsus quoque, qui ab initio nonnihil suppressus fuerat, sensim sumsit incrementum. Itaque aliquantulum dormire ipsi concedebatur. Verùm cùm clauderet oculos, prorsus extra se positus videbatur, nec tam dormitabat quàm sopore oppressus jacebat. Itaque cum jam melius mens sibi constaret, renuit, & fregit somnum, ipse metuens periculum, quod antea non agnoscebat. Deniq; hora quarta propinabatur aqua apoplectica spirituosa, ex aq. lavend. meliss. menthæ & similibus, quo haustu illico spiritus ex suis ergastulis se expedire ceperunt, & jam videbatur erectioris animi, sentiebatque se egregiè refici. Altera vice igitur petiit ipse haustum, eoque impetrato non multo post sensit pruritum in toto corpore, nec temperabat à manibus, sed fricando torporem, qui per totam corporis superficiem æqualiter erat effusus, discussit, sensumque quo privatus fuerat, sensit redire. Sic læta catastrophe finita fuit fabula. Post fassus est, se nullius rei veram habuisse notitiam: omnium tamen quæ acta erant, exactè jam recordabatur. Quæ jussus erat legere, eorum sensum se assequi non potuisse, affirmabat. Oculi ipsi, quadruplo majores crediderat, veritusque fuerat,

ne

ne tantam eorum magnitudinem horrerent adſtantes. Hoc puto à tenſione & convulſione muſculorum Operatio per horas duravit integras 6. Rectiſſime verò mox habuit, & ad conſueta rediit munia, cum vero & placido ſomno vires redintegraſſet.

OBSERVATIO XIII.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

Partus præternaturalis, ad juſtum tempus retardatus.

MAtrona quædam hic viciniæ cum gravida eſſet facta, & ſubducta probè ratione, menſis ad partum unus adhuc reliquus eſſet, ſubito doloribus parturientium ſimillimis corripitur, ita ut, aliquoties mater jam ante facta, nihil aliud judicaret, quam partum inſtare; Accerſitur obſtetrix quæ idem affirmat: cum autem nondum apertum eſſet internum uteri os, abit, Matronam in lecto relinquit: Interim dolores ceſſant, omniaque ſatis tranquilla. Sed circa diluculum dolores recrudeſcunt, aperitur uteri os, & (Mirum & Stupendum!) manum exerit puer extra orificium exterius: In anguſtiis ſic conſtitutæ ſupervenit amica matrona itidem prudentiſſima: Illa re omni audita, auctor eſt, ut aquam frigidam exertæ manui, adſpergere faciat: Huic auſcultat. Quid fit? dictum factum infans retrahit manum, ceſſantibus mox doloribus, os uteri clauditur, retrahit ſe ipſe uterus, & omnia redeunt à ſtatum priſtinum, tam belle etiam habet mulier ut non rei modo familiari præeſſe, ſed etiam exire foras & templum frequentare iterum valeret, donec tandem expleto menſtruo ſpatio, prout recte judicaverat antea, ſcitus ipſi naſceretur puer partu naturali & legitimo, qui etiamnum in vivis eſt, ſalvus ac valens pancraticè, mihi pariter ac permultis hujus

 oppidi

oppidi incolis notissimus. Quid hic factum de membranis fœtum includentibus hujusque nutritione per os?

OBSERVATIO XIV.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHEL-HAMMERI,

Triste fatum infantis nondum nati.

HUic subjungam ejusdem generis sed triste ac funestum exemplum, & quod nescio commiserationem potius an indignationem meritò commovere queat. Brunsvici nuper Proletaria mulier in partu difficili, diem obiit supremum: Hæc postquam Spiritum exhalavit ultimum, deprehensus est infans in utero vivere adhuc, & valido motu exitum quærere. Hîc mulieres adstantes miserrimam infantem mirè se torquentem, & extrema omnia tentantem oculis atque animis immotis adspexerunt: cumque admonerentur, ut facta sectione, mortis faucibus eriperent, & in consortium protraherent viventium, nulla opera potuerunt ad id impelli: crudele facinus causati, mortuæ mulieri vulnus infligere; viventem leto tradere minus crudele reputantes. Itaque miser hic infans unam atque alteram horam matri sic supervixit, & intra ipsam cum morte luctatus est; tandem verò, fractis viribus, nemine opitulante obiit & ipse. Eo vero momento non venter tantum matris, sed & universum corpus ingenti quassatione contremuit: accusante quasi defuncta amicarum detestandam crudelitatem, quod perire prolem suam scientes volentesque siverint, ipsis exprobans, & ista sua commotione post mortem factâ ipsis horrorem incutiens. O animadvertendum facinus! & gravissimis pœnis ulciscendum: Quod enim est quo ab homicidio distat? Maximè verò omnium obstetrix accusanda est, aut potius mos ille, quo ad hæc sæva admittuntur, obstetricesque constituuntur non examinata ipsarum

rum industria, vilissimæ mulierculæ, nec, si talia eveniant, quid facto opus sit, prius docentur.

OBSERVATIO XV.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

Vertigo nocturna.

Rusticus in vicinia laborat vertigine, quam nocturnam appellare licet. De die enim optimè habet, & præest omnibus negotiis rusticanis, laboribusque, at quamprimum vesperascit, & sol vergit ad occasum, nihil oneris levare audet: Hoc enim si facit, ut truncus in terram concidit; nec egredi domum imò vix per plateam incedere: Mox sole oriente surgit ad pristina negotia alacris & robustus. Hunc nulla medicamenta juvarunt.

OBSERVATIO XVI.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

Opii vis sudorifera.

Quidam immani capitis dolore vexatus, cùm post alios frustrà adhibitos in consilium, meâ operâ uteretur, conquestus miserè, se per mensem & amplius nunquam somnum oculis vidisse, pilulas anodynas sumsit, ex MP. de cynoglos. opio, & syrupo papaveris constantes. Hæ sudorem eâ nocte tam intensè moverunt, ut ter indusium mutare cogeretur. Alterâ etiam vice datæ, eodem effectu, sed mitigato nonnihil: imminuta jam materiæ copia: caput verò cumprimis & præ cæteris partibus sudore maduit: His peractis, dormivit, cessàrunt dolores, & statim convaluit. Erat autem hemicrania, & quidem periodica, quo-

quotidiè quinta aut sexta vespertina recurrens. Hic sudor an opio adscribendus? an verò naturæ antea oppressæ, tum verò per medicamentum sibi redditæ ut sui compos, molestum acre serum per poros expelleret? Quod sæpè ita fieri, haut incertis experimentis edoctus sæpiùs fui. Et quia in hoc argumentum casu incidi, unum exemplum, idque nuperrimum, referre lubet.

OBSERVATIO XVII.

D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI,

Puelli desperati cura.

RUsticus quidam, cujus puellus nondum bimulus primum immani tussi laboraverat, mox ex illa in febrim ardentem inciderat, frustrà sollicitatis pharmacopœis, obstetricibus, carnificibus, medicastris, cùm jam esset res desperata, meam implorat operam. Ubi statum morbi intelligo, in extremo periculo constitutum infantem prædico: neque aliud quicquam præscribo præter aquas refrigerantes, cum tantillo aquæ cordialis, pulvere epileptico Marchionis, coralliis, oculis cancr. & syrupo papaveris: Cum hoc medicamento ipsum remitto, & si quid spei se ostenderit, redire jubeo, nihil interim minus quam reditum istum sperans. Cùm domum venit, infans jam animam agere videtur, rigentibus oculis: Ex lectulo igitur in mensam adstantem collocant: ubi eò transferunt, tremit manibus pedibusque, totusque rigidus est, vera nempe epilepsia correptus. Infundit tamen in apertum os medicamen sollicitus parens. Quo assumto aliquoties, alvus moveri cepit, qui antea stipatus erat, & materia excernitur coloris & odoris teterrimi, sex sedibus subsequentibus. Hinc in somnum incidit viginti quatuor horarum, ac deinde reconvaluit. Hic si gialapium sumsisset, num potuisset feliciús purgari? Aut, nisi mixturam illam sumsisset, an non epi-

epilepticus interiturus erat? Non potest autem unum & alterum cochleare tantam obstructionem humectando solvisse: restat igitur, ut confortando naturam.

[*Helmstadio ad D. Volckamerum & d. 21. April. 1686. Augustam missæ.*]

OBSERVATIO XVIII.

Dn. JACOBI AUGUSTINI HÜNERWOLFFII.

De

Curatione affectus spasmodici ab incantatione.

MArgaretha Armsterin, uxor villici Holtzhusani, ex improvisó horrendis convulsionibus correpta, os trahebat ad aurem sinistram, oculos invertebat, manus & brachia in gyrum agebat, pedes in globum torquebat, & omnia ossa ejus cum dolore maximo crepabant. Hoc autem ter & quater in die accidebat. Curatus à nonnullis affectus hystericus, nullis morem gessit medicamentis. Alii frustrà instituerunt vermium curam. Vocatus exhibebam ægrotæ ob nauseam & ructus nidorosos Tartarum emeticum, quò copiosè rejecta fuit materia mucilaginosa, flavescenti ranarum spermati non absimilis. Mirabantur præterea adstantes, quando ad os vel manus patientis admotâ ptarmicâ aridâ floribus albis, contra veneficia tanti æstimata à ruricolis, vel suffumigiô ex asa fœtida, verrucis equorum & similibus usurpatô, crudelius, postea verò mitius torquebatur. Tentatis tandem omnibus, alexipharmacis etiam optimis, jubebantur à nonnemine plantis pedum decumbentis imponi recentia alni folia, & penitus evadebat ex morbo, non alia forsan de causâ, quàm quòd ex punctô maximam partem charactere morboso impressô medicamentis adhibitis, ista folia virtute diaphoreticâ, balsamicâ, nervinâ revellere, demulcere, & roborare poterant.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.
Dn. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.
De
Ileo lethali à vermibus.

ANna Veitin, Specularii Arnstadensis conjux melancholica, annorum triginta, post intolerabiles infimi ventris cruciatûs, evomuit cum fece liquida sedecim lumbricos teretes robustissimos, & animam efflavit in sudore frigido. Cadavere apertô, in medio ilei intestini membranas cuculli adinstar extensas, & foramen ibi magnitudine grossi extrinsecus tenuissimâ membranulâ clausum, utrinque verò intestinum unius digiti longitudine, mesenterium duorum transversorum latitudine nigrum & gangrænâ corruptum deprehendi.

Sic furit in miseros homines animata putredo,
Extremumq; ferunt vulnera tecta diem.

OBSERVATIO XX.
Dn. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII.
De
Lachrymis verminosis.

FOemina quædam, anus lippiens maritum in exequiis deflens, linteolô mundô abstersit oculos, idque madidum lachrymis domi servavit in cistula mundâ, & commutavit cum alio. Sequenti die revisens cistulam observavit anus, & monstravit mihi prius linteolum muscellis candidis refertum, quod & ipsi cum linteolis aliis contigit sæpius. Quid istuc ergò tàm mirum est, si per levissima & transilia ejusmodi corpuscula pusiones sub aspectu fascinantur à vetulis insanis?

SCHO-

SCHOLIUM.

Quamvis in lachrymis hactenus nemo adhuc vermiculos, quales in aliis quibusdam corporis partibus microscopia detexerunt, se observâsse memoraverit, potuisse tamen muscularum genus aliquod exiguum, ovula quocunque modo vel per patentem oris hiatum ventriculo ingerere, & ita cum chylo illa in sanguinem deponi, ab hoc verò in lachrymales ductus, lippitudine laxiores factos, secerni, ibique excludi, non est improbabile. Quamvis etiam linteoli à lachrymis madidi odor certum muscularum genus, non secus atque aceti odor singularem muscarum speciem, in *Ephem. nostr. Dec. II. Ann. II. Obs. LVIII.* descriptam, & vermiculorum anguillarium in eo genitricem, allicere potuerit. Cæterùm ex oculis effluvia acria exhalare, quæ in corpus aliud migrare, ibique per varios meatus intromissa sanguinem inquinare & multorum malorum causæ exsistere queant, quis dubitet? inprimis ubi ira, odium, vel alius vehementior animi adfectus, qui magnum in sanguineam massam & spiritus imperium obtinent, eosdem nimiùm agitaverint, sicque unà ad particulas maximè mobiles & activas, quæ superiora præsertim, oculos etiam, non dicam solos, sed magna in copia petere solent, expellendas disposuerint. Quamvis enim fascinationem istam, latiori quidem sensu sic dictam, solis oculis deberi, cùm tot alia præterea corporis emunctoria, concitatis humoribus subtilioribus exitum datura, occurrant, haud adeò adfirmari queat, omnis tamen halituum emissio oculis denegari nequit, in quibus & humoris difflabilis, & partium porosarum præsentia conspicitur. Hinc memorabile est, quod *Petr. Borellus cent.* 3. *hist. med.* 1. & 67. de perspiciliis ab oculorum effluviis sensim corrosis memorat.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXI.

Dn. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII,

De

Brachiis ſcrofuloſis.

Χοιράδες glandulas eſſe induratas, omnes norunt, ac nemo tumidum guttur miratur in alpibus. Ridiculum iſtud decus potiſſimùm in collo, axillis, & inguinibus obſervavit *Actuarius*. Idem cum *Paulo* vidit ejusmodi tumores poſt aures, in mammis, & articulorum flexuris. Ex carne colli, alarum, mammarum & inguinum ſcrofulas naſci notavit *Aëtius*. In omnibus ferè partibus corporis easdem deprehendit *D. Prückelius* noſter *in Obſerv. 8. Ephem. Germ. Dec. I. Ann. 9. & 10.* Plures ipſe vidi in brachiis Dn. Joh. Eckoldi, Senatoris noſtri, ab humero usque ad carpum tendentes, ſalvis flexuris, magnitudine ovorum gallinaceorum, molles, indolentes, mobiles, ad lunæ mutationes creſcentes & decreſcentes, nullô geſtantis incommodô.

OBSERVATIO XXII.

Dn. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII,

De

Catarrho ad nares ex roſarum odore.

ROſa, florum honos, contra tantam morborum iliadem efficaciſſima, ſuô notanda venit incommodô. Ex hâc quippe tàm nocens odor afflatur aliquibus, ut affligantur nunc morbô, nunc lethô pereant præcipiti. Interemptorum ex hac cauſa in hiſtoriis Medicorum paſſim leguntur exempla. Ex eadem cauſa dolores capitis & dentium, ſternutationes, ſuffocationes, animi deliquia, ſanguinis eruptiones, puſtulas excitari, notorium eſt. Catarrhum ad

nares

nares molestum toties novi hic in viro quodam exortum, quoties ille florens rosetum intravit, aut rosam recentem olfecit. Huic spiritus apoplecticus fortis admotus muccinio naribus, ptyalismô subortô, unicè profuit.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. JACOBI AUGUSTINI HüNERWOLFFII,

De

Hausto Napelli veneno potatione extincto.

VIr bonus Arnstadii in convivio ex esu aprugnæ, floribus variis, quos inter flos napelli cœruleus erat, exornatæ, non levem sensit ardorem in ore & ventriculo, tumoremque in lingua, quibus tamen ob causam non intellectam neglectis, conviva hic ita merum in se ingurgitavit, ut subindè eructaret, & ex gula revomeret quævis assumpta, unaque venenum exploderet, nullâ remanente noxâ.

[*Arnstadio ad D. Wedelium, & d. 21. April. 1686. Augustam delatæ.*]

SCHOLIUM.

IN hac Observatione natura se morborum medicatricem revera ostendit, ab ingestis utpote sollicitata, cibos & unà venenatos flores per vomitum expellens; quod aliàs ejus ministri, per artem concitato vomitu, efficere jubentur & feliciter præstant. Fortunato itaque magis eventu, quàm generoso cuidam apud *Thomam Willis* accidit, quem in maniam lethalem à foliis aconiti vel napelli teneris, in acetariis cum aliis herbis inter prandendum comestis, incidisse, *tract. de anim. brut. part. 2. cap. 12.* memorat. Mortiferum etiam ejusmodi esum civi cuidam Hildesheimensi contigisse, *Guil. Fabricius Hildanus* in *præfat. oper. chirurg.* refert, *hoc exemplo,* addens, *matronas nostras*

 absterrere

abſterrere ſoleo, ne tantopere de pancarpiis ac ſertis ſint ſollicitæ, ut napello propter florem in hortis ſuis locum dare velint.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXIV.
D. DANIELIS CRüGERI,
De
Efficacia Smaragdi in menſium fluxu nimio.

VIrgo quædam ſedecim annorum formæ atque morum præſtantiâ conſpicua, incidit in fluxum menſium nimium, durantem ad ſex ſeptimanas, usquedum viribus fractis cogeretur morbum manifeſtare; vocatus cum Collega meo *D. Doct. Avenio*, ordinavimus potum *Riverii Obſerv. 94. Cent. 1.* ex aqua plantag. naphæ, roſar. ā ā. ℥j ſang. Dracon. gr. xij. Salis prunell. ℈ij. M. Exinde omnia ſymptomata & ipſe fluxus deſiit, ſed altero die recrudeſcebat. Reiteravimus potum præſcriptum, ſed retinere non potuit, idcircò ad pulveres adſtringentes & alterantes confugimus, ad margaritas, corallia, croc. Martis adſtring. bol. Armen. ſang. Dracon. lapid. hæmatit. nihil inde levaminis, Uſneam, ſuccum urticæ & alia ſpecifica, item opiata temporaneum tantùm auxilium contulerunt, pectoris accedente anguſtiâ. Bufones ſub axillis & genubus applicati, fotus ex adſtringentibus cum aceto & aqua fabrorum, nihil contulerunt, omnia fruſtrà; itaque cùm res eſſet deſperata, ita ut omnia medicamenta evomeret & abhorreret, ſacroque viatico ad aliam vitam ſe præpararet, tandem ex analogia argumentatus ſum, ſi ſmaragdus in dyſenteria, meâ quidem experientiâ, ſæpiùs contulit, non incongruè eundem & hîc cum fructu exhiberi poſſe, itaque honoratiſſima virgo multis precibus exorata, tandem pulviſculum exiguum ſine ſapore & odore à me commendatum

cum sumpsit. Dedi itaque smaragd. præparat. gr. viij. mox se levamen cordis & symptomatum sentire deprædicavit, post sex horas reiteratum medicamentum & hoc continuatum per quinque dies, & sic virgo nobilissima, unica Parentis de Republica meritissimi filia, absque ullis aliis remediis, Deo benedicente, cui sit laus & gratiarum actio, convaluit.

SCHOLIUM.

SMaragdi in dysenteria vires, ex variis Autoribus, inprimis ostendit *Dan. Sennertus in paralipom. ad lib. 3. med. pract. num. 5.* quin & alias hæmorrhagias sistere, *Anselm. Boëtius lib. de lap. & gemm.* animadvertit; quare etiam Tinctura ex eo parata in omnibus hæmorrhagiis, uterinis quoque, commendatur; vid. *N. de le Febure Chim. part. 2.* Unde verò ejusdem vires proveniant, incertum. Si *Paracelso* credimus, *tom. 8. lib. 2. philosoph. tract. 5. cap. 3.* smaragdus cupream naturam, sive colorem à cupro obtinuit; prout etiam *Jul. Cæs. Scaligero exerc. 104. de subtil. §. 8.* originem ab ære habere dicitur, tum quòd colore cum ærugine conveniat, tum lapidi Lydio affricatus, Indiæ mercatorum exemplo, æris colorem reddat; id quod etiam Tinctura ex eo parata; cœruleo colore, Veneri insito, conspicua: tum quòd in vitris smaragdino colore imbuendis æruginem vel Veneris crocum artifices quandoque adhibere soleant, probabile reddit. Cùm verò vis antidysenterica Veneri metallicæ haud competat, quæ ventrem turbare potiùs, & acido morboso saturata corrodere valet; nec etiam corpus terreum, (cui quidem ut corpori frigido & sicco, si cum Veteribus loqui liceat, alvi sanguinisque fluxus moderandi vim non prorsus denegabimus,) tincturam istam dispersam continens, in parvo utpote pondere adhiberi solitum, acidum dictum sufficienter absorbere & mortificare queat, vel tingens illud sulphur smaragdinum ab alio deducendum erit principio, vel quod de aliarum gemmarum virtute fateri communiter solent, incognitam smaragdo vim inesse, dicemus, quam insen-

ſibili particularum emiſſione, vel uti loqui amant, irradiatione, & ita ſpecificâ virtute exſerat.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXV.
D. DANIELIS CRüGERI,
De
Febrifugo Riveriano.

VArias Obſervationes Clariſſimus Autor de hoc febrifugo ſua habet *Centur. 3.* idque ſecuriſſimum deprædicat, ejusque deſcriptionem ænigmaticè in *appendice* proponit. Cujus enodationem *Rolfincius*, Profeſſor & Præceptor meus Jenæ olim meritiſſimus tentatus eſt in *Chimia ſua in A. F. R.* vid. *p. 373.* nempe medicamentum conſtare ex Auro, Antimonio, & Mercurio, quem modum & recenſet ex eo *Digby* in *experimentis Chymicis & Arcanis ſuis* explicante *Harmanno Anno 1684. editis, p. 211.* Verùm aliam explicationem addit *p. 213.* & pro vero febrifugo agnoſcit, ſi componatur ex Mercurio dulci duodecies ſublimato & Mercurio vitæ correcto, modo ibidem enarrato; Cui adſtipulatur Curioſus & laborioſus *J. H.* Jungken / operibus ſuis in Medicina editis clariſſimus, *p. 374. in ſuo Medic. præſent. ſec. accomm.* Verum jam ante annos decem Medicus quidam Senex hoc Medicamentum ex Mercurio dulci duodecies ſublimato Mercurio vitæ correcto ad mentem *Riverii in Inſtitut.* & in Pomerania ad experientiam Anno 1672. revocavit, qui ex intimo *Riverii* ſe in Italia illud accepiſſe jactitabat, & certè in multis & ultra 50. Quartanariis id bene ceſſit, graſſabatur enim tum temporis Quartana Epidemicè, primâ enim vel ad ſummum ſecunda exhibitione febris emanſit. Aſt in tribus perſonis Clariſſimis malum effectum habuit.

Primus erat Conſiliarius Provincialis Pomeraniæ meritiſſimus *Dn. à Küſſovv*, qui in enormes vomitiones & ſeceſſus incidit,

incidit, & tertio die mortuus est, cum aliàs ex febre ista non esset mortuus.

Alter erat Consiliarius Regiminis *Dn. Brunnemannus*, qui quidem ab assumto remedio à febre liberatus, ast in magnam cachexiam incidit, ita ut postea demum multis remediis restitutus sit.

Tertius itidem erat Consiliarius Dicasterii Electoralis Brand. meritiss. *Rabnerus* qui assumto hoc remedio tantas turbas in corpore animadvertebat, ut vix ex morte, vino Rhenano, eriperetur.

Jam quæritur si nonaginta tali remedio possent à quartana liberari, centesimo autem esset moriendum, an tali remedio salva conscientia Christianus uti possit? Responsionem aliis relinquo. Forsan responderi possit, Medicamentum illud non fuisse ritè & accuratè correctum. Verum Medicus ipse præparavit & multoties aliis exhibuit. Ast ego existimo non omnium naturarum proprietates, ad talia remedia exquisita, quæ in radice sua aliquid maligni fovent, esse proportionatas, & idcirco succumbere. Quid Senex noster *Thonerus* honorandus in antimonio diaphoretico saltim observaverit in *Observat. suis*, proponit *Observ. 7. in Append. de Pestilentia.*

SCHOLIUM.

VAriæ de Febrifugo hoc Riveriano circumferuntur conjecturæ. *Christophor. Schorerus in lib. Medic. peregrin. pag. 99.* haud dubitandum esse putat, ex antimonio illud procedere, aut minimùm antimonium recipere, ab amico non aliud quàm pulverem Cornachinianum esse monitus. *Tackenius* illud declaraturus, præter quartum *Riverio* sic vocatum athletam, quem Diagryd. esse putat, ex unico subjecto, alcali repræsentante, & binis acidis fieri, in *Hipp. Chim.* innuens, per illud mercurium, per hoc vitriolum & sal intelligere videtur, qui sanè modus cum *D. Frider. Hoffmanni* illo, in *Clav. pharmac.*

mac. Schröd. lib. 3. cap. 15. pag. 275. ex quo Cl. *D. Helfr. Jüncken* eundem *chim. experim.* inseruit, convenit. Sed *Bernardinus Christini*, qui *Arcana Riverii*, Præceptoris quondam sui, Venetiis An. 1676. in lucem edidit, ex floribus Antimonii ter cum sale ammoniaco sublimatis, vitro Antimonii hyacinthino, mercurio vivo cinnabarino, auroque, in aquis Stygiis eadem solvendo, duodecies illas abstrahendo &c. parare hoc edocet, hoc unicum esse sincerum adfirmans, quartumque athletam itidem ut videtur, scammonium, & quidem sulphuratum illud constituens: quod sanè medicamentum, licet compendiosiori ratione parari queat, in quartanis destruendis non contemnendas possidere virtutes, haud est incredibile; quamvis & alterum illud ex mercurio sublimato & antimonio sub mercurii vitæ nomine latente, ritè paratum & prudenter exhibitum, non minùs salutare in febribus istis edomandis esse queat.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXVI.
D. DANIELIS CRüGERI,
Suppressio Urinæ octo dierum lethalis.

PEr-Reverendus Consultissimus atque Excellentissimus Dominus *Sebastianus Brunnemann*, Consiliarius Regiminis atque Dicasterii Electoral. Brandenb. gravissimus 67. annorum per aliquot dies reddidit urinam instar aquæ fontanæ albissimam. Quem colorem *Hippocrates* à calculo provenire censet, dum nimirum θολωδέστατον seu turbidissimum illud, seu ut recentiores vocant, tartareum & salsum concrescit & in lapidem coagulatur, reliquum aquosum & quod coagulari & concrescere non potest, effluit, unde urinæ fiunt aquosæ.

Verum urina hæc etiam alia ratione fieri potest, nempe cum jam cavitas renum & ureteres arena limosa repleti, urina transcolando albescit, subsistentibus nempe particulis salinis in

in arenâ, quemadmodum videmus, quando aqua marina per arenam transcolatur, quod tum dulceſcat, & ſalſedinem amittat; tum & ipſi renes debiles principia urinæ disgregare & urinam corrumpere poſſunt. Utrumque in exemplo præſente locum habere poteſt. Calculis renes refertos fuiſſe, hoc ſignum patefacit, quod à multis annis, cum vehementius ambularet, urina cruenta prodiret, tum ſecundo quod ſæpius doloribus nephriticis corriperetur cum vomitu & reliquis ſignis conſuetis, paucis tamen poſt horis remittentibus, nullis unquam ejectis calculis, argumento indubitato, majores eſſe calculos quàm ut ureteres tranſire poſſint. Hâc vice poſt urinam albam iterum corripitur dolore circa renes & ureterem ſiniſtrum, qui tamen intra paucas horas, linimentis & clyſteribus ſedabatur, idcirco altero die ſumpſit laxativum, ad ſaburram quæ calculum concomitari ſolet ejiciendam, è prunis tantum & foliis Sennæ decoct. cum manna, verum per dimidiam horam tantum retinuit, ter tamen dejecit, urina eodem die alba adhuc ſatis copiosè profluente. Die 3. Auguſti manè cum iterum de urina percontarer, nullam ſe emiſiſſe illo manè dicebat, ego mox perterritus exhibui oculos cancri, item Vinum Alkekengi cum ſpiritu ſalis pro potu, Clyſteres & linimenta adhibita, verum omnia fruſtra, nullus dolor aderat, nullumque ſymptoma, idcirco perluſtratis circumſtantiis, experientiâ in tali caſu jam confirmatus, periculum adeſſe ediſſerui, & ut famæ meæ conſulerem, petii ut & alius Medicus acerſeretur, idcircò adjuncto mihi Collega meo honorando *D. Avenio, d. 4.* manè dedi ſucc. radic. raphani commun. ℥iij. vini Hiſpan. ℥ij. hor. 9. ol. deſtill. ſuccini gutt. xiiij. hinc Balneum ingreſſus herbis diureticis, emollientibus alteratum; A meridiè ſucc. armoraciæ ℥ij. vin. Hiſpan. ℥ij. hor. 4. Clyſter *Riverii* nihil levaminis habuit.

D. 5. Aug. manè ℞. terebinth. ℥ß. vitell. ovi N. j. ſacchar. ℥ß. vini Rhenani ℥iiij. Miſce exactè in mortario ſenſim affundendo vinum. Dejecit quinquies multa pituitoſa, & aliquot

 cochlea-

cochlearia urinæ; Veſperi hor. 4. Spiritus ſalis Armoniaci ſuccinat. ʒß. Spirit. Tartar. ℈j. Elyxir. junip. ʒij. Salis ſuccin. volat. gr. viij. Aquæ fœnic. petroſelin. ãã. ℥j. Syrup. dialth. ℥ß. M. Nihil fecit. Clyſter iteratus d. 6. Aug. Verùm cùm res in anguſto eſſet, quilibet accurrebat ad patientem aquis (ut ita dicam) immerſum, ſublevandum, inter alios Chirurgus, qui per 30. annos Indiam perluſtrâſſet, Arcana ſua quæ in navibus expertus eſſet, proponebat ſequentia: 1. Cantharides ad gr. vj. 2. Nitrum ʒij. Oleum tartari ʒj. cum vino Rhenano ℥iij. 3. Emeticum è tartaro emetico Mynſicht. Alter Chirurgus qui per multos annos cum circumforaneis periclitâſſet, ſua exponebat: 1. Confect. Hamech. cum mercurio dulci. 2. Decoct. ſabin. cum allio & macere. Sed his propter certas cauſas aſſenſum non dedimus, ſed ſequenti Medicamento Naturam ſollicitavimus, ut ſimul per alvum & renes urinam moveremus: ℞. radic. pimpinell. petroſelin. ãã. ℥ß. flor. cyani, calcatrippæ; herb. veronic. beton. capill. Vener. ãã. Mß. fol. Senn. rhabarb. agaric. troch. ãã. ʒj. coq. in ſ. q. vin. alb. Franc. Colatur. ℥iiij. adde ſalis tartari ℈ij ſpirit. ſulphur. gutt. xx. ter dejecit. Ecce & ſemper urina fluxit, idcircò hoc remedium albo calculo notandum, verùm eo die nihil niſi cereviſiam calidam, in qua magna quantitas aniſi incocta erat, cum butyro hauſit; item vinum Alkekengi. Hinc magnum gaudium apud Conjugem & nos exortum eſt.

Verum exſpirante virtute medicamenti & urina iterum ſubſtitit, idcircò circa veſperam dedi Ocul. cancr. ſuccini alb. ãã. ʒß. olei deſtillat. fœniculi gutt. v. nihil fluxit. Idcircò altero die d. 7. Aug. iterandum duximus auxilium laxativum d 6. adhibitum. Iterum urina fluxit ſed parcius, idcircò circa veſperam: ℞. Radic. pimpinell. Fol. ſabinæ, Semin. aniſ. ãã. ℥jß. Macis ʒjß. coq. in ſ. q. vini Franc. Colatur. ℥iiij. add. Tartari vitriol. ʒj. Sed urina ſubſtitit, neque ulterius fluxit, ad vitæ usque terminum. Per totum morbi decurſum cataplaſma ex parietaria, item ex cepis externè applicatum. Item teſt. ovor. cal-

calcinatæ ad ℥ij. exhibitæ, Decoct. Foresti cum guttis xx. Spirit. terebinth. sed omnia frustrà. Idcircò cum vidimus omnia desperata, Spiritum Salis & alia levia ordinavimus. Sensim enim convulsiones accesserunt, quibus auctis d. 9. Aug. hor. 2. aquis submersus vitæ naufragium fecit Vir de Republica nostrâ benè meritus. Notandum, per totum morbi decursum nullus dolor, neque febris, neque sitis, neque tumor abdominis, omnia medicamenta benè assumpsit & toleravit. Mortis eventum ab initio morbi mox præsagire potui: 1. quia in primis tribus diebus tanta virium imbecillitas aderat, ut erectus in lecto sedere non potuerit, imò ex levissimâ motione in lipothymiam incideret, unde cùm indusium indueret, in lipothymiam incidit, neque ulla causa interna hujus morbi gravis perspici poterat, verùm factâ suppressione urinæ, vires ita rediére, ut non tantùm ambulare, mensæ assidere, sed etiam balneum ingredi posset, factâ nempe crisi infelici & translatione crassæ pituitæ tum ad pectus, unde tussis vehemens & excretio materiæ viscidæ & phlegmaticæ diu noctuque, sed etiam ad renes, unde illa obstructio in angustis emulgentium capillaribus per renes dispersis, unde urina ad vesicam non translata, & videtur in talibus casibus mors ferè naturalis, dum massa sanguinea quasi in vappam degenerat, perque venarum capillarium anfractus ulterius circulari nequit. Hinc 2. nullus dolor; quod indicium utplurimum in hoc affectu lethale; sopita enim facultas expultrix renum & emortua, non est modo aliquo de corporis salute sollicita. Nuper hîc etiam ancillæ renes suppressione urinæ mortuæ, inspeximus, in quibus calculos avellanarum magnitudine & alios minores deprehendimus, à quibus non tantùm renes maximè erant distenti, sed & tanta saburra limosæ & arenosæ materiæ & instar pulpæ pisorum calculos concomitabatur, ut ureteres inde infarcti digiti minoris crassitiem adæquarent; per mensem suppressio hæc duravit, supplente mictionem diarrhoea, venter tamen tumidus, dolores in renibus, sæpiùs epilepsia accedebat, quâ tandem mortua.

Hoc obiter addo, (quoniam in suppressione urinæ sæpiùs epilepsia sæpissimè convulsiones adsunt,) non tantùm ab acido epilepsiam concitari, sed manifestâ hâc demonstratione & experientiâ, cumulatis salibus volatilibus urinosis in sanguine ex suppressione urinæ, talia etiam salia epilepsiæ causam esse posse, imò & alias causas inordinatum & cum impetu spirituum animalium in musculos influxum concitantes. Salvis aliorum judiciis.

[*1686. d. 21. April. Augustam delata.*]

OBSERVATIO XXVII.
D. FRIDERICI MOLLERI,
A Lumbricis horrenda symptomata.

NObilis *à Sydcz*, Magister Equitum anno 1658. ducebat in Castrum hoc Custrinense suum filium tredecim circiter annorum, vegetum, externam si conspexeris formam, nisi quod facies aliquo modo pallida esset: assumebat cibum & potum pro necessitate; ille quotidie circa horam tertiam pomeridianam prehendebatur inquietudine; anxietate cordis, ut lectum petere cogeretur, insigni melancholiâ, desperans de gratiâ Dei, & vitâ æternâ. Urina erat ferè naturalis, parum tincta. Symptomata hæc durabant per integram horam. In principio opinabar esse melancholiam hypochondriacam. Sed per quatuor aut quinque dies frustra adhibitis huic affectui idoneis medicamentis, mihi in mentem veniebat observatio *Schenckii* quam habet *libro tertio, Observat. 201.* ex *Cardan. lib. 8. cap. 43.* quod quidam lumbricis conflictatus linguâ, quam nunquam didicerat, locutus sit, præmissa essentiâ seminis Cynæ & Centaurii minoris, Cardui benedicti &c. propinabam ex Rhabarbaro & Jalapâ purgantia, optimo cum successu, siquidem ejiciebantur duo lumbrici teretes vivi primo die: sequenti iterum duo: tertio unus, dimidiam ulnam

nam

nam longi erant ferę omnes: quibus ejectis pristinæ restituebatur valetudini.

SCHOLIUM.

Quàm horrenda lumbrici in hominibus excitent symptomata, præter aliorum Observationes, hæc ipsa satis superque demonstrat. Adjungo aliam huc quadrantem. Adducebatur mihi rustici puer sex annorum, tenerioris constitutionis & palloris plenus. Hujus parentes explicabant mihi ejus affectum, quòd nempe semper circa lunæ decrescentiam laboraret difficultate loquelæ, ita ut metuerent obmutescentiam: Elapsis autem duobus vel tribus diebus loquela rediret, & benè loqueretur iterum usque ad recursum decrementi lunæ. Affectus jam durarat per aliquot menses & videbatur augeri. Quid consilii? aderant lumbrici, qui ubi erant expulsi, affectus, cum Deo, erat expulsus. Fullo hujus loci 26. annorum mense Martio 1686. corripiebatur dolore artuum cum metu contracturæ. Quia habebat vitiosos in corpore humores, dabam purgans ejus naturæ accommodatum, & exclusit cum excrementis copiosissimè lumbricos. Subjuncto stomachico & nervino medicamento reconvalescebat. Virgo 24. annorum laborabat retardatione mensium cum intumescentia glandularum colli evidenti & cephalalgia sat molesta. Porrigebam purgans in antecessum curæ, & magnam excernebat lumbricorum copiam. Curæ adhuc subest & indies vegetior existit. An lumbrici queant remorari fluxum mensium, quærere, non est de nihilo: turbant utique coctionem ventriculi & intestinorum, bonum exsugunt succum, sanguinem inquinant & reddunt fæculentum, inde Obstructiones: hinc pallor ora notat eorum qui lumbricos alunt.

[*D. Sam. Ledelius.*]

OBSERVATIO XXVIII.
D. FRIDERICI MOLLERI,
Paralyſis ſcorbutica.

NObilis fœmina, *à Götzen,* Uxor Magiſtri Equitum à Oſten, familiæ honoratiſſimæ, viginti quinque annorum, pallida, macilenta parum, ſterilis, adducta in Caſtrum Cuſtrinenſe anno 1653. menſe Junio meæ curationi committebatur. Conquerebatur de dolore lienis, laſſitudine omnium membrorum, obſtructione alvi. Paulo poſt incidebat in paralyſin totius corporis, ut ne manus quidem elevandæ ſuppar eſſet, & lodicibus de loco in locum transferenda eſſet; appetitus erat proſtratus, ita ut extra juſcula & ova, omnes cibos renueret. Ex ſignis concludebam eſſe paralyſin ſcorbuticam. Univerſalibus præmiſſis frequenter adhibebam Clyſteres; porrigebam ſuccos antiſcorbuticos recenter expreſſos cochleariæ, becabungæ, numulariæ, acetoſæ &c. juxta normam *D. Horſtii, lib. 2. part. 2. de morb. contag. & malign. p. 171. obſerv. 26.* Ut etiam membris reſolutis ſubvenirem, curabam Ægrotam inſeri vaſi ligneo vacuo: Abluebantur omnia membra decocto herbarum primulæ veris, Cham. artemiſ. herbarum antiſcorbuticarum, bacc. Juniperi, lauri &c. tepido bis & ter indies, ſpongiâ. Decoctum ante uſum colabatur. Poſt ablutionem in fundo vaſis deprehendebatur illuvies copioſa, quam ex poris emanaſſe liquido conſtabat. Hac methodo priſtinam recuperabat ſanitatem. Poſtea ſæpius hypochondriaco moleſtabatur affectu. Moriebatur anno 1683. catarrho ſuffocativo, ſterilis.

[*1686. d. 24. April. à D. Ledelio Auguſtam miſſa.*]

SCHO-

SCHOLIUM.

BAlnea quid valeant in Republica Medica, est in aprico. Illuvies autem illa in fundo vasis deprehensa, an è poris corporis emanarit, an potius ab herbis & aliis ingredientibus fuerit, quæri posset. Nec obstat Colatura: novimus enim aquam simplicem, destillatam & alia, deponere impuritates & nubeculas, licet colentur, quantò magis compositum decoctum. Nostri Grunbergenses hoc genus curæ habent sat antiquum. Si quis conqueritur indiscriminatim, quod malè habeat, cujus cujus sit ætatis aut sexûs, tùm statim lavant faciem adultorum, aut etiam totum corpus infantum cum facie, ex aqua, in qua folia dentis leonis, aut taraxaci fuêre cocta, & vocant Uberwaschen. Ideò copiosissimè ab incolis nostris colligitur & ad usum reservatur, vocaturque vulgari idiomate Scheerkraut/ (hedypnois) unde autem appellatio sit, non nôrunt, fortè eam ita nominant, quia folia taraxaci integra aliqualem habent æqualitatem cum forficula aperta aut expansa. Post ablutionem semper reperitur illuvies in vase, vocant es ist geklippert/ & ego judico, quòd partim sit à decocto herbæ, ubi materia crassior fundum petit, partim ab impuritate manus lavantis & faciei membrorumque aqua calida ablutorum. Interdum reconvalescunt, quando non latet anguis in herba, sed multoties etiam in cassum lavant. Quod autem hancce attinet observationem Excellentissimi *D. Doct. Molleri*, statuo cum ipso (quum præcesserint debitæ evacuationes) utique naturam mediante lotione medicata stimulatam exclusisse per poros hanc illuviem cum reconvalescentia.

[*D. Sam. Ledelius.*]

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.
D. PETRI ROMMELII,
De
Voluntaria fluxus menstrui retardatione.

Lubet hac vice si non superstitiosam, saltem ut ego mihi persuadeo, curiosam observationem Physico-Medicam adducere. Dubitatio quidem proxima ad scientiam via esse dicitur, sed de multis ideo dubitamus, quia ratio multorum in profundo latet. Non possumus tamen aliorum experientiæ diffidere, aut damnare omnia, quæ vel non videmus, vel ratione clara assequi non valemus. Non ita pridem occasione ita ferente, ad Exc. *Hermetem II.* observationem de retardatione mensium fluxus voluntaria, beneficio Piperis albi efficienda, transmisi, quæ etiam *Ephemeridibus Curiosorum, Ann. IV. Decur. II. num. III. pag. 216.* inserta est; jam aliam priori analogam, exhibeo, Curiosorumque ulteriori examini atque experientiæ subjicio. Quam refractariæ plurimæ mulierum interdum esse soleant, ita ut ipsis naturæ legibus quandoque se subducere, suoque modo, legibus quasi solutæ, vivere & agere satagant, notius esse puto, quam ut exemplis probare operæ pretium existimem: Tam temerariæ nonnullæ reperiuntur, quæ quantum in illarum quidem potestate est, Naturæ ipsi (quæ alias sui juris est, nec ad leges humanas componitur, & modo properat & vota præcurrit, modo lenta est & moras nectit) si non vim inferre, saltim frenum aliquod injicere, illique dominari, tentant; imo non tentant tantúm, sed etiam impune & majori felicitate, quam par esse videtur, opere ipso præstant; audacibus enim utplurimum juxta πολυθρύλλητον, fortuna adsistere solet. In superius citata Observatione monstravi, fœminas ad aliquot dies, sine noxa vel incommodo valetudinis, menses retardare posse; interea ex virginibus, marita-

maritatis, & viduis, omnibus sua laude dignis, honestis, nec infimi subsellii, vel ex fece plebeja oriundis fœminis, didici, apud se & alias in secretis haberi, & aliquoties tam in cœlibatu, quam in conjugio & viduitate se expertas esse, & adhuc dum experiri, mensium fluxum jamjam naturali motu quasi erupturum, circumvolutione fili serici carmesini, circa digitum auricularem utriuslibet manus, menses in motu impedire, totque dies eorum fluxum morari ac retardare solere, quot nempe circumvolutiones sive circuli in digito dicto facti reperiantur, semperque numerum dierum, numero circulorum respondere, proprio igitur exemplo expertæ hæ Rupertæ fluxum consuetum ad 3. 4. vel 5. dies postponi posse me docuerunt, licet rationem sufficientem, cur & quomodo hæc fiant, apud me invenire haud potuerim; quandoquidem non omnibus videatur opus esse rationibus, ubi experientia & res ipsa loquitur, sed quo jure hoc dicant, ipsi videant. Ego cum magno *Bartholino* ejusdem sum sententiæ, monstrosis observationibus, quæ consuetæ naturæ vim inferunt, non temerè esse credendum, quia otiosa & faceta ingenia nos sæpe deludunt; nonnunquam etiam spe lucri multa finguntur, quæ nunquam neque picta fuerunt, neque scripta, non raro quoque inventis & visis aliquid sive ex ingenio, sive ignorantia additur: temerarium tamen etiam esset, idoneis & honestis testibus fidem denegare, & ut jam monitum est, illarum experientiæ diffidere. In magno apud me pretio semper fuit egregium præclarissimi quondam Medici monitum, quando scribit: *Neminem pudeat quantumvis literatum & doctum aliquid addiscere, quod ad artis suæ perfectionem & ornamentum spectat, sive illud ab anu septuagenaria, sive ab eruditissimo quoque suggestum, modo non sit superstitiosum, lege divina prohibitum, aut alia ratione insanum.*

Quantum ligaturis sive deligationibus à plurimis celeberrimis Medicis, in sistendis omnis generis hæmorrhagiis tribuatur, quantæque utilitatis, ritè celebratæ existant, Practicos minimè fugere debet, obstetricibus item & hujus farinæ mu-

lierculis satis notum est, quanquam etiam sæpissime sine successu fieri haud nesciam, utplurimum tamen, quia istas recta methodo & enchiresi adhibere nesciunt, obiterque saltem & oscitanter, nullo observato discrimine, nunc hanc nunc illam partem leviter ligant, non autem constringunt, & alia maxime observanda minus observant. Duorum digitorum mediorum manus dextræ lino colligatorum constrictione, revulsionem à supremis partibus fieri creditur, monente Exc. *Rolfincio. Plinius* sua jam docuit ætate, destillationes à capite arceri, si pollex in pede præligetur, maxime si jam dicti digiti & pollex pelle canina involvantur. Sed hoc in casu deligationi nihil vel parum tribui potest, cum artis hujus magistræ profiteantur, nihil interesse, an ligatura arctior vel laxior existat, imo non opus esse, ut digitus constringatur, sed pro lubitu eam laxiorem esse posse. Et licet ligatura fiat arctior, non tamen mihi persuadere possum, istam in unico saltim digito factam sufficientem esse ad effectum istum producendum, imo si sufficeret, utique admiratione dignum esset, sanguinis jam præsentem orgasmum tam facile compesci & suspendi posse, ita ut fluxus hic menstruus nullam aliam, ob impediti exitus denegationem, hancque sequentem regurgitationem, viam, vel per os, nares, alvum, aliaque loca minus consueta, ut sæpe facere solet, affectet vel inveniat. Natura sane in motibus suis certas periodos & stata tempora observare solita est, eaque non nisi gravissimis de causis mutat. Posset hic objici, mulieres in calculo suo facile errare, nec tam exactam futuri & redituri fluxus menstrui scientiam habere exinde facile decipi aliisque etiam ita imponi potuisse, ut retardationem illam, arte factam putarint, quæ tamen naturalis fuerit, cum tota die experiamur, apud plurimas fœminarum, fluxum lunarem non tam exactè menstruum terminum observare, sed illum interdum antevertere, interdum postponere, modo citius modo tardius redire. Revera ita esse, in confesso est, interdum tamen numerus dierum, numero circumvolutionum sive circulorum

cum

cum filo serico factorum respondet; nemoque etiam facile negabit, quamplurimas inveniri fœminas, quæ tam certa indicia, & fidelissimos fluxionis menstruæ instantis prodromos (quos jam describere & recensere nimis longum foret) habent, ut adcuratissime, spatio aliquot horarum, vel insequenti die, purpureum liquorem fluxurum, præsciant, & non facile fallantur. Utrum sericum hæc efficiat, dubito, quanquam illi virtutes Physico-Medicas denegare animus mihi non sit; plus tamen hic quam alia fila linea &c. præstare posse, vix adduci possum ut credam. Causam forsan in colorem conjicient signaturarum amatores, Crolliani & Helvetiani &c. eo modo ac dicunt, rubrum colorem, vel pannum tali colore tinctum, sanguinem ad se & exteriora provocare, similiaque cum similibus facile conspirare: sed cum hæ nihil aliud sint, quam formæ rerum externæ & accidentales, nihil efficere valentes, & juxta doctissimum *D.D. Simon. Paulli*, de medicamentorum viribus, non ex signis & coloribus sit judicandum, parum aut nihil his erit tribuendum, idemque quod de filo serico, quo serpens vel vipera strangulata & suffocata fuit (& de cujus præstantia in angina magna promittuntur,) censendum, mulieribus quidem nostratibus sæpissime usu venire solet, lochiis vel mensibus superfluè fluentibus, deligatione membrorum cum serico rubro, quod Flacht-Seiden vocant, mederi velle; sed ob rationem superius adlatam, vano & frustraneo plerumque successu. An imaginationi, quæ tam in producendis quam curandis morbis magnam quandoque vim exercet; an numeris arithmeticis vel Cabalæ; an vero superstitioni, qua Exc. *Bartholino* teste, non pauca experimenta aluntur; vel etiam aliis animi affectibus (vetustatis enim erat decretum, ab animo hominis medicinas pendere) quibus aliàs menses vel promoveri vel sisti posse, à Clar. *Sylvio* docemur, adscribendum sit, hac vice determinare supersedeo, donec ulteriore facta inquisitione & experientia, an semper & in omnibus succedat, quid statuendum vel credendum, dies futurus doceat. Interim tamen

verum est, Naturam non pati angustis se limitibus circumscribi, nec nostro se semper intellectui subjicere. Externorum enim vis per experientiamnobis quidem patet, quanquam causas ignoremus; nobisque multa occulta sunt, quæ Naturæ manifesta: Vult enim ea latere multa, ut major sit eorum ex occulto authoritas & admiratio.

[*1686. d. 28. April. Ulmâ Augustam missa.*]

OBSERVATIO XXX.
D. BENEDICTI HERMANNI,
De
Usu raphani rusticani in Pleuritide.

OCcasione observationis, quam de Raphano rusticano in *præterito Ephemeridum harum Anno numerus XC.* dedit, communicare libet, quod nuper demum mihi, pleuriticæ cuidam ancillæ medicinam facienti, de raphani dicti in eodem morbo virtute, illi quam *Th. Bartholinus* in dolore dentium recenset, analoga, Matrona quædam retulit; videlicet quandam sibi notam feminam, filiæ suæ pleuriticæ, raphanum dictum abdomini imponendo, dolorem ex latere in abdomen derivâsse; id quod & ipsa postea in libro aliquo notatum deprehenderit. Sed quomodo hoc cum obstructione in vasis pleuræ, ab acido sanguinem coagulante inducta, & à multis modernis accusata conciliari queat, aliis dijudicandum relinquo.

[*Memmingâ 1686. d. 26. Maji Augustam missa.*]

SCHOLIUM.

CUm sal volatile in raphano hoc & penetrantissimum & subtilissimum esse sensus doceat, impositus ille abdomini per poros cutaneos ubique patentes, intromittere atomos illas efficacissimas potuit, quæ sanguini communicatæ, cum illo

per

per corpus circulari, & obſtaculum circa pleuram offendentes, ſanguinem nempe ac ſerum ibi coagulatum, reſolvendo illa, atque ſi acorem contraxerint, eum deſtruendo, attenuare ſicque ad priſtinum motum reducere valuit, præcipuè, quod ſuſpicari hîc liceat, ſi iſta ſanguinis ac ſeri ſtagnatio non enormis, ſed tolerabilior exſtiterit. Quamvis & hæc cura ſuccedere potuerit, quatenus, id quod equidem in hiſtoria expreſsè non declaratur, effectum ante annum recenſito analogum præſtitit, ulcuſculum nempe in abdomine excitando, per quod pars ſeri cùm evacuaretur, ſtagnans illud alterum, præcipuè ab adpellentibus unà partibus raphani reſolventibus attenuatum, eò promtiùs in vaſa convenientia, nonnihil ſic inanita, readſumtum fuit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXXI.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Coloribus Iridis etiam in flamma ignis culinaris & candelæ ſpectabilibus.

PRæcedente Ephemeridum noſtrarum *Annô tertiô Decuriæ ſecundæ Obſ. VI.* diſcurri de Iridis 5. coloribus, ut ſe mutuò in Iride communiter inſequuntur à Sole procedentes & tanquam in eo reſidentes. Hoc ego non ita ἁπλῶς intelligi volo, quaſi Solis corpus ex circulis verſicoloribus, quales in Iride obſervantur, conſtet, eosque in nube oppoſita, tanquam ſpeculo, præſentet; ſiquidem colores Iridis emergunt quoque ex varia guttarum pluvialium diſpoſitione, juxta luminis ſolaris variam in guttulis refractionem, earum diſtantiam inter ſe atque in humanos oculos incidentiam, uti rectè arbitratur Doctiſs. *D. Mæren Obſ. 47. Anni præced.* & Optices leges id demonſtrant. Eſſe tamen colores Iridis primariò in

in Sole & ab eo emanare in objectam nubem variè dispositam, videtur ignis nostri culinarii, candelæ & omnis flamma nos docere, in qua colores Iridis (licet non adeò exactè & ordine suo) conspiciuntur. Eructat enim omnis flamma sursum motu quodam perpendiculari fumum atrum, cum quo, tanquam Iris cum atra nube, mixta flamma primò phœniceum colorem exhibet:. Hunc sequitur ipsius lucidæ flammæ color aureus vel flavus ex ligno vel ellychnio exiens. Et hi duo colores (uti benè observavit præfatus *D. Mæren*) aureus nempe & flavus ægrè adeò distinguuntur, ut pro uno colore semper fuerint habiti, sicut puniceus cum phœniceo miscetur cum aurora vel matutina vel vespertina phœniceum colorem in atra nube tingit. Tertiò ubi aër infra sub ellychnio ad sebum, ceram, lignum resinosum &c. ingreditur & motum flammæ adjuvat, exactè apparet viridis & huic adjunctus quartus color cæruleus. Quintus puniceus color raro in ipso aêre ad latera flammæ se exhibet; cùm hic mixtura quædam sit ex phœniceo & cæruleo. Quod si igitur in ipso igne nostro colores Iridis perspiciantur & insint, sequi videtur, eos quoque in ipso Sole, actuali Naturæ igne esse, ac communicari obstantibus nubibus. Ad iridem ergò generandam versicolorem, requiruntur pluviarum guttæ legitimè dispositæ, certa oculi intuentis distantia, sine qua Iris non percipitur & Solis lumen. Remotô Phœbô, evanescet sua Iris. Ita salvis aliorum judiciis ex ansa sic data ego puto.

[*1686. 27. Maji Augustam delata.*]

OBSER-

OBSERVATIO XXXII.
D. JOHANNIS de MURALTO,
De
Anatome Melis seu Taxi.

MEles animal est in Helvetiorum Alpibus vulgare, mordacissimum, duplicis speciei, caninæ atque porcinæ, quam verò Melem nos dissecuimus, canum instar digitata erat, cæterùm ursum referebat, & caput, rictu canino, parvis oculis, & auriculis brevibus præditum, instar Erinacei abscondidit. Magnitudine Vulpis majoris, sed crassiore & breviore corpore, propter crurum brevitatem, etiam humiliore staturâ fuit: cutem habebat duram ac sordidam, villosam & rigidam; nam duris vestitur villis, gryseis, albis, & nigris; dorsum quidem abundat nigris, reliquum corpus albis, excepto capite, quod alternis quibusdam quasi lineis nigris & candidis à suprema capitis parte ad rictum ductis decoratur, etenim in medio niger, utrinque ad latera albus capitis pilus cernitur. Cauda est varia villosa, brevior. Dentes acuti. Dorsum latum. Ungues quini ante & retro erant. Crura anteriora dodantralia, posteriora breviora: Longitudo corporis à summo naso ad caudæ extremum sesqui-ulnam superabat, corpus valdè latum, imprimis circa pectus claviculis sustentatum erat, pinguique plurimo inter carnem & pellem ac circa renes abundabat; Ungues anteriores sunt cute denudati, ad fodiendum & discerpendum leonum more apti, posteriores cute tecti: si verò irritetur animal, tum exsertis omnibus unguibus ursorum instar formidinem spectantibus incutit. Tota die dormivit, cuniculosque quæsivit, noctu prædam insequebatur, carnesque avidè devorabat.

Musculus rectus abdominis pluribus locis intersectus à prima costa pectoris ad pubis os descendit, sub pectorali autem musculo absconditus latebat usque ad sextam costam. Ductus

thora-

thoracicus incepit juxta muſculos pſoas, & plexu vario ramis plurimis aſcendit usque ad axillam ſub deſcendente trunco arteriæ magnæ occultatus, juxtaque thymum anfractus gyrosque varios efformans. Cornua matricis usque ad renes aſcendunt, atque à vena & arteria ſpermatica mirè intorta & capreolata vaſcula juxta longitudinem ſuam mutuantur. Teſticulorum ſeu ovarii ſubſtantia è carne glanduloſa & ſpongioſa conflatur: uterque oblongus poſt cornua viſitur atque inflatur, ut nonniſi membraneam ejus ſubſtantiam repures. Maſculus penem oſſeum & parvos teſticulos tenebat. Veſica urinaria ſupra matricem inflatam recumbit pyriformis, adhuc inſtructa uracho & à lateribus ligamentis verſus abdominis muſculos & umbilicum protenſis. Hepar conſtat ſeptem lobis & veſicula bilis inteſtinulum referens clara, pallidaque bile plena fuit, hujus ligamentum ſuſpenſorium adhuc cavum erat; ſupra ductum biliarium hepaticum minima particula carnea hepatis parenchymati haud abſimilis obſervabatur. Stomachum cum inteſtinis inflavimus, inibique glanduloſos plexus obſervavimus, & glandulas quoque ſolitarias, nec colòn cellulatum, nec cœcum inteſtinum reperimus. In ſtomacho hinc inde vagantes rugas fermentum in ſe continentes obſervavimus; ſtomachi fundo ſplen longior ſtaminibus omenti pluribus adnectebatur. Coſtæ ſunt quindecim. Sternum è novem in medio oſſiculis conformatum eſt. Ab interna ſterni parte triangularis muſculus oblongior, ac ſpeculi inſtar renitens cernitur. Thymus in ſumma mediaſtini parte ſupra tracheam (diſperſis hinc inde glandulis) obſervabatur, quælibet autem harum glandularum contextum vaſculorum ſanguinem vehentium monſtrabat, præterea & cryſtallina vaſcula plurima ad mediaſtinum & pericardium à dictis glandulis jucundo ſpectaculo ſerpebant, potius lymphæductus quam nervos eſſe, haud ex præconcepta opinione reor; quanquam aliqui Anatomici fuerint, qui opinionem meam, aquam pericardii à thymo mutuantem, culparint; quæ verò *Avicennæ*, Collegæ noſtri, circa hanc materiam

teriam ad me præscripta mens sit, referam: *Quæ de thymi ductu retuli, suspiciones erant, ex similitudine quam olim adverti in canibus cum pancreate ex colore in utroque nigricante, succo acidiusculo in vitriolicum quid nonnihil exaltato; putabam tum me ductum similem quoque ut in pancreate reperturum, verum me fefellit opinio, ductulus enim minimos persequens, minimè offendi grandiorem inde formandum; nuper in capellis thymum examinando reperi ductum sursum ad tonsillas meantem, huncque non quidem immisso flatu ob ejus exiguitatem, sed duriori membranacea natura collegi, quamvis etiam vas sanguiferum aut nervus esse potuerit, quorum tamen probabilius mihi illud præ hocce videtur; suspicor ego thymum & thoracis & colli ossibus prospicere, ductumq; in eo formandum necessariò aliter quam in pancreate dirigendum fuisse, nempe & infernè & supernè, hincque dispersim thymi substantiam percurrere, adeò, ut hæc glandula magna satis, tum pericardium, cui id adnexum vidi, sufficienter liquorem stillare faciat, (membranæ namq; à quibus vasa lymphatica sine glandularum manifestarum præsentia, ut & in diaphragmate, ceu in asina Monspelii conspexi, prodeunt,* Malpigii *judicio, plexus secretorios possident, plexibus glandularum ceu filtris analogos) ceu jam opinor in hac sententia eras in* Clavi Medicinæ, *tum etiam collum & etiam os sufficienter irriget, fons namq; salivalis non solùm è glandulis maxillaribus superioribus & inferioribus, sed etiam profundiùs ex ipso thorace, ad quem collum & os referuntur, erit deducendus, certè salivatio copiosissima in lue venerea laborantibus è thymo quam maximè etiam erit haurienda, unde & emplastra mercurialia collo circumdata ptyalismum mox provocant, glandulisque his laxioribus, nec à spiritibus animalibus satis tensis salivatio aucta, ac etiam mors, ceu exemplum hîc observatum in* Regno animali *addidi, ex confinio forte glandulæ hujus cum corde &c.* Porrò lobi pulmonum in Taxo sunt quatuor dextro, & duo sinistro in latere, cor undique ambientes, inflati, siccati per microscopium considerati vesiculæ hexagonæ bronchias attingentes venas, vasaque cætera

œconomiæ publicæ inſervientia ; & poſtquam inflavimus aſperam arteriam , flatus ad ſiniſtrum cordis ventriculum ſine omni moleſtia tranſibat, & per eundem vulneratum egrediebatur. Muſculus coracomaſtoideus in diverſas muſculoſas fibras diſtinctus, ſub muſculo ſternomaſtoideo ſitus eſt, & nervum recurrentem ſocium ſibi junctum habet. Supra tracheam ſternohioideus & ſternothyroideus , cæteriqúe pharyngis laryngisque muſculi inſigniter proportionati aderant. In capite notavimus nervum opticum inter oculos & cerebrum medio ſpatio nodo quaſi intricatos, & ſibi connexos extitiſſe, id quod in leone & fele obſervavi, aliàs, usque ad cerebrum disjunctos notavi ; mirum eſt, nullam glandulam pinealem in utroque hoc ſubjecto repertam eſſe, cerebri partes reliquæ ad amuſſim cum cerebro canino conveniebant. Oſſa Pictoris ſciagraphia, ut & cætera viſcera delineata hîc ſiſtet : affabrè illa celebris & curioſus noſter Chirurgus *Bernhardus Ringglinus*, de quo D. V. plura & majora Patria noſtra ſibi promittere poteſt, in Sceleton compegit. Ipſa verò anatome, ſub fine menſis Maji 1686. præſente & manus admovente Nob. *D. Joh. Georgio Volckamero*, *M. D.* magni noſtri *D. Helianthi* filio non degenere , publicè in Collegio Anatomico Tigurino fuit celebrata.

[*Tiguro A. 1686. d. 27. Maji Auguſtam Vind. miſſa.*]

Fig. VI.

OBSERVATIO XXXIII.

D. JOHANNIS de MURALTO,

De

Urinæ retentione à Scirrho.

RUdolphus Brunwald von Riethe 60. annorũ poſt obitum conjugis ex continuo Spiritus Vini potu & maſticatione Nicotianæ, ægrè habere cœpit, tuſſivit, macilentus evaſit,

Taxus.



Fig: 6.
p. 58.





Taxi Sceleton.



evaſit, tribus poſt hebdomadibus conqueri cœpit de urinæ difficultate & totali poſtmodum retentione; adhibiti ſunt ſacculi emollientes, ſupra pubem, lacte cocti, cathetere urina evacuata; inde melius, ſe habere credidit, ſed impletâ veſicâ, urina identidem retenta fuit, Chirurgi denuò urinam cathetere allicere volebant, ſed ſanguis loco urinæ poſt dolorem illatum effluxit, ſenſimq; in pejus abivit, reliquam manuum opem ſprevit & ita ſubſequente in glandis extremo inflammatione ad fata deceſſit.

Aperto cadavere, præſentibus *D. Joh. Georg. Volckamero, Fil.* Chirurgisque patriis, *D. Zenderio* & *Hegio*, An. 1686. d. 26. Maji, reperimus veſicam urinariam admodum urinâ turgentem, hanc aperuimus, dein, cathetere per urethram immiſſo vix penetrare potuimus: hujus cauſam rimantibus ſcirrhus in ejus cervice magnitudine pugni comparuit, idque non intra ipſam veſicam, ſed loco proſtatarum & ſphincteris; ulterius inquirentibus obvenerunt nobis tubera enormia utrinque ad veſicæ hujus latera, nihilque aliud erant, quam induratæ & ſcirrhoſæ veſiculæ ſeminales. Ureteres erant ſolito majores, & inteſtini recti extremitas glandulis nigris in circuitu interius conſpicua, cætera ut in ſchemate repræſentatur, naturaliter ſe habebant.

Fig. VII.

a Inteſtinum rectum ſub veſica urinaria tranſiens, in extremitate apertum.

bbbbb Veſica urinaria hypogaſtrium implens urinâ plena.

ccccc Proſtatæ & ſphincter veſicæ ſcirrhoſus, urinæ ductum præcludens.


dddd Veſiculæ ſeminales ſcirrhoſæ utrinque & duræ, ſiniſtra quidem major improportionata.

eeee Extremum ani dilatatum, ubi conſpiciuntur glandulæ quædam nigricantes inſtar venarum hæmorrhoidalium.

ff Ureteres ampliores, juxta glandulas seminarias inserti.
g Urethræ principium.
HH Musculi penis erectores.
ii Musculi urethræ dilatatores.
KK Corpora nervosa penis.
LL Vena pudenda juxta urethram.
mm Præputium.
n Glans.
o Frenulum.
pq Vena & arteria spermatica.
rrr Ramificationes & corpora pampiniformia.
ss Membranæ Elythroides & Erythroides.
TT Corpora Pyramidalia.
uu Epididymides.
W Testes.
xx Vasa deferentia, sub collo vesicæ ad prostatas delata.
z Musculi Cremasteris portio.

SCHOLION.

SIcuti ergò omnis coagulatio prærequirit materiam aptam liquoremque coagulantem, ita credibile est semen in prostatis & vesiculis contentum terreum nimis salsumque extitisse; imò integram ejus massam sanguineam, utpote cùm & in corde & in arteriis, polypum vulgò dictum singularis longitudinis invenerimus; huic dispositioni ansam dedit ætas & mœror ab obitu conjugis, quæ acidum augere potuerunt, ante omnia autem liquor coagulans fuerat Spiritus Vini & Nicotiana Salivæ immixta, utrumque inviscat Spiritus Narcosinq; Sulphure suo incutit, imò immoderatius sumtum urinam retardat, præterea incendium ingurgitatio cum Vini Spiritu partibus hisce induxerit, tumoremque augere & viam recludere potuit; Quod sæpiùs obvenit iis, qui vel mustum vel cerevisiam non probè defœcatam avidè nimis hauserant; Certum admodum


Fig: 7.p.6



modum non est, ægrum à tali scirrho esse sublatum; inflammatio hîc potius accusanda venit, ab ejus intemperantia, quæ excusanda non venit, contracta.

[*Tiguro 1686. 29. Maji Augustam missa.*]

OBSERVATIO XXXIV.

D. JOHANNIS de MURALTO,

De

Immaturo Fœtu cum placenta, funiculo & manu dextrâ ad uteri osculum compulso.

FOemina 15. annor. à nuptiis cubitum itura, sensit dolores partus sensim ingravescentes, post aquarum proruptionem placenta cum funiculo umbilicali ex utero foras propendebat, auctisque nisibus, manus infantis dextra subsequuta est, inde nocte & die sequente integra in sedili ad enitendum adacta quolibet nisu frustrà conatus impendebat misereque excruciata est, præsens Medicus cum adstantibus opem meam implorârunt, ego examinato infantis situ, oleo rosato inunctâ manu dextrâ, præcisis unguibus, primò liberavi undique placentam, eamque eduxi, cavendo nymphas & membranam hymeneam, quæ undiquaque tangebatur; manum dextram exsertam sinistrâ mea apprehendi, atque in pedes utero reconditos inquisivi, quibus arreptis, repulso brachio prominente, caput pubis ossi adstans loco dimotum, & sensim adjuvante puerpera, integer infans extractus est, interim ægra sitim maximam perpessa, pro potu ordinario rosar. tincturam bibit, ac nihilominus Salis Armoniaci Spiritum hausit, oleoque rosato pudenda fovit. Postridie ab operatione in omnibus, quæ gratia Dei, melius habere cœpit, sitis discussa, muliebria probè constituta, urina sine incommodo cessit.

SCHOLIUM.

MAtrimonium tam altè in naturâ fundatas radices habet, ut effatum Creatoris, ſolitudinem viro noxiam fore, quàm veriſſimum ſit, ſed ſicuti in omnibus animi paſſionibus vexillo & ductore, ratione opus eſt, ita & præprimis in cupiditatibus matrimonialibus, ſiquidem Neogami, amoris ſtimulis perciti, naturæ curſum antevertunt; in hac hiſtoria non tantum ante conſtitutum tempus amor invaluit; ſed & poſt feſtivitates nuptiales nimium flagravit, ut tenera fœtus ſtamina disrupta, ſicque placenta uterina ingraveſcentibus partûs doloribus ſeparata, profluviumque ſanguinis ſubſequutum fuerit. Ex parte prominens placenta funiculum umbilicalem tum comitem habuit, miſero ſanè exitu; tali enim modo infanti nondum abſoluto ſanguis maternus denegatus viæque per quas illuc ad infantem defertur, obſtructæ erant, mortua ergò puella ſeſe ad exitum disponere nequivit, & antequam poſituram aptam nacta eſſet, brachium dextrum exſeruit, capite ad oppoſitum latus (pubis nempè os) firmiter obſtante, ex quo patet, impoſſibilem talem enixum fuiſſe & ſolam manuum operam fœminam à morte liberare valuiſſe; maximè opportunum judicavi arripere pedes, ut ab anguſtiis partes minus apprehenſibiles removerentur, nec fœmina læderetur, multoties enim obſervavi capitis duritiem veſicam comprimentem, in continentiam urinæ, pluraque alia mala produxiſſe, ſed cum diu ſatis in tali ſtatu manſerit infans, adeò ut & præterea mortuus ſit, poſt extractionem roſato oleo muliebria inungenda imperavi, ut arceatur omnis inflammatio, ſitisque contemperetur, notatu enim dignum eſt, ſitim in puerperis non debere corrigi potionibus refrigerantibus, ceu quæ inflationes uteri pejoraque mala excitare poſſunt, melius revera inunctiones adhibuiſſe, quibus nempè ſanguis æſtum ſuum ſpiritusque velocitatem motus ſui perdunt, deinde & hac inunctione fibræ diſtentæ vigorem & tonum ſuum recuperant,

cum

cum alias vel in flacciditate p. n. permanerent vel gangrænam contraherent.

[*Tiguro 1686. d. 26. Junii Augustam missa.*]

OBSERVATIO XXXV.
D. JOHANNIS de MURALTO,
De
Ardore urinæ & lancinatione hypogastrii intolerabili à retentione secundinarum.

PRimipara 23. annorum filium vegetum peperit, remanente in utero placenta, inde unico à partu die, nisibus perpetuis vexabatur ægra, retentione urinæ, ardore, & lancinatione sub umbilico & circa pubem, ut nostrum auxilium implorare coacta fuerit. Fœmina ergò in lecto ritè collocata, præsente *D. Joh. Georg. Volckamer. M. D. Norib. Fil.* operationem tali modo subii: inuncta utraque manu oleo olivarum; sinistrâ funiculum apprehendi, dextræ verò indice ductum funiculi sequutus, intra vulvam ad osculum manum immisi, placentæ circumferentiam undique liberam inveni, Chorion & Amnion sensim ex uteri latebris eduxi, placentam in globum convolutam vesicæ urinariæ adstantem, undiquaque digitis comprehensam, attracto pedetentim funiculo, è corpore eduxi, quô factô stimulus urinam reddendi ægram invasit, adeò ut magnam ejus copiam illicò evacuârit: Puerperam oleis calentibus, ut moris est, fovere, atque requiescere jussi.

SCHOLIUM.

POst concubitum, ovùm maternum maturius ab ovario, motitatione alarum vespertilionum in applicatum ornamentum foliaceum eliditur in tubam, sensimque motu hujus peri-

periſtaltico ad uteri cavitatem urgetur, quo loco eâdem, quâ ovario adhæſit, maculâ ſpongiosâ, lateribus uteri, minimisque inde vaſculis hiantibus agglutinatur, ſpiritum plaſticum ovo incarceratum maternus hic calor ſuſcitat, fovet, expergefacit, ut pro viribus ſuis, & pro proportione liquoris in ovulo contenti ſeminalis, numerô, figurâ, menſurâ, certa ducat ſtamina, homini analoga, ſeſeque ulterius expandat, membranas dilatet, funiculum velut radiculam in maculam hanc ſpongioſam ſive placentam futuram uterinam figat, corculum pulſans fabricet, viſcera interna erigat, membra ſuperiora & inferiora pandat, caput extollat, cute omnia inveſtiat, & tali modo perfectionem ſuam meditetur: Succeſſivis menſibus ſpongiola ſeu placenta hæc exteriori membranæ ovi ſeu chorio & uteri cavo adhærens in ſat magnam quantitatem augetur pro augmenti ratione ab arteriis matris ſpermaticis, fœtum nutriendum alimentum capit & transcolat, per venam umbilicalem eidem transmittit, ſuperfluum à nutritione per arterias iliacas infantis, funiculumque umbilicalem ad placentam reducit, quod oſculis venarum hypogaſtricarum & ſpermaticarum abreptum ad matris cor redit. Ubi ad debitam magnitudinem tali modo infans pervenit, partimque per os nutritus eſt, matrem niſus comprehendunt tum propter diſtentionem fibrarum, aliarumque partium nervoſarum motus ſpaſticos cauſantium, tum propter aviditatem nitrum cœleſte per aêrem hauriendi, tum propter vegetationem & motum infantis proprium, uterus aperitur, fœtus quaſi vomitione eliditur, placenta ſubſequitur, ſi maturior fuerit nec admiſſo frigore uterus ſtatim recludatur. At in ægra noſtra retardata eſt ea, non quidem propter admiſſum frigus, ſed propter conglobationem & transverſum ſupra veſicam urinariam ſitum: nam intra oſculum haud erat integra, quamquam in magna diſtentione ejus veſtigia ſeu circulus non animadvertantur: hoc tamen notandum, loco ſubſtitiſſe ſupra veſicam vaginæque partem veſicæ adhærentem repreſſam eſſe, ut urethræ

thræ ductus rectitudinem ſuam amiſerit, admodumque compreſſus fuerit, quo neque urina egredi quiverit: Urgens ergò eadem tantam diſtentionem fibrarum dolorificam tantosque niſus excitavit, ut ægra tota nocte præ dolore ejulare coacta ſit; Niſus autem excitabantur propter reliquias in utero reſtitantes, & naturam laceſſentes, in ſubſidium coactis ſpiritibus fibrisque uteri circularibus poſterius in fundo contractis, in orificio amplificatis, quod & in vomitu à ventriculo fit, fibrarum autem motui hos niſus eſſe adſcribendos nemo dubitat, qui vel ſemel erinaceum terreſtrem diſſecuit, hujus cutis muſculo circulari affabrè conſtructo donata eſt, fibris dotato robuſtiſſimo, cujus ope ecchinus capite pedibusque retractis ſe convolvere atque rurſus pro arbitrio explicare poteſt, tantâ hic muſculus violentiâ comprimit caput & pedes, ut vix poſſibile ſit, magna adhibita potentiâ eosdem ab invicem divellere; Quanto verò cum molimine uterus fœmininus poſtquam ſuam ſarcinam depoſuit, ſeſe conſtringat, illi norunt, qui abrupto funiculo umbilicali præcluſo orificio placentam educere ſatagunt, vel fœtum vivum in utero regere debent. Poſt operationem peractam exemptâ placentâ urina illicò miſſa eſt, quia comprimens pondus ſublevatum & via libera erat. Muliebria fota ſunt oleis calidis ne compreſſa urethra aut ſphincter laxitatem tenens, vel patiatur paralyſin, vel ægrè conſtringatur, calor autem & oleoſa hîc loci plus præſtant quam adſtringentia frigida, quia hæc adſtrictio à robore ſpirituum & caloris nativi, non verò nimio ardore p. n. dependet.

[*Tiguro d. 26. Jun. 1686. Noribergam miſſa.*]

OBSERVATIO XXXVI.
D. THEODORI CAROLI,
De
Cantharidibus.

ADductæ ſunt A. 1685. menſe Majo, Cantharides, neſcio quo aêris impulſu, in noſtram viciniam copioſiſſimæ, cœlo aliquandiu ſereno exiſtente, Soleque terram blandius excalefaciente, ſingularem de ſe ſpirarunt odorem, naribus admodum adverſum, quo præſentiam ſuam etiam nondum viſæ, obviam euntibus, declinante potiſſimum Sole, ſignificârunt, ſoli ex tot fruticum generibus Liguſtro catervatim adhærentes, quem foliis ſuis, floribus penitus intactis, omnino ſpoliârunt. Ex aliquibus domum deportatis tumidiorem mihi viſam aperui, & innumera mox ovula oculis comparuere oblonga, pellucida, ſubalbicantia, quæ duriùs paulo tractata cum tantillo fragore diſſiliere. Vitro incluſas per aliquot dies foliis Liguſtri ſuſtentavi, quibus abſumptis quietiores ſenſim factæ, tandem extinctæ ſunt, ſuccedente fœtore abominabili. Pulveriſatas verò & ſalivâ ſolâ ſubactas, egregias excitaſſe veſicas vidi. Quæſitus ab Amico, quî factum fuerit, quòd ſoli inhiârint Liguſtro Cantharides, cum nihil acrimoniæ aut volatilitatis, cujus ob naturæ convenientiam expeti deberet, poſſideat Liguſtrum? Regeſſi, ſtomachale, ut aliorum animalium, ita Cantharidum quoque menſtruum, characteriſtico & ideali ſubjecti vitalis animati ſigillo notatur, eo in adſumta modo operari, ut ex inſipidis acria, ex fixis volatilia, vi transmutatoriæ poteſtatis, mutatâ partium texturâ, facilè exurgant, cùm indubitatum ſit, menſtrua animalium gaſtrica ab igne animali directa, non latentes tantum antea actu particulas, ſola quaſi ſecretione ex aſſumptis elicere, ſed & novas ex iis nullo antea ſenſu perſcrutabiles producere. Quin & œconomica & archealia quarumvis partium fermenta vola-

volatilem ſpirantia acrimoniam aſſimilandum ex Liguſtro ſuccum in ſui naturam convertere poſſe, ut ſub inſipido licet victu ſalina volatilis Cantharidum acrimonia ſalva ſubſiſtere poſſit.

[*Leomontio Auguſtam 1686. 15. Jul. delata.*]

SCHOLIUM.

Cantharidum fœtorem etiam inprimis *Joh. Chriſt. Magnenus exercit. de Manna cap. 1.* notavit, in Italia An. 1628. Ticini Mannam in umbroſis fraxinis, ante Sanctæ Crucis Ædes plantatis repertam, dulcedine ſuâ tantam cantharidum copiam allexiſſe, referens, ut arbores iſtas, cùm odorem ad templum euntibus cantharides illæ ſpargerent abominabilem, exſcindere neceſſe fuerit. Rara quidem earum in Germania eſt abundantia; ſingulo tamen ſeptennio eandem contingere, antiqua vulgi eſt traditio. In Hildeshemienſi tractu A. 1667. Menſe Junio magnam earum copiam exſtitiſſe, Exc. *D. Frider. Lachmund* in *Dec. I. Ephem. harum Anni IV. Obſ. LXXX.* recenſuit, p. 242 ut ſalices totæ earum fuerint plenæ; ex quo, variis ab arboribus &c. alimentum easdem capere ſolere, nec tantùm dulcibus delectari, unà adparet; prout etiam præter ſummitates ramorum fraxini, in olivis eas naſci *Joh. Rhodius not. in Scribon. Larg. pag. 277.* meminit, & *Caſp. Schwenckfeldius* in *Theriotroph. Sileſ.* populum etiam & triticum deſignat, ex vermiculis erucis ſimiles eas provenire obſervans. Aſt quod vermiculi illi in ſpongiis cynorrhodi inveniendi, æſtatis tempore in cantharides mutentur, quod tradit *Adrian. Spigelius Iſagog. in rem herbar. lib. 1. cap. 7.* incertum admodum eſt, cùm longè aliam eſſe muſcarum vel inſectorum ſpeciem, à notis iſtis noſtris cantharidibus diverſam, noſtri Exc. *Curioſorum Apollinis,* in *Dec. II. Ephem. noſtr. Ann. II. Obſ. X.* ut & *Ann. IV. pag. 347.* obſervationi debeamus.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXXVII.
D. HERMANNI NICOLAI GRIMMII,
De
Minera auri & argenti Sumatrensi.

DAtur hîc delineatio metallifodinæ Asiaticæ, quæ in Sumatra, tribus circiter milliaribus à Sillida, in montibus Tambungensibus invenitur, à quibus etiam denominatur, sub potestate Societatis Ind. Orient. Belgii confœderati constitutæ, quatuordecim circiter orgyias altæ, cuniculis autem 2. vel $2\frac{1}{2}$ orgyias latis, & venis itidem diversimodam latitudinem, interdum unius aut duarum palmarum, quibusdam duorum aut unius digiti habentibus.

Mineræ autem, quæ hîc inveniuntur, sunt sequentes:

1. Minera nigricans, sive Argentum rude nigrum, aureis splendentibus striis ornatum, in albo Spatho; venam habet inclinatam & reclinatam, sive in tecto & fundamento; à Septentrione ad Austrum extenditur, ubi fossorem cuneo & malleo laborantem Figura exhibet. Minera est elegans & dives, argenti & auri ferax; facilè plumbum subit, & pulchras promteque in igne fluentes scorias largitur, iterum iterumque tertiâ vice in usum ducendas. Ejus centenarius utplurimum marcam 1. 12. lothones, interdum 2. marcas, nonnunquam 8. insuper lothones continet.

2. Altera species, ejusdem coloris, continet marcam unam & 6. lothones.

3. Vena, cui divites mineræ insunt, cærulescens est lapis vel Spathum, satis durum, cujus tamen centenarius 5. lothones continet; ejus verò multi centenarii obtineri brevi tempore possunt.

4. Aliud argentum rude nigrum, elegantibus aureis striis interspersum, quod digiti crassitie, interdum arctiori venâ continetur;

tinetur; post examen tamen dat 8. vel 9. marcas argenti auro mixti.

5. Minera non procul à prima machina tractoria proveniens, est gryſei coloris cum nigricantibus punctis, centenario ejus $3\frac{1}{4}$ lothones auri & unam marcam argenti ſuppeditante.

6. Minera rubra, cujus copia haberi poteſt, hæret ad latus ſuperioris cuniculi. Continet Sol. Lun. & Mart. Elegantem cum Aqua Regia dat ſolutionem, remanente calce albâ, argenti ferace, ſi plumbo incorporetur: Solutio verò iſta præcipitata elegantem crocum ſuppeditat.

7. Elegans minera, quæ nidorum inſtar (Neſterweis) invenitur, argenteis cœruleis floribus obſita eſt, & martialis unà eſſe videtur; dives tamen eſt, 10. 12. Lun. marcis, cum aliquot lothonibus Sol. prædita.

8. Alia elegans minera, quæ more nidorum, dimidii ovi gallinacei quantitate invenitur, cum materia cretacea alba intertexta, centenario 9. 10. 12. marcas Lun. & aliquot Sol. lothones continens.

9. Minera cinerea clara ex novo Opere, cujus centenarius 8. lothones Lun. & Sol. habet.

10. Varii ſulphurei & vitriolici Pyrites, nullo tamen metallo fixo præditi.

11. Variæ elegantes Terræ, rubræ, luteæ, albæ, nigræ, ſolares, lunares, ſaturninæ, ſuos in medicina & chirurgia uſus habentes.

12. Medulla ſaxorum.

13. Lac Lunæ, eleganter album, & ſapore aluminoſo dulce.

14. Cryſtalli montani duplices, quidam magnorum Nitri cryſtallorum inſtar concreti, quidam ſalis communis modo coagulati.

Aquam communem in his montibus ſcaturientem in B. M. deſtillando prolicui puram omnino & claram, remanente

gravi rubicundo liquore, qui ulterius evaporando condensatus, elegantissimum aureo splendore fulgens sal, & instar auri tenuiter lamellati mihi dedit, dulce omnino & sapore gratum, cujus si quantitas aliqua haberetur, frustra quæsito Auro potabili præferri posset.

Ex latere etiam superioris cuniculi clara aqua acida effluit, luteum Gur continens, & lateribus adhærescens, quæ aqua medicinalis est ad potandum commoda, à me ipso aliquandiu in usum ducta.

Non procul à metallifodina hac locus est Tambuny more dictus, ubi incolæ aurum colligunt, quod ipsemet vidi: Fissura est, per quam aqua ex monte decurrit; ex hac terram cum arena desumunt, & lavando aurum, quod in fundo remanet, separant.


Cæterum locus hic omnia necessaria ad metallicas operas possidet, ligna, carbones, victualia, ut & ad movendas machinas flumina.

[*Hafniâ 1686. 20. Aug. Noribergam missa.*]

Fig. VIII.

OBSERVATIO XXXVIII.
D. DANIELIS CRÜGERI,
Oleum majoranæ destillatum in Sal volatile mutatum.

NUper ex mandato Dicasterii Electoralis Brandenburgici visitavi Pharmacopœjam viri ex longinquis itineribus famigeratissimi, Dn. Heisen non pridem defuncti, ubi invenimus oleum destillatum majoranæ in cella per 27. annos reconditum, in vitro angustissimi oris cerâ & vesicâ benè munito, ℥vj. continente, fermè totum in Sal volatile transmutatum. In aliis oleis destillatis autem hoc non contigit; patet igitur magnam affinitatem esse inter salia volatilia


Superior cuniculus.
Superior
Prima machi- na tractoria.
Fig: 8. p.70.
Puteus
Scala.
Secunda machina tractoria.
Fodina in qua
minera
8. lothorum ferax.
Puteus
Scala.
Inferior
ad inferiorem fodinam



latilia herbarum & olea destillata. Ideoque quoniam vis integra in oleis destillatis, quid tantopere in salibus herbarum volatilibus sudandum? Invenimus præterea in conditorio ipsius rerum exoticarum lapidem Lazuli elegantissimum auro ditissimè intertextum, quem è minera attulit. 2. Linguam serpentis è petra enatam in Maltha, lapidem serpentis, terram sigillatam albam S. Pauli. 3. Frustum Unicornu veri, & plurima alia, quæ ipse è locis dissitis attulerat.

[*Colbergâ 25. Augusti 1686. Augustam delata.*]

SCHOLIUM.

OLeum ceræ, quod etiam in pharmacopolio Berolinensi Tonnenbinderi p. m. diu erat reconditum, observavi quoque fermè totum in Salem, petræ salis instar crystallizatum. Sic oleum camphoræ ex arbore cinamomi ante 6. annos mihi ex Indiis transmissum, salem in fundo album multum habet. In oleo pariter destillato cinamomi, anisi & forsan aliis, quæ jam non occurrunt, tale quid deprehenditur. Præterea in lapide Lazuli sæpiùs aurum inveniri, expertum est; mihi quondam frustulum tale fuit exhibitum, cujus tamen emicantes aureæ particulæ è natura Sulphuris fuêre. Minera enim Sulphuris & Veneris splendorem aureum referunt, qui à Metallurgis Germanis Kieß vocatur.

[*D. Christ. Mentzelius.*]

OLeum istud majoranæ in salinum corpus coagulatum, cùm ab Exc. D. Autore huc transmissum fuisset, inquisitioni ulteriori subjicere placuit, quod equidem saporem alium, quàm illum, qui ab inhærentibus olei particulis linguæ occurrit, haud exhibuit, odore etiam solam majoranam referens. Ferro excalefacto impositum in olei formam totum facilè abiit, remotum tamen ab igne, mox iterum in salinam formam reversum; ulteriori verò igni in ferro dicto expositum, tandem rema-

remanente solùm exiguâ crassioris olei rubicundi portione, omne in auras abiit, & conclave olei majoranæ vetustioris rancidi odore complevit. Spiritui vini rectificato injectum, promtè in eo totum colliquefactum fuit, quem dein additâ aquâ nonnihil lactescentem cùm in arena abstraxissem, remanentia clara ulteriori calori concredita, exhalantibus partibus aqueis, in corpus albicans; & flores quasi, argenteo nitore splendidos, nauseabundo nonnihil sapore præditos, abiit, qui iterum iterumque in aqua solubiles, neque ab adfuso tartari alkali, neque vitrioli spiritu, quidquam ad fundum demiserunt; & ferro calefacto impositi, denuò in olei formam concidentes, & obtusum majoranæ odorem adhuc spirantes, in aërem migrârunt, albicantis pulvisculi minimam particulam relinquentes.

Quod aureas illas micas in lapide Lazuli attinet: verum esse aurum, plurimi arbitrantur; unde etiam auri ex eo extractionem proponit *Athan. Kircherus Mund. subterr. tom. 2. lib. 10. sect. 4. cap. 3.* & *lib. 12. sect. 5. part. 3. cap. 4. propos. 12.* Duplicis tamen generis lapidem hunc esse, unum, cujus micantes illæ particulæ revera aureæ sint, alterum in quo marcasita potiùs aurum saltem mentiatur; quam differentiam dijudicare docuit *Gabr. Fallopius lib. de fossil. cap. 33.* lapidis scilicet in ignem immissione, in verè aureo scintillas istas pulchriores redditurâ, contrarium autem in altero producturâ. Cui tamen contrariatur *Joh. Steph. Strobelbergerus cap. 9. de confect. alkerm.* nunquam tale quid in plurimis Lazuli lapidibus à se deprehensum esse, omnes nempe, qui ignis vim persenserant, scintillas suas aureas amisisse, adfirmans; ut ita omnes in pharmacopoliis prostantes lapides hosce Marcasitæ potiùs plurimis portiunculis refertos esse, concludat, quæ aurum quidem primo adspectu æmulantur, verùm ubi ignis vim subierunt, splendorem ejus penitus derelinquunt. Cujus etiam sententiæ videtur esse Nob. *D. Joh. Nic. Pechlinus cap. 22.* de purgantib. æs purgativi sulphuris plenum ex lapide Lazuli elici, ex pyrotechnia

notum

Fig: 9. p. 73.

Textus primus Sinicæ descriptionis Radicis Gin-Seng:			Textus alter Sinicæ descriptionis Radicis Gin-sen frequentior.		
人 gîn 參 sān 味 uí 甘 cān 氣 ḱí 溫 uèn 微 uî 寒 hán 氣 ḱí 味 uí 俱 kiú 輕 kiān 陞 xīm 也。yè	陽 yâm 也 yě 陽 yam 中 chūm 微 uî 陰 yīn 無 uû 毒 tǒ 東 tūm 北 pě 境 kím 域 mǒ 有 yeù 陰 yn	濕 pí 山 xān 谷 gǒ 生。sem 人 gîn 參 sēn 味 uí 甘 cān 微 uî 溫 uēn 無 vû 毒。tǒ	主 chú 補 pú 五 ù 臟 çân 之 chī 陽。yâm 安 ngān 精 çīm 神 xîm 定 tym 魂 kuó 魄 pě 止 chì 驚 kím	除 chû 明 mîm 目 mǒ 開 kān 心。syn 如 jû 人 jîn 形 hîn 者 chè 有 yeù 神 xîn 生 sem 上 xám 黨 chám 山 xān	谷 çǒ 東 tūm 二 'lh 月 yuě 四 sù 月 yuě 八 pǎ 月 yuě 上 xám 旬 siun 根 kén 竹 chǒ 刀 tāo 刮 kuǒ

Tab: 1.

notum esse, quin & eundem maximè in æris fodinis, & in metalli hujus sinu enasci, matremque suam colore manifestè testari, adserens.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XXXIX.

D. CHRISTIANI MENTZELII,

De

Radice Chinensium Gîn-Sēn.

[*Ex Herbariis Sinensium characteristicis eruta cum explicatione textuum Characteristicorum & relationibus Clarissimorum Virorum D. D. Cleyeri & Rumphii ex Indiis nuper transmissis, aucta.*]

Cùm diu animum induxissem de Chinensium admiranda radice Gîn-Sēn, vulgò Gensing, Japanis Nisi, in gratiam *D. D. Cleyeri* & *Rumphii*, Collegarum nostrorum Indorum aliquid depromere, detinuit hoc propositum per aliquot annos Vir nonnemo literatissimus, qui textum Sinicum Characteristicum de hac radice cum figuris aliquot æri incidi quidem curaverat, labores tamen hos in hunc usque diem incassum reliquit nec ad finem perduxit: hunc prævenire nolui, ejus honori consulens. At cùm in *Ephemeridibus nostris præteriti anni Observ. 2.* vidissem Cl. *D. D. Schefferum p. m.* de hac radice ex literis Cleyerianis observationem bonâ hujus viri fide edidisse, quæ *D. Cleyerus* ad eum, & antea etiam ad me ex Indiis miserat, additô eruditô Scholiô Cl. *Dn. D. Schröckii*, placuit ea non repetere, sed quæ saltem illibata adhuc novissimè mihi hodiè primô die Augusti 1686. â *Plinio* nostro Ambonico, *D. Rumphio* transmissa sunt, propinare, si priùs duos de radice Gîn Sēn textus characteristicos ex Herbariis Sinicis, quæ ad manus habeo, explicavero, quorum Characteres cum suis vocibus Sinicis peculiari tabulâ hîc æri incisos

incisos videre licet. Addidi insuper imagines plantæ Gensing ex Herbariis, quotquot adipisci licuit singulari Tabulâ, eâque tertiâ: nam illa quæ secundum locum tenet, habet figuras *D. Cleyeri* ex Japania & Batavia, nec non *Rumphii* ex Ambona missas, ut afferrem ea, quæ nancisci poteram, atque ut constaret eorum omnium differentia, quæ pluribus herbis competere videtur. Notandum, quod in secunda Tabula, prima figura *Cleyeri* habeat radiculam iis, quæ hodiè ex Indiis ad nos mittuntur, similem. Secunda autem & tertia figura ex Japan sub nomine Nisì missæ sunt plantæ umbelliferæ, geniculatæ, altera bulbulos ad internodia ferens. Harum radices sunt tuberosæ nec respondent radiculis vulgaribus Gîn Sén, quarum numero sex addidi, depictas ex meis radicibus Gensing, quas partim ex Indiis accepi, partim Amstelrodamo afferri mihi curavi, pro quarum unciâ octo persolvi thaleros. In tertia Tabula videntur prima & secunda figura eandem plantam præsentare, sicuti etiam tertia & quarta; quinta autem & sexta manifestò inter se discrepant, & sexta quidem paniculata planta est. Ultimò addidi *Guil. Pisonis* Ninzin, quam describit in sua *Mantissa Aromatica p. 194.* Textus autem primus ita declaratur: Radix Gîn Sén (quasi dicas Hominis comparationem vel similitudinem, quod radix hæc cum hominis effigie comparetur; Gîn enim hominem & Sén comparationem significat) dulcis est saporis: odor ejus est temperatus & suavis, insuper parùm est frigida: hinc & sapor & odor ejus leves & perceptu subtiles sunt. Sumitur ad pugillum pro calido innato confortando præsertim in senibus; Auget etiam cum calido innato humidum radicale. Vis ejus non est noxia, præsertim quæ crescit versus orientem. Nam quæ in Septentrionalibus locis usu claret, recens sumpta vomitus ciet, humidumque radicale multô humore aqueo obruit. Crescit in montibus clivosis, quibus valles profundè adjacent.

Textus alter ita sonat: Radix Gîn-Sén saporem habet dulcem, parùm frigida & parùm tepida seu temperata est, minimè

Fig: 10. p. 74.



Tab: 2.

Fig: 11. p. 75.



Tab: 3.

nimè venenosa. Dominatur quinque membris, calidô innatô instaurandis. Quietem affert naturalem Spiritibus tam corporis quàm animo: Sistit & tollit pavores internos: clarificat oculos: aperit & lætificat cor. Instar Imaginis humanæ ejus similitudo est. Vitam agit subtilem crescendo super claros & excelsos montes orientem versus. Radix arundinosa præscinditur cultro mensibus secundo, quarto & octavo supra decendium. Sequitur relatio *D. Rumphii* ex literis ejus binis deprompta.

[Cl. Dn. Rumphii de Radice Gensing enarratio ex lit. ad D. Mentzelium missis Anno 1684. die 20. Septembris.]

Prostat radix Ginseng hoc tempore Bataviæ satis rara & cara, adeò ut singulis Hayl (pondus est unius unciæ cum quadrante) ibi septem, hîc verò decem Imperialibus vendatur. Invenies unum frustum in crura divaricatum hominis instar, unde Europæi Scriptores conjecerunt de mandragoræ speciebus esse, cùm potiùs ut apparet, petroselini radices referat. Herbæ illius folium fructumque Sinenses mihi declarare non possunt, quia illam nunquam viderunt, aut, ut ajunt, non habet. Nascitur enim in Borealissima Sinici Imperii Provincia Leautung & in propinqua Tartaria Orientali, nec non in Japane. Sinenses literati eam appellant Ginseng, aut, ut alii pronunciant Ninzin, quod vult dicere hominem divaricatum, vulgares, qui nobiscum degunt, Som: Japanenses Nisi vocant. De viribus ejus multa perscribere supervacaneum duco, quòd eas legere liceat in *Athan. Kircheri China Illustr. p. 178.* imprimis apud *P. Martinum in Atlante Sinico pag. 35.* in descriptione Jungping octavæ Urbis Provinciæ primæ Peking. Didici tamen aliquid novi à Sinensibus, ut mihi persuadeo de hac radice præstantissima, quod apud neminem autorem hactenus deprehendi. Itaque ex illorum relatione radix hæc genuino nomine Sinico appellatur Jinzem, sive simpliciter Som, quod significat hominem divaricatum, quia (licet rarissimè) invenitur forma humana cum brachiis & duobus cruribus, quæ apud

plebejos non viſitur, ſed à magnatibus aſſervatur ob præmii dignitatem. Una quippe radix, tali modo formata vel centenis Imperialibus redimitur, non quod præſtantiores aut majores habeat vires, ſed quod rariſſimè eâ figurâ inveniatur, & idcircò inſtar laris familiaris à magnatibus colitur. Vocabulum Ginſeng aut Ninzen non intelligunt. Nullos omnino emittit caules aut folia, ſed creſcit in terra inſtar raphani aut Paſtinacæ ſed multò minor. Quærunt illam in frigidis & nudis Regni Sinici montibus, idque ſerenâ nocte fulgentibus aſtris ſtato tempore, quando radix illa paululum ſupra terram extuberat, ut rorem bibat. Ros autem radici huic illapſus facit illam nonnihil ſplendere luce quâdam aſtrali, quod ſignum quærentes ſecuti dilutam calcem in eum finem ſecum allatam loco, ubi lucem animadvertunt illinunt, diemque expectant. Poſtquam dies illuxit, montana repetunt, & quæcunque loca calce illita inveniunt, effoſsâ humo perſcrutantur. Radices inventas ſecum aſportant, & in umbra, aëre tamen ſerenô & perviô ſiccant. Radix enim hæc incluſa ciſta ſervari non vult. Per balneum illud Mariæ, cujus *P. Martinus*, *loco citato* mentionem facit, nos intelligimus ollas iſtas figulinas, in quibus herba Thee coquitur, vobis ut audio non ignotas.

[In literis verò noviſſimis die 20. Septemb. 1685. in Ambona Inſula datis de Ginſeng ita refert.]

Transmiſi ante annum radicem illam Sinicam Ginſeng ſive Som dictam, cum deſcriptione, qualem tunc nanciſci poteram. Cùm verò mihi hoc anno familiaris factus eſſet alius civis Sinenſis *Zeuckius* dictus, haud ita diu è patria ſua recens ad nos delatus & profeſſionem Medicinæ faciens, ab eo nactus ſum paulò certiorem notitiam illius radicis. *Zeuckius* igitur ille plantam virentem vidit apud quendam Magnatem in ſua patria, qui eam è longè diſſitis Regionibus afferri curaverat, ex hujus itaque relatione, Som, planta erat humilis, è quavis radice unicum promens caulem, vix dodrantali altitudine, alternatim ferè veſtitum foliis ſolitariis, inſtar arundinis puſillæ,

læ, aut Zingiberis. Folia mihi videbantur cum Bliti foliis non-nihil congruere, ſed minora, ſeſquiunciam longa, digitum lata, antè & ponè acuminata in marginibus minutim ſerratis, inprimis circa medium. Eorum medium pervadit nervulus, utrinque ſpargens quatuor aut plures obliquas venas ſive co-ſtas, ſuntque pinguiuſcula, mollia & facilè decidentia colore viridi. Menſe Sinico primô, qui nunc cum Januario nunc cum Februario noſtro coincidit, caulis è terra prodit & per totam æſtatem folia oſtendit, non ultra novem aut decem quovis caule. Nullum florem aut fructum noverat, quos nunquam fert, ut ipſi relatum eſt. Radix tunc nullius momenti eſt, utpote nimis ſucculenta, & quæ effoſſa ſtatim corrugatur, & cariem ſentit. Circa Septembrem folia deponit, totusque caulis perit, ut nihil ſupra terram cernatur. Omnis dos tunc redit in radicem, quæ firmam ſubſtantiam acquirit. Tribus hybernis menſibus effoditur, Novembri ſcilicet Decembri & Januario. Ut autem tam nobile medicamentum ab homine commodius inveniri poſſet, quando nihil ſupra terram apparet, benigna natura mirabilem huic radici notam tribuit, quod aliqua ſui parte protuberet, & noctibus ſerenis, flante frigido Aquilone, ſive rore cœleſti tacta, ſive proprio humore turgens aſtralem quendam fulgorem de ſe ſpargat, adeò ut tunc demum veritas appareat, illius, quod antehac ſcripſi. Foſſores duplicis ſunt generis, vel enim apertâ poteſtate à loci Dominis conceſsâ, vel furtim id faciunt, pœnarum metum lucri cupiditate vincente. Prioris generis foſſores noctibus prædicto modo conſtitutis, montana illa pervagantur, ubi dictum fulgorem animadvertunt, locum dilutâ calce vel cinere ſignant, ſeſeque inquietem dant, circa auroram redeunt, loca ſignata ante Solis ortum fodiunt, radices majores ſecum auferunt, minores rurſus terra tegunt pro ſequentis anni meſſe. Radix recens effoſſa, & digitum craſſa, corrugatur, aut contrahitur in calami craſſitiem. Omnes radices coguntur foſſores Dominis ſuis tradere, quæ pulchriores & divarica-

 ti ho-

ti hominis figuram exprimentes, sibi servant, reliquas amicis donant, nihil de illis vendunt exteris. Posterioris generis furunculi similiter noctibus montes petunt, occulto tramite custodes ad viam positos fallentes. Prædicto indicio repertas radices statim effodiunt, iisque sublatis confestim se recipiunt, ne deprehendantur, hocque solùm est, quod in mercatorum manus venit. Inter fodiendum autem facilè legitimas Som radices discernere possunt ab aliis, quia terra hyberno tunc gelu emortua nullas fert herbas nec frutices.

Custodia non ubique pariter stricta adhibetur, liberius enim effoditur in Leautung, Coréa & ejus boreali parte Tausian, unde maxima pars ad mercatores pervenit. E reliquis Sinici Imperii Provinciis veluti Xensi, quam vulgares Sinenses appellant Soásay sive Soansay, Tartari Sansay, in Xansi vulgò Siamsay, Tartari Samsè nonnihil quidem effoditur, sed id omne apud suos Dominos manet. Paucum etiam dant Provinciæ Australiores Sutfjuan, Junnam sive Gunnam. Queicho sive Quithjuan & Xansi occidentalibus Imperii Provinciis incolæ, excursiones faciunt extra murum Sinicum in Provinciam Jensam itinere duorum mensium & Occidentalibus Tartaris, quos Seythat vocant, subjectam, in cujus montibus non minus furtim effodiunt & in Sinam delatam mercatoribus vendunt. Unde patet causa quod tam rara & cara sit radix hæc, cujus pretium augetur certâ quadam opinione, ut antea scripsi, quod hominis formam exprimens generatim pro panacæa habeatur. Nam in aqua calida solvitur & more Theanæ sorbetur, pondere unius aut duarum drachmarum. Quandoquidem post omnes morbos diuturnos, collapsas vires mirificè restaurat, medullam in ossibus & totam artuum compagem blando suo calore vegetat & confirmat. Prorsus enim temperatæ est naturæ, nec ut vulgo creditur calida, paucum tamen cibum potumque requirit in utente eâ: copia enim cibi tunc non solùm radici adversa est, sed etiam calorem nimium auget, & vigilias inducit.

ducit. Juvenibus igitur, & calidæ complexionis hominibus interdicitur. Senibus è contrà utilissima, qui frigoris & aëris injuriâ iter molestum aliquod suscipiunt, prædictâ dosi eam manè sumunt, cujus vi nec famem nec sitim eô die sentiunt. Undè meâ opinione huic radici aptiùs competunt cognomina, radicis Sasticæ & Adipsi, quàm nostræ vulgari Glycyrrhizæ, vires illas non habenti. Considerandum porrò doctioribus relinquo, an non veteres aliquid de hac radice somniaverint. Sanè fabulosa illa herba Achæmenidon sive Achæminis, de qua *Plin. l. 24. c. 17.* aliqua habet cum Som congruentia. Electri colorem illi tribuit, per quem fortè intelligit fulgorem illum, esse sine foliis, nasci in Tardistilis Indiæ &c. Fulgorem etiam quibusdam radicibus veteres tribuerunt, ut videre est apud *Ælianum l. 14. c. 17. 28,* in Aglaophotide utraque & *Josephum* in sua radice Baara, quas ambas docti censent esse Pœoniam. Supradictus *Zeuckius* formam herbæ Som, quantum memoria assequebatur, hâc inclusâ chartâ exprimere voluit, in ejus formam excisâ, quam exsculpi curabis, si placet &c.

[*1686. d. 25. Sept. Augustam allata.*]

Fig. IX. X. XI.

OBSERVATIO XL.
D. ANDREÆ CLEYERI,
De
Arbore laccifera Japanensi Fasnoky sive Namra.

SUnt, qui nobis referunt, Europæos imitari artificium obducendi res varias ex ligno fabrefactas laccâ illâ eleganti, quâ solent Japanenses & Chinenses idem artificium præclarè exercere. De hoc tamen valdè dubito, persuasus,

sus, quemlibet emunctæ naris Europæum facillimè perspicere posse & judicare differentiam harum rerum juxta se positarum, nempe quæ in his Indiis, & quæ in Europa operantur. In Europa incrustantur tantùm res laccâ illâ Persarum sive vulgari illa in Officinis satis notâ; at in his terris lacca illa elegans provenit ex succo quodam gummoso Arboris, quæ Japonensibus dicitur Ourischy, sive Fasnoky & Namra. Hæc arbor in magna copia crescit in Regnis Siam & Pegu. De hujus Laccæ præparatione ut proximiorem & exactiorem notitiam acquiram, dabo porrò operam, quod quidem factu difficillimum erit, quoniam Japonenses artificiorum suorum erga exteros tenacissimi sunt, & suorum arcanorum custodes strenui. Arbor autem illa, quam depingi curavi, lignum habet durissimum: folia ejus sunt salignea, frequens est in Japan. Mense Majô Japonenses corticem exteriorem arboris unô ictu securi sauciant: Sic ex vulnere isto inflicto emanat gummi quoddam nig[illegible]. Hoc mense Juniô colligunt, & in mundissimis vasis fictilibus asservant superfusô oleô recenti ex nucibus Kokos dictis expressô, & sic multos annos perdurat liquor hic gummosus. Incolæ ad usum partem hujus subtilissimè terunt & per pannum colatum rebus laccâ obducendis adhibent &c.

[Ex literis Cleyeri ad D. Christian. Mentzelium d. 28. Octobris ex portu Japanensi Nangasaki anno 1685. transmissis.] [1686. M. Septembr. Augustam missa.]

Vid. Figuram XII.

SCHOLIUM.

GArzias ab Horto *lib. 1. histor. arom. cap. 8.* ex fida aliorum relatione, arborem lacciferam Peguanam esse vastam, foliis quodammodo pruni præditam refert, ex cujus surculis & minutioribus ramis, magnæ formicæ, quarum ideò alæ plerunque laccæ permistæ conspiciantur, non secus atque apes mel, laccam exsugant atque elaborent. Formicas tamen hasce alatas

tas


Fig: 12.
p. 80.
Fig: 13.
p.82.
Fasnoky sive
Namra.
ハヌノニ十
Japonice
Mami Itabo
ミヌ人ワブ
Jap:

Annus V.

tas non ex sola arbore ista, sed aliis quoq; floribus, fruticibus, arboribus ac herbis, apum more, laccæ conficiendæ materiam colligere, ac in communes operas conferre, *Jacob. Bontius not. in hunc Garziæ locum, lib. de Med. Ind.* admonet. Eandem in arbore nigra, foliis rotundis, supernè virescentibus, infernè Salviæ ferè instar candicantibus, & adstringentem saporem habentibus, floribus itidem inodoris, & fructu quem Jujubas vocent, plena provenire, ex Hollandorum relatione, *Arnoldus Montanus hist. Legat. Batav. Societ. Ind. Orient. ad Impp. Japon.* ex Diariis earum desumta, refert, ex qua à formicis alatis succus exsugatur, & ramulis arboreis eam circumducendo, elaboretur; ubi simul modi, quem in obducendis laccâ hac variis rebus ligneis Japani adhibent, mentionem facit. Formicarum alatarum stercus favaginemque laccam esse, *Amatus Lusit. comm. in Dioscor. lib. 1. enarrat. 23.* notat, quem tamen falsè redarguit *Francisc. Alexander in Apoll. pharm. pag. 47.* earum fortasse formicarum excrementum esse, jocatus, quæ vulpibus majores ab *Herodoto*, vel magnitudine luporum esse, à *Plinio* scribantur. Duplicis generis laccam esse, Peguanam nempe, & Bengalensem, *Joh. Bapt. Tavernier* in suo *Itinerar. Orient. part. 2. lib. 2. c. 12.* & *part. 3. lib. 3.* refert, à formicis eandem, in Peguano quidem regno supra terram, in Bengalensi verò parvulorum arbusculorum extremos ramos eâdem incrustando, colligi, ideoque hanc puriorem & cariorem præ illa esse, tradens; quin & in magna copia Laccam Indicam in Chinam & Japoniam deferri, *part. 2. lib. 3. cap. 17.* scribit. Unde si relationes hæ fidem, quam omnem ipsis denegare, temerarium foret, mereantur, Japonensibus non eam arborum laccam sudantium copiam esse, suspicari liceat, quæ tot ac tantis rebus in vasto illo regno incrustandis sufficere queat, ut ita aliunde etiam, ex India, petere eandem cogantur; vel etiam pro diversitate operis vernice tali exornandi, diversa etiam gummia ab ipsis expeti; imò arborum simile pro usu dicto gummi fundentium, plures esse species, non secus ut apud nos quoque cerasorum,

 pruno-

prunorum &c. arbores gummia sudare observemus, est credibile. Hinc etiam quæ in America, ex *Francisci Hernandi* relatione, *histor. natur. Mexic. lib. 3. cap. 21.* nascuntur arbores lacciferæ, ipsi inconditæ, ac mediocriter magnæ dicuntur, quæ folia exilia, pennas avium imitantia, brevia, tenuia, ex utraque parte ramorum serie quadam prodeuntia, & quod ex figura addita, ut & nota *Joh. Terrentii* patet, quodammodo Acaciæ Ægyptiacæ similia, ferunt, stipitesque ac ramos purpureos habent. Ast putare gummi hoc à formicis elaborari, inscitiam vocat *Hernandus*, cum ab ipsis arborum ramis undecunque stillet, & ejusdem veluti tubuli quidam adhærescant. Unde licet alæ formicarum in eo reperiantur, non tamen argumentum sufficiens hujus operis esse, *citatus Terrentius* concludit, præsertim cùm videamus, & nostras formicas congerere potius frumenta, muscas, & similia, quàm aliquid apibus simile elaborare.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XLI.

D. ANDREÆ CLEYERI,

De

Arbore Mami Itabo Japonensium.

APud Japanenses excelsa satis crescit arbor, ipsis Mami Itabo dicta. Folia fert ampliora Salicis: Color eorum ad luteum magis vergit. Semen ejus aut fructus brunni & spadicei coloris est, acinis durioribus. Semina vel baccæ ad coloranda varia adhibentur. Coquuntur enim cum iis telæ, panni, linteamina, fila, & id genus alia, quò res illæ colorem illum fuscum, brunnum acquirant. Turdi in escam valdè appetunt has baccas sive semina. Folia hyeme decidunt, vere autem cum floribus renascuntur. Lignum arboris in usum focorum & carbonum venit.

Vide Figuram XIII.

OBSER-

OBSERVATIO XLII.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
Ex
Dysenteria intempestivè sedata Sphacelus pedis.

VIrgo, hîc Berolini adhuc superstes, ante aliquot annos, cùm ageret 24. annum, persuasu vulgi, ad coërcendam dysenteriam, varia fluxum illum alvi inhibentia assumit: hinc gravia symptomata incurrit, lipothymiam præsertim, & cordis dolorem. Matrem, ut sibi opem ferat, advocat tanquam moritura. Accurrit mater, erigit filiam amplexu, mox, cessante pectoris angustiâ, filia dolorem ingentem in pede sinistro percipit. Perlustratur pes & hinc inde maculæ lividæ instar scorbuticarum visuntur Varia ex adstantium & vulgi consilio ad dolorem compescendum imponuntur. Intenditur dolor: eâ nocte pes inflammatur: sequente die nigrescit. Accersuntur Chirurgi Urbis primarii. Fit dissensus inter eos, quid pedi imponendum: proponitur aqua nigra, sic dicta ipsis, pro epithemate ad extinguendum sphacelum, qui hoc epithemate paulò quidem reprimitur, sed non penitùs extirpatur. Protrahitur cura hæc per quadrantem ferè annum, donec emplastrum quoddam ab amico propositum pedi undiquaque imponitur, cujus ope caro emortua omnis à sana separata secessit, osq; tibiæ totum cum metacarpo & digitis sponte suâ excidit, & ita Virgo adhuc superstes, cum suo pede ligneo, per Dei gratiam, sana circumambulat. Adeò nimis accelerata & intempestiva plurium morborum cura pejus sæpè malum secum trahit. Ita ex Febre quartana nimis citò curata cervicis rigorem, nephritidem, arthritidem, phthisin, hydropem, tandem mortem ipsam sequi indies experior, quam tamen vel duplicem vel triplicem nullis fortiori-

bus medicaminibus per Dei gratiam multoties curavi & meum cordati medici contra vulgi errores methodô certâ adhibitâ profligare norunt.

[12. Septembr. 1686. Augustam allata.]

OBSERVATIO XLIII.
D. CHRISTIANI LUDOVICI GOCKELII,
De
Vesica spongiosa extra abdomen posita cum defectu penis.

NAtus est in pagô hujus ditionis Alfalder infans potioris sexus circa inguina non ritè formatus. Parentes, antequam divulgaretur, diu pressêre. Fuerunt, qui suis pòst oculis usurpatum haberent pro hermaphrodito; alii, qui nescio quid monstri eidem affingerent. Avtoptis tandem ad ipsum pagum excurri: Inveni puellum, X. jam hebdomadas emensum, eô positu, quem Icon ostendit: Comparuit in inguine corpus carnosum extra abdomen, vesicam obscurè referens, cuticula & cute destitutum, madebat undique, tactu spongiosum & tenellulo dolorificum, cujus à lateribus carunculæ binæ ejusdem substantiæ propendebant. Umbilicus non centrum abdominis, more solito, occupabat, sed in fronte hujus protuberantiæ vestigiô vix sensibili latebat. Cutis ordinariè abdomen claudens & expansa cingebat corpus hoc spongiosum undique, impedita igitur, quò minus extenderetur, in plicas utrinque convoluta desiit. Urinæ perpetua incontinentia dolores inguinumque excoriationes enormes peperit, cujus exitum distinctum præter exsudationem manifestam spongiæ instar nemo deprehenderat. Mihi verò curatius inquirenti subtus statim excrescentiæ duæ carneæ in medio per rimam disjunctæ sese obtulerunt, quarum superior duobus gaudebat foraminulis, urinam ad oculum stillantibus; inferior



Fig: 19. p. 162.
Lapides Vesicæ, quos sponte sua excrevit Matrona.



Lapis Vesicæ posthumus.

Fig: 20. p. 162.



inferior radicem penis, studiò velut abscissi, simulabat, non tamen pervia. Testiculi suo loco pensiles nil p. n. fovebant. Hæc in vivo. Cùm autem dolores indies aucti haud diu superstitem præsagirent, exemti è vivis extispicium suasi. Vix dies XIV. abhinc elapsi sunt, cùm motibus epilepticis interemtum sectioni licet superficiariæ saltem traderent. Notavi funiculum umbilicalem tractu solitô longiori, adhuc ex parte pervium hepati implantari: Vesicam protrusam foras & in hoc ipsum corpus carneo-spongiosum mutatam, quæ cultro divisa in modum parenchymatis liquorem ex poris quasi glandosis urinosum odere fundebat. Nulla tamen manifesta cavitas. Ureteres non vesicam sed carunculam substratam superiorem singuli seorsim transmittebant, unde urinæ incontinentiam derivo. Urachus nuspiam visendus fuit. In partibus genitalibus intra abdomen & visceribus reliquis præter omenti defectum nullam licuit anomaliam observare. Plura equidem altioris fuissent indaginis, verùm ægrè talia concessa sunt. Infans dum vixit cibo & lacte benè saginatus corpus succi plenum & cætera satis formosum tenuit. Addiderunt fide dignissimi, semper in familia horum reperiri quempiam soboli procreandæ vitio naturali ineptum, quod hodienum unus ex illis matrimonio sterili testetur.

[*Ex literis ad D. Joh. P. Wurffbain d. 18. Maij datis.*]
[*1686. 12. Sept. Augustam missa.*]

Fig. XIV.

A Umbilicus.
B Vesica extra abdomen propendens.
c c Duæ carunculæ adnatæ.
d Excrescentia carnea superior exitum ureterum per duo puncta monstrans.
e Excrescentia inferior radicem penis referens.
ff Cutis utrinque in plicas desinens.
gg Testiculi pensiles.

OBSERVATIO XLIV.
D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII,
Sitis Quartanam comitantis exemplum rarius.

QUemadmodum sub Oeconomiæ animalis regimine laudabili, dum per crebros & veloces fluidorum circulos multum humoris consumitur, humidi tandem defectus inferendo sitim lymphatici liquoris, communis illius tot difformium particularum in corpore humano vectoris restitutionem per potulentorum assumptionem non rarò permolestè satis urget: ita ab eodem afflictionis genere longè magis excruciantur, ægrotantium corpora, eorum inprimis, quorum præcordia febrili torrentur æstu; sitis enim est immediata caloris soboles. Non verò in continuis solum & Causô, sed &, imò gravius sæpè, in intermittentibus tormenti hoc genus adest, ut singularem siticulosarum speciem constituere non dubitaverit *Sylvius*. Quartanarii saltem hâc vice videbimus sitim, qualem me nunquam aliàs observasse memini. Generosus è Vicinia Eques in 15. annorum decursu ultra tredecies febri tentatus tertianâ intermittente, quam toties irriguô Bacchi Ungarici nimbô feliciter ebrius citra medicamentum aliud fugaverat, Poliarchi illius è *Barclajo* exemplum fortè secutus, tandem Anno 1684. Mense Julio ultra quinquagenarius in gravem incidebat Quartanam, quam vinô pro more diluere veritus curandam meis exponebat præsidiis. Certamen cum hâc versatili febri in corpore valdè cacochymicô & scorbuticô mihi contigit acerbum & per recidivas diuturnius atque tædiosius quam vix aliud unquam, finitum tamen feliciter, benedicente Divino Numine, Mense Novembri ejusdem Anni. Inter plura alia nec levia symptomata, ubi non longè post initium Curæ Paroxysmi jam erant infracti

fracti adeoque leviores & breves versus vel circa vesperam ingruere soliti, præcipuè sitis inextinguibilis Nobiliss. ægrum, paroxysmô licet utplurimum jam finitô, tantopere torquebat, ut plenissimis haustibus potulenta ingurgitaret totasque noctes potandô & frigidâ oris elotione consumeret. Id verò notatu dignum erat, quod plerumque sitis, postquam sic totâ nocte absque febrili calore desævierat, simul ac diluculum appareret, incantamenti instar plenariè & in unô quasi momentô dispareret; imò unâ sive alterâ vice, licet paroxysmus vel potius paroxysmi jam ferè deleti saltem vestigium ante unam circiter horam jam transiisset, sitis illa indomita demum cum crepusculo vespertino invaderet & accedente diluculô consimili ratione subitò iterum evanesceret sine sensibili causa. Aliquando hujusmodi sitis, tunc absentis, locum dolores hypochondriorum intensi occupavêre, pari ratione cum lucis diurnæ adventu sponte fugati. Aliquoties vehementia sitis & diuturnitas imminui se passa fuit tum copiosissimâ aqueorum & diluentium ingestione tum aliis sitim sedantibus medicamentis, inter quæ eminebat Spiritus Croci Metall. clyssiformis Vitrioli phlegmate permistus.

Dubio equidem caret siticulosum hocce phænomenon à motu fermenti febrilis sed concentrati & jam enervati ortum traxisse; sed haud omni raritate, *quod absentiam Solis tam accuratè observaverit.*

OBSERVATIO XLV.

D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII,

Vermes intestina innoxiè perforantes.

CIvis & Textor Strigensis mediæ ætatis à multis retrò annis in inguine dextrô gestaverat tuberculum parvum, idque dolens, si pedes laboràssent paulò diutius. Tandem dolorem abdominis hinc inde radentem & vehementer augentem, intermistis vomitibus, per horas circiter 24. sentit

24. sentit Anno 1684. Mense Julio. Dein subitaneo motu tuberculum illud in tumorem assurgit inflammatorium insignem; qui à Balneatore vocato per aliquot dies emollientibus tractatus rumpitur sponte, & cum ægri notabili debilitate largissimam materiæ fœtidissimæ & ex parte serosæ albicantis copiam profundit. Die secundo ex apostemate lumbricus teres putredine jam semi consumtus prodit, posterô die aliô sed vivô ad spithamæ longitudinem succedente. Die quintô vocatus ego ægrotum calore, siti, inappetentiâ, doloribus, viriumque prostratione graviter pressum, tumorem verò haud exiguum & valdè inflammatum inveniebam. De læsione intestini non erat quod dubitarem; non solummodo propter exclusionem vermium, sed & quod sumtô jusculô crocatô flavescens liquor (quamvis non tam à Croci quàm bilis tinctura derivandus, cum deinceps totô curationis tempore flavescens ichor promanaverit) ex ulcere prodiret, imò membranacea portio valdè fœtens cum insigni patientis dolore pridiè fuisset separata; confirmatus dein uberius, quod diversis diebus adhuc duo vermes, quorum alteruter verus, ex ulcere provenissent, imò dein & quintus insciô ægrô, qui eum manè in lecto mortuum repererat, porrò excrementa plus vel minus chylosa sæpius excernerentur ex ulcere, imò unâ quoque vice portiuncula, ut referebant, enematis injecti. Præter varia, quæ requirebantur interna, ab initio jussu meô applicatum epithema ex aqua calc. vivæ cum aqua sperm. ran plantag. & fl. Sambuc. factum, addendô cuivis portioni calefaciendæ camph. parum, mirè profuit, ita ut biduô omnis ferè tumor & inflammatio sedaretur. Haud minoris postea utilitatis fuit decoctum astacorum fluviatilium rad. aristol. rotund. herb. prunellæ, alchimillæ, sanic. beton. cum vino & aqua f. fact. atque locô injectionis adhibitum, ita ut progressu temporis dimisô ob rem angustam domi Chirurgô, ægroti uxor solô hôc decocto additô simul myrrhæ & aloës pauxillô (ubi dein loco emplastri tantum ex linteo pulvillum applicavit) fuerit usa, & tandem

balsamo

balſamo Saturni (ex digeſtione Spirit. Terebinth. cum ſacch. Saturni & Camphor.) benedicente Deo ſanationi, quæ paulò lentius procedebat, ultimam impoſuerit manum. Simile factum, ſed triſte, eodem anno experta fuit ruſtica paupercula, quæ contumaci quartanâ diutius laborans, tandem exquiſitiſſimis abdominis & dorſi doloribus vexata, lumbricos non modò per os & vomitum, verùm etiam per oborti in inguine tumoris & rupti viam excrevit quidem, ſed fractis viribus atq; ſubſidiorum inops fatis conceſſit. *Sic ergò Viva Mortis Imago hominibus eheu! inſidiatur & vivis.*

[Ex Jauer. Sileſ. 1686. 21. Sept. Auguſtam miſſa.]

OBSERVATIO XLVI.
D. SAMUELIS LEDELII,
Ab eſu Cyprini Podagra.

DIætam non minimam in curandis morbis ferre operam, notum eſt quam quod notiſſimum. Hanc ſi exactè obſervarent Arthritici, leviores ſuſtinerent paroxyſmos. At illi ipſi hoc commune habent: Ich eſſe was mir ſchmeckt / und leide was ich kan. Inter plures Arthriticos degit apud nos Mercator B. W. Hic peregrè profecturus pro prandio ſibi apparare jubet carpionem, avideque ut ſolet, comedit. Dum cibus adhuc intra dentes hæret, ſtatim corripitur Podagra ad aliquot ſeptimanas prorogata. Alio tempore adhuc ſemel periculum facit, & idem ſubrepebat paroxyſmus. Jam ita miſerè vivit ut nec pedes nec manus de loco movere valeat, monito meo inobediens gulæque ſuæ deditiſſimus.

SCHOLIUM.

CYprinos, à Cypride, Venere, addictiſſimos ſibi filios ſæpè podagrâ exercente, dictos, ſunt qui laudent, ſunt qui vituperent. Et quamvis ſanis omnia ſana eſſe, ſi quidem juxta ſanitatis regulas ingerantur, non omninò negari queat, piſcem

tamen esse cyprinum, qui licet in puris etiam aquis degat, naturâ tamen suâ viscidatatem, uti cum aliis *Paul. Neucranzius exerc. de harengo cap. 7.* judicat, carnis mollitiei & saporis suavitati adjunctam habet; ut ita ex paludosis & minùs salubribus aquis depromtum eò minùs esse probandum, hinc facilè adpareat. Inprimis ob carnem hanc suam limosam podagricis dolores accelerare creditur. Hinc podagricum novisse *Jul. Alexandrinum* (uti refert *l. 15. c. 6. de salubr.*) memorat *Jul. Cæs. Baricellus* in *hortul. genial.* cui cyprinorum pinguium esu parata erat semper podagra, ut in manu illi esset, eo pacto hanc accersere, cùm vellet. Prout autem podagricis insignes quivis in diæta errores paroxysmum reducere possunt, ita avidiùs ingestus hic piscis, præsertim si minùs bonæ notæ fuerit, in ventriculo corrumpi, chylum inquinare, & ita latentia jam antea in corpore spicula dolorifica excitare, movere, augere, & sensibilibus articulorum partibus imprimere poterit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XLVII.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Cephalalgia Scorbutica.

CEphalalgia Scorbutica multis atroces solet excitare turbas & cruciatus. Geminum adducam ægrotum. Civis noster P. H. Scorbuticus, acutissimis laborabat doloribus capitis cum vigiliis continuatis, in & externa nil proficiebant remedia. Tandem dabam in forma pilulari laudanum opiatum tribus vesperis; à prima dosi lenis Spirituum confusio succedebat cum somno turbato, ab altera dosi quietior erat ægrotus; tertia dosis, Deo benedicente, post somnum quietum ipsum nobis alacrem sistebat, & vires appetitu redeunte redibant, evanescentibus doloribus. Alter erat ille, cujus

cujus mentionem feci *Observ.34. Dec.2. Ann.2.* Hic tantos perferebat cruciatus, ut ipse de Mania metueret. Omnia accersimus Medicamenta quæ ratio & experientia dictabat, at parùm levaminis vidimus. Tandem natura robur suum exerit & per nares sanguinem extrudit sat copiosè, ad aliquot horas. Datis confortantibus post sufficientem fluxum, omnis dolor abiit, & Natura se morborum esse Medicatricem, satis clarè demonstravit.

OBSERVATIO XLVIII.
D. SAMUELIS LEDELII,
Imberbes.

Elegans & curiosus est Discursus *Dietherri* de Capillis & Barba *Ann. 4. & 5. Ephemerid. Dec. 1.* Qui mihi ansam dedit sequentia annotare. In Ducatu Saganensi vivebat Pastor sat notus & eruditus, qui per omnem vitam carebat Barba, & attigit 80. annum ætatis. Hîc Grünbergæ obambulabat Pannifex statæ ætatis & optimæ constitutionis, cui nullus mentum ornat pilus. *Aristoteles* putat quod sint fœminei temperamenti istiusmodi imberbes, & in iis reperiatur defectus caliditatis. Sed hic videtur illa ratio insufficiens: Quia aliàs prior Senex tot non complevisset annos, & posterior non esset tàm vegetus, ut est, sed effœminatus. Nostra civitas aluit etiam alium imberbem, quem ideo nominabat Ohne Bart; erat facetus & vino nimiùm deditus. Ad hos non pertinet:

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunq; puer.

Uti hic Natura in defectu; ita in excessu peccat in barbatis fœminis, quibus menstruus fluxus hanc deformitatem debebat impedire. Visa nobilis fœmina, in vicinia, sat virtuosa, quæ justam aluit barbam. Alia vilioris sortis albicantem gestabat.

D. I. A. IX. Ob
p. 245.

Salacem vidi, quæ ſuperius labrum pilis denigratum habebat. *Horſtius l.2. Obſerv.28.* dat curam juvenis depilati circa barbam.

OBSERVATIO XLIX.
D. SAMUELIS LEDELII,
De
Curatione retentionis urinæ in Variolis.

NObiliſſima puella erat defœdata variolis copioſiſſimis, ſuccedente retentione urinæ & inflatione abdominis præprimis circa pubem. Medicus quem conſuluerant, porrigit Medicamenta varia in- & extra adhibenda, ſed ſine effectu. Applicant dein ſvaſu Matronæ calidè ſacculum lineum fl. Chamæmel. vulgar. repletum, in lacte coctum, & remittit utrumque ſymptoma cum reſtitutione. Sic etiam fœmina oportunè eſt locuta, & eluſit ſimplici hocce omne penu Chimicum.

OBSERVATIO L.
D. SAMUELIS LEDELII,
Lixivium enecat puerum.

PAnnificis filiolus 2. annorum, ſolus in hypocauſto relictus, incidit in vas ligneum rotundum, ad medietatem lixivio vulgari repletum. Parentes accurrentes extrahebant: Succedebat vomitus & fluxus alvi, corpus in tumorem attollebatur, & vita protrahebatur tàm miſerè cum doloribus, ad ſeptimum diem, quo moriebatur. Conſilium in hora mortis expetebant, attamen ſine effectu. *Balthaſar Timæus à* Güldenklee *l.7. Caſ. Medicin. caſ. 9.* adducit Pharmacopœi viduam feliciter reſtitutam, quæ hauſerat lixivium è cryſtallis nitri, ſuccedentibus variis & periculoſis ſymptomatibus. Principiis obſta, hinc in tempore venire omnium rerum eſt primum. [*Grünebergâ d. 2. Octobr. 1686. miſſa.*]

SCHO-

SCHOLIUM.

QUamvis lixivium, ſal alcalicum in aqua ſolutum continens, egregias in curandis variis corporis ægritudinibus vires obtineat, & quondam Umbris, Rhenaniſque hominibus ſalia lixiva pro quotidiano cibi condimento, ſine ullo ſanitatis diſpendio inſerviſſe, quin hodieque ab Oceani accolis passim ex alga confectum pariter uſurpari, Nob. *D. Ol. Borrichius tr. de ortu & progr. chem. pag. 95.* oſtendat, quibusdam etiam Inſulæ Formoſæ incolis potum ex cinere lignorum, quo ſine incommodo utantur, parari, ex *ſecunda Societat. Batav. Orient. ad Chinæ Imper. Legatione* conſtet: cautè tamen ejusmodi Lixiviorum uſum eſſe ineundum, Exc. noſter *D. Wedelius* in *Pharmac. acroamat.* animadvertit, ne peſſundando ventriculi tonum noceat. Sic puerum lixivio imprudenter hauſto dyſenteriam ſibi pernicioſam contraxiſſe, *Benedicti Sylvatici* teſtimonio, recenſet *Joh. Rhodius Cent. 2. Obſ. Med. 86.* quem morbum etiam Europæis ex lixivio illo Formoſorum excitari, *d. l.* memoratur; ut ita conſuetudinem apud reliquos noxam hanc avertere poſſe, indeſpateſcat.

[L. Schröck, L. F.]

OBSERVATIO LI.
D. ADAMI à LEBENWALDT,
Venæſectio noxia.

AD majalem Venæ ſectionem vocatus Chirurgus à Viris quinque, optimi aliàs corporis habitus, utebatur phlebotomo, quo prius aperuit venam lue Venereâ graviter affecto, nec eo abſterſo & purgato &c. Ecce omnes quinque eadem lue infecti fuerunt, ut nullum decoctum lignorum, nulla inunctio Mercurialis, nullum azoth intrinſecè propinatum, nulla ſuffumigatio cinnabarina, quæ omnia à peritiſſimis Medicis & Chirurgis ordinata, impreſſum

 hunc

hunc malignum characterem tollere & delere potuerint, sed doloribus articulorum nocturnis graviter cruciati, post unum & alterum annum tabe omnes perierunt, duobus ex his, crura fuerunt ulcerata, qui non tam graviter afflicti, diutius vixerunt. Nequam Chirurgus sibi fugâ consuluit, de quo potest dici:

Qui fuerat Chiron cœperat esse Charon.

SCHOLIUM.

DE luis Venereæ, vel scabiei malignæ, per scarificationem, ex servi Balneatoris nequitia, propagatione in plus quam 70. homines, diffusè agitur in *Joh. Hornungi cista Med. epist. 235.* ut & *Gregor. Horstii consultat. & epist. lib. 2. sect. 6.* Quin & hydrophobiæ metum phlebotomo, quo Balneator antea partem à cane rabido demorsam scarificaverat, feminæ ejusque lactenti infanti fuisse excitatam, Exc. *D. Petr. Rommelius tr. de peste part. 2.* memorat. Scilicet maximè activum ejusmodi venenum, phlebotomo adhærens, dum vasa sanguifera in toto cutis ambitu obvia, secando, in dehiscentes earum cavitates penetrat, & sanguini calenti immergitur, ab eo solvitur & abluitur, qui ulteriùs ad majores venarum ramos, versus cor properans, totam sanguineam massam inficere valet.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO LII.

D. ADAMI à LEBENWALDT,

Delirium Melancholico-maniacum sola sanguinis missione curatum.

REligiosus quidam, Corporis Eusarci & Plethorici, singulis annis circa æquinoctium vernum & autumnale incurrebat delirium melancholico-maniacum cum imaginatione depravata, quod certa persona illum velit

lit decollare, quare latebras quærebat illosque qui ipsum in apricum deducere conati sunt, verbis & verberibus excipiebat. Vocatus ego caput nimio sanguine oppressum spiritusque in cerebro ob defectum debitæ circulationis coacervari & fervefieri judicavi, jussi ut sanguis ex Cephalica ad libras duas extraheretur, quo solo remedio in integrum restitutus; eoque imposterum pro præservativo efficaciter usus fuit.

Hunc ad casum quid dicitis Hæmophobi?

Confer. Anni præcedentis Observatio X.

[*Leobio 1686. 18. Octobr. Augustam missa.*]

OBSERVATIO LIII.

D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII, Tensio cordis lipothymiæ causa.

INter alia, quæ curiosissimi hujus Seculi fervor quotidie adhuc suggerit, artis medicæ tentamina, celebres hodie sunt *Injectiones*. Immittunt enim cultores hujus artis seduli apertis vivi corporis vasis varia liquida, artificiosi siphonis ope, modò curiosæ indagationis, modò restituendæ sanitatis gratia, prout varia talia suppeditant experimenta viri celeberrimi, *Boyle*, *Clarck*, *Elsholtius*, *Ettmüllerus*, *Fracassatus*, *Garmannus*, *Hofmannus*, *Major*, *Schottus*, *Wren*, qui primus hujus Infusionis author dicitur, & *alii*. Immittunt in cadaverum vasa ac viscera, ceram diversicolorem, mercurium, lac, aliosve liquores, quarum injectionum dexteritate celebres præcipuè sunt *Gräfius*, *C. Bartholinus nepos*, *Swammerdamm*, *Nück*, *du Verney*, *Brunnerus*, *Peyerus &c.* Immittitur etiam aër per insufflationem ipsis vasis, cum flatus beneficio variæ delitescentes partes detegantur & meatus; de quo scripsit *Riolanus Anatomen pnevmaticam*. Non solùm autem ad partes sed & causæ morbificæ lædendi modos detegendos talem aëris immissionem non parum conferre censeo; quale experimentum à me inter alia per infla-

inflationem institutum etiam sequens est : Mense August. A. 1685. canis fœmellæ venæ jugulari sinistræ vehementi nisu inflatum aêrem brevi vitam eidem ademisse, & quidem secundâ vice expertus, ultimo dicti anni mense tentavi, quid levior ac brevior valeat inflatio, ubi tale apparuit phænomenon: Catuli venam jugularem dextram non præcipiti, sed provido denudatam cultro incidi, effluxit, quoniam studio non ligaveram, parum sanguinis, inflatione immisi aêrem leviter absque insigni vehementia; quietior inde jacuit canis, fermè immobilis, absque clamore, obmutescens, sine vigore quovis aut vivido aspectu: oculis semiapertis, membris flaccidis, collapsis, quasi resolutis, manus queis ipsum tenuerat, licet retraxerit Socius, fortiter ego membra digitis vellicarim, non tamen movebatur; Linteolo aceto imbuto venam, ut sanguinis cohiberem effluxum, compressi. Jacuit canis immobilis ad minimum per medium horæ quadrantem, tandem sensim sensimque se recolligebat, pedibus rursus insistebat, & alacrior factus membra agiliter movebat. Postea in ejusdem canis sinistram detectam jugularem flatu valde vehementi transmisi aërem, inde apparuit frequens pulsatio, ejulatus, membrorum nullus rigor nec concussio, sed potius flaccescentia, sub finem canis os sæpius aperuit, & continuatâ insufflatione quietè obiit. Effluebat è vulnere venæ sanguis spumosus, nec tamen ad se rediit canis; aperto abdomine & thorace peristalticè adhuc movebantur intestina, cor, ejus cavitates & vasa, aêre valde distenta, præcipuè autem auricula dextra adeo, ut inflatâ venâ cavâ & ligatâ arteriâ pulmonali magis expandi non potuisset, omnibus ejus fibris pellucentibus, à sanguine planè vacua, in neutro cordis ventriculo grumus conspiciebatur sanguinis, sed hic è ventriculis vulneratis fluidus cum aêre & spumosus profluebat, pericardium â corde penitus replebatur, ejus & cordis vasa coronaria plus aêris quàm sanguinis continebant. In universo corporis ambitu arteriæ pariter ac venæ rubentes optimè erant conspicuæ, bullasque in minimis quoque

que

que ramulis manifestè exhibebant. Priori menſe alium canem meæ ſubjeci indagationi. In venam ejusdem dextram jugularem ab omnibus incumbentibus liberatam inflatu leviori ac breviori immiſi aêrem, unde mox canis obmutuit, flaccida membra penitus non movit, absque ulla vivacitate immobilis jacuit, licet acriter preſſus & vellicatus. Poſtea ſucceſſivè ſibi reddi videbatur, & iterum alacri agilitate vegetus ſingula movit membra. Hinc eandem venam denuò ſed intenſiore ſpiritu inſufflavi, unde canis ad illum virium & partium collapſum mox iterum delapſus in tali ſtatu per horæ fere quadrantem permanſit, inde vero poſt reſpirationem hianti ore frequentiſſimam tandem expiravit. Occaſionem ut hæc tentarem, eorumque conſiderarem phænomena, primam ſuppeditavit famigeratiſſimus *Dn. D. Wepferus Senior*, meo longè majori encomio; qui cùm Parentem meum hîc Tubingæ inviſeret pro ſolita ſua ac ſingulari humanitate inter alia plura ingenioſa & utiliſſima faventiſſimè, cum adhortatione ad tentanda paria, mihi communicavit ſcripto conſignata phænomena, apparentia in enectis ab inflata hic ſiniſtra, ibi dextra jugulari vena, vervece adultiore & vacca utero gerente. Ab hoc itaque propoſito experimento deduco, tenſionem cordis aliquando Lipothymiam inducere.

SCHOLIUM.

HAnc ſuam ſententiam cùm Clar. *D. Autor* Theſibus academicis, ſub Nobiliſs. Dn. Parentis ſui, Celeberrimi *D. D. Eliæ Rudolphi Camerarii* præſidio, confirmare ſuſtinuerit, Magnif. *Dn. Præſidi noſtro* viſum fuit, Diſcurſum illum contractum operi huic noſtro, ut eruditum ac curioſum inſerere.

Primò itaque theſin hanc: *Inflari non rarò ſolet corpus humanum*, formando, per naturam quidem, utiliter & neceſſariò flatus in ventriculo, inteſtinis &c. hoſpitari oſtendit, extra tamen debitam ſæpè migrare eos ſphæram, & varias corporis partes magna cum noxa inflare ſubmonet, id quod inprimis

prolixo discursu de hypochondriaco orgasmo probabile reddit.

Progressus dein, alteram thesin ponit: *Orgasmus flatulentus dum ad cor pertingit, tendendo illud lipothymiam inducit.* Hunc autem orgasmum exsurgere plerunque statuit in ventriculo & intestinis, ubi concurrant ingesta, sputi, salivæ portio, gastricus, intestinalis, biliosus, pancreaticus, alii etiam per ordinarias vias cum sanguine advecti liquores, quorum minima dissimilia heterogenea, in statu nimirum p. n. facilè extra suos limites debitos hostiliter congrediantur, effervescant, ac flatus gignant; quamvis & in massa sanguinea, ipsisque partibus tale produci gas sylvestre soleat, modò ipsis non debitè in illa subactis particulis prædominantibus turbas excitantibus ac bullas, modò ipsâ à peregrino in spumam agitatâ fermento. Hisce autem flatibus, ubiubi sint orti, viam patere ad cor, variis morbis (prout & ipse aliquando cor tuberculis materiam vitello ovi non absimilem continentibus obsessum, & copiosum pericardii humorem gelatinæ instar concretum, sed & situm, qualem mucidus aliàs panis contrahere solet, propè cor pulsans adhuc juxta arteriæ ramum ascendentem, in ansere diu morbido vidit,) obnoxium ostendit. Inter cordis autem adfectus cùm etiam sit Lipothymia, ejus unum & alterum casum à Nob. D. Parente observatum, cum ætiologia, his verbis depingit: *Unus & alter æger, qui in juventute vitam per varias terras egerat liberam, ad iram cum mœstitia indignabunda, quam Galli chagrin vocant, pronissimus est, officio fungitur vitam requirente sedentariam, à cibis coctu durioribus, flatulentis facilè læditur, pluribus jam modò remittentibus modò increscentibus fatigatus fuerat molestiis, cardialgia, ructibus, distensionibus hypochondriorum, appetitu bulimode, torminibus, lassitudine, dyspnœa, cephalalgia, capitis quasi inanitate, turbatione, flatibus modò incarceratis, modò liberis, copiosis, qui habitu corporis erat macilento, vultu luteo pallescente, venis distentis, dum inquam, talis hypochondriacus non semel, absque omni tamen typo modò*

po modò hoc modò alio tempore, præsertim à copiosioribus aut dyspeptis variis cibis, à vino largiùs hausto, ab isto ipsi familiari animi pathemate intensiori, subitò post prægressam cordis insignem palpitationem & compressionem, totius turbationem corporis sensim sensimq; increscentes, corripiebatur paroxysmo lipothymico, in quo pedes ac brachia collabebantur, vultus pallebat, corpus absq; horrore vel rigore frigebat, præcordia ac hypochondria tendebantur, pulsus vix imò nullus sentiebatur, mœror & anxietas aderant, summa cum virium dejectione, ut mortem jamjam singulis momentis sibi imminere censeret, paucissimis talia voce debili eloqui valens verbis, frigidumq; tandem sudabat, à quibus molestiis æger medicamentis assumtis, per Dei gratiam, exceptâ lassitudine liberabatur, postquam elapso per talem pressum statum dimidiæ horæ spatio flatus copiosi per utrumq;, inferius potissimum guttur transmitti, vires cum calore sensim sensimq; redire, ipsaq; anxietas ac pectoris compressio cessare cœperant. Paroxysmi talis lipothymici causam *cordis fibras nimiùm tensas, ventriculos ac auriculas ad debitam contractionem ineptas nimium distentas accuso.* Distendit *autem utrunq; ibi fluidum, & humorosum & spirituosum, aër enim expansus sive flatus in ventriculos cordis delatus & ipso suo elatere & impetu ab alio impellente communicato, liquores rarefacti, agitati turgentes istos dilatant, ac ita fibras tendunt. Etiamsi enim in statu naturali dilatari illud soleat ac debeat, ut illabentem recipiat sanguinem, huncq; in finem cavitates obtinuerit sat magnas huic destinatas negotio, receptacula fluidorum per vasa vectorum communia, non tamen eò tendunt dicta, ut inibi detineantur, quin potius ut singula harmonicè consociata charactere vitali ibi tincta, spirituoso vigore induta mox constrictorio iterum propellantur motu, fibris, quarum glomos* Recentiores *egregiè explicant, huic negotio destinatis, spiritus ac vigorem partibus, quas per ordinarias petunt vias, afferant. Cum autem hîc dilatatio benigna naturalis non sit, sed peregrina, orgastica, tensiva, cùm propter illarum fibrarum tensionem debita talis constrictio, ad partes sufficiens propulsio fieri non possit, imò etiam*

spiritus vitalis generatio, excitatio, harmonica variorum adve-ctorum unitio, ipsa characteris vitalis impressio aliquantum impe-diatur, ipsæ partes quæ à corde Microcosmi Sole Lumen, sanguine ex corde dispensando vividum expectant vigorem, lumine desti-tuuntur debito, graviter affliguntur, ipsa totius corporis machi-na, ad quam aëris ac humorum debitus maximè requiritur motus, valde turbatur, ipsis spiritibus, qui etiam in maxima efferves cen-tia vigorem à volatilitate illa p. n. ob dyscrasian non accipiunt, ad officium ineptis, inde & extrema frigent, quia caloris fons debitè non bullit (quid ni in quibusdam casibus & hûc advocare liceat san-guinis volatile sal cum extraneo congrediens, sub quali congressu, cum in philosophicis adhuc litarem Castris, *frigus excitare* phœ-nomenis per instituta experimenta publicæ ventilationi *expo-sui) uno verbo,* Lipothymia, syncope *oritur; Jungi solitorum* Symptomatum *causas ex dictis & dicendis quivis facilè eruet. Ista autem* tendens causa *est, ut modo innui, liquor orgasticè ir-ruens, aër in flatibus copiosis sese expandens, quorum in tali mor-bo frequentiam & exsurgendi modum jam delineavi. Hinc* com-pressio, palpitatio cordis, *ob eandem causam familiaria talibus mala, prægredi tales solent paroxysmos, à quibus insultibus cor magis ac magis impetitur, ægris jam dum spirituum debita crasi non gaudentibus. Ac in casibus his sanguis flatibus vehementer agitatus contrarium producit effectum, nimirum nimius motus im-minutum, stasinq; ejusdem, quia tensum Cor contrahere se atque istum pro vigoratione partium, talem, qualem adhuc orgasticus largiri potest sanguis, transmittere non valet; nec enim intesti-nus, ceu vocare amant, id est, partium sanguinis inter se & pro-prius circa axin motus ad vitalem sufficit, licet necessariò requira-tur, sed circularis ille ac localis accedat necesse est, ne tota sangui-nis turbetur dispositio ac energia. Fibræ ergò isti dicto cordis offi-cio destinatæ in sua impediuntur actione, ceu & carneæ in mediâ vesicæ tunicæ fibræ ob urinæ copiam nimiam distendentem ischuriæ fiunt Causa. Et contingit* hîc, *quod in causarum morbificarum lædendi modis aliàs etiam accidere solet, ut nimirum ipsæ lædere*

dicantur

dicantur nimio motu, dum per partes fit, distendendo & suis disparibus solvendo, sed transitorium est; verum ubi s. spiritui s. humori libera denegatur via, vehementiora, diuturniora oboriuntur producta; sic in catarrhis latex s. lympha maximè cum per partem transitus ipsi intercluditur, lædit; sic & flatus in genere ubi exitum concedunt portæ patulæ parum afficiunt, sed ubi vel solida, vel fibræ, tam in membranis quam musculis spasmodicè aut aliâ causâ tensæ, aliquando ob laxitatem aut aliam degenerationem in propellendo segnes ipsam occludunt, vehementius lædunt, ubi ipse expansus aër viscido nimis tenaci, ceu in bullis ex sapone in aqua soluto & aliis viscidis apparet, includitur, ubi ipsi flatus crudi, id est, prout humoribus aliàs hoc applicant vocabulum, ad secernendum & excernendum propriâ culpâ inepti sunt, ubi tensione, quam fibris inducunt, sibi ipsi viam præcludunt, circulo quoad causam & effectum in morborum productione familiari. Et in his propositis casibus lipothymicis, postremam, *non exclusis* duabus præcedentibus, *ego adducendam censeo* detentionis Causam. *Et hinc dum malum in illis* solvi, remittere *cæperat, per utrumq; potissimum inferius guttur flatus egrediebantur, quia à medicamentis ista effervescentia distendens hîc & ibi remittebat, fibris naturale robur redibat, cruditas flatuum cessabat, potissimum, quia aperta illa ordinaria porta impetus à Corde avertebatur, & ipsis flatibus per solitas vias ex ipso Corde, sanguine & istis, ubi exurgebant, partibus huc derivatis, quod dicere in* Arte Nostra *heterodoxum non est, nam præter alia plura, varias sæpe vias monstrantia, observata à* Parente *tumoris pedum in quodam ulcere renum laborante cachectico subitanea per vomitum sponte obortum, & doloris ac tumoris omnium artuum podagrici per flatus ac fæces cum cardialgia & torminibus per inferiora eductas celer cessatio; sicut & per gulam flatus, qui sanguinem prius infestarant, exire dicit* Auth. Novus Oeconom. Animal. *Quoties in summa Cephalalgiæ ferocia, anxietate, dejectione, paucorum exclusio flatuum præsentaneum affert levamen.* Remansit lassitudo, *quia non solum spiritus ob Causas dictas in tubulis fibrarum spongiosis in-*

tra musculos deficiebant, sed & ipsi musculi variis adhuc excrementis infarcti in inflatione impediti fuerunt, ceu Quibusdam explicare *placet adducentibus exemplum* horologii rotarum, *quæ ob rubiginem contractam non sine difficultate circumvolvuntur. Ceu autem illa inflans effervescentia, de quâ hactenus, per vias monstratas à me* ad Cor deducta *est, ita quin & casus, licet perrarò, dentur, ubi* primò *ista inde contingit, nullus dubito.*

His ita propositis, Cl. D. Autor cùm sibi varias contra hæc formasset objectiones, iisque satisfecisset, ratiociniaque sua aliorum etiam Clarissimorum Virorum consensu comprobasset, tandem thesi tertiâ, *quod valdè calida, multa volatilia quòd hîc noceant*, monstrat. Postquam enim prioris generis carminantium & cardiacorum dictorum remediorum naturam & ἐνέργειαν ostendisset, hæc in præsenti casu acuere mineram, agitationem ac effervescentiam intendere, turgentes ac impetuosè motos humores magis pellere, aërem se expandentem magis attenuare, ac ad expansionem urgere, inde fibras magis tendere, quæ cor in propellendo, uniendo & tingendo impediant, non sine experientiæ consensu, concludit: posterioris verò generis carminantia & cardiaca, sive volatilia urinosa, in descriptis tumultibus impetum suâ tenuitate & mobilitate quòd augeant, vel ob hostilem occursum ac nimium congressum novam excitent ac insignem effervescentiam, vel etiam in gas flatulentum abeuntia, alios flatus incarceratos, ceu cuneus cuneum trudit, nimium pellant, disserit; & in supra memoratis casibus spiritum C. C. volat. in exigua etiam dosi impetum, turbationes ac anxietatem in ægris magis intendisse, valde læsisse, eoque solo omisso reliqua (integra autem Mixtura ex aq. borag. cinamom. bugloss. conf. alkerm. compl. spir. C. C. & syr. cort. citr. parata fuerat,) insigniter profuisse, experientiâ paternâ, aliorumque Virorum celebrium testimonio admonet. Quamvis non omnem volatilium usum exclusum velit, prout etiam dicta Mixtura ex aq. cinamom. & conf. alkerm. compl. profuit, cui carmina-

tiva

siva alia ex flaved. cort. citr. lign. sassafr. semin. fœnicul. addi possint. In talibus tamen casibus non tam cardiaca calida, quàm frigida juvare, hæc enim spirituum effrænem motum compescere, sanguinem nimis attenuatum volucrem concentrare, deprimere, ligare, serum acre emendare, cordis nimium calorem corrigere, tensas fibras relaxare, & nimis dilatatas cavitates ac ductus ad contractionem disponere; & hisce aliquando sub dicta limitatione volatilia jungi posse; Carminantia verò hîc suppetere, quæ sunt præcipitantia, absorbentia, imbibentia, implicantia, destruentia, invertentia, diluentia, acidula, terrea, lapides, mucilagines, gelatinas, calces, marina &c. anodyna etiam & opiata, quæ sæpe unicum remedium & sacra sint anchora contra dolores à flatibus: talia enim hostiles, acidos, acres, sulphureo-salinas particulas ante & in congressu invertere, immutare, à textura sua reducere, violentiam infringere, seminale flatuum fermentum, gas sylvestre, mineram fermentalem agitatam reprimere & coërcere.

OBSERVATIO LIV.

D. EBERHARDI GOCKELII,

Pila, seu globus cupreus magnitudine sua ovum anserinum longè superans per octodecim annos gestatus, & è vagina uteri feliciter extractus.

Mulier quædam Xenodochialis, anno ætatis septuagesimo tertio, cum ante septem & viginti annos, post laboriosum partum, ponderosam calcis molem, marito suo alutario adjuvante, in Officinam portaret, ex improviso uteri prolapsum passa est, ad quod malum corrigendum, magnum globum cereum, sex uncias cum duabus drachmis pendentem, per novennium in vagina uteri gestavit, sicque uteri exitum coërcuit: Cum autem hic globus

globus ab ponderis gravitatem molestiam pareret, patiens alium ex cupro rotundum, uncias duas pendentem, confici curavit, quem satis magnum impetuosè in vulvam intrusit, & octodecim, (sicque ambos septem & viginti annos) in vagina uteri gestavit; Postquam autem globus hic ab urinæ acrimonia exesus & corruptus erat, ob calcanthosam & æruginosam suam acredinem, claustrum muliebre in tantum læsit, erosit, ac exulceravit, ut multa sanies ac materia purulenta affatim cum magno fœtore, non sine dolore ac molestia quotidiè prodiret, quem fœtorem, dolorem, sordidumque saniei profluvium dicta patiens diutius tolerare non potuit, ac proinde opem ac auxilium meum imploravit.

Quapropter die 18. Julii, Anno 1684. huic vetulæ supinæ & in dorsum reclinatæ, divaricatisque cruribus supra mensam positæ, per Chirurgum Xenodochialem ordinarium, dictum globum per cochleare chirurgicum incurvatum, ac cava sic parte asperum, non sine labore extrahi curavi, qui ab urinæ acrimonia hinc inde perforatus, exesus & corrosus, fœtidissimisque sordibus ac mucore incrustatus erat. Post extractionem sequens Lavamentum à me ordinatum fuit, quo uteri vaginam eluit, & intinctis linteis, à purulentis sordibus repurgavit. ℞. Herb. agrimon. Mij. scordii, meliss. puleg. āā Mß. M. & concis. decoq. in aq. fontan. mensur. 2. in Colatur. dissolv. Mell. commmunis ℥iiij. d. ad ollam pro usu. Post Lavamentum, locum affectum Ung. de lithargyrio, & deinceps sequenti linimento illinivit. ℞. Ung. de Ceruss. de litharg. āā ʒvj. M. & terantur in mortario plumbeo tamdiu, donec acquirant formam plumbi, addendo sub finem, Ol. de vitell. ovor. ʒij. M. Et sic allegata patiens à molestissimo hoc affectu liberata, adhuc superstes, de nullo amplius impedimento doloreque genitalium conqueritur.

OESER-

OBSERVATIO LV.
D. EBERHARDI GOCKELII,
Oculi vulnus cum maximo dolore conjunctum, mucrone gladii inflictum atque curatum.

ANte paucos annos, cùm milites in diversorio quodam Ulmensi Carchesiis poculis Bacchi liberaliter certarent, & arx Palladis eorum, cum expulsione & posthabitione sanæ rationis densissimis temulentiæ nebulis obvoluta diversisque motibus errabundis navigium in alto ferocientique mari procellis expositum repræsentabat, unus eorum, nescio an ex petulantia, vel bilis fervore, districto gladio hypocaustum percurrit, quo ense, solo hypocausti superficietenus infixo, postea impetuosè ad arcus formam inflexo, momentaneoque insuper quasi saltu, motuque velociori rursus ad pristinam formam redacto, ac extenso, præter expectationem & ex improviso ancillæ oculum propè iridem non leviter tetigit & sauciavit, quam læsionem maximus dolor, cum humoris aquei aliquali exstillatione, insecutus est.

Ego ad hanc Patientem vocatus, vulnus ex continui solutione membranæ conjunctivæ & corneæ, probè contemplatus, ac proinde ante omnia vulneris dolorisque, ac insequentis inflammationis rationem esse habendam ratus sum, hoc Prognostico apposito, quod dicta patiens ratione visus amittendi in maximo discrimine versetur.

Ad hujus itaque vulneris curationem, ante omnia columbæ sanguinem sub ala per venæsectionem emanantem læso oculo calidè immisi, posteaque tale Collyrium, sæpius tepidè oculo instillandum, & extra etiam cum intinctis linteis applicandum, ordinavi. ℞. Tutiæ præp. aloes pulv. sief alb. Rhas. āā ℈ß. aq. rosar. plantag. āā ℥ij. vini rubr. ℥j. mucilag. sem. psyll. tragacanth. āā ʒj. M. Externè, supra oculum, quia

lac muliebre recens mulctum calidumque haberi non poterat, sequens cataplasma ad dolorem leniendum ac inflammationem compescendam inhibendamque applicavi. ℞. Pomor. putridor. vel assator. dulc. ℥ij. mucilag. sem. psyll. ʒij. farin. sem. lini ℥ß. opii crud. ℈j. Croc. or. gr. v. vitell. ovor. q. s. M. f. Cataplasma cum linteis calidè imponendum; Ab horum usu dolor cum lymphæ stillicidio cessavit, ac inflammatio cohibita est, oculique vulnus postea coaluit. Quia vero nihilominus de oculi caligine conquerebatur, & in læsa parte nubecula quædam conspicienda erat, idcircò hasce pilulas cephalicas ad rheumata oculi præcavenda, humoresque noxios è capite eliminandos, præscripsi. ℞. Extr. pill. lucis, aurear. cochiar. āā ℈ß. Mag. gialapp. gr. v. M. f. cum aq. fœnic. pill. num. XXVII. unâ vice deglutiendæ. Ponè aurem partis læsæ, Emplastro vesicatorio Horstii vesica fuit excitata. Et ad nubeculam in oculo resolvendam & discutiendam, post perfectam oculi læsi conglutinationem & consolidationem, sequentibus usa est, ℞. Tutiæ præp. ʒß. Margarit. præp. ℈ß. Camphor. vitriol. alb. āā gr. ij. sacch. cand. alb. ʒj. M. f. pulv. subtil. M. & V. oculo pisi magnitudine inspergendus; Et, absoluto hoc, ℞. Pingued. tithymali piscis (Germ. Aschen-Schmaltz) ℈ij. fel. lucii piscis ℈j. f. mixtura, M. & V. lentis quantitate oculi cantho majori indenda.

Tandem, non neglecta bona ac laudabili Diæta, sequentem Trageam pro visus corroboratione assumpsit. ℞. Sem. fœnic. ʒvj. anis. ʒij. Carui. ʒj. Macis ℈ij. Cubeb. Cardamom. āā gr. XV. pulv. flor. Euphras. ʒj. sacch. albiss. ℥ij. M. f. Tragea, de die aliquoties, quantum cultri cuspide majori capi potest, assumenda.

Ab horum remediorum usu hæc ancilla, aliquot septimanarum spatio, per Dei gratiam, ita convaluit, ut non solùm visus aliqua portio, sed etiam oculi fabrica in sua naturali forma ac magnitudine manserit, atque cicatricis macula vix videri, oculisque comprehendi potuerit.

[Ex literis ad D. Wurffbainium M. Octobr. & deinde Augustam missis.]

OBSER-

OBSERVATIO LVI.
D. GEORGII HEINTKE,
Quantum cibatio in avertendis & debellandis morbis interdum valeat.

RUsticus quidam, quadraginta annorum, habitûs macilenti, ſtaturæ mediocris, temperamenti phlegmatico-melancholici, poſtquam flammis ante tres annos depaſtam domunculam de novo exſtruere laboraret, ſentit δυσαρεστείαν quandam cum dolore in ſiniſtro thoracis latere, hinc ſemiluxationem vertebræ dorſi ſuſpicans utitur aliquoties mumiâ aliisque evporeſtis medicamentis, fruſtraneo quanquam ſucceſſu. Hinc dolore continuante conqueritur & de dolore capitis lateris ſiniſtri, quem quoque domeſticis remediis fruſtrà debellare tentavit. Tandem cum poſt aliquod tempus terram occando equo veheretur, de ſubito corripitur vertigine cum obfuſcatione oculorum, ita ut neſcius ſui ipſius ab uxore pejora metuente ex equo detractus mox lipothymiâ & epilepſiâ corriperetur. Domum vectus malum nullo medicamento abigi potuit, donec cibo refectus ad ſe rediret. Huic malo obviam iturus unum alterumve Medicum conſuluit, ſed pro more horum hominum his relictis ad medicaſtros confugit, è quibus quidam intra tres menſes ſingulis lunæ quadrantibus, excepto ultimo, miſello duas decuſſatim incidi curavit venas, ad ℔ij. unâ vice quandoque detracto ſanguine, dirisque ſuis purgationibus tantùm non omnibus miſerum ſpoliavit viribus; tandem ad me tranſiens variis ſed fruſtrà tentatus, dolores thoracis tamen capitisque amplius non ſentit, ſaltem de illâ confuſione animi, omni manè, conqueritur, quæ illum ſubitò corripit, nulla præcedente, vel nauſea vel cardialgia, interdum tamen levem rigorem in extremis manuum perſentiſcit, interdum ſenſum quendam in dorſo,

quasi gelidâ perfundatur. Paroxysmum antecedit formicationis sensus in manibus pedibusque item labiis, es krübelt darinnen/ interdum urget spasmus. Malum præcavet cibo vel ex solo pane, quo fine ad 2. dies in hujusmodi confusione, interdum cum insultu epileptico: antequam ad se redit, jacet. Pastus verò bene se habet. Namque spiritus animales, dyscrasiâ scorbuticâ correpti, & jejunio tentati, nî subinde debito succi alibilis rore deliniantur & saturentur, tanto acriores fiunt & motus ejusmodi irritativos irregularesque eò magis subeunt. Hinc Hippocrates: spasmi quandoque ab inanitione & siccitate producuntur unde patet, per stolidas istas Venæsectiones & purgationes sanguinem magis ad hanc dyscrasiam perductum fuisse. Fusius exponerem causas hujus affectionis, nisi ad satietatem à Dravvitzio hæc labes fuisset ventilata. Notandum, quòd cæteras suas functiones æger noster sine notabili virium jacturâ perficere optime possit, & quòd lædatur à purgantibus, vix alvum debitè moventibus, paulò meliùs verò se habeat ab Emeticis, rejecto magmate viscido ex viridi flavescente.

OBSERVATIO LVII.
D. GEORGII HEINTKE,
Menstruatio dysenteriæ remedium.

Virgo temperamenti calidioris & siccioris incidit in dysenteriam ex contagio Parentis dysenterici demortui, cui à servitiis fuit, adeò atrocem, ut terribiliter sanguinem ejiceret; aliquot remediis à me propinatis ad præsentem statum conducere visis quarto die supervenit fluxus menstruus octo dies consueto citior, hinc altero die à dysenteriâ ferè libera, tertio die à lecto sana recedit, aliquot pauci saltem momenti adhuc adhibitis pharmacis.

OBSERVATIO LVIII.
D. GEORGII HEINTKE,
Anatome Cachectici.

VIr XL. annos natus, ſanguineus, εὔσαρκος, ad res agendas ſatis aptus, vini generoſi ſæpius potator, incipit fieri Cachecticus per quadrantem circiter anni, antequam lecto affigebatur abhorrens medicamentorum, tædioſus tamen à morboſâ vitâ, non raro vino menti pariter ac corpori ſatisfacere ſtudet. Doloribus vero circa ventriculum de nocte imprimis laceſſentibus, nonnunquam obviam ivit vino cremato, quo etiam ſæpe malum pacatum fuit. Attamen in pejus ſemper ruens, ſine ullâ perceptione febriculæ in inflammationibus ejusmodi aliàs ſolitæ, meo cum Senioris Medici conſiliis uti animum intendit. Nos in abſcondito adhuc affectu varia tentamus, ſed fruſtra quævis. Æger interim doloribus interdum per aliquot dies inducias facientibus, interdum cum ingenti atrociâ recurrentibus plures inſomnes ducit noctes. Tandem per intervalla ſe manifeſtat infra ſcrobiculum cordis tumor quidam, cum motu pulsûs pulſui cordis plane æqualis & congrui, interdum verò iterum evaneſcit. Nos nihilominus ex ſignis quibusdam abſceſſum hariolantes advocatis adhuc binis celebrioribus Medicis plura ad hunc affectum aliàs facientia per quoddam tempus ordinamus. Acerbiſſimo verò dolore & vigiliis ad ſummam maciem perductus & vitæ penitus pertæſus æger auxilium aut mortem ſummè flagitat. Hinc coacti ferè apertionem abdominis tentamus inciſione factâ, ſed nullo ſucceſſu, malo quippe intimius reſidente. Vulnere per 14. dies apertè ſervato, morbo denique fractus miſer placidè exſpiravit. Aperto cadavere Hepar in parte convexa invenimus colore & conſtitutione reliquâ optimum. Sed ecce, cum lobum illum, qui ventriculum obtegit, attollere intendimus, obſervatur viſcus iſtud nobiliſſimum ventriculo undiquaque adnatum, adeò, ut

cultro separationem facere necessum habuerimus. Sublato lobo hepar penè totum in parte concavâ meris hinc inde sparsis scirrhulis non quidem valdè duris, sed interius materiam instar mellaginis continentibus repertum fuit. Ventriculum vero solum tumor occupabat, & intra tunicas residebat genuinum ulcus cum sat multâ materiâ, non quidem purulentâ, sed quasi sanguis foret grumosus ac corruptus absque tamen fœtore. Cavitate stomachi reliquisque visceribus naturaliter se habentibus. Non prorsus alienam ab hac vid. *Observation. 90. Cent. 1.* ap. *Riverium.*

OBSERVATIO LIX.
D. GEORGII HEINTKE,
Apertio scroti & scarificatio pedum sæpius hydropis, salvis adhuc visceribus, medela.

TRia mihi contigere non ita pridem exempla in viris duobus pro desperatis ferè habitis, unum in juvene ascite universali penitus decumbente. Huic juxta cum internis magno auxilio fuit apertura scroti per binas vices celebrata, adeò, ut nunc felix liberorum parens existat. Alterius viri 45. annorum, qui quoad faciem & manus Hippocraticus videbatur, propterque nimiam extensionem abdominis jam tum Omphalocelen passus erat ingentem, ope hac laudatâ Chirurgicâ optimè restitutus est. Tertium, Viri, qui dies noctesque insomnis extra lectum sedere cogebatur ob summè difficilem respirationem, per vesicatoria verò & scarificationes in pedibus instituta manifestam sensit curam.

OBSERVATIO LX.
D. GEORGII HEINTKE,
Pinguia non semper obliniunt poros.

CUræ meæ Medicæ concredita fœmina formæ elegantioris vitæque lautæ, ea ipsa conqueritur de latere sinistro ac si affectu splenetico laboraret, huic ordinatur commune Emplastr. spleneticum, quo apposito ruborem contrahit locus emplastro tectus & poris apertis sudor copiosissimus emergit, ut plura lintea madefacta fuerint, cum euphoria partis, nec desiit fluere sudor ex latere, licet plura adhibita fuerint externa, donec fonticulo posito in brachio tandem spontè cessaverit. Alterâ vice propter dolorem dentium apponitur temporibus emplastrum usitatum ad tempora, & pari modo locus lympham adeò acrem stillavit, ut genæ valdè arrosæ fuerint. Tertiò oleo quodam illinit digitum propter dolorem, & digitus per multos dies in tanta copia serum effudit, ut tabescere visus fuerit, imò affirmavit postea, quemcunque corporis locum ipsa re quadam pingui, e. g. Ol. amygd, dulc. si illiniret, mox sequi stillicidium lymphæ, nec antè remittere fluxum, quàm desisteret ab illinitione.

OBSERVATIO LXI.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Puellæ Diarrhoeá confectæ.

PRimum sibi locum vendicant, cadaverum, quæ *Xenodochium majus Regiomonti* obtulit, Sectiones. Indulgentia ista fuit *Perillustris Supremi Provinciæ Magistri JOHANNIS ERNESTI à WALLENROD*, qui *quod bonis bene fit beneficium gratiam eam gravidam esse bonis*, æstimans, nunquam probos Viros beneficiis ornare, augere, atque locupletare, cessat. Hic *Summus Musarum Fautor*

tor me voti compotem fecit, ut diſcipulorum, quos ſemper nominare poſſum *teſtes oculatos,(auritos* enim non eſt quod curem malevolos) vel hâc etiam operâ inſervire valuerim commodis. *Hujus* favori ſi quis uſus redundat in Rempublicam Literariam, omne illud acceptum ferendum. Non detractasſem vel cum diſpendio ſanitatis plurima eviſcerare corpora, ſed quod publicâ auctoritate his curis ædes nondum conceſſæ, & quod multas mihi fuiſſe inſidias, interea dum iſta incidi, re ipsâ cognoverim; nolui & temporis, & ſanitatis, & ſumptuum,facere jacturam. Si tamen *Supremorum Dominorum Regentium* indulſerit favor, uti quidem *Perilluſtris Fautor* ſpem fecit, quî conclave ad ejusmodi Anatomas obeundas aptum concedatur, non parcam moleſtiis, ſed lubenti illas ſuſtinebo animo.

Mille autem *modis Lethi miſeros mortem unam fatigare*, hæc facile evincet miſella, quæ non uno cum morbo conflictata, vel à teneris ſe mori ſenſit: tribus annis duxerat vitam, quâ tandem Anno 1682. ipſam *trium menſium* privavit *diarrhœa*.

Ex partibus motoriis: Muſculos ubique graciles deprehendi, Abdominis imprimis, quorum plerosque ſeparaveram; *pyramidales* nullos hîc fuit obſervare.

Peritonæum ſubſtratum, ſolito craſſius, duplices manifeſtò exhibebat tunicas.

Ex partibus nutritiis: (*1.*) *Novum alimentum præparantibus Ventriculus* vacuus, in tantum ut & interior tunica, mucoſo omni humore deſtitueretur.

Par ratio *Inteſtinorum*: ſtudio abluta dixiſſes, rugis exſtantibus, villis autem ſive ramentis preſsè adhærentibus: Memorabile autem, quod rugæ ita deterſæ atque ablutæ, præſertim *craſſorum*, *valvulas conniventes* prout ipſæ erant innumeræ, innumeras quoque præſentarent. *Tenuia* flatu turgebant; *Craſſa* juſto magis depreſſum obtinebant ſitum. *Cæcum* ad inſtar vermiculi dependebat inane. *In confinio Craſſorum* plures *lumbrici*, gyris in ſe convoluti, hoſpitabantur.

(2.)*Ultimum*

(2.) *Ultimum Alimentum* five *Sanguinem defecantibus: Pinguedinis* nulla uſpiam veſtigia;

Nec *Omenti*; *niſi* quod *membrana* omnis adipis expers, quâ *vaſa* alia atque alia ad ventriculum, Lienem, &c. à meſenterio excurrebant, ejus locum occuparat.

Hepati omnia, quæ oportet adeſſe, ſanitatis aderant ſigna, nullo Scirrhi, putredinis, alius cujusque vitii indicio.

Veſica Fellis tumida erat, liquore croceum per omnia æmulante; exteriorem faciem luteus depinxerat color, ſed qui adjacentes partes tinxerat minimè. *Valvula* erat conſpicua, quà ductus cyſticus ex veſicula egreditur, & ſtilo ex cavitate veſiculæ adacto non niſi difficulter admodum tranſitus concedebatur, ſecus quàm ſi ex cholidochico communi verſus veſiculam dirigebatur idem. *Cervice incurvâ ductus cyſticus cholidochici communis trunco inſerebatur*, cujus quaſi ramos rectâ *gemini pori biliarii* ſua divaricatione conſtituebant.

Lien verò maximè omnium nos in admirationem rapiebat, non tam quod *figurâ peculiare* quid præ ſe ferret, ſed magis quod ſiniſtro ipſius lateri alius *parvus* quaſi *ſuccenturiatus* affabre appenſus, id quod felicius *ex tabulæ Fig. XV.* addiſces. Injectione & inflatione in venam & arterias ſplenicas *major* intumuit, exin & *minor*, quippe quod vaſa ipſos brevium inſtar intercederent, quæ injecti liquoris tincturam prodebant. Ambo diaphragmati erant annexi, ſed alter ab altero ex Limbi inferioris medio ligamenta ſuſcipiebat. *Minor* autem totus intra ſpatium, quo brevia ad ventriculum feruntur, diaphragmatis membranis prætextus, à poſtica arcte conſtrictus, ab anteriori parte liberior propendebat.

Renum dexter *aſperam ſuperficiem* offerebat, ac ſi ex pluribus globoſis corporibus conſtaret. *Putridus* idem erat, *calculisq́;* refertus, ab alterius ſani ſpecie totus abhorrens. Diducenti involucra *flavus liquor* bilis æmulus hinc inde occurrebat, tantoque majorem in ſeparando adhibens curam, aſperum detexi *calculum*, amygdalam qui referret ſaccharo incru-

 ſtatam,

ſtatam, lutei coloris; partes exteriores molliuſculum; *qui* caruncularum unâ vel alterâ excavatâ *liquori flavo innatabat, acumine ſuo ureteri ex renibus exeunti imminens;* reddideratque *ureterem* hîc locorum digiti minimi *capacem*, inflatu id ad oculum commonſtrante. Plures *calculos naſcentes* in aliarum *caruncularum cavernulis* paſſim obſervavimus, magnitudine cedentes & duritie.

Meſenterium ſpiſſius quàm congruebat, præprimis ad rectum; toto illo limbo, quo inteſtinorum colligit anfractus, *glandulæ* cicerum aut lentium magnitudine apparebant, quibusdam ad illam piſorum appropinquantibus. *Ex glandulis* verò medium occupare ſolitis *nulla conſpicuâ eminentiâ, nulla* quæ *major (vulgò Aſellii)* jure merita fuiſſet dici, præterquam quod raræ hîc locorum occurrerent.

Circumſpectè exinde *Pancreas* indagans, *præter* illas ad margines ſive limites Meſenterii *ſporadicas glandulas nullum viſcus glanduloſum deprehendo: Duodenum* itaque aperio, ſi quà *ductus Virſungianus* me ad illud duceret; unico, quod aderat, foramini ſtilum immergo, & verſando inquiro, an alicubi ex hoc in aliud vas verſus glandulas pertendere daretur, fruſtrà; negante induſtriæ ſucceſſum naturâ. Perſcrutatus *quid vices hujus glanduloſi viſceris* commodè *ſuſtinuerit?* ad duodenum denſiori numero conſitas memoratas glandulas adverto, quarum inſignior avellanam æquans, conglobatæ ſpecie ad Lienem, à quo vix digitum minimum latum aberat, aſcendebat, & vas à Liene ſanguinem in portam exonerandum deducens, excipiebat. Huic vaſi ſive ramo ſplenico, pennæ mediocris capaci, aliæ quoque glandulæ, ſed minores, turbato ordine innexæ erant, *his* quibus *mihi veſtigia Pancreatis legiſſe viſus ſum.*

(3.) *Ultimum Alimentum coquentibus* ſive *ſanguificantibus:* In thorace *Pulmo* ſpumâ refertus, neque aliud quicquam p. n. niſi quod *dexter lobus* multis pellucidis filis extremam partem diaphragmati concreverat.

Cordis

Cordis dexter Ventriculus flaccidus detumuerat, *in neutro ſanguis*, cum totum corpus exſangue, parumque cruoris ex majoribus vaſis conciſis: *Foraminis ovalis ſignum* reliquerat membranula ſemilunaris. *Pericardium* craſſius, nil aquæ continebat.

Ex partibus genitalibus: *Uterum* denique cum *teſticulis*, *Tuba Fallopiana* ejusque *fimbriato orificio* obiter luſtrans, in *hymenis* inquiſitionem curam verti. Verum patula admodum vulva, *nec caruncularum myrtiformium*, *nec hymenis veſtigium* reliquerat; exiles ſaltem rugæ limbum, quo urethra exit, diſtinxerant, extantiores quam in aliis partibus vaginæ. *Uteri orificium* nec flatum, nec ſtilum, facilè admittebat, contra quàm *Tubæ Fallopianæ*.

Uſus ex Anatome Puellæ Diarrhœâ confectæ.

I. *Cruditatem* cauſam eſſe diarrhœæ, inteſtinis inquinatis, quæ ſententia etiam *Philoſoph. 2. de generat. Animal. c.20.* illamque uberius exponit *Aretæus* veſtigia Ariſtotelis nunquam non premens *2. d. ca. & ſig. diut. Morb. c. 7. conf. c. 11.*

II. *In bilem & in ſanguinis ſucciq; nervoſi recrementa*, ex arteriis & ductu Pancreatis, *ad inteſtina ſuffuſa*, *diarrhœæ* utplurimum *cauſas Cl. Williſius d. Febr. c. 13. refert.* *Alii in bilem* non qualemcunque, ſed *ſalinam*, quæ cum ſucco Pancreatico chylum corrumpat. *Salinam in hac puella non fuiſſe* forte arguent non tinctæ adjacentes vicinæ partes, utut luteus fuerit folliculus. Et *cum bilis in inteſtinis nullum indicium*, ſecus quam in cane diarrhœâ laborante obſervavi, *forte nec bilis ſimpliciter in culpa fuerit.* *Neq; ſuccus pancreaticus* Auctor erit mali, cum non Pancreas, nedum ductus pancreaticus, adfuerit. *Quid ergo cauſæ dicamus? Cruditatem? quî* ex cruditate *fieri poterit, ut vacuus plane ventriculus & inteſtina omnia jejuna?* an hoc in ſanguinis ſuccique nervoſi recrementa ex arteriis erit referendum? Venas portæ, quibus inteſtina con-

ſtant, facilius in eadem poſſe quippiam deponere, quam quidem arteriæ, mihi certis conſtat experimentis. Neque ex ſanguinis ſuccique nervoſi recrementis, unde, unde eſſent, tanta fieri poſſet abſterſio, nullis relictis ſordibus. Paucis itaque *quomodo ex cruditate*: Scilicet cum ex debilitate caloris parum novi alimenti à filtris oſcillorum lacteorum fuerit exceptum, atque ex defectu novi alimenti, parum quoque ſucceſſerit alimenti ultimi ſanguinis, exiguum autem exiſtens alimentum ultimum cum illud laxas invenerit vaſorum ſanguineorum vias illas liberè commeare potuerit, non opus habens ut per glandularum aliarum minima cribra adactum multum ſeri deponeret. Hincque adeò à glandulis inteſtinalibus (illas *Exc. Peyeri* ſupponamus) nihil novi muci apponi, cum alius quivis mucus à ſorbitionibus, quibus miſella uſa fuit, ſit deterſus; atque deficiente uſu, collabentibus ſcilicet vaſis, obliteratæ quoque glandulæ.

III. *Calore laticis vitalis omnem vitæ ſalutisq; conſtare rationem: hinc membranarum denſitas* præter ſolitum, Peritonæi, Meſenterii, Pericardii; *hinc ſordium ubiq; ſitus; hinc malè connexa plerarumq; partium ſeries*, & ut Lucretius:

Multa ſine ore etiam, ſine voltu cæca reperta,
Vinctaq; membrorum per totum corpus adhæſu;

hinc muſculorum gracilitas, adipis defectus &c. Præclarè itaque *Philoſophus*, quod *caloris* imperio, *materiæ* ſervitio corporum & generatio & nutritio & auctio; debilitate autem *iſtius*, *hujus* impuritate (quæ ſunt cruditatis & inquinationis) ſuccedat μόλυνσις & ἀπεψία vid. 4. *Meteor.* 1. quod cum innumeræ anatomæ liquidò demonſtrent, mirari ſubit, eſſe qui negant primarum qualitatum cognitionem Arti Medicæ quicquam conferre. Utut enim ſecundis ſuas laudes non invideam, non omnia tamen illis cedere autumo: vel explicentur iſta Phænomena ſecundis aut etiam tertiis qualitatibus?

IV. *Glandulas humorum collectioni inſervire*, eſt *Coi, libro de glandulis*, & *Auctoris anat. vivor. apud Galenum;* quare diarrhœâ

rhœâ omne humidum per alvum egerente, glandulas ſuo munere exauctoratas neceſſe erat contabeſcere.

V. *Febriculam ex glandularum vitio* oriri, idem *Cous loc. cit.* oſtendit.

VI. An defectus *Pancreatis* arguet, ipſum non niſi *humorum collectioni* eſſe deſtinatum?

VII. An quoque *Pancreatis uſus* ex liene gemino colligi poteſt? ſiquidem naturæ puto ingenio hoc deberi, quæ ſagax, partium, idem ſervitium ſubeuntium, decrementa magmentis aliarum penſat.

VIII. *Geminum Lienem* jam tum *Ariſtotel. 4. d. Gen. Animal. 4.* dignum judicavit, quem annotaret inter illa quæ rarò occurrunt: geminus & Exc. *Hardero* in cadavere puellæ decennis repertus. (*Exercit. Anatom. & Medic. 49.*) Atque etiam *ex cane* reverâ *geminus* mihi à diſcipulo oblatus, docente illud *Tabellæ Fig. XVI.*

IX. An *folliculus fellis* tantum *ſinus* erit *ductûs cholidochici?*

X. *Renum naturam infantibus glanduloſam ſolenniter Exc. Raygerus* annotavit *Ephem. Germ. Ann. VI. & VII. Obſervat. CCII.* Confirmantibus idem *D. Andrea de Balſamat. Clauderi & Bilſii Hipp. L. d. gland. & oſſ. natura. Aretæô L. 2. d. acut. ſign. & cauſ. c. 9. L. 2. d. diut. ſign. & cauſ. c. 3. Ariſt. 3. d. Par. Animal. c. 9.* Verum hôc exemplô parum huic ſententiæ accedet roboris, cum p. n. dici poſſit ita eveniſſe.

XI. *Calculorum in renibus generatio, eorundemq; in ureteres ingreſſus quomodo* contingere poſſit, luculenter exponit *Aretæus loc. citat.*

XII. *Hymenem morbo perire.*

XIII. An *carunculæ myrtiformes rugarum* erunt *protuberantiæ, an* magis *hymenis disrupti laciniæ?* Qua de re B. C. D. *in Tract. de generatione Viviparorum ex ovo* fuſius; plures hymenum exhibiturus delineationes, prout in tenerrimis & integerrimis puellis hic flos ſe conſpiciendum præbuit.

Fig. XV. & XVI. P 3 *A.* pars

A Pars Ventriculi præcisa.

B Pars Omenti.

C Vasa splenica.

D D Corpus lienis majoris ad crassit.

E Pars Diaphragmatis pendula.

F Lien minor.

G Vasa per omenti membranam transparentia quibus majori connectebatur.

H Glandula majuscula, quæ loco Pancreatis erat, & eandem cum Liene majori venam habebat & arteriam: truncus etiam vasorum h. l. per quem injectio facta.

I Locus, qui connexionem renis sinistri cum liene majori & Diaphragmate exhibet.

K Vasa brevia ad Ventriculum excurrentia.

Alia facies. B

A Ventriculi pars.

B Major lien ad latitud.

C Lacinia Diaphragmatis.

D D Crassit. lienis minoris.

E E Vasa per quæ injectione in majorem facta, hic parvus etiam intumescebat.

Fig. XVI. Explicatio.

A Lien major.

B Lien minor.

C Membrana tenuis pellucida interstitium faciens inter utrumque.

D D Vasa.

E E E E Pinguedo reclinata.



Fig: 15.
p. 118.





Fig: 16.
p. 118.



OBSERVATIO LXII.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Phrenitici.

EX eodem Xenodochio fuit, qui febre per ſemeſtre ſpatium afflictus, tandem in delirium incidit, ſaltuque in cœlum eniſurus, in aquam ſe præcipitarat, vixque huic periculo vel cum Soſpitatoris exitio ereptus, graviori aliquot dierum furore agitatus, animam efflavit.

Ex partibus motoriis: *Muſculos* rectos ſeparanti, *pyramidales* portionem horum conſtituere videbantur.

Peritonæum craſſum admodum.

Ex nutritiis: (*1.*) *Novum alimentum præparantibus*: *Inteſtina* tabes infecerat, adeò emarcuerant.

Receptaculum Chyli & *Pancreas Aſellii* ex Meſenterio evolventibus, locus, ubi lactei ductus ad glandulam majorem tendunt, *corpus durum*, oſſiculi ceraſi, vel piſi majoris ſpecie obtulit; ipſiusque *glandulæ majoris tumor* præter naturalis viſus, tactui, vitium ſubeſſe, dignoſcendum præbuit; uti in detectâ patuit, quid monſtri aleret; cum detractâ membranâ, *pars ejus ſuperior grumoſa* caſei recentis ſpeciem referret, *inferiori in lapideam duritiem concretâ*; caſeoſum iſtud Solis calori expoſui, quo in niveum corpus gypſeum abiit, uti adhuc fidem faciet aſſervata glandula. *Minor glandula* tota calculi naturam induerat, aſpera ubi membranis illam denudaras. Conſulatur *Fig. XVII.*

(2.) *Ultimum Alimentum defecantibus*: *Hepar* magnitudine vaſtum, & pondere grave, quale non memini *friabile*, minus ſoliditatis habens, leviſſimo contactu in fiſſuras & rimas dilabens, pluribus ligamentis dextro lateri erat annexum.

Veſicam fellis diſſecanti, multa viſcoſa, craſſaque *bilis* picis liquidæ inſtar, qualis ex cyſti bubulâ ultimò, exiit; *Pori biliarii liquor* longe ſubtilior erat & fluidior. Partes vicinas Hepa-

tis

tis aliorumque viſcerum nullo colore bilis tinxerat. *Fundi veſicæ interna facies* reticulatum opus exprimebat. *In cervice aperta*, *rugas* plures obſervavi, quas inter una inſignior, quæ minori permittebat majori ſtilo denegabat aditum; nullâ tamen membraneâ comparente valvulâ. *Cholidochicus communis* recto ductu itidem à poro biliario deſcendebat, incurvato tramite ad illum accedente *cyſtico; pori biliarii unicus truncus externus ſub Parenchymate Hepatis* in duos ramos erat *diviſus.*

Lien vaſtus, malè compactus; cùm levi preſſura diſtringeretur, quomodo putrefacta ſolent, colore intus aterrimo, non item extus. Mirabilis *ſpecies*, qualem *Ariſtoteles 3. d. Part. Animal. 7.* Quadrupedum oviparorum dicit, *reniformis*, magnum enim renem dorſo æqualiter declivi & convexo referebat, cavernulis item ſive receſſibus quibusdam foveas præſentabat, quibus inſerta erant vaſa portæ, uti emulgentia renibus inſeri videmus; *Craſſities* latitudinem æquabat, ut de pondere conjectura ſumi poſſit: videatur *Tabulæ Fig. XVIII.*

Vaſa brevia, inflatâ venâ Portæ, ſatis conſpicua, per quæ eâdem operâ inſigniter etiam intumeſcebat ventriculus.

Pancreas Scirrho erat infectum, minimis glandulis induratis: neq; *ductus Virſungianus* ſe ſiſtebat quærentibus, unico foramine perforato duodeno. Craſſiſſimam Pancreatis partem rectà tranſibat *vena Portæ*, quæ pollicem caperet amplitudine.

(3.) Ultimum Alimentum coquentibus: Cor parvitate memorabile, vix bimuli æquabat pugnum.

Pulmonum pars diaphragmati, pars ſterno, multis fibris & diſtinctis tunicis erat connexa. Tribus in dextro, duobus in ſiniſtro lobis.

Ex partibus ſenſoriis: turgidis omnibus, *matrem duram* cranio minime adhærere advertimus; incisâ autem eâdem cruor & ſanies diluta effluebant affatim. Hinc *ſinum falcatum* patefacientibus, vermiculus quaſi ſanguini innatare viſus, quem uncô extrahentes blande concretam ſub albidam *maſſam*, quæ carnem mentiretur, *polypi figurâ* fuiſſe conſtitit. *Ad Torcular*

Hero-


A. Portio Mesenterii quæ Vertebris adhæret.
B.B.B.B. magnitudo protuberantis glandulæ majoris sive Pancreatis Asellii gypso-lapidescentis.
C.C.C. Vasa excurrentia per pancreas Asellii.
D. Alia glandula minor pisum majus exhibens vel ossiculum cerasi, lapidea.
E. Ejusdem glandulæ facies nuda, detractis membranis Mesenterii et propriis.
Fig: 17. p. 119.
B
C
B
C
C
A
D
B
B
E


A. Ramus splenicus ex vena portæ. B.B.B. Cavernulæ quibus laciniæ omenti erant immersæ decurrentibus unà vasis quibusdam
B
B
B
A
Fig: 18. p. 120.

mus V.

Herophili extendens brachia excurrebat, ubi divisus ramis duos sinus transversos occupabat; erat latitudine pennæ mediocris ubi crassissimus; finiebat *in quarti sinûs confinio,* Torculari Herophili multo cruore oppleto.

Matre durâ circumcirca *recisâ* & sublatâ, *pia* occurrit illæsa, multis vasis turgida; stagnante in interstitiis anfractuum copiâ subcœrulei humoris. Curiositatis ergo *piam* accurate separans, illam *alteram duram matrem* exhibui, non solum quod crassitiem tunicæ, sed & quod amplitudinem vasorum; eademque à cortice cerebri facilius quam unquam dura à piâ, auferebatur, cum nullo adhæsu cortici esset annexa, quô ipsô subcœruleus per piam translucens humor effusus se lympham intuentibus probavit.

Anfractus vero *corticis cerebri,* piâ hâc matre semotâ, nudi prorsus, omni membranâ destituti, præclaro spectaculo, intestinulorum vel funiculorum seriem quandam dispositam digitis ordine explicandam offerebant, nullis in ipsorum superficie conspicuis vasis, sive sanguineis, sive lymphaticis, saltem, uti cocta agnorum aut vitulorum intestina tenuia, tubulos erectos densè coagmentatos exhibebant: adegi cultrum per corticem *ad medullam* usque, crebrâque *sanguinea stigmata* in medullâ hinc inde animadversa.

Ventriculi madidi lympham agitatione dilapsam arguebant, *tertio* adhuc cochlearis mensurâ sat puram effundente.

Exinde *plexus Choroides* nostrum solicitavit studium, *pineali glandulâ* nihil singulare demonstrante; atque *plexus* prorsus non sanguineum colorem præ se tulit, sed albicans magis pallidumve *glandulosum* aliquod *corpus* exhibuit, præprimis in extimo limbo conspicuis glandulis compluribus.

Medullam oblongam instar arboreti jucundissimi *vasorum mirabilis plexus* succinxerat.

Usus ex anatome Phrenitici.

I. *Phrenitidis causam,* si modo unquam, *non semper* tamen *meningum aut cerebri* esse *inflammationem.*

II. Cl. *Willis part. 2. de anim. brut. c. 10. Phrenitidem* à meningum inflammatione oriri posse negans, ipsam *spirituum animalium inflammationi vindicat, particulis sulphureis* à sanguine in cerebri claustra suffusis, illosque spiritus ibidem continenter accendentibus. *Ex nostrâ Historiâ* huic *Sententiæ Willisii* quod *faveret*, illud forte esset, quod stigmatibus sanguineis interior medulla fuerit dispuncta, unde qui medullam subiit sanguis sulphureæ admodum naturæ judicari poterat. Revera enim *s. n. neque corticem, nedum medullam subintrant vasa sanguinea;* quomodo forsitan capiendus *Arist. 1. de Hist. animal. l. 16.* &c. Quando cerebro sanguinem & vasa sanguinea denegat; *non obstante quod* per injectiones ater liquor, vel ipse sanguis, in medullam adigi possit; *aut quod* etiam in ferocibus animalibus, quibus *vivaq; adhuc animaq; aliquid retinentia membra* dilaniamus, medullam notis sanguineis distinctam non unâ vice observaverimus. An quoque ex *Whartoni, Malpighii, Willisii,* & cæterorum Sententia cerebri medulla aut cortex s. n. minimè aliquid sanguinis admittet?

III. Verum *an phrenitis*, hujus nostri, *incendio spirituum animalium, à sulphureo sanguine excitato, debeatur*, multa reddent dubium: (1) Omnes anfractus, omnes ventriculos lympha inundarat: (2) Plexus Choroides exsanguis; (3) Polypus sinui falcato immersus; (4) Sanguinis quodcunque adfuit admodum dilutum; (5) Pia mater incrassata & avulsa; hæc omnia non sulphurei alicujus incendii, sed aquei alicujus diluvii patrata diceres facinora.

IV. Sanè *videtur febris diuturna* omnes *exhausisse caloris nativi vires*, quo factum ut sanguis sursum ad cerebrum adactus, hujus frigore superatus, polypo materiem relinquere coactus fuerit; atque cum novus, qui accessit sanguis, pariter generoso calore minus esset coctus, in viis latiusculis commeatum solùm obtinuit, totoque corpore non valens minima penetrare, subtilissimum ichorem per angustias viarum transmisit, stagnante crassiori; hincque adeò in sulcis sive liris

corticis

corticis cerebri exundavit lympha; hinc in ventriculos eadem exſtillavit per plexus Choroideos; hinc pia dura reddita mater. Interea verò cum juſtum incrementum *Polypus* accepit, ut ſinum falcatum ferme obturavit, circa torcular imprimis, coarctatio hinc & depreſſio meningum atque cerebri, impedito curſu ſanguinis, non ſine dolore, *proxima* puto *Phrenitidis* noſtro fuerit *cauſa*: *Conf. Exc. Pechlini Eph. Germ. An. IX. & X. Obſerv. XXV.* Sanguinea verò puncta in medulla ex vehementia commoti ſanguinis, quando viam vi ſibi fecit furore æſtuantis ſuccenſus.

V. *Dari vaſorum lacteorum obſtructionem.*

VI. *Eandem* ad glandulas majores *febris cauſam* huic noſtro extitiſſe.

VII. *Ubiq;* locorum in corpore animato *calculos generari poſſe.*

VIII. *Generationem calculorum non eſſe momentaneam*, ſed coagulatâ particulâ, illi aliâ atque aliâ novè appoſitâ tandem corpus juſtum exſurgere, inæquali primum duritie, donec tempus omnia ſolidaverit.

IX. *Non ſolum ſal, aut terram, ſed & viſcidum caſeoſum materiam calculis* præbere, uti in hoc noſtro chylus lymphâ ſuâ deſtitutus.

X. *Viſcerum Hepatis & Lienis friabilitatem* refero *in defectum lymphæ*, quod hæc ob glandulæ majoris obſtaculum ad ductum thoracicum non tam liberè commeaverit, unde torridus ſanguis redditus, præſertim lymphâ in cerebro inſuper ſuppreſsâ.

XI. Eidem *lymphæ defectui viſcoſitas & craſſities bilis* in folliculo *adſcribenda.*

XII. *Non ſemper tenuiorem eſſe bilem veſicæ*, quamvis *Cl. Diemerbrockii* iſtud fuerit placitum, ſed contingere ut pororum bilis ſit fluidior & tenuior.

XIII. *Hippocrates d. morb. mul. c. 87. d. liene magno §. 11. Succedit autem ex hoc ſemper hydrops*: huic minimè ſuffragatur

noſtra Hiſtoria. Aſt *græcus Textus*, qui addit ἀπὸ τοῦ πόδος, Hippocratis propoſitionem forſitan defendet.

XIV. *Non opus habere naturam ubiq; valvulis membraneis*, pro inſtituto ſuo ſive arcendi, ſive admittendi quippiam, e. g. in cervice cyſteos.

XV. An *veſica fellis* nil aliud erit, quam *ſinus cholidochici?*

XVI. *An male ductus Hepaticus à poro biliario diſtinguitur?* rectius ſanè cholidochicus, qui nunc audit communis, truncus ſupponendus, cujus rami deſignandi aut divaricationes; quodque alii rami Parenchymati hepatis incumbant, alii verò idem ſubintrent.

XVII. *Duri à vena Portæ ad ventriculum per lienem commeatum;* an vero & ſ. n.?

XVIII. *Pancreatis Scirrhus in defectum lymphæ* aliquando referendus.

XIX. An *parvitas cordis* præternaturalis dicenda, ex paucitate ſanguinis?

XX. *Pulmonis* alterius *tria fiſſa* inter rariora notanda vult *Cl. Bartholinus*.

XXI. *Pia mater* p. n. illuſtriorem adhuc reddet luculentam deſcriptionem ejus ſ. n. apud *Cl. Williſium anat. cerebr. c. 7.*

XXII. *Favet noſtra obſervatio corticalibus ſive glandulis ſive tubulis Exc. Malpighii.*

XXIII. Stabilitur eâdem quoque Sententia *Williſii loc. cit. c. 12.* quod plexus *Choroidei glandulæ* ſint deſtinatæ ſero, ſive cerebri, ſive cerebelli, digerendo.

XXIV. *Glandulas plexus Choroidei* ſæpius *vix conſpicuas* annotat *Diemerbrockius*.

Fig. XVII. & XVIII.

OBSER-

OBSERVATIO LXIII.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Herniosæ & Asciticæ.

IDem tempus, idem Xenodochium mihi obtulit vetulam hydrope extinctam.

Ex motoriis : *Umbilici* protuberantia nos invitavit, ut cutem illicò circumcideremus; quâ à subjecta pinguedine liberatâ, loco umbilici emersit sacculus peculiaris, quem aperientes portione insigni omenti, eâque incorruptâ infarctum vidimus, *Omphalo-epiplocelen*, umbilici ex omento Herniam qui constituerat. Indagantes quâ viâ omentum perrupisset, singulare foramen ex peritonæo protenso efformatum offendimus; ex hoc omnem illam omenti partem licebat educere, & per idem in sacculum rursus intrudere, cum cætera liberum esset omentum, nisi quod exigua ejus particula, intercedentibus fibris, margini foraminis accreverat; istarum adeo firmum erat vinculum, ut ferro saltem cederet. *Ligamenta ex umbilicalibus* s. n. erant impervia, uti in aliis adultis fieri amat.

Ex nutritiis: Ex præparantibus Ventriculus & *intestina* aquâ exundabant, quâ etiam tota cavitas abdominis exuberabat.

Mesenterium quoque aqueis sulcis ita divisum erat, ut diluceret; his rivulis vasorum semitas occupantibus.

Ex Defecantibus: Omentum minus pingue erat. *Pinguedo* verò *quæ Mesenterium obsidebat* aqueis ductibus erat uvida atque irrigua; *ast quæ musculos investiebat*, à lympha prorsus erat immunis, ut tamen ad flavedinem plus justo inclinaret.

Hepar, nullâ re, nisi colore, flavis punctis ipsius superficiem pingentibus, suspectum se reddebat. In dissecto verò *Malpighii sententiam* aliquid ex vero trahere advertimus, quando *glandularum compagem hepar* adstruit; lobulis enim sibi succenturiantibus per totam profunditatem undique hepar ef-

fictum erat. Iidem flavo colore à reliqua parte discriminati *Scirrhum* quendam referebant, utut leviusculum. *Venarum portæ & pororum biliariorum sedem* hi racemi invaserant; merè botryoidei, nullo caule longiori aut pedunculo, sed punctulis sive glandulis parvulo intervallo disjunctis unicè insignes.

Vesica fellis minimè turgida; cervice ejus inclinante, *Cholidochicus communis* rectâ lineâ *pori biliarii continuatio* comparebat. *Apertâ cervice plures rugæ*, sex circiter, mentiebantur valvulas, quæ crassiorem stilum morabantur, subtiliori præterlabente. *Bilis presso* fortius *folliculo*, quamvis adeo spissa non esset, lente tamen effluebat; tinxerat & omenti & hepatis partem flavedine. *Fundi interior tunica* reticulatum opus, quali facie ventriculus ruminantium cornigerorum, κεκρύφαλον, exprimebat. *Porus biliarius* in duos ramos sub hepatis Parenchymate discedebat.

Lien parvus, palmam vix longitudine & latitudine æquans, rhomboideâ figurâ, satis solidus, & naturæ respondens.

Renibus aderat pinguedo; situs sinistri altior.

Capsulæ atra-biliariæ, oblongæ pennæ crassitiem vix æquantes: Ductum intus notabilem monstrabant nullum, cohærentibus arctè lateribus, utut qualiscunque alveoli signum exstaret, atro humore lineam quandam in mediis efformante.

Reliqua naturæ vultum retinebant, saltem quod *Pancreas* grandinosâ duritie: *Ductui Virsungiano* stilus immissus, per foramen Cholidochici in duodenum exibat, à quo tamen versus pancreaticum stilo penetrare erat impossibile.

(3.) *Ex coquentibus*: *Cor* vastum erat, digitos transversos sex & ultra latum: concreto sanguine, non item polypo, *ventriculi* erant oppleti.

Pulmones speciosi, quod texturam, quam ex facie externâ erat legere, ad Malpighii mentem adumbrarent egregie. *Marmorea* tibi finge *lineamenta*, in quibus vario ductuum lusu hinc inde

inde *centra (ita Plinius duritiem in marmore clavo similem appellitat)* & infinitos *circinnos* Naturæ effinxit ingenium; Istum in modum turgidos pulmones discurrentes sanguinei delinearant tubuli, infinitis ambagibus de errantibus vivis, & ad cisternulas quasdam certis intervallis & figuris contendentibus; quod ipsum tantò illustriorem præbebat conspectum, quanto saturi magis coloris sanguis per vasa extantiora transmicaret.

Ex genitalibus: Uteri vagina absque rugis erat; *orificium* densiusculo corpore hians.

Testium species notatu digna, quod *exterior* anfractuosorum ductuum implicatas undique exponeret series, quales inflatis spermaticis in Epididymidibus masculorum est obtinere: *Dissecti* vero *Anfractus* incrassatam variisque rugis condensatam monstrabant tunicam albam; *reliquo corpore carneo solido.*

Memorabiles quoque *Tubæ Fallopianæ* imperviæ prorsus, sive cœcæ, ligamenti instar cultro dividendæ. *Fimbriatum sive foliaceum ornamentum* in carneas glebulas exiguas concesserat; *Orificium* vero ipsum in globosum caput coaluerat; ab utroque latere hinc inde vesiculis diversæ magnitudinis limpidis. Quæ omnia rectius *in Tractatu de generatione Viviparorum ex ovo* sistet tabula.

Usus ex Anatome Herniosæ & Ascriticæ.

I. *Non à peritonæi rupturâ aut vulnere herniam semper*, sed à laxatione qualicunque sæpius; *Paræus lib. 7. c. 13.* rectè descripsit, qualem in hac herniam invenimus.

II. *Difficultatem curandi herniam* ex accretâ quantulacunque ad angustias meatûs portione.

III. *Differre Anasarcam* sive aquam inter cutem *ab Ascite*, quod *in hac* Hydropis specie, musculorum caro & pinguedo non sit inundata, vid. *Aretæus lib. 2. c. 1. de sign. & caus. chronicorum.*

IV. *Pinguedinem esse ex abundantia ultimi alimenti* concocti, vid. *Aristoteles 1. de generat. Animal. c. 18.*

V. Rectè

V. Rectè quidem *Galenus*, quod *non ſemper*; *erit tamen ſæpius ex hepatis ſcirrho Aſcites.*

VI. *Hepatis Scirrhum utplurimum in poris biliariis, aut ramis Portæ, deprehendes*, non æquè in ramis venæ cavæ, nedum arteriæ.

VII. Niſi me animus fallit, *glandulas Malpighii in Hepate* innumeros diverſorum *vaſorum* plexus in fibrillis minimis auguror.

VIII. *Cholidochico communi trunco; veſiculâ fellis ſinu; poris biliariis ramis*, fruſtrà *hepatico ductu* vaſorum obſcuratur doctrina.

IX. An *cavernulæ* memoratæ *cervicis* p. n.? an natura illis uſa eſt *loco valvularum membranearum?*

X. *Poſſe bilem intra veſicam diutius detentam acrimoniam acquirere.* Cur autem in hac noſtrâ diutius Cyſtis bilem detinuerit, in cauſa forte Scirrhus pororum biliariorum fuit, qui fecit, ut parum bilis ex hepate exſtillarit, multò minus autem redundarit, unde neque turgidum veſicæ receptaculum redditum, neque penus bilis vetus novo ſeroſo fuit dilutus, atque ventriculo cyſtin non exonerante comprimendo, inveterata bilis acrior evaſit.

XI. *Per fundum veſicæ poſſe venam Portæ minimis ſuis extremitatibus aliquid effundere*, mihi aliis experimentis conſtat: Saltem id notatu dignum judicavi, quod per injectiones aliquando talem reticulatam ſpeciem fundo veſicæ conciliaverim. *An* vero in hac noſtra *cancellatum iſtud opus fuit p. n.?* cum obſtructis poris biliariis, quà data porta ruere bilem oportebat.

XII. Non hepatis ſolum, ſed & aliorum *viſcerum defecantium obſtructionem* conferre ad Aſcitæ generationem; e. g. pancreatis.

XIII. An *cordis amplitudo* caloris debilis index?

XIV. *An melior portio ſanguinis ad ſuperiora* contendit, relicto aquoſo & feculento partibus inferioribus? iſta *Ariſtotelis* eſt ſenten-

sententia, & pulmones in hac Nostra illud adstruunt, cum in reliquo corpore aquosus prorsus esset sanguis.

XV. Ex pulmonum datâ delineatione, forte illustrari possunt *Stigmata Hippocrati in pulmonibus dicta;* in quæ v. d. Lindel *Medicinæ Physiologicæ c.6. art.20. §.183.* prolixius commentatur, contendens stigmata illa spumosa s. n. atque ita corrigendam esse lectionem ἀφρώδεσι, non ut *Foës. in Oeconom.* ὀρφνώδεσι; cum neget pulmones notis sive maculis nigricantibus esse insignitos, nisi nicotianæ delectati fuerint fumo.

XVI. *Rugas deletas vaginæ, orificium uteri densius & hians,* hydropis vitio.

XVII. *Anfractus* vero *testium tunicæ,* nescio an quid aliud velint, quàm quod distincta in fœminarum testibus occurrant corpora. Quod *ovarium* vulgo nunc audit, in quo ova collocantur, Epididymidibus; *carneum* vero ipsis testibus virilibus respondeat; quando igitur ova generare tunica nescivit, quod sanguinis abundantia ab Ascite in cavitate ventris absumpta, evanuit usus ovarii. An vero ætati senili ista debetur facies?

XVIII. Sed quid *de ovis sive vesiculis ad tubam Fallopianam, eamq; cæcam,* variâ magnitudine dispersis. An naturæ hæc est sive providentia, sive necessitas, ut penset aliarum partium damna? abusa itaque est istis locis extra tubam, quando in testium dictâ tunicâ serosum semen muliebre secernere minus potuit. Verum Sententiam *de generatione viviparorum ex ovo peculiaris* exponet *tractatus,* qui sua reddet, quæcunque ex usu inveniet.

OBSERVATIO LXIV.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Aſciticæ.

EOdem anno, Xenodochium minus, ſuburbanum, vetulam quandam, parili morbi genere enectam, ſecandam exhibuit, *Exc. D. Starckio, Collega & Amico candidiſſimo, Auctore*, qui eandem mecum inſpexit.

Ad umbilicum lineâ albâ exiguo foramine *perforatâ* (quod ego facilius & commodius duco, quàm ad muſculos transverſos viam facere) multum aquæ exibat, loturæ carnium ſimilis, citra inſignem fœtorem.

Abdomine aperto *ex nutritiis (1) Præparantibus : Inteſtina* aquâ plena, marcido colore contabuerant.

(2) *Defecantibus:* ſingularis *omenti* ſpecies, quippe pinguedine omni conſumptâ, nec membranæ veſtigium, niſi ad colon & ventriculum, illudque exile admodum, reliquum, fuit: *Majora* autem *vaſa ſanguinea omenti*, funiculos aterrimos, vel magis cruorem in craſſa fila malè cohærentia diductum, non intertextâ ullâ aliâ compage, decuſſatim hinc illinc, magnis intervallis, inteſtina irretientem ob oculos ponebant.

Hepar illicò *Scirrhum* manifeſto prodebat, aſperum ad tactum, eminentibus alicubi etiam tumoribus flavedine bilis infectis. *In diſſecto* evidentius hoc erat videre, quod & majores, & denſiores, grandines flaveſcentes totum occupaſſent; quippe cum ſanguinis tincturâ quod eſſet imbutum, vix linearum tenuiſſimarum intercurrentium quantitate conſpiceretur.

Summitate Orbiculari, capite Extorum nobis *in Exercitat. de originibus Anatomicis* demonſtrato, & *crepidine ſiniſtræ partis* totum *diaphragmati* erat *adnatum. Portæ* utrinque in ſimâ, globorum rotundorum in modum protuberabant.

Præterquam quod Omenti & hepatis illa erat peſſima facies,

cies, nec reliquæ partes labe carebant. *Vesica fellis* turgida, dissecta aterrimam effudit bilem, crassam & male fluidam, qualis sanguinis fex subsidens in febribus malignis, fibris dissolutis: Rob cerasorum nigrorum grumosum dixisses, quod colore æquè & consistentiâ referebat.

Lienis externa tunica crassa, pustularum subalbidarum numero plures dabat *tumores; interior substantia* justo licet solidior, notabilem tamen Scirrhum ostendebat minimè. *Species ejus* singularis renes æmulata, recedentibus introrsum in quasdam cavitates vasis, ad figuram, quam *in Phrenitici Anatome* dedimus, accedebat.

Pancreas solito durius grandinosum.

Renum communis membrana putris, & mucosa, deficiente pinguedine; salvâ tamen substantiâ.

(3) *Coquentibus: Pulmo* non unis fibris, sed integris lobis undique coaluerat, cum diaphragmate, cum Pleura, cum pericardio.

Pericardium aquâ destitutum, justo crassius, diaphragmati revinctum amplissimum efformarat alveum.

In quo *Cor* adeo vastum ut latitudine & longitudine superaret bovinum maximum, cui tamen crassitie cedebat, quod quasi compressi planior, non æque globosa στρογγύλως, turbinato mucrone, figura existeret. Illô, quod *ab Exc. Kerckringio in Spicilegio Anatomico* delineatum, *demptis vasis (quæ & huic* præter istam molem erant *capacissima)* duplo longius & latius, uti charta, cui impresseramus sanguineum, tabellæ Kerckringianæ admota, liquidò demonstravit. Cætera nihil portentosum ostentabat.

Ex Genitalibus: Uterum cum *tubis* & *testibus* exhibebit quondam Tabula *in Tract. de generat. vivipar. ex ovo.* præter mucum viscosum *in fundo uteri*, præter *orificium* patulum, præter unicum ad orificium tubæ *ovum*, præter *foliaceum ornamentum*, præter *foliaceas lacinias*, *figura utriusque testiculi* erat mirabilis, cum pari modo ac in illâ alterâ, funiculi albi pluribus

 anfracti-

anfractibus utrumque investierant. Cultrum admovens inveni tunicam incrassatam & induratam anfractus exhibuisse, nullô ductu ullibi obvio; reliqua pars major testiculorum, carnea, solida, huic tunicæ inclusa, in altero cavernulam ex quâ sectâ aqua limpida prosiliit, continebat.

Usus ex Anatome Ascitica.

I. Quod *debilitas caloris causa* fuerit *hydropis*, conf. ex *Cl. Bartholini Cent. III. Hist. 83.*

II. *Aquam loturæ carnium similem*, ex vasis scilicet, per colliquationem consumptis, itidem *Bartholinus loc. cit. Hist. 81.* observavit.

III. *Omentum consumptum in hydrope*, ex *Pavvii Observ. 5. & 29. ad Cent. IV. Hist. Barthol. Conf. Cent. I. Observ. 2.*

IV. *Colliquationis gradus:* Primò partes humidiores aut minus siccæ consumuntur e. g. pinguedo; hinc membranæ rariores, tandem & vasorum compactæ tunicæ.

V. *Quid causæ* fuerit, *quod in majoribus vasis sanguis*, & quidem *coagulatus* hæsit; *an acidum?* an magis quod circuitus sanguinis impeditus, & quod venæ Portæ sanguis lymphâ parum dilutus, ad majora hæc vasa concesserit, ut partim ex defectu fluidi, partim ex defectu caloris sanguis in hæc vasa impactus crassior substiterit. Mihi sane uti in aliis pluribus ita etiam in hoc Phænomeno aliæ quævis causæ adducendæ, quam acidum. Neque enim quia acidum aliquando talia efficit, ideo & semper; cum plures ejusdem rei possint esse causæ. Atque si aliquantum tempus ægrotæ vita protraxisset, acidum non fuisset prohibiturum, quo minus & hæc majora vasa, & illorum intus cruor, colluviei serosæ alluvione itidem consumpta fuissent.

VI. *Obstructio pororum biliariorum* negato à lympha, terrestri venæ Portæ sanguini, commeatu; cum bilis à lympha non digesta aut macerata per cribra venæ Portæ in poros biliarios excuti non potuerit.

VII. In-

VII. Inde adeo *ſolitis viis non exonerata lympha in abdomen & inteſtina redundavit;* inde *Pancreatis Scirrhus*, & *Lienis induratio*, inde *bilis in veſica grumoſitas.*

VIII. Ex obſtructione illâ quoque *calor colliquans* absque dubio, qui hoc loco neſcio acido quomodo ſit adſcribendus.

IX. Stagnationi quoque ſanguinis craſſioris *coalitiones pulmonum* debent originem.

X. *Pericardii & cordis magnitudo Bartholino* quoque in hydrope obſervata *Cent. II. hiſt. 66.* debilitati caloris quidem adſcribenda generalius loquendo; ſed propius ad cauſam accedendo, cum venæ Portæ ſanguis à poris biliariis, bile ſive terreſtriori portione non ſequeſtratâ, feculentus in cavam, & magnâ copiâ irruat, citra dubium etiam turgidus & tumultuarius cor ingreſſus eſt, unde dilatatio; Cor hunc non potuit ita concoquere, ut aptus exiſteret ad ſubeunda vaſa ſecretoria, reliquit itaque feculentum rurſus per corpus diſtribuendum, in quo debilitas cordis erit; ſanguis vero iſtiusmodi degener circulo ſolito vim ſolitam cordi ſubinde intulit.

XI. *Ovum extra teſtes* in vetula effœtâ, cui uterus muco obſitus, hiante orificio, infeliciter ovarium gallinarum excludet in genere humano.

XII. *Foliacea ornamenta cum laciniis* favent Regnero de Graaf contra Svvammerdammium.

XIII. *Tunica* illa *anfractuoſa craſſa alba* teſtes involvens, multum confirmat iſtam conjecturam, quod ſic dicta ova & ovaria Epydidymidibus Sexûs Maſculi reſpondeant; illâ enim tunicâ obliteratâ, obliteratum & ovarium.

XIV. An quoque *in carnoſa Subſtantia veſicula*, indice cavernulâ, idem approbavit? negatâ enim excretione ſeroſi ſeminis per ovarium, in ſolidiori teſtium corpore iſtud colligi contigit.

OBSERVATIO LXV.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Anatome tabidi.

PUer erat ſeptem circiter annorum, oſſa atque cutis, quippe per ſemeſtre ſpatium tabe exaruerat, qualem ſuis coloribus depingit *Aretæus 1. d. cauſ. & ſign. diuturn. c. 8.* hic Lethargo, ubi

Somno ſic membra gravantur
ut ſe conjungat letho ſopor altus acerbo:

Defunctus, oculos in facie Hippocratica oſtendebat apertos: cujus Anatomen *Valentiæ in Delphinatu Anno 1678. M. Febr.* unà mecum ſuſcipiente *Exc. D. Manget* iſta annotata.

Ex partibus nutritiis: (1.) Novum alimentum præparantibus; Ventriculus prorſus jejunus, flaccidus, in ſe ſubſidens, craſſius ſolùm præſentabat inteſtinum. *Inteſtinorum* autem lividus color, puſtulis undique eminentibus putredinem manifeſtabat, accedente fœtore, intolerabili, qui ipſa incidere ac rimari accuratius prohibebat.

(2.) *Ultimum alimentum defecantibus*; Cum *Omentum* nullam ſui notam reliquiſſet, præter membraneam quandam particulam Hepati ſubſtratam propendulamque.

Hepar occurrit mole inſigni, quâ ventriculum & Lienem obtegebat, colore nullum prodente vitium. In parte dextrâ tangenti durities ſe offerebat, Scirrho tamen in diſſectis particulis minus manifeſto.

Veſica fellis ſatis ampla & longa ſuoque humore turgens.

Lienis magnitudo naturæ congruebat, colore haud alieno, niſi ubi aſperitates in ſuperficie ipſum corruperant.

Renes quantum tactu erat percipere, neque enim exemimus, quaſi in duos lobos dehiſcentes, inſigni circa pelvim cavitate, & digitus inſereretur facilè, omni deficiente pinguedine.

Veſica tumida eminebat, grandior ipſo ventriculo.

Glan-

Glandularum autem maxime memorabilis erat *conditio. Pancreas* craſſum & grande, inteſtini craſſi dixiſſes portionem, colore minimè fœdo, nec Scirrho multum erat induratum, niſi *quod extremis membranarum limbis, plures albas duriuſculas, ſeorſim ſuſpenſas, demonſtraret glandulas.*

Atque cum *Meſenterium* inquireremus, nullum ſolitâ ſpecie erat obvium, ſed *numeroſa glandularum*, majorum, minorum, *congeries*, centum numeraſſes & ultra, præprimis *in confinio Inteſtinorum, Meſenterii latifundia obſederat; Pancreati Aſellii* non diſſimiles, colore, duritie; magnitudine quoque plures piſum, quin lupinum excedebant; formâ ab ovium cotyledonibus non prorſus alienâ.

(3.) *Ultimum alimentum coquentibus*: *Sternum* ſolventibus, & attollentibus, mirabile viſu, nullâ pulmonis ſpecie, *cor* unicè in Thoracis regiâ comparuit.

Sed cum nudum nullâque membranâ tectum cor deprehenderemus, illicò ſubiit animum ſuſpicio, iſtam expanſam condenſatamque albam tunicam, quæ omnem capacitatem penetralium pectoris inveſtiebat, nullo lymphæ indicio, ipſummet eſſe *pericardium.*

Atque *Pulmones* huic ſubnexi, in anguſtiis coarctati, non ſolum Sterno per pericardium, ſed & pleuris undique, in modum quo avibus adnati erant, ut non niſi dilaceratione à coſtis diripi, aut etiam à pericardio expediri poſſent. Hæc præter nil in pulmonibus memorabile.

Dum *Cor* educebamus, ſectis vaſis, ex grumoſo ſanguine *de polypo* ſumptum indicium, quem liventi facie carneâ *in dextro ventriculo*, cujus fundo ductu exili adhærebat, advertimus; extractusque ex vena cava longitudine duos articulos, craſſitie æquabat calamum, lentâ pituitâ tenacior, carnis teneræ inſtar diſcindi poterat, non verò ut mucus diſſolvi aut diſtrahi. *Verus*, qualem *Exc. Pechlinus in lib. d. habit. & color. Æthiopum* demonſtrat ſolidè. *Siniſtro ventriculo*, ſ. n. erant omnia.

Ex

Ex partibus sensoriis : *Cranio* aperto, *dura mater crassa* admodum, nullibi, ne quidem ad suturas, adhærescens; *sinu falcato* insigniter denso; *corpus cerebri* vastum & distentum, aqueis sanguineisque lividis vasis translucentibus, lymphâque passim diffluente, præsertim ubi tertium diducebamus ventriculum, ex quo humor elapsus magnam partem cranii implebat. *Glandula pinealis* rotunda, pisi magnitudine, semicirculis duobus candidis in superiori parte conspicua.

Usus ex Anatome Tabidi.

I. *Causam tabis quandoq; in Scirrhum glandularum Mesenterii esse referendam*, cum *forte & glandularum intestinorum* idem fuerit vitium, non admittente novum, per lactea vasa, alimentum solidiusculum glandularum cohorte, quæ vias suâ interclusit duritie: fides huic accedet si *Exc. Wepferi Sententia quâ (apud Willis de anim. brut. part. 2. c. 8.) paristhmia intumescentia, arterias pertranseuntes comprimendo, sanguinis aditum à capite præcludere statuit*, suffragium merebitur. Neque aliud videntur ex hâc historiâ collegisse *Auctores Bibliothecæ Anatomicæ Tom. I. quod non tantum in hydrope tumefiant glandulæ superficiei intestinorum externæ obhærentes* (uti *Peierus in Exercitat. 2. de glandul.* annotat) *sed præcipuè in iis, qui marasmo conficiuntur; nam, dum præ languore stagnat serum, facile concrescit: in hujus affirmationis probationem plures adducere possemus historias, sufficiant duæ quarum prima est puelli septennis, filii Consiliarii cujusdam in curia præsidiali Valentinensi in Delphinatu, die sextâ Februarii Anno 1678. defuncti, &c.* H. J.

II. *Obstructio venarum Mesaraicarum*, in quâ, *ad Exc. Volckameri Observationem LXXI. Ephem. Germ. Anni VI. VII. Scholion* candidam majorum simplicitatem multum solatii posuisse notat, numquid hoc modo intelligenda veniet? aliam carere suo fundamento, quod fere nunquam in dissectis comparuerit cadaveribus, non vanè, quantum mihi constat, *idem* tradit *Scholion.*

III. *Pin-*

III. *Pinguedinem esse ex alimenti ultimi boni abundantia,* hocque deficiente meras relinqui membranas, omentum & renalis fascia ostendunt.

IV. *Quod alimentum ultimum si novo non reficiatur nativum perdat calorem;* genuino perdito calore *polypus, pericardii incrassatio & siccitas, Pulmonum flaccescentia & accretio, meningum cerebri crassities & avulsio, appetitûs prostratio, intestinorum* denique *inquinatio & putredo.*

V. An *laudatum Scholion loc. cit. hecticæ argumentum indubium,* consumptam omnem in pericardio humiditatem, statuens, ex hâc nostrâ historiâ illustrari poterit?

VI. *Hepar,* ab ultimo residui alimenti promum condum, *vitio in tabe carere potest,* quousque sanguinem, quem accipit refluum, expeditè purgatum dimittit.

VII. *Par ratio Lienis.*

VIII. *Helmontius* in dubium vocans, *an aliquis usus ex morbosorum Anatomis* scientiæ promittendus Medicæ; *in Tract. Asthma & Tussis Num. 46. & seqq.* tantùm non ridet asthmatis per anatomen quæsitas causas, sane Anatomicos perstringit hoc nomine, quando *Num. 47.* asserit, quod, dum fictos humores nusquam offendunt, tamen per novaculam, omnem mortis causam substernere promittant; *Primo,* inquit, *mirantur, tum etiam serio indignantur mortem absq; veniâ illorum adventasse. Etenim quasi in cultro spem & remedium haberent, gaudent in cadavere partem reperisse, cui necem attribuant.* Verum *Helmontius* non potest ex morbosorum Anatomis negare usum, quem ipse Presbyteri Asthmatici historiâ suum fecerat. Dubium tamen reddit *cit. num. 47. An difficultas respirandi in accretionem pulmonis transferenda?* Mihi quidem non annotatum, an misellus noster isto afflictus fuerit malo, si tamen illo laborarit; dum pulmones non solùm costis, sed & pericardio constricti fuerunt undiquaque, incertum foret, quodnam vinculum potior mali extiterit causa? me judice, istud, quod pericardium injecit: Quamvis & in homine, si toti pulmones costis, uti in

avibus fieri amat, innectantur, vitio carere neutiquam possit. Aves enim habent, quô illam necessitatem corrigant, cum ipsarum pulmones, ope certarum membranarum, spiritus liberiùs dimittere queant. Exempla autem quæ in contrarium adducit *Helmontius*, unius lobi tantum, ejusque non ex omni parte annexionem videntur enarrare.

IX. Quas industrius *Willis d. anim. brut. part. 2. c. 3. Lethargi* enumerat *causas;* serosâ colluvie; *sive* exteriores cerebri anfractus irruente, ejusque poros & meatus corticales subeunte; *sive* interiores ejusdem cavitates diluvio inundante; hic in exemplo habes geminas.

OBSERVATIO LXVI.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Anasarcâ enecti.

MErcenarius is fuit, ætatis virilis; Anno 1680. mens. Januar. isto defunctus morbo. *Cutis* per totum corpus; utut quam levissimè stringeretur cultro, cuticulam solam penetrante acie, guttas exsudabat limpidas; undique aquâ omnes partes inundante, ut ipsius rivi *musculorum compagem* quoque dividerent, quî species carnium oculis eriperetur: quemadmodum violentis & urgentibus injectionibus aqua vi adacta aliquando omnes texturæ fibras udas atque pellucidas reddit, ut aliud quidvis, quam hoc ipsum corpus crederes; sic & in nostro minutissimis vasis lymphâ distentis lucidisque, musculi glacialem quasi exhibebant aquam. Eadem facies erat *pinguedinis*, garum aliquod, vel gluten pellucidum novissimè concretum æmulans, intercurrente minimas particulas aquâ, quæ alibi cavernulas repleverat. Veræ autem pinguedinis, quod suam retinuisset naturam, nihil aderat. *Penis* tumidus, corporibus nervosis transparentibus: cùm *scroto ac testibus* nil tale acciderat.

Ex partibus nutritiis: (1) Præparantibus, ad lineam albam aperto abdomine, purissima lympha magnâ copiâ exibat:

Inte-

Inteſtina idem diluvium invaſerat: *Cœcum* exile, pennæ anſerinæ craſſitie, longitudine digiti, circumflexum.

(2) *Ex defecantibus*: *Omenti* membranam præſentem, ſuoque officio, tegendo partes inteſtinas, fungentem offendimus, verum vaſa illam ſolum pertexebant, nullâ intertextâ pinguedine.

Pancreas longit. ¼ ulnæ, duorum digitorum transverſorum craſſitie, gibboſum ab unâ, ab alterâ ſimum; ſolidum, duriuſculum, grandinoſum; *Ejus ductum* ex gibbosâ parte, per tunicas duos transverſos digitos in duodenum deſcendentem, ſtilo facili aſſecuti ſumus.

In Hepate verò nullum vitium; magnitudine, colore, ſubſtantiâ ſanum referebat, neque diſſecando, ubi ſedulò inquiſivimus, vel ſcirrhum, vel aquoſam veſiculam ullibi animadvertimus.

Cholidochicus autem ductus ſe difficilem præbuit, negando viam ad inteſtinum, licet *ex veſicâ fellis* ſtilum eò conaremur adigere; hæc ipſa verò à labe non erat immunis, uti nec *ductus*, quod tunicâ craſſiſſimâ conſtarent, ut bilis per illam pallida compareret, quæ effuſa, exiguâ quantitate, juſtum tamen retinuerat colorem.

Lien omni carebat notâ, Rhomboides, colore ex nigro albicante, ſparſo ſubcœruleo.

Renes cætera ſani, ſed deſtituti adipe.

(3) *Ex coquentibus*: *Thoracem* diſſecanti teterrimus halitus feriebat nares, *pulmonibus* alioquin recte ſe habentibus.

Cordis autem illicò mirabilis obtutus, quippe *pinguedine* propter vaſa & orificia in gelatinam transformatâ, dilucidas, gummoſas, tremulasque illas partes conſpiciendas dabat; neque tamen ad contactum aut compreſſionem degener iſte adeps diffluebat, ſed ſolidior firmiter ſatis cohærebat; *ventriculorum dextro inciſo polypum*, ex ſanguine diluto contextam carnis telam cum cruore congelatam, columellarum radicibus affixam inhærere vidimus. Sectâ autem cautè *venâ cavâ*

cum *arteria pulmonali*, eandem carneam texturam divaricatam memorata vaſa occupaſſe obſervavimus, atque ex utroque ¼ ulnæ longa fruſta extraximus, Hæ illæ furiæ quæ ægrum excruciârunt, ut *ſemper de rupturâ cordis in dextro latere conqueſtus* fuerit perditè. *In ſiniſtro ventriculo* nihil quicquam hujus occurrit, iſtud tamen alieni oſtendit, quod mole carnis non exſuperaret dextrum; cavitate præterea ejus minimè ad ima penetrante, Mitrales valvulæ pulmonalis venæ nec digiti minoris latitudine à fundo diſtabant.

Uſus ex Anatome Anaſarcâ enecti.

I. *Anaſarca proprium nomen intercus* competit: hanc graphicè ante oculos ponit *Aretæus 2. de diut. ſign. c. 1.*

II. *Non omnem hydropem ex Jecoris vitio oriri;* cujus *Exc. D. Scultetus (in obſerv. 148. Ephem. Germ. Ann. 4. & 5.)* rationes & exempla affert: & definire videtur *Galen. 2. de nat. fac. c. 8.* certam ſpeciem hydropis, quæ illæſo hepate contingat; nempe quæ ex toto corporis habitu immodicè refrigerato; *atqui in tali hydropis genere*, inquit, *nec aliud viſcus ullum, nec Jecur Scirrho eſt affectum: Eraſiſtratus* contra ea perpetuò ex Jecoris Scirrho, nec aliâ ratione ullâ hydropem fieri exiſtimavit; modo *Galenus* hanc mentem *Eraſiſtrato* non affinxerit, quippe quem Cacoëthes inſatiabile tenuit cavillandi viros, quos in illuſtri rei literariæ loco noverat eſſe poſitos, hosque ſolos ſibi adverſarios conſtituit, ut tantò major ex triumphatis ad ipſum rediret gloria: dolendum ſane quod iſte invidiæ æſtus indignâ æmulatione pleraque Eruditiſſimorum Scripta interverterit.

III. Dum *hujus hydropis primam cauſam ex ſanguificationis defectu provenire Galen. l. c. aſſerit*, non obſtante quod Jecur illibatum, *Adraſtea* ab ipſo extorſit confeſſionem ingenuam contra hepatis ſanguificationem. Quamvis enim hæc actio, ſanguificatio, ſit ex illis, quæ Græcis magnâ Emphaſi ἐφεξῆς dicuntur, (ubi una & altera aut aliæ plures priusquam excellentiſſima actio exiſtat

ſtat certo ordine antecedunt;) tamen omnes reliquæ actiones partium, ſanguificationi inſervientes, uti & quæ hepatis ſunt, defecando actioni cordis omnium in hoc opere nobiliſſimæ cedant, neceſſe eſt.

IV. *Cordis* enim *deficiens calor*, id eſt *frigus*, crudo ſanguini dominari neſciens, *fecit ut viſcoſitas polypi exiſteret, & circuitus ſanguinis*, potiſſimum in pulmonibus, vaſis obſtructis, *impediretur*, quô absque dubio evenit, ut nec lympha ita per pulmones liberè commearit; quæ cum neque per reſpirationis turbatum miniſterium promptè exſpiraretur, nimiâ copiâ ductum Thoracicum ingreſſa eſt; accedente etiam errore in diæta, potu nimio eoque tenui.

V. *An* quis *per acidum & alcali hoc Phænomenon* reddet *manifeſtius*, tentet, per me licet: *bilis defectum* quispiam fortè arguat, cum pauca illa exſtiterit; ſed *unde hic defectus?* nonne itidem reducendus ad defectum caloris in corde? qui ex vitio materiæ cœpit: unde *Aretæus loco cit.* ἡ μὲν οὖν πρωτίςη αἰτίη παχεξίη.

VI. *Galenus 2. de plac. Hipp. & Platon. quod nullus cor morderi ſenſerit*: aſt hic noſter ſummum ſenſit cordolium; ex quo intelligi poteſt, quando ægroti *cordis rupturam, admorſionem,* aut *corroſionem* queruntur, quomodo ſubintrante ſanguine, nec ſpatium inveniente, indeque adeo cordis & vaſorum latera, quibus Peſtis infixa, lancinante, accedente pulmonum difficili obſequio, dolor immanis miſeros affligat.

VII. *Tulpius ad L. 1. Obſ. Med. 27.* Polypum in ſiniſtro Cordis Ventriculo, ab hoc non abludentem, exſculpi curavit.

OBSERVATIO LXVII.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Hydrope uteri extinctæ.

Contigit, ut *Puerperæ post secundinas nulla* succederent *lochia*, nec sanguinis nec ichoris sive saniei prolicito fluore; nec ullâ vi medicamentorum postea ut menstrua prodirent, impetrari potuit. Defuncto marito cùm à partu isto uterus in majorem subinde excresceret molem, molam se gestare persuasa, secundas nuptias cum Sartore iniit, ex his sibi remedium spondens: sed longè aliter evenit, tumor ille incrementa cepit, & *labrorum pudendi* accessit *hydrops;* uti pugni magnitudine distenta & pellucentia in defuncta comparuêre: conquesta toties de suffocatione & strangulatione, cætera sanæ munia obiit, cum cibum & appetierit, & digesserit, & concoxerit, alvo insuper obsequente: Tandem febri languida, cum strangulationis vel suffocationis metu perpetuò conflictans, vitâ eodem anno 1680. M. Septembr. decessit.

Abdomen à Chirurgo, loco quo pluribus mos est, incisum ad musculos transversos, multum saniei quidem emiserat, ut tamen adhucdum turgesceret, nullo umbilici conspectu; nos verò exiguo foramine sanguinem purulentum, cum aqua commixtum, fœtidum medii cadi mensurâ exire fecimus.

Atque cum *musculos & pinguedinem abdominis* ab aqua minimè corrupta vidimus; ad *peritonæum* accedentes, in *tunicam crassam,* à peritonæo non nisi dilaceratione & lancinatione multâ separabilem, incidimus: Hæc ipsa autem erat *uteri corpus*, ejus contextu ad diaphragma usque se extendente, ut & Hepar, & ventriculus, & lien, & intestina omnia ab hac tunica cœca nocte essent involuta & sepulta; neque enim toto abdomine aperto quicquam præter hanc tunicam contineri primus obtutus ferebat, quippe quâ penitùs succinctum erat, cum amplitudine suâ inanem abdominis cavitatem mentiretur.

Sordes

Sordes cuncta muco inquinarant insuper, & contemplationi vel diductâ jam tunicâ subduxerant viscera; in *uterum* igitur intenti, ruptis quibus ante cohærebat vinculis innumeris, ipsum integrum cum renibus & portione intestini recti eduximus; quô factô demum interanea, uteri mole suppressa & ad angustias redacta, abluta in conspectum prodiêre; *Omenti, renumq;* nullâ pinguedine.

Cæterum *in utero* quod maxime mirabantur spectatores erat *paries intergerinus*, quô satis crasso divisus cellulas duas formarat, alterâ capaciori, idque aqua omnis eodem foramine exturbari nequibat, cum & alter loculus incidendus fuerit. *Inversa uteri tunica* multas rugas intùs exhibebat, quæ complicatæ *specie cotyledonum* in quibusdam locis fallebant; variis aliis *membranosis laciniis* hinc inde laquearium instar consurgentibus.

Ubi autem domi otiosè indagabamus, quî aqua & sanguis substitissent, nec stilo, nec flatu, nec injectione, nec ullo alio adminiculo, quæ ad vulvam duxisset, viam invenimus; *Orificium uteri* in solidum ligamentum impervium degenerarat; Hujusque lateribus incumbebant *carneæ quædam glebulæ*, *testium* credo simulachra vitiata; alia enim corpuscula, quæ horum imagines præsentassent, non dabatur concernere.

Usus ex anatome hydrope uteri extinctæ.

I. Rectè *Hippocrates 1. d. morb. mulier. c. 60. §. 17. & 18. quum mulieri puerperæ purgatio non recte procedit, quod ipsa periclitetur, ne livida fiat velut plumbum, & aquam intercutem incidat*: cui ipsius asserto historia fidem adstruit: quod vero *l. c. §. 22. 23.* dictitat, *perire alias alio tempore, pro corporis & affectionis ratione, verùm unam & vicesimam diem non excedere;* adversus hoc Historia suggereret instantiam; nisi *§. 24.* subdidisset; hoc ἐπὶ τὸ πλεῖον ita evenire. Cautum in ponendis propositionibus universalibus prognosticis admiremur Senem.

II. *Idem*

II. *Idem l.c. cap. 86. in hydrope uteri* (*§. 27. & ſeqq.*) iſtum in finem *commendat congreſſum cum viro*; quo tamen miſera noſtra excidit.

III. *Hydropem & Anaſarcam differre* conſtat: *Aretæus 2. d. diut. Sign. 1. & uteri hydropem ab ejus anaſarca diſtinguit*; in hac noſtra labiorum pudendi erat anaſarca, ipſius vero uteri hydrops. De labrorum pudendi tumore *conf. Bogdani Obſ. 10. ad Cultrum Anatomicum Lyſeri.*

IV. An ex hiſtoria colligi poteſt, *ſanguinem menſtruum in corpus ipſum uteri exſudare*, magis quam in collum aut vaginam? quâ de re prolixiùs *ad Soranum.*

V. Ex *Veteribus* plures videntur fuiſſe perſuaſi, *uterum*, ac ſi *animal in animali* eſſet, varie eſſe mobilem, ut qui modo ad ſumma contenderet, modo ad ima rurſus dilaberetur; *Aretæus*, qui Hippocratem æmulando Galeno palmam reddit dubiam, *lib. 2. d. cauſ. & ſign. acut. morb. c. 11.* prolixus. Confer. *Hipp. 1. d. morb. mulier. c. 16. & 17.* Quæ Veterum Sententia fixas in vulgi rudioris animis radices egit, cum ad fauces usque uterum gradibus conſcendere ſtrenuè adſerant. Verum explodenda quidem eſt illa Vulgi opinio, quâ perſuadent in corporibus promiſcuè, ſanis etiam, uterum de ſubitò ad ſublimia eniti; neque enim ligamenta illud admittunt, quæ non temerè quis dixerit iſtâ longitudine extendi; neque corpus uteri illud conceſſerit, quod collo & vaginæ connexum, certum cum his membrum conſtituat. *Quomodo* autem *Uterus ad ſumma emergere queat* Hiſtoria edocet; non derepente, quis enim paucis momentis corpus uteri in tam amplam tunicam expanſam dicet? quis tot lacinias fungis citius pronatas ſubitò ſtatuet; morâ opus fuit, ut ad iſtam aſcendens amplitudinem tandem vertice feriret diaphragma.

VI. Inde etiam patet *ſtrangulationis & ſuffocationis periculum*; Diaphragma enim mole Uteri ſurſum adactum pulmonibus grave incubuit, ut libere novi aëris ſolatia captare nequiverint.

VII. *Ca-*

VII. *Canalis Colli coalitio* à ſanguinis colluvie ex obſtructione eſt deducenda: iſta absque dubio, lateribus utrinque incumbens, laxum & ſpongioſum à partu canalem collabi fecerit.

VIII. *Amplitudo uteri* ad ſucceſſiva incrementa ſuppreſſorum humorum ſucceſſit.

IX. *Michael Scotus in lib. Phyſionomiæ ad FRIDERICUM Imperatorem c. 1. ſeptem cellulas matrici* aſſignat, *unde mulier poſſit ſeptem filios concipere & portare; ſed ſi in duas partes matricis diffundatur*, (ſemen) *duæ*, inquit, *fiunt creaturæ, vel amplius ſecundum diviſionem per loca matricis. Unde cum Matrix conſtet ex ſeptem cellulis ſive criſpaturis, ut patet in ventriculis ovium & porcarum &c. Mulier poteſt ſeptem filios concipere & portare. Cap. 7. & eſt notandum, quod ſi ſemen ſit multum, & intret in omnes cellulas matricis, & ibi debitò conſervetur, ſeptem filii generantur, & ſeptimus eſt Hermaphrodita, ſcilicet qui in medio generatur, & plus ſeptem non ſperet habere in uno partu. Conf. cap. 3.* A quibus non aliena *in Exercitat. d. origin. Anatom. c. 9. §. 3.* ex *Commentario novo & valdè magiſtrali in librum de Secretis Mulierum Alberti Magni creditum* adduximus, iſtum in finem, ut de *ſupinâ Scholaſticorum negligentiâ*, quomodo rem phyſicam peſſum dederit, conſtaret liquidò. Inveni tamen *Antiquiores iſtiusmodi Sententiarum Auctores*, e. g. *apud Galen. libri de Spermate*, atque *anatomiæ parvæ, ſeptem receptacula ſive cellulas matrici aſſignantes.* Item *Hiſtoriæ Philoſophicæ*, de geminis & trigeminis; *qui Stoicorum hanc mentem fuiſſe memorat, ut vulvis loculos attribuerint; unde cum in duos immiſſum fuit ſemen geminos, cum in tres trigeminos fœtus gigni.* Credo anſam errandi præbuiſſe *librum de nat. pueri Hippocratis cap. 44.* qui quomodo explicari poſſit, prolixitas huc adducere prohibet; ſaltem *Auctorem libri de anatomia vivorum*, rerum anatomicarum probè gnarum, *ridere iſtam rationem argumentandi*, quâ tot cellulæ utero humano aſſignantur, quot partus unâ vice edere poteſt, (ſummùm ſeptem; tot enim, *ſeptenos*, inquam, *uno utero gigni in Ægypto*, atteſtatur *Solinus*;) *unde quidam*, ait ille,

per simile dicebant decepti, in muliere esse quinque cellulas; quidam septem, quia tot fœtus simul possunt esse in matrice. H. 1.

X. *Uterum* tamen *bipartitum* pleriq; Veterum statuerunt, *Aristot. 1. de generat. Animal. 3. III. d. Hist. Animal. 1.* &c. idque adeo *duos* minimùm adsignarunt *sinus;* quam in rem *Galenus* nobis citatus *in Exercitatione de peritiâ Veterum Anatomicâ in genere cap. 2. §. 12.* cum quo facit *Avicenna fen. 12. Tract. 1. c. 1.* sanè *in humano duo recessus tubas versus*, uterum bipartitum reddiderint; & cum in hâc nostrâ tubas non fuit conspicere, conjectura suadet, has cum istis recessibus in duas memoratas cavitates concessisse, majori illius lateris existente cui adhæsit placenta proximo puerperio, minori vero oppositi, quam intergerinus paries successu temporis, increscente dilatatione recessuum versus tubas, quasi dissepsit. Aliam *historiam uteri bipartiti* habet *C. Bauhinus in Appendice ad Tractatum Fr. Rousseti de partu cæsareo*, ubi in quâdam puellâ uterus bipartitus, qualem canes habent, observatus traditur.

XI. *Hydropis uteri prima causa* in hâc, constrictio orificii aut colli uteri.

XII. *Laciniarum efformatio*, ruptis aliis vasis aut arrosis à serosâ colluvie; Aliis coalescentibus, à viscoso sanguinis glutine, quô & Polypi concrescunt; vel etiam extensio rugarum has suspenderit.

XIII. *Emortualia testium corpora*, non suppetente lymphâ, aut abundantiâ ultimi boni alimenti.

XIV. *Cotyledoniformes rugæ* an glandulis assignandæ, per quas lympha effusa? amplexus vasorum istas dederint? *Conf. Bogdani Obs. XI. ad L. C. A.*

XV. *Sordes visceribus incumbentes*, *Omenti & renalis pinguedinis defectus* sive ex contagio, sive ex defectu caloris aut generosi sanguinis.

XVI. *Tunicæ uterinæ incrassatio, ad peritonæum & adjacentes partes adhæsio*, ab impedito turbatove sanguinis circuitu, compressis variè vasis, aut exinanitis.

OBSER-

OBSERVATIO LXVIII.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Hydrope & Mola uteri afflictæ.

ANno 1680. Menſ. Decembr. Uxor aurigæ *tumido ventre, partem tactui renitente, partem cedente;* jam *ante puerperium*, à quo annus elapſus erat, *dextris Hypochondriis pondus* ſe ſenſiſſe, & licet à partu lochia probè ſucceſſiſſent, nihilominus fatale illud onus ipſam hactenus gravaſſe, querebatur anxiè. *Cætera ſana*, niſi quod *procidentia uteri* malo acceſſionem fecerat; *Ventriculus* optimè expetiit, benè concoxit, nullâ nauſeâ, ſaltem quod ab impletione, quaſi gravius premendo, dolor affligeret; *incedere* erecta potuit, longior autem via, delaſſando, & anhelitum difficilem reddendo, ſuffocandoque, ipſam ceu gravidam affecit; *menſes* interea ritè & largâ copiâ fluxerant, nullâ *urinæ* difficultate; accidit autem ut levi *lapſu* corrueret, tertio antequam vita defungeretur die, exin dolores intendi, qui cum angore & ſuffocatione perpetua animam emigrare coëgerunt.

Anatome monſtravit ***abdominis muſculos*** ſ. n. niſi quod extenſione uteri graciliores eſſent.

Rectè quoque ſe habebat ***pinguedo***.

Peritonæo diviſo liquor exiliit, non fœtidus, ſed nec turbulentus, limpidus dilutum ſanguinem referebat: cujus ubi magna pars effluxerat, ***tumens uterus*** adhuc dum omnem implebat cavitatem, compluribus ligamentis ad peritonæum & diaphragma revinctus.

In tunica uteri, ubi caſus ipſam alliſerat, *ſugillatio*, ſe prodidit, *diſrupto* è regione *peritonæo.*

Omnia *inteſtina & viſcera* in hâc quoque *uterus obvelarat*; ultra hepar itidem ſe extenderat, ut ut non ita fortiter ibi eſſet adſtrictus; *Hepar, Lien, Ventriculus, Renes*, cuncta minimè

ſqualebant, cum muco aut putrilagine non eſſent obducta; ſaltem *omentum aberat*, *renesq́; omni deſtituebantur pinguedine.*

Supremâ parte, quâ ventriculo & hepati incumbebat liberior uterus, *mola* dextrum latus occuparat.

Vagina uteri ſive vulva, inverſa *cum orificii parte* ex pudendi labiis dependens prominebat; verum attracto collo, præcidimus *uterum* cum mola, ulteriori demonſtrationi illum aſſervantes.

Atque ſequenti anno anatomicarum rerum Studioſis eundem expoſuimus *non uno*, *ſed gemino corpore; alterum minus*, quod cum collo uteri cohærebat, atque patulo ſatis foramine in hoc exibat, ovi anſerini magnitudine, ſexque digitos craſſum; *cujus ſitus minus erat naturalis*, quod non medium inter inteſtinum & veſicam, ſed ad alterum latus propenderet, declinante parte ſuperiori, fundo ſcilicet uteri, ſiniſtrorsùm: *Neque figura hujus erat ſ. n.* ſed detorta, cum piriformem natura intendiſſet, recedentibus quibusdam anfractibus ad aliam quamvis ſpeciem deerrabat.

Ubi orificio tubulum inſerui, diſtendi *corpus minus uteri*, in quantum craſſities permittebat; idem cum injectione experirer, aqua reſiliit; ſcilicet nec flatus, nec injectio viam inveniebat, quæ in *majus corpus uteri*, quo cum continenter connectebatur, contenderet.

Diſſecans *minorem uterum* ſecundum longitudinem versùs orificium, plurimorum *vaſorum* inſigniorum occurrebant veſtigia, liquore tamen in *hypogaſtrica* injecto, non in hunc uterum idem exonerabatur, ſed prætervectus ad ſuperiora aſcendebat,

Nempe ad *majus corpus*, *uteri majoris nomine* quod veniat, excurrebant, & per illud variis ramis ſe extendebant: quod ipſis inflatis non ſolum inſignes rami diſperſi comparerent, ſed & *ad molam progreſſus* pateret, unâ inſigniori, quæ digitum minorem amplitudine excipiebat, in diſſectis molecu-

culis,

culis, ex quibus fœta mola constabat, manifestos motus concitante; injectionibus idem reddebatur evidentissimum.

Fundum minoris uteri, cœcum, *& corpus majoris uteri*, *interstitium* quoddam distinguebat colli æmulum, quod veluti Isthmus hæc corpora committebat; constabat autem *ex ligamentis duobus* arctissimè compactis, *quorum in cornua* abinde *divisorum expansio majoris uteri efformarat corpus* : *rotunda partim* erant hæc *ligamenta* limbo scilicet externo, quo crasso utrinque corpus uteri majoris circumibant; *partim erant lata*, quod expansa tunicam quasi constituerent; hâcque ipsâ vasa illuc commeantia excipiebantur, æquè ac memorata vena capacissima; *ligamenta* vero *rotunda concisa* præter exilia & paucissima vasa nullum alium ductum ostendebant notabilem, per quem ad majoris uteri ventrem flatus aut liquor immitti potuisset.

Differebat autem *corpus uteri majoris ab illo minoris* non solum *alveo*, qui octavam partem tonnæ f. cadi capere potis erat; sed & *laciniis*, quibus *ab extra* peritonæo alligabatur, cum alterius superficies exterior prorsus lævis esset; Majoris tunica diaphragmatis *crassitiem* adæquabat, alicubi paulùm superabat, sed ut non accederet ad illam minoris. *Intus* majorem exasperabant plures hinc inde rugæ, vel segmenta pendulæ trium quatuorve digitorum transversorum, plus minus, latitudine; suspensis quoque hinc illic filamentis vagis; minori verò nulla intus asperitas, cum mucus, qualis intestinorum ipsum obleverat;

Mola in majori utero non prorsus continebatur, licet primo obtutu tota ab illo contegi videretur, sed summo agglutinata quasi fundo, ex illo Hepar & ventriculum prospiciebant; quâ parte, tanquam *propriâ tunicâ* lævi erat involuta, & libera jacebat, nullo vinculo visceribus alligata; Rimantique accuratius, exstante lineâ notabili in confinio uteri majoris, *totius Molæ singularis tunica* cognita, quæ tamen ligamentorum uteri majoris membranis innexa concreverat, partem-

queab eisdem cincta erat, quod laciniæ complures ex membranis recurrentibus constantes, hunc locum hiatibus quasi & antris sive cellulis plusculis dividerent.

Eadem *molæ propria tunica non uniusmodi* aderat, *alterâ*, quæ extra uteri ligamenta eminebat, crassiori & continuâ, *alterâ* verò, quæ utero majori obvelabatur, tenuiori & multis segmentis scissâ aut disjunctâ, cum singulariter innumeris quasi valvulis tenuissimis semicirculari, quales in venis passim, aut aliâ figurâ ludentibus, præcincta esset, prospectantibus ex eisdem vario vultu moleculis.

Neq; enim una erat quæ videbatur mola, alia corpuscula globosa, quæ jure *moleculas* dixeris, *fœtam* catervatim conficiebant, quemadmodum acinorum globulos uvæ corpus exstruere contuemur: *sexcentas* ejusmodi fuisset numerare, quæ tamen arctè adeo connexæ texturâ subtilissimarum tunicarum sibi mutuò adhærebant, ut impossibile esset unam ab alia liberare integram citra dilacerationem tunicarum.

Non uniusmodi erant Moleculæ, (1.) *magnitudo variabat*, aliis ovum columbinum accedentibus, aliis superantibus, aliis minoribus, aliis minimis. (2.) *Variabant & contenta; ratione coloris quidem*, quod aliis is flavus, aliis niger, aliis dilutus aqueus &c. *ratione consistentiæ*, quod aliæ & quidem pleræque illarum viscosum & lentum ad modum albuminis, aliæ inspissatum leviuscule, aliæ limpidum & liquidum prorsus funderent, cum quædam incisæ ruptâ velut vesiculâ cum impetu aquam ejacularentur: *Ratione Corporum;* cum aliæ solo humore, aliæ aliis moleculis præterea essent prægnantes, ultra centum in quadam deprehendimus minimorum pisorum magnitudine. (3.) *Variabat deniq; figura*, cum aliæ globosæ essent rotunditatis, aliæ ovalis &c. (4.) *Variabant & prætensæ valvulæ*, cum aliis plures, aliis pauciores, aliis nullæ essent oppositæ.

Viscositas materiæ indomita erat, nec coctioni cedens, cum aquæ quasdam injecissemus fervidæ; eadem prohibebat omnia accu-

accuratius lustrare, quibus ductibus liquores ad moleculas proximè abirent, quæ origenes valvularum, &c.

Æquabat *mola fœta* corpore suo cucurbitam minorem, peponem grandiorem superabat, ponderis insignis.

Ad Uterum minorem non procul à fundi extremo, *ab altero latere testis* insignis, figurâ renis oblongi, vel dactyli fructûs majoris, duos articulos digiti longus, foris albus, intus unas atque alteras fovens vesiculas aquosas, cæteroquin membraneæ & fermè ligamentosæ naturæ, nisi quod in medio carneam offenderemus particulam, quæ dissecta, ad modum contractæ crumenæ, crispatum flavum ostendebat corpus, quale glandulosum in vaccarum testibus: *huic ex altero latere respondebat testis*, qui vix cerasum minus magnitudine æquabat, quem nuda carnis sive glandulæ portiuncula dabat, nullis stipatum ligamentosis corporibus.

In *tubas Fallopianas* inquisivi solicitò, sed frustrà; ligamentosæ enim substantiæ intersita pinguedo omnia obduxerat, nullo in conspectum ductu prodeunte pervio. Circa testem minorem quidem observabatur, quod tubam adumbraret, sed ut ad illam non pateret via; *ligamento lato* etiam ad hunc testem quodamtenus conspicuo, non item *rotundo*.

Usus ex anatome hydrope & molâ uteri afflictæ.

I. *Hippocrates 1. de morb. mulier. c. 85. §. 1. Si aqua intercus in uteris nascatur, menses pauciores & pravi fiunt, & ante tempus deficiunt:* hoc effatum minus universale reddet instantia suppeditata. An subintelligendum ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ? *Sequenti enim cap. 86. §. 1. Si hydrops*, inquit, *in uteris fiat, menses pauciores fiunt, ac deteriores, & per longius tempus, & pauciores quam oportet, aut paulo plures.* H. I. ex quo patet, quod non semper necesse sit pauciores fieri menses, aut prorsus deficere, cum idem malum etiam suboriri queat, mensibus justo largioribus existentibus. *Conf. c. 87. §. 16. & §. 24.*

II. *Mu-*

II. *Musculorum gracilitas* ex tacita per elationem uteri distensione.

III. *Sanguis in hydropico utero aquosus Hippocrati l. c. observatus c. 86. §. 7. c. 87. §. 16. & 18.* Scilicet uteris tunc & sanguine & aquâ manantibus *juxta c. 86. §. 11.*

IV. Quomodo *casus aut illisiones prægnantibus* sint *fatales* ex hoc exemplo conjectura sumi potest.

V. *Posse uteri hydropem contingere salvis reliquis* partibus & visceribus.

VI. *Omenti deficientis causa* puto hæc erit, quod elatus uterus diuturnâ morâ fecerit alia atque alia vasa cum suis fibris coalescere; siquidem abundantiâ ultimi alimenti ab impensis in uterum exhaustâ, pinguedo omenti primum evanuit, hinc membranulæ disperiêre, vasaque majora collapsa in ligamenta degenerarunt, quæ contagium uteri suo tempore sibi associavit vincula, his quibus à peritonæo undique suspenderetur. *An per acidum & alcali* hæc rectius exponantur dubito.

VII. *Pinguedo renum consumpta* ex ratione colliquationis deducenda; nimirum humidus calor, qui hic obtinuit, optimè fundere novit pinguia.

VIII. *Molæ tunica lævis*, & visceribus minimè connexa, *arguit ipsam jam diu peculiare corpus formasse*, quod uteri genuini ligamentis à partu laxatis implicitum, *Spurii uteri majoris generationi* dedit *originem*.

IX. *De procidentia uteri dissertationem Anatomico-Practicam edidit Exc. v. d. Becke* in hac *rectè negat semper conjunctam vaginæ uteri & intestini recti procidentiam*, neque enim in hac nostra ullus intestini recti observatus prolapsus.

X. Nostra quoque Historia adstruit *non semper integrum corpus uteri prolabi, prolabente vaginâ;* ac si minimè hæc possit procidere, nisi uterus procidat, ipsamque quasi vi quadam secum ad pudenda trahat: cum in hac uterus prorsus non prociderit, vagina autem tantum non toto corpore; atque hæc orificium uteri protraxerat, ut protuberaret, cum collum in pelvi

pelvi abdominis memorabili crassitie, sibi constaret, nisi quod interiora ossis pubis subintrarat, ut vi opus esset, quî orificium cum hoc ipso attraheretur.

XI. *Causa* autem *procidentiæ uteri quoad orificium*, uti *Aretæus* distinguit, hæc mihi videtur, quod, cum pondus majoris uteri, genuinum uterum ex situ disturbarit, exinde membranæ, quibus cervix uteri intestino recto & vesicæ annectitur laxatæ; atque cum ex sua natura collum cum orificio deorsim moveri queat, attestante Obstetricum Experientiâ, quæ illum in finem his, quas explorant, contentionem Spiritûs imperant, quô ipsô orificium aliquantum protruditur, ut facilius attingatur, in hac nostra facile contigit ut in sinum pudoris provolveretur. Sed & *vulvæ tunica*, quâ cum Sphinctere intestino connectitur, & reliqua ejus substantia, quam raram laxamque *de Graaf* comprobavit, istius vitii contagio corrupta, non difficulter se totam invertendam præbuit. Verum de Procidentia Uteri plura *Commentario in Sorani Fragmentum de Matrice & Pudendo Muliebri* selegimus.

XII. *Gemini uteri specie talis historiæ rarissimæ; Sennertus* quidem *lib. 4. pract. part. 1. sect. 2. c. 9.* spem illarum facit, rubrum ponendo *de utero duplici;* verum nigrum non respondet rubro: quod enim apud *Julium obsequentem c. 113.* occurrit: *Mulierem duplici naturâ inventam fuisse*, de sinu pudoris præcisè intelligendum, id enim apud Latinos Natura. Uti *apud Eundem cap. 111. puera biceps geminâ fœmineâ naturâ* it. *c. 113. Puer natus dicitur sine foramine naturæ, quâ humor emittitur*, *cui c. 100.* opponitur *posterior natura. Conf. Schefferi Notæ in c. 85. & 111.* talem duplicem naturam sibi observatam in muliere Hafniensi *Barthol. L. 1. Anat. reformat. c. 30.* & *Borellus Cent. 2. Observ. 83. Puellam visam duas vulvas habentem, unam alteri subjectam*, refert. Præterquam quod obscurè positum de Utero *duplici*, hoc enim de bipartito intelligi potest, cujus exemplum *ex Bauhino* adduximus. Conf. *Bartholin. lib. 1. Anat. reformat. c. 29.* concinnius exemplum gemini ute-

ri *Cl. Sachs Ephem. Germ. Ann. I. Observat. CX. ex Fabro Lynceo* adduxit, cui respondet *historica relatio uteri gemini ad Ann. XII. laudatarum Ephemeridum.*

XIII. *Originem spurii uteri* tetigimus *n. VIII.* verum quod tubæ Fallopianæ non deprehensæ, illùc forte quispiam propenderet, his magis deberi ejus natales; speciem enim ligamentorum rotundorum quod præbuit, fuisse tubarum angustiores partes, quibus uteri fundo inseruntur.

XIV. Illi sanè *monstrosi uteri cum mola* talis succederet *generatio:* nimirum casu quocunque plura simul ova ex testium altero prolapsa tubam non potuisse ingredi; hæc itaque orificium dum obstruunt, alio atque alio affluxu, tubam in istam molem excrevisse: Scilicet cum altera tuba prorsus defecerit, alterius obscuro relicto indicio, colloque inter majorem & minorem uterum ad unam partem magis inclinante, tubam à latere fundi ascendisse arguet; *ab ovis verò molæ natales*, quod hæc foeta nil nisi oviformia exhibuerit corpora, quàm quod laciniæ uteri majoris argumento esse videantur, foliaceum ornamentum tubæ, susceptâ congerie ovorum, illo ipso in ejusmodi membranas degenerasse: Tubæ sane idem adscribet, quod lævis molæ propria tunica.

XV. Ista itaque *verosimillima* æstimabantur *iis, qui generationem viviparorum ex ovo arcessunt*, avulsa à testibus ova causam fuisse obstructionis tubæ, (quocunque errore illud contigerit, incertum relinquendum) conferentibusque in tubam vasis laticem, impedito sanguinis circuitu aut disturbato, *inde hydropem tubæ, inde molæ varia incrementa. Conf. Ephemer. Germ. Ann. XI. Observ. CLXXXIII.* ubi itidem ex tuba ceu radice saccus prodiit hydropem causans: *cum Scholion. XIX.* item in *Graafium de mulier. organ. c. 14. Auctores Bibliothec. Anatomic.* de aqua in dextra uteri virginei tuba, & quidem solummodo in ejus parte juxta testiculum, nec non in ligamento lato; quæ eadem historia *Ephem. Germ. Anni XII. Observationis XCV. Scholio ab Exc. D. de Muralto inserta. Tulpii quoq; L. 4. Med. Obs. 44. conf.*

XVI. Utut

XVI. Utut *non* ſit prorſus *abſurdum, ligamenta ipſa* quoq; *in uteri ſimilem cavitatem extendi potuiſſe*, cum ligamenta vaſis pervia conſtet, & *de Graaf* cum aliis Anatomicis illa in rotundis etiam demonſtret; *Spigelio* quoque *de Fabrica human. corpor. L. VIII. cap. 20.* eadem plena ſemine in quadam fœmina, memorante; Et juxta *Ariſtot. 1. de generat. Animal. c. 7.* cum uteri nihil aliud ſint quam extremitates vaſorum multorum, patet, *quomodo naturæ facile fuerit ex ligamentis utriculum conficere.* Quin *Galenus L. de uteri diſſect. c. 6. Ligamenta in uterum inſerta ipſum corpus uteri texentia & perplicantia* aſſerit, *quorum pars non exigua ſint nervi à ſpinali medulla orientes:* quod ſi ſ. n. ligamenta norunt texere corpus uteri, natura quoque illis abuti poteſt ad contexendum alveum monſtroſum.

XVII. *Ova* quoque, *quibus mola fœta fuit, cuncta extra teſtes* videntur *generata;* aut deſignentur quæ intra teſtes? quæ extra? cum impoſſibile ſit omnia intra teſtes generata, imprimis illa vel centum aliis prægnantia?

XVIII. Memorabile, quod non obſtante inverſione vulvæ, ſive ſinûs pudoris, menſes rite fluxerint, an exinde *Graafio* accedet pondus, ſtatuenti *c. 9. de mulier. organ. per uterum & cervicem, non item per vaginam mulieres purgari ſ. n. ſive ut plurimum?*

XIX. Rectè Exc. *Peierus in Scholio ad Obſervat. CXIV. Ann. XI. Ephemer. Germ. quod plerumq; molam concipientes menſtrua deficiant:* non ſemper, noſtra probat Hiſtoria.

XX. *Ex fluxu menſium de perfecta uteri ſanitate invalidum argumentum*, cum hydrope & mola laborarit juſtâ menſium purgatione.

XXI. Sed *quî* factum, *cum inſigniora vaſa uterum genuinum præterveherentur tamen menſes fluxerint;* an ex *Graafio l. c. cap. 8.* Cum *arteriæ uteri aliæ à ſpermaticis, aliæ ab hypogaſtricis oriundæ, his* ûtero ſpurio cedentibus, *illæ* genuino ſalvæ relictæ?

XXII. *Cum ligamenta uterus major maximam partem interverterit*, præſertim quod in altero latere non compareret la-

tum, vespertilionum alis comparatum (modo rectè ligamenti nomine veniat, quæ liberrima est peritonæi expansio juxta *Exc. Kerckringii Observat. Anatom. 20.*) conjectura vult *insigniorem testem ex membranis illis fuisse fermè compactum ac coagmentatum*; adeo ligamentosæ & membranaceæ erat naturæ, ut vix ad Parenchyma nativum referri possent omnia.

XXIII. Ratione molæ hæc Historia *Arist. 10. H. A. 7.* illustrabit.

XXIV. Plerisque literarum monumentis *diversas molarum facies* consignantibus, *vix huic per omnia similis* deprehendetur, neque enim ex illis, quas præclarè de re Medica meritus *Sachsius ad Ann. I. Ephem. Observat. I. in Scholio* recenset, ulla huic nostræ quadrat; ast quæ *Ann. II. Observat. LXXXIV.* mola aliquot ovorum vitellos repræsentans memoratur, aliquantum ad hanc accedit; propius quam Schemate etiam illustravit & graphicè exposuit *Exc. Peierus in hist. anatom. de tumore abdominis hydropico cum tuberibus in utero.* Plures autem parallelas *ex Auctoribus Tractatui de viviparor. generat. ex ovo*, inseremus, peculiari de molis vesicularibus loco.

XXV. *Disparitatem contentorum in moleculis ex acido & alkali* explicare nescio, *ex ratione coctionis, & ex ratione materiæ*, novi: Illustrari res potest ex sero sanguini innatante, quod si udo aëri, aut sibi relinquitur, fluidum persistet; si vero igni admoveatur exhalante aqueo *in viscosam gelatinam* concedet, *pro gradu caloris*, magis, minus indurandam; *pro puritate* & impuritate, alio atque alio colore induendam; quamvis hunc etiam caloris vehementia inducere novit. Perplacet *Exc. Peieri in Exercitat. Anatom.* effatum: *Fermentorum doctrinam interdum luxuriare:* quidni & acidorum? cum ex his illa fermentorum propulluler luxuries.

OBSER-

OBSERVATIO LXIX.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Infantis cui abscessus congenitus.

PUellulam quadrimestrem Ann. 1680. Mens. Octobr. *lienteria* extinxerat, matris lacte nec probo nec copioso. *In lucem editæ spina vertebrarum lumbarium tumorem*, qui ovum gallinaceum magnitudine adæquabat, sanguine turgidum ex purpureo nigricante carbunculi specie ostenderat; atque cum vires constarent, rupturamque minitaretur protuberantia, leni incisione Chirurgus Apostema aperuerat, emissoque quod sanguinis diluti continebat, mundificantibus adhibitis, bonam partem carne jam adimpleverat.

Exempta tunica Apostematis crassa erat, illamque multæ carneæ fibræ subnascentes undique: cum adjacentibus partibus connectebant. Insignem cavitatem ovalem, quæ processus vertebrarum dirimebat, reliquerat, nuda comparente medulla spinali, nisi quod innumeris vasis à carneis rudimentis, quæ tunicam Apostematis undique investierant, quodammodo esset obsita.

Cutis atque macies erat, ut corpus nec longitudinem, nec latitudinem pristinam servasse conspiceretur.

Intestina flatu distenta, ac si in publicæ demonstrationis usum præparata fuissent, omnia *jejuna* cum nulli quicquam chyli inesset; omnia lactei coloris; *cæcum* ultra digitum longum pennam crassum; *recto* à nativitate prolapso.

Hepar pallidum.

Uterus latâ formâ & magnitudine exprimebat lupinum. *In testiculis* apparebant vesiculæ aquosæ.

Vesica utero decuplo major erat.

Usus ex Anatome Infantis cui Abscessus congenitus.

I. *Defectus caloris nativi causa cruditatis*, à cruditate vero lienteria & intestinorum inflatio; nimirum quod alimentum novum paucum sanguinis expensis, quæ ab Apostemate consumptæ, non suffecit restaurandis; non restaurato sanguine, calor imminui; imminuto calore male viscera suis fungi officiis; nec excipiendo novum, nec defecando ultimum alimentum, nec evacuando fæculentum; hæc quæ circuitu generosi sanguinis, vasis s.n. dispositis, peraguntur; sanguine impuro & frigido fermenti in modum turbari partes, materiam, quî per omnia minima commeet, calore minùs subigente: tandem ob pertinaciam materiæ ipse calor in flatus resolutus cogitur exitum quærere, unde aliarum obstructio, aliarum inflatio; contingit vero talem materiam esse acidam, amaram, insipidam &c. non uno modo, unde magis minusvè nativo calori resistit; cum verò technicis uti liceat, ad evitandas verborum ambages, audiat cruditas.

II. An *à succi nervosi exhausto penu atrophia? in Exercit. de sanguine alimento ultimo* parùm novi istud placitum attulisse ostendimus, illis sanè qui bifrontes Jani & in vetustatem & in posteritatem prospicere valent.

III. *Spina in Embryis & tenellis cartilagine solum coalescens* facile patet injuriis abscessuum, quemadmodum *Cl. Tulpius* sexies sibi visum ejusmodi tumorem memorat *L. 3. Observ. Medic. 30.* neque poterant concinniùs, vel verbis, vel coloribus exprimi, quam quidem ab eodem præstitum, quæ nostra conspicienda dedit puella. *Conf. Observ. 29.*

IV. *Idem l. c. lethalem, incisionem istiusmodi tumorem* notat: non semper, adest instantia.

V. Quod *in Apostematibus carne implendis natura suo munere fungatur* ex ratione circuitûs sanguinis; In Oeconomiam Nutritionis;

VI. Quod-

VI. Quodque *mundificantia pravum cursum sanguinis tantum corrigant*, vias alienas obstruendo, quo ipso tumorum receptacula, nullo commeatu humorum, emarcescunt, atq; exarescunt, ut à novâ domesticâ carne protrudi commode queant; hæc *Exc. D. Muys in Prax. Chirurgica Rational.* feliciter, si quis ullus alius, declaravit.

VII. *Intestini prolapsum non jungi cum prolapsu uteri semper.*

VIII. *Hepatis colorem à sanguine.*

IX. Dicite Pontifices *in testibus puparum quid facit ovum?*

OBSERVATIO LXX.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Infantis Scirrho viscerum defuncti.

MIsellus, à quo in lucem editus, multis vociferationibus & ejulationibus *urinam*, eamque *paucam, excrevisse* observatus, facie livore suffusâ, potissimum labia, eâdemque fœditate digitorum apicibus infectis, ut intra matrem labem contractam scias.

Septimestrem ubi incidimus Ann. 1682. *Vesica nullum arenularum aut calculi indicium obtulit*, aliquot urinæ guttæ, dum stilo urethram exploramus, exstillarunt.

Renes respicientes, *sinistrum* tactu asperum sentimus, qui in volucris denudatus, bubulum referens, promittebat calculum, sed in dissecto nil nisi *durities* memorabilis; erat enim adeò compactæ substantiæ, ut tantum non ad cartilagineam proximè accederet, rigidioribus mediis partibus ad pelvim usque: *Renis dextri durities minus notabilis.*

In *ureteribus* nihil monstrosi.

Lien solito durior, figuræ inusitatæ, lobulos & fissa hinc inde recessibus quibusdam repræsentans, dissectus *scirrhum* aperuit,

aperuit, sparsis per totum albicantibus punctis, grandinum instar duriusculis.

Major Scirrhi sensus in Pancreate, meras grandinosas quasi glandulas tangentibus offerente.

Hepar ab omni vitio immune, nisi quod *bilis* folliculum proprium, & quædam adjacentium partium, tinxerat, quæ tamen colorem, consistentiam s. n. se habebat.

Cæteroquin *puellus optimæ compagis* adipe, carne, torosus, candidus, visceribus reliquis integerrimis, *ne lacte quidem in ventriculo coagulato.*

Cum altero à quo mortuus erat die incideretur *ex pericardio* humor limpidus exiit, ultra cochlearis mensuram.

Usus ex Anatome Infantis Scirrho viscerum defuncti.

I. *Scirrhum renum esse posse*, ne quis cavilletur, sciat *Eustachium in Tract. de renibus c. 45. de his, quæ in cadaveribus eorum, qui aliquâ renum affectione laborarunt, animadvertenda sunt*, inter illa & duritiem annotasse; *se plane ignorare* scribens, *num in apoplecticorum cadaveribus constipati ad summum & prorsus omni concavitate destituti reperiantur:* certe hunc puellum sæpius malum, ab apoplexiâ non abhorrens, post tot ejulationes & vociferationes, velut exanimem reddidit.

II. *Cujus Scirrhi potior ratio an lienis, an pancreatis, an renum?* videtur *magis lienis*, quod mater prægnationis tempore in varias easque vehementissimas animi perturbationes inciderat, contigit absque dubio ut circuitus sanguinis ante omnia in liene fuerit impeditus, cum ex istis commotionibus Chylus crassior in Embryi nutrimentum cesserit, quod vena portæ à liene commode excipere nequivit; *inde figura insolita.*

III. *Pancreatis idem malum ex eodem fonte* derivandum; cum & in hoc viscositas circuitum morata fuerit.

IV. Exinde *acrimonia bilis*, quæ folliculum & adjacentia tingendo se prodidit; sanguine ob viscera ista obstructa, minus

nus

nus lymphâ temperato. Quam rem *Exc. Brunneri Diſſert. de Lymphæ & Pancreatis uſu* illuſtrabit.

V. Inde quoque *canaliculorum, ſerum in renibus transmittentium, obſtipatio* arceſſenda; Quamvis de Lymphæ circuitu nondum expeditum ſit negotium.

VI. *Renes bubulis ſimiles in Homine* jam *Ariſtoteli notati 1. H. A. 17.*

VII. Licet *Bellinus in Exercit. Anatom. de Struct. & uſu renum contra Highmorum* contendat *falſum omnino eſſe; duplicem dari renum ſubſtantiam; quarum externa fibroſa non ſit, interna fibras habeat; eſſe enim unam renis ſubſtantiam à pelvi usque ad extimam ſuperficiem, continuam, & undequaque fibroſam:* ſuſtinuerit tamen quis *contra Bellinum externam non æque eſſe fibroſam* ac intimam; & *inde adeò vitia canaliculorum*, per quos ſerum in pelvim deſtillat, *in internâ magis parte eſſe conſpicua*, non æque in externâ; quæ res peculiari opus habet, diſſertatione.

VIII. *An ad acidum referendus Scirrhus ſive Lienis ſive Pancreatis ſive Renum?* an vero *obſtat lac non coagulatum* in ventriculo repertum?

IX. *Spigelius de Human. Corpor. Fabric. L. IX. c. 5.* notat, *quod pericardii aqua in mortuis ſemper copioſior ſit, præſertim ſi diutius à morte aperiantur.* An etiam in hoc noſtro ætati debetur copia?

X. *Idem loc. cit. obſervat, eos qui ex obſtructionibus Viſcerum, Lienis, Jecoris & Meſenterii, ſi quando nimio animi affectu, & potiſſimum mœrore afficiantur, cordis palpitatione corripi, quod in his ad cor illico effundatur copia aquoſi humoris in venis coacervati.* Ergo lympha pericardii morbo quoque adſcribenda, tantâ copiâ?

OBSERVATIO LXXI.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Calculo Vesicæ enectæ.

EOdem Anno Mense Novembr. honesta Matrona defuncta: hæc ante aliquot lustra, *lapides vesicæ quatuor insignes, quos delineatos damus* Figur. XIX. *sponte suâ excluserat;* quem dono datum possideo ℥iij. ℈j est pondere, basin quasi habens, ad latera compressus aliquantum acuminatus assurgit ad triquetram figuram alludens. Jam tum temporis *de tumore ad sinum pudoris conquesta*, inciso eodem à Chirurgo, nullum doloris senserat levamen, sanguine solum effuso. *Ex mortua* vero *calculus* eductus trium unciarum pondere; Figur. XX. verum *locus unde exemptus* admirationem peperit maximam, fecerat enim ut vesica ad perinæi sinistram partem protrusa tumorem ementiretur, *crassâ* hic locorum *vesicâ* pennam anserinam, sanguineque undique suffusâ, capacitatis quæ calculo responderet. Spatium autem, ad perinæum, & intestinum rectum pondus lapidis & vis dolorum urgens ita attriverat, ut cutis minimè suâ facie occurreret, cum excoriatam carnem, aut tenuissimam cicatriculam rubentem referret.

Cæterum *lapis vesicam immerserat in tantum*, ut primùm intuentibus deesse credita fuerit: Insertâ verò in abdomen manu vesicæ collum apprehendens, alterâque prolapsam partem intrudens, integrum vesicæ corpus in conspectum produxi facile; illud memorabile, quod stilo ex aperto vesicæ tumore, qui calculum fuerat complexus, non daretur pervenire ad partem aliam quæ â calculo immunis intus sub osse pubis latitans peculiarem veluti vesicam finxerat.

Hæc autem *vesicæ procidentia intestinum rectum quoq; prolabi fecerat.* Sed & *labia pudendi* extensione cutis disperierant, & *nymphæ* quasi sanguinolentæ nudæ comparebant, *Clitoridis*

exiguo

exiguo relicto vestigio; qualem naturam muliebrem *in puella*, quam *multimammiam* meritò dixisses, mammosis protuberantiis carneis undique per corpus sparsis, *Londini in Anglia Ann. 1679.* spectaculo exhibitam, unà cum *Exc. D. Pickero Aleppi in Syria & D. Rurock Tilsitæ in Prussia Physicis* contuiti sumus, labiis sinûs virginalis destitutam, relicto foramine exiguo rubicundâ carne circumcincto.

Urinam quidem nostra *dum vixit guttatim emisit*, cum cruciatu horribili, atque simul stercus ejicere præter voluntatem coacta est.

Usus ex Anatome Calculo Vesicæ enectæ.

I. Quod *fœmininus sexus facilius per urethram excernat calculos* cum Cl. *Tulpius L. III. Observ. Medic. 7.* calculum ℥iij. sponte à viragine octuaginaria excretum referat.

II. *Idem observatione 2. l. c. Vesicæ à calculo consumptæ historiam* recenset: *Alium Vesicæ defectum* memorante *Exc. Binningero Cent. II. Obs. Med. 34.*

III. *Hippocrates Epidem. l. 5. c. 11. §. 15. Historia, qua famulæ Dyseridis in Larissa ex uteri orificio, calculus exemptus refertur* digna quæ expendatur, non quod negem calculos in utero generari posse, cum *Foësius in l. c.* illud aliis confirmet historiis, suffragante experientiâ; sed quod quomodocunque altera ab altera lucem fœnerari queat.

IV. *Cruciatûs causâ* partium distractarum & excoriatarum convulsio, summo mictionis nisu.

V. Ut *hernias distensio peritonæi & cutis* conficiat.

VI. *Quod etiam Fœminæ herniis* sint *obnoxiæ* conf. *Graafius de mulier. Organ. c. 10.*

VII. *Intestini recti prolapsus* ob laxationem communium membranarum *non prolabente utero.*

Fig. XIX. & XX. p. 84

OBSERVATIO LXXII.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Anatome Aſcitici.

Annorum erat circiter LII. habitior, quadratæ Staturæ, Spiritu vini generoſiſſimo per vitam delectatus; cum alii ipſum pulmonis ulcere, aut hecticâ, laborare credidiſſent, quòd tuſſiculâ per intervalla infeſtaretur, ut tamen reſpiraret liberè; inter cætera *de obſtructione alvi & urinæ ſtillicidio* conqueſtus; cum per XIV. Septimanas decubuiſſet, biduò antequam moreretur me acciri juſſit; aſt ex maximo ventriculi tumore, qui tactui cederet, Aſciten demonſtravi, nullâ ſpe ſalutis reliquâ.

Inciſo abdomine nullam Anaſarcam ſive intercutem deprehendi *pinguedine muſculorum ſalvâ.*

Peritonæo autem *pertuſo aqua* quibus inteſtina innatabant, prorumpebat, pura, niſi quod ſubflaveſceret parumper, ex tinctura ſanguinis, minimè fœtida; guſtantibus Diſcipulis *ſubſalſi fuit ſaporis.*

Pinguedo omenti ſcirrhoſa, grandinibus majoribus quaſi coalita, laciniofis extremis marginibus, velut disrupti fuiſſent præ tumore. *Ipſum omenti corpus* curtum, penſabat craſſitie brevitatem.

Grandinoſa quoque *& fiſſa* erat *pinguedo* quâ *Meſenterium* luxuriabat, in tantùm ut omnes glandulas obtegeret.

Neque *renum adeps* ab hoc vitio erat intactus. Quem inſuper aquæ alluvio inquinârat.

Ventriculus & *inteſtina* aquâ repleta, pellucida erant. *Cæcum* Spithamæ longitudine f. n. intra os ileum dextri lateris; *Colo & recto* compluribus inſignibus lobis adipoſis paſſim adhærentibus.

Renes ipſi juſto duriores, Scirrhi ſuſpicionem injiciebant.

Veſica

Vesica prorsus inanis, membranas collapsas exhibebat, non nisi ex situ dignoscendi.

Pancreatis insolita species, laceratis limbis propendulis, triquetrâ figurâ erat tuberosum, totumque in Scirrhum obriguerat.

Hepatis varius color sparso pallore *Scirrhum* illico prodebat, qui *in tantum* omnia sua fecerat, *ut rubri coloris in sanguineo viscere vix superesset vestigium*, vel ad extremas oras vis mali se extenderat, unde adeò versus diaphragma se receperat, ac si magno cum conatu à quoquam sursum fuisset attractum, illi grave arctè incumbens.

Vesica fellis suo liquore turgida, ovum gallinaceum magna, non tinxerat viciniam Hepatis aut intestinorum; aperta effundebat liquidam satis & flavam bilem; digito vero inserto, inquisiturus in calculum, versus cysticum ductum, in multa granula grossiuscula incidi, quorum aliquot centena erat eximere, aterrimi exteriorem superficiem coloris, solidiuscula, non nisi difficulter conterenda, contrita ostendebant qua essent origine nata, flavedine digitorum apices inficiente: hærebant illo quo cysticus exit loco, istum ductum obturantia, ut bilis non haberet commeatum liberum.

Lien parvus, Rhomboides, nullo Scirrhi indicio, colore solito ex livido purpurascente, quatuor ferme digitorum transversorum longitudine & latitudine, crassitie ne quidem unius.

Ex *pericardio* nulla effluxit aqua *cordis* utroque *ventriculo* sanguinem dilutum, tantùm non aqueum fundente, situ f. n. versus sinistrum, latitudine palmæ.

Pulmones lividi, intercurrente sanguine, minus elati, flaccescebant.

Usus ex Anatome Ascitici.

I. *Tussiculæ causa* ab onere hepatis, diaphragmati imposito, arcessenda;

II. *Obstructio alvi* à defectu bilis:

III. *Urinæ stillicidium* à defectu seri, quod in cavitatem abdominis exsudarat.

IV. *Ascitæ causa* lymphæ error, quod sanguini non commista à pinguedine Mesenterii, renum, omenti secessionem fecerat, pancreate & hepate minus suo officio fungentibus.

V. *An vitio originem præbuit nimius Cremati*, uti Poloni vocant, *usus?* hunc male consultum in hydrope *Cl. Tulpius l. 2. observ. 35.* annotat, cum exempla habeat, quibus vina malvatica, alliata &c. accelerarint necem.

VI. *Lympha* sanè *viscerum memoratorum vasa* exsiccatione nimiâ occlusa, *ingredi prohibita*, in suis vasis exundante copiâ, distensis ruptisvè hinc inde fibris, *in lacinias laceras dehiscere omenti & Pancreatis oras sive limbos fecit.*

VII. *Omentum non, ut naturaliter solet, super intestina se expandens, sed ventriculum versus contractum corrugatumq́, quin & satis densum, & multâ pinguedine intertextum, unà cum Mesenterii universi durá atq́ densâ pinguedine Exc. Merclinus* deprehendit in quâdam ex abscessu hepatis mortuâ. *vid. Ephem. Germ. Ann. XI. Observ. 88.*

VIII. Nostra tamen historia *Exc. Volckameri* sententiam, *veram hydropis originem omento sæpius assignandam*, comprobat.

IX. *Hepatis obstructio venis portæ* primò *debebitur*, quod à frequentiori usu generosi potûs nimium incalescens sanguis turbidus & fæculentus, tam poros biliarios, quam ramos venæ cavæ obsederit, accedente ab æstu siccitate: parili conditione *eadem omento & Pancreati intulerunt vitium.*

X. *Calculi generati ex bile*, quæ lymphâ spoliata in folliculo subsistere coacta. *Ann. III. Ephem. Germ. Observ. 206.* nonaginta lapides, pisorum magnitudine, exemptos ex cysti Icterici refert.]

XI. *Cur Lien salvus* partim ex illo petendum, quod ramis sive arteriam, sive venam portæ, spectes, gaudeat amplioribus, unde liberè commeare potuit fæculentus sanguis, præsertim

cum

cum arteriosus insigni celeritate pollens, hoc viscus ingredi & ex eodem egredi valuerit, quod hic noster cætera sanus abundarit alimento generoso, teste per omnes partes pinguedine, idemque arguente diætâ, quâ per vitam delectatus est.

XII. *Pericardium aqua destitutum* perturbato lymphæ circuitu.

OBSERVATIO LXXIII.
D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,
Anatome Pueri calculo vesicæ enecti.

SCitulus *à nativitate usq; cum calculo vesicæ conflictatus*, Parentibus aliud quidvis suspicantibus, cruciatibus summis, anno 1684. ex æstuante sanguine catarrhoque pectus opplente, quinquennis occubuit.

Vesica non solum peritonæo desuper ad lineam albam, sed undiquaque intestinis adstricta, ultra os pubis protrusa, ex altera parte carnosior erat, superiori magis membraneâ.

Calculus obtuso extremo urethræ acutiori fundo oppositus, vesicam arcte impleverat, ponderis ℥iij. ℈ß.

Interior vesicæ tunica munda prorsus, nil squammosi aut calculosi continebat.

Renes nullo Scirrhi, nullo calculi vitio corrupti; integris quoque cæteris partibus.

Usus ex anatome Pueri calculo vesicæ enecti.

I. *Calculos nobiscum nasci*, vel intra matrem.

II. *Calculos intra vesicam sumere primordia.*

III. *Accessio nova, calculum* subinde augeri facit.

IV. *Calculum vesica arctè circumdatum* memorat & *Tulpius L. III. Observ. 6.* cujus tamen pejus affecta erant interanea.

V. Huic arctæ comprehensioni *stillicidium urinæ* in calculosis aliquando adscribendum.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIV.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Anatome puerperæ partûs difficultati succumbentis.

HOnesta Matrona, *sive natura fuerit in culpa*, (cum alia quoque puerperia ipsi minus feliciter cesserunt) *sive erroris obstetricantium*, ægerrimè parturiens ann. 1683. M. April. supremum obierat diem. Huic *aquâ profusâ sub initium quies concessa*, quin mensæ adsideret permissum; horrore autem febrili perculsa, ubi cubile repetiit, exinde nullæ induciæ datæ parturienti, ipsaque doloris vi urgente se aliquoties in caput erigere, eâque circumvolutione situm Embryi corrigere tentavit: Pridie circa sextam matutinam sciscitanti, in vivis fœtum uno ore omnes affirmârunt, quin manus protensæ motum etiamnum perceptum referebant; quibus tamen minimè habens fidem obstetricibus cunctantibus, & quævis alia molientibus, imperavi ut majori curâ adverterent, quò sumpto de mortuo indicio, maturè de aliis deliberare liceret, dum isto tempus consumitur, vires prostratæ, intempestivè ad parturiendum toties impulsæ, rejectoque à ventriculo per crebros vomitus sanguineo diluto; cum ramentis nigricantibus, impatientiâ ægræ & adstantium fœtûs excisionem non ferente, imperitiâque obstetricum situm conciliare nesciâ, postridie modicum sanguinis paulò ante effundentibus genitalibus, decimâ vespertinâ piam DEO reddidit animam.

Abdomine elato *patefacto uterum ad diaphragma usq; ascendisse* conspeximus.

Musculi abdominis extensi & dilatati, solito graciliores.

Uterus ex candido rubescens, vesicæ inflatæ instar minus crassâ tunicâ vasa sua obtulit; undique liber, nullibi peritonæo adnexus.

Testiculi

Testiculi parvi, paucis iisque minimis ovis præditi.

Ligamentum prope peritonæum lacerum & sanguinolentum.

Inciso utero fœtidus exhalavit *odor*; *Crassities* vix ad pennam anserinam accedebat, nisi ubi *Placentæ* erat sedes, in inferiori scilicet dextri lateris parte, cui & umbilicalia erant affixa.

Placenta κατὰ φύσιν facillima separatu, integra eximebatur, neque ullum succedebat sanguinis profluvium, neque vasorum uterinorum oscilla cotyledoniformia protuberabant.

Situm Embryi p. n. ex figura XXI. est addiscere, illo, qui *in Ephem. Germ. Ann. I. Observ. XLIX.* ab *Exc. Illmero* traditus, longe pejorem.

Nullum Chorii aut Amnii vestigium, nisi quod dextram Embryi, ex genitalibus matris exsertam cruenta circa carpum investiret tunica.

Os pubis nullo modo divulsum aut tenerius redditum, quin nec vi suo loco moveri poterat; *os coccygis* verò cedens, molliusque contrectantibus patuit.

Ventriculum incidens diluto sanguineo, & ramentis memoratis totum plenum contuitus sum; & ad *vasa brevia* reflectens oculos, ultra modum turgida hæc inveni, *Liene* vasto, & pluribus fissis in renis speciem efformato, quæ cum non liceret injectionibus explorare per momenta temporis, *jejunum* dividens eodem cruento liquore *intestina* stagnare adverto.

Hepar salvum & integrum, nullo venæ cavæ aut portæ inflicto vulnere, utut *abdominis pelvis* diluto maderet sanguine.

Fœtus masculus totus *putredine* erat confectus, *cuticula* abscesserat, alibi disrupta, alibi in vesicas elata; ipsa *cutis* sugillata, alicubi quasi exesa aut erosa; *labia cum gingiva* consumpta, nudis *mandibularum ossibus*; *linguæ* vix indicium, & quod stilo dabatur attingere, instar muci diffluebat; *nasi alæ* ad radicem usque corrosæ, *oculis* quoque illâ peste correptis; *testes* turgidos reddiderat putredo, *monstroso* pariter *abdominis & capitis tumore.*

Usus ex Anatome Puerperæ partûs difficultati succumbentis.

I. *Poteritne fœtus intra 40. horas in tantùm putredine corrumpi?* *Helmontio* quidem vero videbitur simillimum, cum *Tr. Asthma & Tussis n. 48. in Anatomicos visceris putredinem mortis causam substernentes, quasi visceris*, inquit, *putredo multis ante mensibus praexstitisset, quæ in externis gangræna, paucis diebus interimit. Nidus quidem unde mors advenit sensim quidem ad interitum disponitur; ab instanti autem morte propinquo putrere incipit, (citiusq; quam alioqui cadavera) putret: quia tepore fovetur.* H. J. Et *Salmuth. Cent. I. Observ. Med. 16. Brachium fœtûs, quod pridie ejus diei exeruerat & retraxerat, corruptum fuisse & fætens, infante extra ruptum uterum supra intestina reperto.* Verum totum corpus invasisse, & ad ossa usque penetrasse vim putredinis intra istud spatium, nescio an solidis rerum probari queat documentis, inprimis cum Chorii & Amnii tunicas ista tabes perdiderat.

II. *Ad facilitandum partum jam Hippocrati* in usu fuit *concussio: qualis? ex L. de mulier. morbis Sect. 93. §. 8. & seqq.* (in quem *Cordæus Comment. VI.*) & *ex 5. Epidem. Sect. 36. §. 6.* colligendum, licet difficillime; placet *modus quo Exc. Binningerus* ad corrigendum situm feliciter usus; *vid. Cent. III. Observ. Med. 81.* & *Cent. V. Observ. 79.* verum is qui à nostra adhibitus ridiculus, obfuit magis quam profuit.

III. Frustra *Ranchinus de morb. ante partum, in partu, & post partum, de causis difficilis & laboriosi partûs ex parte matris* monet, novaculâ incidendum ventrem, illæsis intestinis: cum uterus elatus illa procul arceat.

IV. *Sanguis in cavitate abdominis ex ruptura peritonæi & ligamenti;* sive concussio matris, sive infantis nisus istam fuerint causata.

V. *Ventriculus citra dubium ex brevibus, & intestina ex aliis venis portæ accepto sanguine stagnarunt*, cum facilis per injectiones ex vena portæ ad ventriculum & intestina pateat via.

VI. San-

VI. Sanguine ad alias partes p. n. abeunte, utero eodem destituto, *sicca* adhæsit *placenta*.

VII. *Ossa pubis non discedere à se invicem in partu*; ideo in difficili ad os coccygis obstetricibus magis attendendum.

Fig. XXI.

OBSERVATIO LXXV.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Anatome Matronæ febre confectæ.

SUccubuerat hæc *febri continua*, symptomatibus gravissimis; *quâ in tertianam degenerante*, *fecit error* diætæ, & medicastrorum multitudo, *ut in quotidianam commigrarit*: Hæc tandem remediis cessit, ut tamen *recidivam* incurreret; sed & recidivâ sopitâ, post unius atque alterius hebdomadis intervallum, de calculo renum, quem æstus comitaretur, conquesta, *calculi renum argumenta* suggessit; fixum ad vertebras lumbares, in sinistro potissimum latere, dolorem; vasorum versus pubem protensionem urgentem; micturiendi conatum; quodque jam olim laborârit calculo; (cum à partu quodam, sive Chorion s. Amnion, tunicam calculosâ congerie prorsus incrustatam ediderat:) ex urina tamen nullum calculi indicium, nisi quod tenuis per aliquot tempus exierat. In dies autem accessionem mali fieri ubi sensit, dolorum contagio omnes artus invadente, referebat *à pubis regione subitâ inflammatione*, veluti fulgure, *interanea corripi*, ad ventriculum advolante incendio, à quo per totum corpus æstus diffunderetur intolerabilis. Cum doloris vehementia, à quibus non, medicamenta conquireret, diuretica, lithontriptica, opiata, hysterica, præcipitantia, alcalia, fixa, volatilia, oleosa, cordialia, frustra fuerunt omnia: neque ex ol. amygd. dulcium ferocia doloris mitigata, nec ex topicis, nec ex clysteribus quicquam fuit anodynum. Hinc aliis scorbutica, aliis hectica, hysterica

aliis, aliis nephritica audiit: ſanguine interea naribus ſtillante, atque ore rejecto, cum per quatuor menſes & ultra non paſſa fuiſſet muliebre profluvium, cujus alioquin abundantiâ laboraverat plethorica, ſalientia circa ſinum pudoris vaſa, ſuaſerunt venarum in pedibus ſectionem. Verum nec hâc multum vis mali fracta, cum ocyus recrudeſceret; ab obſtetricibus inſpecta, ſi qua inflammatione muliebris natura correpta, verum nullum ſignum his fuit obvium. Antequam fato fungeretur, aliquot diebus arenulas rubras & albas cum ſquamulis nigricantibus urina manifeſtabat, & matutino diei, quo defuncta, ex naribus maſſa ſanguinis, quæ inſtar tunicæ tenuioris expandi poterat, excreta.

Luſtranti *abdomen pinguedinis & muſculorum habitus* laudabilis occurrebat.

Inteſtinis plerisq; omnibus flatu turgeſcentibus inanibus; *coli pars ſiniſtra* memorabilis, quod inſtar inflati utriculi angulari figurâ incurvati, novum mentiens ventrem, ex ſua ſede progreſſa, mole reclinata omento incumberet. *Ventriculum* non licebat diſſecare.

Omentum curtum & denſum, pinguedine tamen ſuâ ſibi conſtans.

Hepatis & Lienis ſitus, magnitudo, color, conſiſtentia ſ. n. videbantur omnia.

Veſicula tamen *fellis* peregrini quippiam atro colore portendebat, prementique *calculus* obnitebatur incluſus; ex inciſâ bilis atra & viſcoſa evolvebatur; Calculi pondus ℥ij ℈j. ſuperficie nigrâ, intus materiem prodente flavedine, ſpeciem & magnitudinem rectius docet Figura XXII.

Renes perſcrutans, illos faſcia & pinguedine ſ. n. involutos deprehendi, *ſitu dextri* aliquantum elatiori: *ſiniſtro nulli lapilli, dextro inerant complures*, varii coloris, albi, ſubfuſci &c. variæ conſiſtentiæ, aliquot ſiliceæ duritiei, qui ferri reſpuebant aciem; variæ magnitudinis, majores piſum excedebant: hærebant autem in ſic dictarum caruncularum lacunis vel receſſibus

Fig: 21.



Situs Embryi p.n Matre Par his Difficultati succumbente

Fig: 22. p 172.





Fig: 23. p. 181.



B ithus renalis ramosus.

Fig: 24. p. 2·0.



Fig: 25



bus anfractuosis, omnes pelvi incumbentes. *Per ureteres* stilum ad vesicam adegimus, sed nullus in his lapillus; nec *in vesicâ* ad os pubis contractâ quicquam lotii aut arenæ.

Uterum exinde lustrans ejus *tubam* coloris lividi conspicio; *testis dextri* majori specie, prominente ex eodem *globoso corpore*, magnitudine cerasi, carneâ facie, quod musculi in modum per membranam ruberet; verum ex dissecto fœtidum pus, minus fluidum, instar amurcæ fuscum; *hôcq; major pars testiculi computruerat; sinistro longè minori, & incorrupto*, præter alias, una insignis *vesicula aquosa* pisum maximum superans, quæ secta puram lympham ejaculabatur. Cæteroquin *corpus uteri situm & magnitudinem* rectè erat compositum, apertumque nec muci, nec sanguinis quicquam dedit, *foraminibus, quibus tubæ inseruntur ad latera fundi* manifestò dehiscentibus. Ast *orificium* rigidum hiabat, nullâ exstante orâ, aut prominente, ut catheter patentem viam inoffensus ingrederetur; *colli* insolita durities, cum alicubi cartilagineam, tantum non osseam, induisset naturam, albicante prorsus substantiâ, qualis arteriæ aortæ ubi est crassissima; neque quod aliàs fieri solet, vasorum ductus ullibi in dissectis partibus conspicui, omnes scilicet obliterati fibrarum rigore.

Thoracem angustia temporis, & quæ ejusmodi anatomas ex voto perficere non sinunt, scrutari prohibuit.

Usus ex Anatome Matronæ febre confectæ.

I. *Diuturnas febres* ex multiplici errore diætæ, & promiscuâ farragine medicamentorum, sæpius in tumores degenerare constat: In hac nostra an quoque *Apostematis in testiculo* similis fuit *causa?* cum ab agyrtâ spiritu frumenti corpus lavari curaverit.

II. Præsertim Mensium & seminis profluvio in plethorico corpore tanto intervallo suppresso; neque tempore reconvalescentiæ liberum exitum inveniénte. Novi Matronam ab æquè gravi, & diuturnâ febre reconvalescentem, quæ mensi-

bus non amplius purgabatur licet provectæ minus esset ætatis, largâ mictione, seminis profluvio comite, spem duraturæ sanitatis fecisse.

III. *Hippocrates 1. de morb. mulier. cap. 61. §. 6.* inter alia *ulcerum in uteris signa* ponit, quod velut spinæ (ἀκάνθια) per uteros transire videantur: de tali dolore & nostra est conquesta.

IV. Ex abscessu enim testiculi & *dolorem* in his partibus, & *inflammationem tubæ*, atque *subsultationem vasorum circa sinum pudoris*, arcessenda puto.

V. *Cervicis durities* itidem à contagio inflammationis testiculi, præsertim suppresso cursu sanguinis menstrui.

VI. *Quæ* autem *ratio æstûs instar fulguris à regione uteri ad ventriculum provolantis, hincq; totum corpus invadentis?* puto inflammationem testiculi æstuante sanguine affecisse vasa emulgentia renis dextri oblæsi; sed & vasa hepatis inde, à vesiculâ fellis inflammationi suppari malo, efflagrasse; quorum vicinia ventriculum læsit, ferociente unà coli flatulentiâ. Quin sola doloris vehementia quàm latè per universum corpus incendium spargere possit, notum est, cum nervorum plenus facile in spasmorum consensum concitentur.

VII. *Dolorem Hepatis ex calculo cystis felleæ* unà cum *Observ. 66. Ann. I. Ephem. Germ.* nostra illustrabit Historia.

VIII. *Quomodo in testiculo Apostema generatum*, certis rationibus demonstrari nequit; divinandum tamen utique cum *Exc. D. Muys* acrem quendam humorem dilacerasse vasa, atque suo fermento corrupisse proximas partes.

IX. *Malè aliquando ventriculum accusari, cum colon sit in culpa sæpius;* equidem hæc *Cardialgiâ* se affligi toties clamitans, quodque ventriculi ista esset elatio à qua abdomen attolleretur: Sed quod obstructionibus laboraret, quodque quale quale solatium à Clysteribus proveniret, hæc satis arguebant cujus foret culpa.

X. *Do-*

X. *Doloris Hypochondriaci causam in sinistro latere rectius adsignari parti coli*, quæ ampliori cavitate hoc loco angulari figurâ curvata, & hinc inde constricta renem sinistrum fere contingit, *quàm Lieni* itidem nostra innuit historia.

XI. *Lapidis in cysti generationem* ex istis originibus deduco: Febricitans assueverat potui tenui acidulo, (Schemper) eique frigido, nec æstus quidem tempore ab isto sibi temperans: credo itaque fervidum ventriculum derepente frigefactum fervidiori hepatis parti simæ, atque immediatè folliculo fellis, istud frigus impressisse; quô ipsô turbida bilis viscositatem indepta lateribus folliculi adhæsit, atque subinde à sedimentis incrementum nacta, tandem crusta intestinæ tunicæ, sive pondere suo, sive conatu affluentis novæ bilis, avulsa, motuque qualicunque folliculi conglobata in oblongum lapidem ad figuram ipsius folliculi est conformata: Neque enim ulli sali istiusmodi debetur figura; atque si aliquando *Historiæ, quas morbosorum corporum belluinorum suppeditarunt Anatomæ* B. C. D. aspexerint lucem, conformem generationem calculi in folliculo fellis illustriori exemplo sumus demonstraturi.

XII. *Sophisticam esse grandem definire certam aliquam internarum partium affectam morbi causam, ubi tota sanguinis Oeconomia est perturbata*; uti enim actiones dantur, quæ non sunt unæ, sed ex pluribus ordine sibi invicem succenturiatis compositæ, Græcis ἐφεξῆς, ita etiam passiones erunt, quarum una ex alia dependet, quæque junctim morbi vim & nomen sustinent. Vanitatem sanè illorum, qui veluti ex oraculo delphico renuntiant, hujus, illius partis esse vitium, nunquam satis ridendam propinant, toties detecta ex anatomis *prognosticorum* talium *ludibria*.

XIII. Cum *in putrido testiculo nulla* fuerit *aquosa vesicula*, contra quàm in sano; an causam hujus dicamus; quod ad vesicularem substantiam testium muliebrium nihil seminis elaborati ex alia substantia fuerit transmissum, conflagrante sanguinis flore ex inflammatione testiculi? Fig. XXII.

OBSER-

OBSERVATIO LXXVI.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI, Anatome Monſtroſi crediti Fœtûs.

ANno 1686. Menſe Martio in quodam ſuburbiorum Regiomontanorum (Lacke) uxor mercenarii, *ter geminas ſorores* enixa, ſuſpenſis ex una eademque placenta tribus funiculis, priores *duas vivaces*, contractis pedibus non prorſus *Agrippinum in modum ex dextro latere* aquâ effusâ prodiiſſe retulit, *tertiam mortuam* pariter *complicatam*, facilius tamen ob corporis exilitatem *ex ſiniſtro latere natibus exitum inveniſſe*, *citra aquæ profluvium*, *citra tunicas*: hæcque erat quæ obſtetricantibus mulierculis *monſtri ingeneravit opinionem*, quâ in vulgus dimanante, fama mobilitate vigens, viresque eundo acquirens, Parentibus pauperculis, Pontificiæ religioni addictis, lucellum, ut ut minus invidendum, conflavit. *Mater* interrogata, an gravis gravidam percuſſiſſet caſus, *ſe lapſam* quidem reſpondit, *ut tamen nihil exinde mali* perceperit, *neq; frigus abdominis aut febriles horrores* ferentem utero affeciſſe, *ſaltem quod ventriculus* quandoque moleſtus fuerit, quem valentem aliæ prægnationes præſtiterant; neque ſibi in mentem veniſſe tres utero geſtari fœtus, cum *ſolito minus* hocce geſtationis tempore *abdomen* fuerit *elatum*.

Cæterum attentè omnia perluſtranti monſtroſa viſa minimè, quamvis *vulgo Satyri cujuscunq;* (qualis apud *Tulpium III. Obſerv. Med. 56.*) effigies ipſi affingeretur. *Diſtorſio & dislocatio oſſium cartilaginumve, cute lanugine molli obſitâ*, corpus reliquum deturparat. *Caput* verò non uno modo, accedente, putredine, *vitiarat compreſſio*, *aures* enim præter morem alatas reddiderat, patulas & diductas, quales ferme veſpertilionum; *Palpebras* quoque exſiccatas, in modum auricularum arrexerat, idque plebeculæ quatuor auribus præditum ferebatur monſtrum. At erectorum *pilorum in ſingulis ſuperciliis*

liis singuli globi, cornua rumori suppeditabant: *Ossibusq; mandibulæ inferioris intrò compulsis*, altero alteri imposito, rictum efformantibus belluinum, naribusque depressis, simiæ, felisve vultus fabulis traditus. Memorabilis *Calvities Cranii*, quam veluti aream corona capillorum cinxerat, majoris tonsuræ pontificiorum Clero usitatæ in speciem; *Oculi* aperti luridi.

Anatome autem *prorsus hunc fœtum monstri suspicione liberavit*, cum non solùm *epiphyses cartilagineæ* ab ossibus secesserant, sed & alienum locum transierant; *ipsis ossibus* sede sua deturbatis variè, alia aliis incumbebant, quædam decussatim, magis, minusvè. *Secundâ vertebrâ* salvâ, salvo & dente Hippocratis, *primæ* divulsæ cartilagineum vestigium supererat. *Area memorata* cute merâ constabat, *bregmatis ossibus* (quæ quibusdam parietalia) magnitudinem lapidis percarum modicè excedentibus, *illisq; occipitis* minimè designandis, cùm totius cranii intercapedo in fonticulum concesserat; *costæ* omnes, nisi quod dextri lateris *duodecima* apice solum dignoscenda, *oppositâ* os & cartilaginem ostendente; siquidem supremæ hujus lateris dorso incumbebant perversæ. *Omnes vertebræ* præter primam, etiam *illæ coccygis* distinctè erant conspiciendæ: quæ omnia *in illustrationem Osteogeniæ Sceleton* ante oculos ponet rectius; non possum tamen quin illud adjiciam, *dentium modulos ex superiore mandibulâ, utrinq;* octo, me eduxisse, excavatos, nigros, minimis apicem adæquantibus ægrè oculis usurpandum; alios tribus cuspidibus, alios uno saltem acutos, alios gibbo modice arcuatos; *in inferiori mandibulâ*, quod distorta esset non potui singulorum laterum dentes dinumerare. *Ossicula auditûs*, *& malleus* & *incus*, integra aderant & solida, præfixo longiori incudis pede *orbiculari*; *stapedis* basis divisâ & tenuissima.

Cute vero illâ Cranii vices sustinente, incisâ *nec grumus cerebri deprehensus*, *nullo meningis peculiaris* liberæ, aut *vasorum simulachro* reliquo. Concipere tamen erat adfuisse *meningem*, bregmatis ossiculis cuti mediâ crassiusculâ membranâ appensis, eâdemque alia quoque ossa obtegente. *Nudum* autem

Os ſphænoides conſpicientes indagavimus, ſi quid Parenchymatis cerebri, cerebellive, ad medullam conceſſiſſet; verum & hic ſpecum inanem offendimus, membranis quibusdam circumvallatam, cui *neque medullæ ſpinalis momentum* inerat, vel pennæ per vertebras trajectæ indicio. *Oculis* diſſectis nullus humor effluebat.

Abdomen patefactum Hepar primo obtutui ſubduxerat; aſt amurcâ quâdam oblitis Hypochondriis, in hâc venabamur hepatis vaſa, felici ſucceſſu, cum exempta tepidæ impoſita egregiè ſe in plumaceolorum tenuiſſima fila explicarent, conſpicuis truncis, à quibus iſtæ pronaſcebantur propagines; vix ulla ars iſta elegantia excarnificare potuiſſet hepatis minima. *Cætera abdominis cuncta aderant*, exſucca tamen, & flaccida. *Lien* propriæ tunicæ ſeceſſione; *Pancreas* parvitate; *Ventriculus* ſitu erecto, qualis piſcium; *inteſtina* inanitate erant notabilia; cœcum articuli longitudine, pennæ anatinæ craſſitie.

Renes magnitudine ad ovum columbinum aſſurgentes ventriculum ſuperabant; in his natura egerat Anatomicum, cum *faſcia* ſponte ſuâ, & ſeorſim *propria tunica* à parenchymate ſecederet; *Siniſter* detractâ propriâ tunicâ inſtar bubuli, ex multis glandulis compoſitus, comparebat, *intus caruncularum & pelvis* veſtigiis qualibuscunque: *ureteres* manifeſti & illæſi pennæ anatinæ minimæ craſſitie. *Arteriæ umbilicales veſicam* claudebant, *ex quâ* tamen *nullâ vi in urachum flatus* adigi poterat, utut per ureteres æquè ac per urethram periculum fieret.

Genitalia non tango, cum illorum Hiſtoria *Tract. de generation. viviparorum ex ovo* deſtinetur.

Uſus ex Anatome Monſtroſi crediti fœtus.

I. *Vulgus* credulum, quot non *portenta*, *monſtra*, *obtrudit!*

II. *An ſuperfœtatio locum habeat*, de lapſu edoctus ambigo; multa tamen illam ſuadent: *minori fœtu*, vix ſesquiſpithamam longo, compreſſionem, & à compreſſione reli ua

vitia,

vitia, obtigiſſe; quod duæ vivaces hanc in anguſtias compulerint, atque fortè ruptis à coarctatione tunicis, ſubtracto alimento, ſenſim, ſine ſenſu matris, emarcuiſſe fecerint.

III. *Lanugo cutis piloſa* à putredine; cujus rei inſignius documentum *in hiſtoriis ex corporum belluinorum morboſorum Anatomis.*

IV. Quod *in ſuperciliis pilorum erecti globi;* quod *in capite corona;* ſitus in cauſâ erat, aliis partibus, arctius compreſſis, exhalationi ſpatium negantibus, quod aliæ conceſſerunt liberum.

V. *Palpebræ arrectæ, auriculæ diductæ*, itidem compreſſionis culpâ, accedente rigore exſiccationis.

VI. *Cerebri*, viſceris omnium *molliſſimi, prima*, quia facillimâ, *putredo* & evaporatio, cum in Embryis ſit mucoſum.

VII. *Proximè à cerebro molliſſimum hepatis parenchyma.*

VIII. *An ex ipſorum abolitione argui poteſt, non benè glandulis asſignari cerebri & Hepatis contextum?* à partibus Veterum ſtante hiſtoria: Illis parenchymata, vaſis quaſi affuſos humores, concretos magis minusve fibrillis, ſtatuminantibus.

IX. *Quomodo Maraſmus inducatur* toti corpori, æquè ac viſceribus, deficiente nutritionis œconomiâ.

X. *Non poſſe ex ſitu differentiam ſexûs colligi*, qua de re corollarium tertium *Exercitat. de originibus anatomic.* plura congeſſit.

XI. *Renum in Embryis glanduloſa natura.*

OBSERVATIO LXXVII.

D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Anatome Aſcitici & Hernioſi.

VIr quinquaginta octo Annorum *diarrhœam* molimine naturæ paulò ante paſſus, ad comedendum petaſonem fumo induratum invitatus, illo comeſo, hauſtuque ſpiritûs vini ingeſto *recidivæ obnoxius*, quadraginta

vicibus unâ die dejecit, ex quo vires prosterni, aliis atque aliis ægritudinibus recrudescentibus, cum illo morbo conflictans, intervallo temporis elapso, *de oscheocele* Medicum consulens, factâ ventris inspiciendi copiâ, cujus ignarus erat *de ascite* certior est redditus, *Anasarcâ virgam* unà occupante.

Remediis utenti illicò *lividæ maculæ* prodière, primùm quidem pedes hâc peste invadente, dein ad femora se proripiente, tandem etiam manus & totum corpus defœdante. Usо cum Evphoria Syrupo de spina cervina, & succo iridis nostratis, correctis aquarum aromaticarum virtute, *hydrops penis evanuit; abdominis tumore quoq; aliquantùm subsidente;* non tamen medicamentorum vires vi morbi expugnandæ erant satis; cum per tres septimanas urinam ex atro fuscam reddiderat, stillantibus aliquando & naribus paucis guttis sanguineis, deficientibus concoctionis & somni suppetiis, paucis antequam defungeretur diebus tenaci pituitâ fauces aggravante, vomitu difficili noctu debilitatus, puri sanguinis copiâ, quæ scyphum impleret, illo quo obiit die, effusâ, placidè Anno 1686. M. April. animam exhalavit. Per morbi tempus *tussicula* ipsi minus fuit molesta.

Perforato *abdomine* plures aquæ cruentæ mensuræ, citra ullum fœtorem, effluxêre. *Ventriculo* & *intestinis* humore infarctis atque exuberantibus.

Omenti nulla pinguedo s. n. sed membrana luridis grandinosis granulis divulsa disruptaque; densa & curta; nisi ubi in sinistro latere *Oscheocelen* contexuerat: hîc enim processum peritonæi dilatatum cum vasis præparantibus ingrediens, tenui laciniâ porrectâ: cum Epididymide testis illius coaluerat firmiter; *testusq;* hâc laciniâ apprehensâ cum processu ex scroto extrahi poterat integer.

Glandulæ ad intestina aut Mesenterium scirrhosæ non observatæ memorabiles.

Hepar totum albicans, æquè in gibba ac sima parte, fissi portis quoque rigidis; non extenderat crepidinem ad sinistrum

Hypo-

Hypochondrium, nudo ventriculo: ad diaphragma resupinum, & contractum quodammodo, neutiquam tamen arctè huic adhærebat.

Vesicula fellis, ovi magnitudine, distenta, ex albo marmoreâ, densâ, tunicâ, incisâ puram *lympham* nulla flavedine tinctam, quin potius *lactescentem* magna copia effundebat; ex illa versus cysticum ductum digitum extendenti obvia *durities lapidea*, atque præciso ductu calculus incurvus cervicem arctè occludens asper, ægrè eductus integer, candidicans, gypseus, præter caput, quo rubebat. Vid. Fig. XXIII.

Pancreas durum.

Durus quoque *Lien*, punctis albicantibus in dissecto scirrhi initia prodentibus; cætera s. n. compositus.

Renum dexter tumidus & vastus, hepati presse adstrictus.

Usus ex Anatome Ascitici & Herniosi.

I. *Cruditas* quid possit, vel ex hoc addiscendum; neque enim aliunde quàm ex debilitate caloris nativi diarrhœa ultimo pronata.

II. Nimirum cum petasonis crudi particulæ diu tunicas *ventriculi* insederint, *calore non valente huic visceri impertire robur*, quî motu suo propelleret ingesta, ex haustis à priori diarrhœa viribus, *appetitus solidorum languere*, aut eadem illapsa in ventriculum muco à petasone residuo adhærere, *fluidis interea dilabentibus*, & avidè ab exinanitis lacteorum oscillis arreptis, eisdem quod patentes ubique viæ ocyssimè ad cor advectis, nullâque morâ interjectâ ad indigentes partes dimissis, contigit & fluida à corde ac pulmonibus in justum corpus nequaquam coqui, præprimis quod à præcedente diarrhœa sanguis residuus terrestri glutinoso, quod caloris est retinentius, bile egestâ maximam partem fuerat spoliatus, indeque dilutus evasit aqueus, nulloque calore generoso in cremorem conciliatus, nutrimentum partibus apponere neutiquam valuit, sed veluti aqua tepida celeriter vasa permeavit, his quoque quod-

cunque mucilaginis nativæ fibris inerat auferens, unde *reseratis oscillis diluvium* undarum abdominis cavitatem invadere.

III. Verum illud magis in quæstionem veniet, *quorum vasorum oscilla sint reserata*, an lymphaticorum tantùm, an verò & sanguineorum? & quorum, venosorum an arteriosorum? & si venosorum an magis portæ an cavæ? *lymphatica sola istas inundationes patrasse* mihi *minimè* sit *verosimile*: quî enim tantâ, virtutibus medicamentorum, aquæ mole ejectâ, in diætæ observantissimo & parcè liquidis utente, ventriculus & intestina à morte etiamnum repleta fuerint? lymphaticorumque erit à ventriculo & intestinis avehere, non item ad has partes advehere lympham.

IV. *Neq;* est quod oggeras *per glandulas exsudasse lympham in ventriculum & intestina*; illas enim autopsia in hoc Subjecto Nobis non stitit, licet & animum & oculos adverterimus; accedebat quod sanguinolento diluto colore sparsa essent intestina æquè ac ventriculus, ut non à lymphaticis sed à sanguineis vasis malum scias.

V. *Ex sanguineis autem arteriarum non erit hac culpa*, cum in illis ferè solis tantillum purpurei laticis resideret; *Cava quoq; soboli minus imputanda*, aliàs anasarca accessisset, quam tamen minime musculi musculorumque pinguedo, detegebant; reliquum itaque ut *Portæ propaginibus adscribenda illa omnis*, cum harum in his visceribus sit regnum.

VI. *Quomodo* verò *vitium intulerint* paucis innuam; quando Portæ vasis s. n. terrestrior & tenacior debetur sanguis, utpote à quo ministerio hepatis & pancreatis bilis & pituita separandæ, quo defecatio cavam ingressus cordis coctioni parere discat; contra morem, tepidum & dilutum valde, ab arteriis lienis, subinde his accipientibus, factum ut ipsarum compages madore dissolveretur, oscillaque exinde magis & magis hiarent, quæ à ramis propriis in ventriculum & intestina, & ab illis omenti in abdomen aquam loturæ carnium similem depluere fecerunt. Memini me illud quod malo naturæ con-

silio

filio in hoc evenisse edisserui, tepidæ aquæ adminiculo à vasis Portæ obtinuisse.

VII. Ex istis facile est intelligere *quomodo scirrhus totum hepar* induraverit, quomodo *omentum* grandinosum, & *Pancreas* rigidum reddiderit.

VIII. *Quomodo vesicula fellis bile privata*, ex eisdem itidem erit addiscere.

IX. Ast *quod humor*, quæ huic *folliculo* inerat, non loturam carnis, sed *serum fermè lactescens referret*, tunicâ quoq; non lineamentis sanguinolentis pictâ, sed multum albicantibus, illud lymphaticis deberi autumo, quæ, utut bilis, cui diluendæ ipsorum lympham natura dicaverat, nulla adesset, in folliculum tamen laticem convehendo, credito sibi munere probè fungi voluerunt; Idem confirmante cystici lapidis candidò corpore: quamvis diffusum magis commentarium requirat lymphæ ad vesiculam fellis commeatus.

X. *Oppletus & extentus folliculus fellis* cervice à calculo arctè obsessâ.

XI. *Incurvus calculus* cystis ad cholidochicum communem declivi cervice propensionem notat.

XII. *Oscheoepiplocelem Scroti ex omento Herniam* cur medicina nesciat aliquando nisi ferro tollere, hæc docet Historia; non minus eadem *sinistram epiplocelem frequentiorem* comprobat.

XIII. *Tussicula non gravis* fuit nostro, quod diaphragma & hepatis gibbum intercapedine justâ distarent.

XIV. *Maculæ per totum corpus sparsæ* ex debilitate caloris, circuitu sanguinis impedito, quô in cuticulæ aut cutis superficie suum munus absolvere non valens congelatus efflorescere corpus fecit.

XV. *Urina furva*, inquinatis jam venæ cavæ vasis, & vitiatis uretericis fibrillis; dicto modo.

XVI. *Stillæ narium sanguineæ*, ex paucitate sanguinis generosi.

XVII. *Pu-*

XVII. *Purus ex pulmonibus regurgitans* sanguis, ruptis vasis arteriosis.

XVIII. *Nullus fœtor ex dissecto cadavere*, id quod ad putredinis naturam explicandam faciens, militabit & contra Helmontium.

Fig. XXIII.

OBSERVATIO LXXVIII.

D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,

Menses in Puellâ sexenni.

UT varii lusus circa mensium fluxum occurrunt, & millena exempla ἰδιοσυγκρασίας; ita idem speciatim quoad tempus eorundem serius vel ocyus contingit. Anno M DC LXXXIV. consultus sum de puellâ nobili, quæ sextum saltim annum ingressa à tribus mensibus, menses experta erat, cœteroqui benè valens, sed tenerrimæ texturæ. Causa sine dubio extraordinariorum ejusmodi casuum quærenda est vel in ipsâ massâ sanguineâ, vel utero, ejusque poris & vasis. In tenerioribus facilius onerosus status sanguinis accidere potest, facilius ad porosas uteri partes decumbere, & ab elatere ejusdem expelli. Textura corporis & sanguinis symbolizat. Quando verò semel iterumque exoneratio facta est, natura ordinis & loci amans illuc amandat superfluum, ubi id convenientius invenit. Suasimus verò parentibus, ne temerè fluxum sisterent, vel motum naturæ, quousque εὐφόρως procederet, interturbarent: nec quicquam propinavimus, quàm Tincturam martis cum succo cydoniorum extractam, cujus usum in obstructionibus meseriterii, (unde non rarò menses ad uterum citatius redundant,) & productis inde aliis non semel experti sumus. Notavimus etiam menses in aliis IX. annorum.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIX.
D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,
Hæmorrhagia in Infante.

TEnacior quidem ſolet eſſe natura in effundendo theſauro vitali in Infantibus, præterquam à causâ violentâ externâ; Fit tamen ut idem obſervetur in praxi. Ann. M DC LXXXIV. Infans XV. hebdomadarum nobis offerebatur, qui ab integro menſe ſæpius hæmorrhagiam narium expertus erat. Curatus eſt pulvere ſtyptico, cum anodyno mixtus unâ alteraque doſi propinato. Matri autem indictum eſt, ut à vino, aromaticis & ſimilibus abſtineret.

OBSERVATIO LXXX.
Dn. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI,
Contumax Malæ tumor & excretum inde oſſiculum.

OBſervationem meretur caſus à *D. Gothofredo Henniken*, Practico Erpacenſi & Amico ſingulari haud ita pridem mihi per literas communicatus. Vix duæ elapſæ (inquit) ſeptimanæ, ex quo Virgo viginti circiter annorum curæ meæ eſt conceſſa, quæ menſes antehac parcos experta, nunc per aliquot ſeptimanas cum odontalgia eſt conflictata; illa verò ceſſante in tumorem inſignem elevabatur mala ſiniſtra, eumque durum admodum & cum doloribus capitis intenſiſſimis conjunctum. In uſum vocata erant, ut fit, domeſtica varia, cataplaſmata & alia, ſed ſine fructu. Appetitus intereà emoriebatur, vires vacillabant, lipothymiæ ſatis graves & vigiliæ urgebant. Adveniens Ego, jubeo fieri ex melle, croco, vitello ovi & farinâ ſecalinâ cataplaſma, inunctâ prius malâ cum axungiâ leporina (nam tumor jam duraræt tres hebdoma-

bdomadas) intus propino pulverem abſorbentem traumaticum & roborantem potiunculam, quibus Deo fortunante optatum effectum edentibus, demum poſt diſceſſum meum, & diebus, nî fallor, octo elapſis rumpitur tumor: Inde verò imponitur emplaſtrum ſatis bonum, non ita diu poſt oſſiculum quoque ſecedit poroſum. Circumferentia tumoris dura permanet. Nuper ad Nos huc perlata Virgo, meâ ulterius manu applico quædam balſamica & jubeo os eluere vinô calidô, cui myrrha incocta, ad fœtorem oris corrigendum & alium quoque ſcopum obtinendum. Timeo namque maxillæ cariem: Turundas verò deteſtor, utut profundè lateat pus, nec exſtillet, niſi intrusô in os digitô. Pridiè remiſit tumoris durities, ſanies prodit bona, vires conſtant, benè ingerit, digerit & egerit patiens, nullum ſymptoma adeſt, quod mereatur attentionem vel tantillam. Quæritur jam an ſecedere queat particula maxillæ, cui tamen caries non adſit vel in toto vel in parte? An ſanatio, cui nunc omnia egregiè ſe aptant, genuina ſit futura? Impertias quæſo Tuam ſententiam &c.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI, Menſtrua per ulcus tibiæ emiſſa.

UT varias ſæpe vias quærunt menſtrua alibi præpedita, ſic ex profundo pedis ulcere eadem prorumpere toti Medicorum Collegio quærebatur Batava quædam in Per-Celebri Noſocomio Lugdunenſi, conſilium expetens, cum diffluxâ nunc æſtate ſuperiori iteratis illud vicibus frequentare liceret.

SCHOLIUM.

IN ancilla, cui inſtante menſium periodo ſolitâ, ſponte ſua ulcus, quondam ex tumore pedum enatum, iterum tamen conſolidatum, disrumpebatur, ſanguinem ex eo copiosè fuiſſe

fuiſſe profuſum, idque ſæpius eodem modo contigiſſe, *Thom. Bartholinus cent. 1. hiſt. anat. 16.* teſtatur; menſes quoque ex maligno pedis ulcere evacuatos, & poſtea, abſciſſo eodem, legitimum curſum conſecutos, ex *Eſaiæ Meichsneri* relatione, ſcribit *Joh. Georg. Schenckius lib. 4. obſervat. Med.* Hiſce & ſuum Symbolum jungit *Joh. Rhodius cent. 3. hiſt. Med. 50. Joh. Bapt. Soncinum* mulierem noviſſe, memorans, cui menſes nunquam fluxerant, ſed imminente huic purgationi tempore conſueto, magnam ſanguinis copiam è dextra tibia erupiſſe, apertâ ulceris cruſtâ. Per talum in pede gravidæ hæmorrhagiam menſtruam etiam ſiſtit *Dec. I. Ephem. noſtr. Ann. I. Obſerv. 96.* atque ex abſceſſu diuturno in genu *Ann. IV. Obſerv. 75.* Sanguis quippe, judicio Exc. *Bartholini l. c.* qui propter vaſorum uterinorum obſtructionem, à conſueta via fuit excluſus, aliam elegit, eamque ob tumores & ulcera prægreſſa debiliſſimam.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI,

Ingens narium Polypus deglutitionem præpediens.

TRiſtius ibidem ſpectaculum exhibebat puer tantâ narium excreſcentiâ, quam polypum vocant, laborans, ut deglutitionem tantùm non penitus impediret. Alterutræ inſimul malæ tumor exulceratus aderat, tamque altas radices egerat malum in palati confiniis, ut ægrum prognoſtico potius relinquere, quàm immedicabili malo manum adhibendo operam & oleum perdere maluerit *Dn. Schachtius* Pract. Profeſſor, dictique Noſocomii Medicus Ordinarius.

SCHOLIUM.

DE ortu & generatione ejusmodi tumorum, dum quæritur, cauſa certè non minus ardua eſt, quàm curatio. Ver-

mes esse sensuum est fallacia, cum & iis generentur partibus, quæ ob balsamicam sui constitutionem putredinosam vermium sobolem non admittunt. Sanguinem pariter coagulatum huic negotio non suffenum esse probat nervulorum, fibrillarum & venularum intertextio. *D. Drelincurtius* narium polypum excrescentiam duræ matris esse haud insulsè asserit in *Colleg. Pract. MSS.* hinc curæ difficultas. Sic in aliis fortè partibus ex nutrimenti proprii abscessu, seu ut *Helmontius* loquitur, ploratione parili modô generari possent.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI, Polypus Cordis lapideus.

NOn minoris portenti res erat, quæ *Parisiis*, (cum Reverendiss. Dominus, *Monsi. l' Abbe de la Roque* pro sueto sibi favore liberum huc accessum indulgeret) in Illustri Eruditorum conventu, qui singulis Jovis diebus illic celebratur, se obtulit. Polypus erat cordis in lapidem mutatus, quem ut è cadavere virili pridie resecârat, Curiosissimo Domino Abbati obtulerat Chirurgus. Notabile verò est, quod patiens ille paulò ante obitum palpitatione sæpè cordis & iteratâ syncope detentus fuerit, idque quieto potius, quam fatigatô corpore, cum sub equitatione fortiorique exercitiô paulò melius habuerit, quia mediante succussione, insignis aortæ obstructio, in quam excrescentia hæc desinebat, ad tempus aperiebatur & sanguini exitum concedebat. Non dubito, quin recentissimi Diarii Medici Mensi III. (vulgò *Journal de Medecine*) plenior hujus rei historia inserta fuerit, qui sub abitu meo prelum expectabat.

P. S. Vix hæc expediveram & Amicorum meorum haud Postremus *Dn. Camerarius Med. Lic.* Tertiam Diarii Medici Parisiensis Continuationem per literas offert, ubi casus hic cum eleganti æthiologia fusè diductus est.

SCHO-

SCHOLIUM.

TRactatus hic *Journal de Medecine* ſuperiori anno 1686. ſua capiebat primordia & haud multo poſt in compendio *Reipublicæ Literariæ* (vulgò *La Republique des Lettres*) inſertus, cujus Authorem Roterodami experiri licuit. Cum enim plures ſint Medicorum Obſervationes, quàm ut *Ephemeridibus Gallicis* commodè inſeri poſſint, hinc Author illarum Dn. Abbas de la Roque conſultius fore judicavit, ſi easdem peculiari Diariô concrederet, cujus rei dudum quoque fecerat periculum, ob alia verò negotia rurſus interceptæ, donec tandem Medici quidam & Chirurgi juniores operi manum admoverent, qui ſingulis poſthac menſibus Obſervationes hasce proſecuturi ſunt. Titulus eſt;

JOURNAL de MEDECINE

ou

Obſervations des plus Fameux Medecins Chirurgiens & Anatomiſtes de l'Europe, tirées de journaux des Pays Etrangers & autres memoires particuliers.

à Paris.

SIcut verò plurima ex Aliorum Ephemeridibus (ut Titulus habet) collecta ſunt, ita ſperamus Scripti Authores abhinc (ſicubi juvenilis fortè calor deferbuerit) veritatem hiſtoricam non tam facilè & impunè dubiam facturos, nec plures *Ephemeridum Germanicarum* Obſervationes pro Chimæris habituros eſſe, ſicuti *Contin. II. Menſ. Maji Artic. VIII.* factum eſt, quod, ſi benè me novi, vel Ipſi Domino Abbati, libelli hujus Directori, plurimùm diſplicuerit, qui honorificentius multò me præſente de totô Acad. Nat. Curioſorum Collegio judicavit.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI, Admirandi Maniacorum Geſtus.

UT, contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ita nullibi major ſubit rationis & intellectus æſtimatio, quam in Maniacorum ergaſtulis, qui ratione ſuâ ſive privati ſive diſtracti non homines ſe, ſed bruta ſæpè fingunt. Triſte hujus rei ſpectaculum videtur *Londini* in Auguſtiſſimo & verè Regio Manodochio Anglicè *the Nievv Bedlam* dicto, in quo inter alios eſt, qui Galli cantum toto die æmulatur. Notatu verò dignum eſt, quod ex Oeconomorum atque Præfectorum relatione habeo, quòd tantùm non omnes aut ſuperbiâ aut amore detenti id ſibi mali contraxerint; unde & in Celeberrimo atque Principali Haſſiæ *Manodochio Haynenſi* vidi qui ſe Reges, Duces, Abbates &c. ſimularent.

[*Ex literis d.* 3. *Nov. ad Dn. D. Volckamerum datis.*]

OBSERVATIO LXXXV.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI, *De* Pathologia animata.

INcidi nuper in *Caput VIII. §. XI. Cynographiæ curioſæ* Excell. *D. D. Paullini*, Collegæ & Amici honoratiſſimi, quo acutiſſimi *Langii* mente, aſſerit, variolas & morbillos nihil aliud eſſe, quam animatam, ac innumerorum minutiſſimorumque, vel atomorum inſtar vermiculorum pullulaginem. Ad hanc hypotheſin confirmandam addo, quod mihi fide digna Matrona aliquando commemoravit, quomodo ſcil. hominis febre purpura defuncti vultum ſtanneo vaſe obtegerint, hoc cum removerent, eidem innumeri vermiculi adhæſerant.

Qui

Qui vermiculi antea erant exhalantes fuligines, sed frigore stannei vasis addensati sunt in vermicularem formam. Talis vermiculorum curiosa progenies in variolis, morbillis & petechiis in sanguine insuperabilis putredinis testimonium perhibent. Conf. *P. Ath. Kircheri Scrutin. Pest.* & §. *XV.* prælaudati *nostri Arionis.* Hanc pathologiam animatam diligentius excolendam esse arbitramur. Et si expendimus contextum carnis, qui ut est filamentalis, quot itaque filamenta hunc contextum absolvunt, totidem vermiculos ex carne generari, nobis persuasissimum est, sicque exiguum frustum carnis aliquot legiones vermiculorum ex se gignit. Curiosissima & ingeniosissima meditatio est, quam & hic celeb. Autor de Jobo verminoso *Cap. X.* habet, & recte Jobum pathologiæ verminosæ compendium appellat, quo in puncto celeberrimi Viri Sententiam amplector. Redivivi Jobi imaginem habemus in ægro, quem *Cap. LXXVII. cent. II. pag. 177. Poterius* describit.

OBSERVATIO LXXXVI.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Arenulis cum sanguine exeuntibus.

QUædam generosissima Matrona ex Perillustri & antiquissimo stemmate de Ranzovv mihi retulit, quomodo ex ejus vena secta cum sanguine simul arena, qualem cum lotio excernere solebat, fuerit extracta, inque pelvim defluxerit. Ex hac historia concludo, elementa calculi omnium primo generari in ventriculo, & inde sanguini communicari &c. sicque salvari potest opinio *Fernelii* de foco generationis calculi, quam opinionem ut olim defendimus, sicque nunc magis pro ea pugnamus.

[Kiliâ 1686. d. 6. Nov. Noribergam miss.]

SCHO-

SCHOLIUM.

CAlculos etiam cum ſanguine è vena ſecta prodeuntes obſervarunt Nobiliſſ. *D. Greiſelius Dec.I. Ephem. harum Ann.I. Obſ.65.* & Excell. *D. Joh. Dolæus Encyclop. Med. lib.3. cap.13.* Non minus proſtant plures aliæ calculorum hiſtoriæ, qui in arteriis & venis fuere reperti: ſic in arteria aorta calculum deprehendit *Nicol. Tulpius lib.2. Obſ. Med. cap. 25.* alios in arteriarum tunica interna Clar. *Laurent. Bellinus de morb. pector.* in arteriæ venoſæ & venæ arterioſæ nonnullis ramulis *Chriſtan. Langius Miſcell. Medic. curioſ. 12.* in venæ arterioſæ principio *Petr. Marchettus* apud *Rhodium cent. 3. obſerv. 4.* ipſum venæ pneumonicæ truncum prope cordis inſertionem lapideſcentem *Thom. Willis part. 2. Pharm. ration. ſect. 1. cap. 2.* Calculos venarum emulgentium deſcribunt *Thom. Bartholinus cent. 3. hiſt. anat. 34.* & *Carol. Lana* in *Henr. à Monichen obſ. med. 20.* & *Ant. Molinetti diſſ. anat. pathol. lib. 6. cap. 7.* venarum meſaraicarum *Ephem. noſtr. Dec.I. Ann. III. obſ. 285.* portæ & hæmorrhoidalium ex *Joh. Betto Sachſius noſter append. ad obſ. cit. Anni I.* Cæterum licet *Jo. Bapt. Helmontius* in calculi renalis generatione, contra Scholarum effatum, inſontem pronunciet ſtomachum *tr. de lithias. cap. 5. §. 12.* eundem tamen, chylum crudum, viſcoſum, acidum generando, calculoſæ productioni ſæpe anſam præbere, magis genuina aliorum eſt ſententia.

[L. Schröck, L. F.]

OBSERVATIO LXXXVII.
D. EHRENFRIDI HAGENDORNII,
De
Fermentato ex Branca Urſina, Bartſch dicto.

TRita & paſſim obvia planta eſt, *Fuchſio* Acanthi Germanici nomine veniens, vernaculâ noſtrâ Bärenklau dicta. Refertur à Botanologis utplurimum inter herbas emollientes; hinc in clyſteribus haud vulgaris uſus

eſt.

eſt. De uſu alioquin interno multi ſilent. Egregii tamen uſus eſſe & internè adhibita, in modum liquoris fermentati concinnata, ex Manuſcripto practico *B. D. Hagendornii*, olim Patrui mei deſideratiſſimi, collegi. Modus conficiendi talis eſt: ℞. fol. brancæ urſinæ q. ſ. exſicca leniter, coque in aquæ ſimplicis ſufficienti quantitate, usque dùm liquor colorem flaveſcentem contrahat. Hinc adde fermenti ſecalini momentum, in olla clauſa ad fornacem repone pro fermentatione, poſtea liquorem, gratum ſpirantem odorem, ſaporemq́ue acidiuſculum linguæ communicantem, percola, & in loco frigido ſerva pro juſculo gratiſſimo, quod vocare conſueverunt Bartſch-Suppe/ in alvi ſegnitie, meſenterii obſtructione, febribus intermittentibus cum emolumento offerendum, tantisq́ue olim in deliciis hîc loci habitum, ut nonniſi primariæ conditionis ægrotantibus hoc juſculi genus commendatum fuiſſe legerim. Noſtrâ verò ætate, quantum mihi conſtat, apud noſtrates, licet ſine cauſâ, planè in deſuetudinem abiit; Polonis autem & Sileſiis adhuc familiarem eſſe ejus uſum refert *D. D. Kergerus de fermentatione ſect. 3. c. 1. p. m. 183.* Aliàs veſtigia quædam quoque invenire licet apud *B. D. Ludovici Diſſert. 1. de pharmac. mod. p. m. 774.* hujus Barth autori dicti, qui videri poteſt.

Sennerty to. p.331

OBSERVATIO LXXXVIII.

D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,

De

Diarrhœa ex Arcano Tartari liquido.

MEdicamenta ex Tartaro concinnata præter vim aperiendi, incidendi, reſolvendi, pro præparationis ratione interdum laxare, non obſcurum erit medicinæ conſecraneis, inq́ue praxi chimica occupatis. Sicuti Tartarus tartariſatus, cryſtalli Tartari Martiales, Tartarus vitriolatus, &c. virtute ſolutivâ in diſpoſitis quoque gaudent.

Diarrhœam verò ex usu Arcani Tartari liquidi, ad mentem *Sennerti* cum spir. vini parati, leniter áciduli, inque podagra hinc tantoperè laudati, per aliquot dies esse secutam, in praxi semel tantùm expertus sum. Casus sequens est: Vir quidam generosus ex humeri dextri luxatione laborans, de hypochondriorum tensionibus cum anorexia conqueritur. Præscribo arcani Tartari liquidi Sennertiani præter propter ℨij. in aurora, & circa vesperam quotidiè ad guttas xx. usurpandi. Primus à sumto medicamine dies sic mediocriter decurrit, sequente autem dejectiones alvinæ succedunt. Vocatus, an purgans præscripsissem, negativè respondi. Narratur historia. Examino medicamen curiosè, nihilque erroris in præparatione commissum animadverto. Jubeo igitur per unum alterumque diem idipsum seponere, unde diarrhœa cessat. Usurpatô verò iterum eodem, mox alvi fluxus quoque rediit in homine aliàs difficulter laxando. Hinc per aliquot dies hæc acta fabula jussit Arcano Tartaro ulteriùs usurpando valedicere. Sic, quæ hactenus de vi solutiva Arcani Tartari retuli, eadem de arcano duplicato Mynsichti expertus quoque est Exc. *D. D. Wedelius* noster in fœmina quadam, à sumto quotidiè ejus ℈j. per triduum purgata. Vid. *Ejusdem Pharmac. Acroamat. p. m. 430.* Sic *Dn. Lic. Jungkenius in notis in notas Agricolæ in Poppium p. m. 77.* ex Antimon. diaph. ℈j. Cinnab. Antimonii ℈ß. Fl. Sal. Armon. tartarisſ. gr. iiij. laud. opiat. gr. j. mixtis, observavit hypercatharsin. Plures ut ejusmodi casus taceam.

OBSERVATIO LXXXIX.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNIJ,
De
Ischuria chalybe curata.

PAnnifex quidam annis superioribus saccos lanâ à se coëmtâ oppidò infarctos, hincque difficilioris gestationis factos, temerario ausu removere, manibusque

pro

pro lubitu tractare sategit. Hinc negotiô peracto, domum redux experitur ardorem urinæ, quæ primo guttatim effluxit, posteà in totum retineri cœpit. Ea propter dolor exacerbatur, regio pubis intumescit, nescitque, quo se vertat, miser. Ex variis, quas domus suggerit, medelis nihil levaminis persentiscit, præter guttulas urinæ cruentas nonnullas, nonnisi magno conamine quas eminxit. In consilium ego vocatus exhibui diuretica ex tartaro, terebinthina &c. sed sine successu. Tandem metu sanguinis alicujus extravasati circa vias urinarias restitantis, jussi ut pauperculus chalybem ignitum in aqua fontana aliquoties extingueret, & hinc ejusmodi aquam chalybeatam successivè ad aliquot cochlearia usurparet, sic impetratum est, ut suborto prius membri virilis dolore longè acerbiore, sanguis grumosus loco urinæ, prodiret, sequente hinc ipsâ urinâ, & tandem integra valetudine. De ischuria ex grumo sanguinis suborta videri quoque potest *Zacutus Lusitanus prax. admir. l. 2. obs. 65. p. m. 186. 7.* quo loco stercoris bovini recentis applicationem pro pube mirè deprædicat.

OBSERVATIO XC.

D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,

De

Tumore femoris monstroso.

ANte biennium generosa quædam vidua meam implorans opem refert, sibi ante sesqui annum circiter, ex improviso subortum fuisse tuberculum quoddam, primò magnitudine nucis juglandis, in femoris parte interna; posteà id ipsum procedente tempore tanta sumsisse incrementa, ut capitis infantilis depressi, si non excederet, tamen æquaret molem. Rogatus tumorem adspexi, deprehendique eundem eâ, quam referebat, figura & magnitudine.

Nempè conspiciendus is erat à femoris parte superiore ad genu usque protensus, quoad latitudinem unius palmæ, depressus, non in fastigium elatus, sine pediculo, hincque sectioni ineptus, renitens, dolorosus, cum levi ardore. Præmissis purgantibus, sudoriferis, Ven. Sect. aliisque, suasi decoctum calcis vivæ cum mercur. dulc. & camphoræ q. s. remixtum cum spongia sæpè applicandum. Hinc quoque commendavi emplastrum Vigonis ex ranis cum mercur. unde tumor sensim emolliri, & spem sanationis haut levem promittere visus est. Perrexi hoc ipso emplastro per mensem spe successus lætioris. Nec destiti autor esse contactum manus longâ tabe demortuæ identidem sustinere. Auscultavit dictis consiliisque promptè. Intereà temporis, dùm hæc aguntur, circumforaneus quidam, ex commendatione vicinorum accurrit, petitque libertatem tumorem inspiciendi. Annuit misella, multaque verbis sesquipedalibus hominis, in curam consentit, solutis mox aliquot imperialibus. Pessimus autem ille cum pecunia sine ullius medelæ administratione excessit, erupit, evasit. Quare loci illius medicaster sanationem quoque promittens tumorem aperit, quô apertô, elapsis aliquot diebus, tumor hic monstrosus tumulo reconditur. Historiam nostræ propè genuinam in puero 2½ annorum, apertoque tumore tandem fatis concedente, annotavit quoque *D. D. Wedelius*, *Ephem. Germ. Ann. III. p. 116.* Tumoris immensi à coxendice ad genu usque protensi, & per emollientia & sectionem curati, exemplum legi potest in Exc. *D. D. Schröckii* notis elegantissimis in *obs. Helvvigian. obs. 90. p. 400.* De struma coxendicis LX. librarum egit *Langius* in *Epist. med. p. m. 217. & 982.* Tumorem ex femore propendentem cum petiolo sectione curavit *D. D. Muralto Anno Ephem. Germ. II. Dec. II. p. 209. 210.* Tumorem femoris in cancrum denique abeuntem recenset *Tulpius* in *obs. c. 51. p. m. 277. 8.* Alios ut sileam.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Liquore Querno antipodagrico.

ANnosam quercum, emorique ferè nesciam, ob sal suum vitriolicum ex mente *B. Hoffmanni* in *Clav. Schröd. tit. de quercu*, vel juxta *B. Ettmüllerum* in *Commentario in hunc locum*, ob facultatem nitrosam, elegantissimas languentibus præbere medelas, in propatulo est. Quarum pleræque id habent commodi, ut sanguinis serique fluores inordinatas coërceant, & in ordinem redigant naturæ accommodum. Hinc in hæmorrhagiis, diarrhœis, diabete &c. totô usurpantur die. Ut taceam viscum quernum hanc præ aliis hujus arboris partibus possidere prærogativam, quod Epilepsiæ medeatur specificè. Ex quercu autem euporiston in podagra subnasci, vel peti posse, non ita obvium quotidianum esse puto. Multi enim, quos in rem consului, Botanographi ne hilum de hac in scriptis consignarunt. Quemadmodùm igitur dies diem docet, sic etiam præter alias, quibus gaudet quercus, facultates, Antipodagrica inventa est. Novi virum septuagenario majorem in finibus Bohemiæ, qui per decennium & ultrà, doloribus crurum periodicis insigniter cruciantibus, cumque inflammatione & tumore conjunctis, conflictatus fuit. Primos per annos, ut fit, benè multos consuluit, multis quoque usus est antipodagricis sic dictis, spe alicujus effectus. Sed spes decollavit. Tandem è plebejo homine remedium, ut dicebat, minimè fallax propalatur. Nempè colligendum esse post cæsas quercus in summitate truncorum (auf den alten Eichenen Stöcken) liquorem aquosum facilè reperibilem, eundem studiosè per linteum colandum & depurandum, hinc tepidè cum linteis locis dolentibus subinde applicandum, sic fore, ut

in dies melius sit habiturus patiens. Sequitur effectus, quem homo prædixit, felicissimus. Cæteroquin, ut de meo aliquid in rem addam, novi per experientiam, decoctum scobis ligni querni, wie ihn die Lohgerber brauchen / in arthritide vaga, fœtore & madore pedum insignis esse emolumenti aliquoties usurpatum externè.

SCHOLIUM.

AQuam in marcescentium quercuum repertam cavitatibus, scabiem omnem ulcerosam etiam sanare, *Paul. Renealmus Specim. hist. plantar.* & *Petr. Andr. Matthiolus comment. in Diosc.* scribunt; quam uti à pluviali aqua ibidem collecta, & tractu temporis particulas solubiles è querni ligni tubulis extrahente ortum & vires desumere, existimo: ita & huc liquorem aquosum in summitate truncorum reperibilem esse referendum, suspicari liceat; cui itaque ligni querni recentis cum aqua pluviali facta infusio substitui, eadem fortè efficacia, poterit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO XCII.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Euporisto ad Strumas.

QUæ strumis amoliendis esse possunt, amplâ segete collecta hinc inde videas apud Practicos, ita, ut vix inveniatur ullus, qui singulare quid hîc possidere non glorietur. Liceat mihi vile quidem hoc, interim tamen fructuosum, addere. Laborat puella quædam ex struma per aliquot annos, in dies auctiore factâ. Parentes varias conquirunt artes pro medela. Sed incassum. Denique instar arcani ipsis communicatur, mus minor, quem jubentur capere,

pere, eundemque in conspectu strumosæ filiolæ per medium dissecare, sanguine extillante strumam calidè aliquoties fricare, hinc filum cruore hoc madidum collo alligare, tamdiu relinquendo, usquedum spontè decidat filum. Sic factum est, ut strumam indies decrescere, deformemque anteà puellam postliminiò formosam factam viderint parentes. An negotium hoc apud plures eodem successu sit usurpandum, propediem datâ occasione experiar? Aliàs de sanguinis hujus virtute strumas abigente nihil uspiam legi, nec audivi, licet non ignorem ex *Schröderi Pharmac. Med. Chym. l. 5. s. 1. p. m. 682.* pellem junioris muris detractam ganglia consumere, itemque ex Clar. *Hoffmanni* super *loc. cit.* clave murem dissectum aculeos extrahere, sagittas & alia, impositum.

OBSERVATIO XCIII.

D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,

De

Fungo Sorbi aucupariæ anti-dysenterico.

FUngis arborum quarundam à Medicis Practicis multæ magnæque passim assignantur vires. Sic fungus salicis rubræ inter alias dotes excellens perhibetur esse antiphthisicum. Confer *Annum Ephemer. Germ. II. Dec. II. p. m. 310.* itemque *D. Ludovici Pharmaciam tit. de anod. p. m. 688.* à granis v. ad viij. bibonibus præsertim phthisicis exhibitos. Cynosbati fungos cum successu usurpari in lithiasi, diarrhœa, agrypnia, præsertim infantum, ubi pulvinaribus eorum supponuntur â mulierculis, notum est, de quo etiam in *Cynosbatologia* olim pluribus egi. Item, wenn die Kinder Schwämme haben / fungos sambuci in aquis appropriatis infusos dilaudavit *B. D. Michaelis* in *Collegio Schröderiano.* Quô locô & fungos quercubus adnatos pro egregio antidysenterico habuit vir laudatissimus. In fluxu sanguinis quocunque præternaturali fungos betulæ commendat *Hartmannus in not. ad Croll. p. m. 343.* De fungis juniperi-

perinis mense Majo ante exortum Solis tempore sereno, & à ventis libero, collectis, & in vitro ad radios Solis in liquorem solutis, pro specifico antiparalytico, legi potest *D. D. Martinus Bernhardi de Berniz in fasciculo II. Medd. Cröffelian. tit. XXV. p. m. 184. Anno Ephem. Germ. VI. annexo.* Quibus fungis annumerare quoque visum est fungum, sorbo aucupariæ, Ebraschbaum dictæ, adnascentem, inventuque equidem rariorem, quoniam inter decerpendas baccas utplurimum à plebe, tanti usus nesciâ, simul decerpi, perdique sic soleat.

Fungus autem iste levis est, albicans, spongiosus, cui in loco sicciore asservato, siccatoque tanta tribuunt nonnulli ex ruricolis, ut tanquam ad sacram anchoram in morbis etiam deploratis, confugiant, in dysenteria verò potissimum summis eundem extollentes laudibus. Hinc fungi particulam grossè contundunt, vel, quia difficulter in pulverem redigi potest, reiben ihn auf einem Reibe-Eysen/ atque à ℈ß. ad ʒß. in liquore idoneo ita propinant, iterando ejus usum ad cessationem mali usque. Et hoc euporiston & ipse apud alios proficuum expertus sum, idque ipsum inter alia tùm curiositatis, tùm necessitatis gratia, hactenus asservavi.

OBSERVATIO XCIV.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Pellis Leporinæ in Vigiliis usu.

Decumbit quidam juvenis rusticus ex febre ardente, præter alia symptomata complura quoque vigiliis pertinacissimis conflictatus. Mater ægrotantis filii nihil petit à Medico consilii, neque auxilii, rata, modò agrypnia cessaret, rem omnem fore in salvo. Hinc ex commendatione vicinæ cujusdam conquirit pellem leporinam, recentem, adhuc sanguinolentam, accelerandoque ad filium, eôdem nesciô,

ſciô; ſub pulvinari eandem recondit. Filius ſubſequente nocte ad votum dormivit, poſterô die ſalubrius paulò ſe habens. Morbus tandem & ipſe, naturæ forſan robore magis, ſenſim decreſcit, ægerque ſic convaleſcit. Quare rumor fit in pago de tanta virtute leporinæ pellis in vigiliis tollendis. Singulare quid eſſet, niſi ſuperſtitio quædam in partes ſimul veniret. An ex Helmontiana hypotheſi dicendum, cùm lepus ſit animal pavidum & manſuetum, quoque cruorem ejus, ſub pavore mortis interfecti, ejusmodi ideâ formidulosâ ſigillari, huncque cruorem poſteà vel in ſubſtantia, vel pelli adhuc illitum, externè applicitum perinde pavidâ ejusmodi ideâ afficere Archeum hominis furentem, ut furorem ſic exuere, animali Oeconomiæ pacatiorem ſtatum, & ſic per conſequens ſomnum reddere cogatur. Verum, quoniam in cauſam rei curioſius ſine dubio inquiret *D. D. Paullini*, Collega noſter curioſus, in *Lagographia* ſua, ne verbulum quidem placet addere amplius.

OBSERVATIO XCV.
D. EHRNFRIDI HAGENDORNII,
De
Capillis illitu aquæ apoplecticæ albedine tinctis.

Biennium eſt, & quod excurrit, cùm ad me veniret nobilis quædam Vidua per plures annos ex hemicrania cum vertigine laborans. Adhibitis variis pro amolitione doloroſi hujus ſymptomatis, tandem ſuaſu amicæ cujusdam totam propè calvariam aqua apoplectica frequentisſimè inunxit. Continuando hujus aquæ uſum, poſtmodùm perſentiſcit non modò capillorum defluvium, ſed renaſcentes poſthac capillos, antehac colore ad nigredinem vergentes, efflorescere nunc ſubalbidos, & cineritii velut coloris, cæteris in

confinio, quos aqua non tetigerat, nigricantibus, ridiculô ſpectaculô, permanentibus.

[d. 9. Decembr. 1686. ex literis ad Dn. D. Volckamerum datis.]

OBSERVATIO XCVI.

D. MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI,

Canis periodicè catalepticus.

CAnes podagricos aſſeruit Excell. *Paullin. Cynograph. curioſ. Sect. 1. cap. 3. §. 60.* Ego Catalepticum in medium proferam. En Hiſtoriam! Ægroti nuperrimè cubiculum petieram cum canis viſui meo ſe ſubjeciſſet, qui defixis in me oculis, hiante rictu, immota tamen lingua, neſcio quid minitabatur. Jamjam Ægroti lectulo per horæ quadrantem adſtiteram, cum tergora rurſus vertens canem eâdem quâ reliqueram facie rurſus offendiſſem. Attonitus, ſedulò ex circumſtantibus in cauſam inquirebam, hoc tandem reſponſi ferens: Beſtiam hanc eodem malo ſingulis torqueri menſibus; inque paroxyſmo protruſam pedibus tamen inſiſtere ſemperque in eodem ſitu ſtatuque per tres interdum quatuor horas permanere. Omnia hæc collata catalepticum canem eſſe firmiter docebant; hinc phiolam longioris colli cui Fl. Sal. Arm. cum Sal. Tart. inditi eſſent, afferre juſſi, naribusque canis admoveri. Vix admotâ phiolâ, jamjam penetrantibus ſubtiliſſimis particulis, diſcuſſisque quibus glandula pinealis obſeſſa erat nebulis nubilisque, humum petebat tanto impetu ut mortuum ferè crediſſes; pauculo tamen temporis ſpatiolo interjecto reſurgens, vertiginoſus in cubiculo oberrabat. Deſideraſſem in prædam & prælium Anatomicum canem, & obtinuiſſem, niſi herus canis malo tandem pertæſus, Neptuni Regno eum tradidiſſet, per quod ad ſilentûm regna abituriens, ſemetipſum Catalepſi & meæ curioſori indagationi ſubtraxiſſet.

OBSER-

OBSERVATIO XCVII.
D. MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI,
De
Ossium strepitu.

ARticulorum per universum ferè corpus strepitum *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Observ. 275.* inseruit Excellentiss. *Jungius* adjecta insuper Willisiana hac de re hypothesi. Eodem strepitu cum suturarum crepitu quoque *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. ~~VIII.~~ & IX. Obs. 129.* locupletavit Nobiliss. *Dolæus.*

Mihi in brachio & cruribus Viri Generosiss. præcipiti casu fractis: itemque chirurgicâ manu restitutis, extra articulationem moto nonnihil vehementer brachio sonum percipere licuit, non absimilem illi, quem bacilli aliquot lignei unâ vice diffracti edunt; (**nicht anderst als wann man etliche Steckelein zerbreche**) quem tamen strepitum crepitumque absque ullo titillationis nedum doloris perceptione se peragere mihi obstupescenti sanctè juravit Vir Generosiss. cujus nomini ob certas rationes parco.

SCHOLION.

CErtè in Herculis biviô nutabundus hæreo, cuinam causæ mirandus hic Affectus ascribendus sit; Si conjecturis locus esset, certè vix ac ne vix quidem dubitarem annon Geneross. huic Viro acciderit, quod Parisiis cuidam brachii in medio cubiti fracturam perpesso. Huic enim ex imperita fracturam tractantis Chirurgi deligatione, hæc contigit adhuc felicitas, ut callus in modum capituli ex una fracturæ extremitate, in altera verò in modum acetabuli sive sinus excreverit. Cujus cadaver cum postea (nescio quibus fatis) Anatomicorum cultris subjectum fuisset, miram hanc articulationem naturalibus *Dn. du Verney* Anatomici Regii Parisini cimeliis reliquit; Qui per

Profectorem suum (t. t. cum Lutetiæ Parisiorum studiis Chirurgicis & Anatomicis incumberem) *Dn. Büssier* Chirurgum in cursu suo Anatomico hanc articulationem præsentium omnium oculis manibusq; exhibuit; Ubi certè ex attritu horum artificiosorum ossium unctuoso Balsamo destitutorum strepitus provocari potuit.

Vel sonum forsan edidêre tendines indurati (quos osseam sæpè duritiem nancisci quælibet sapientior Æsculapii proles novit) ex brachii subitâ in gyrum agitatione promotoque motu inflexi, cumque impetu iterum resilientes; præsertim cum brachium post curationem nonnihil brevius fuerit redditum. Sanè utcunque fuerit, Davum me potius quam Oedipum in enucleando hoc casu profiteri, auresque oculosque limatioris IngenI sensis submittere malo.

OBSERVATIO XCVIII.

D. EMANUELIS KÖNIG,

Empyema Thoracis caseosum.

PUer annorum novem circa Monspelium brumæ rigore, vestimentis haud decenter munitus, in pleuro-peripneumoniam incidit, quæ medicamentis aliisque neglecta, insignem eumque universalem pectoris tumorem progenuit, unde oppressione pectoris magnâ cum extremorum frigore & pulsu penè ablato, sic tamen ut nihilominus facilè cantharum ptisanâ plenum ori adplicare potuerit, puer in nosodochio inibi obiit. Antequam cadaver à me & *D. Isser* Medico Ordinario cum Clariss. *Vieussentio* aperiretur, tumor pectoris summè protuberans leviter prius punctus mox magnam humoris purulenti sero commixti transudantis exhibuit copiam; pectore verò adaperto totum illud inundatum materiâ ejusmodi purulentâ incrassatâ, grumorum casei ad instar, adparuit, maximè circa pleuram & sternum; quæ hinc prius-

quam

quam pergeremus igni ſuperpoſita, ſimile craſſamentum caſeoſum exhibuit; evacuato pectore pulmones folle prius inſufflati, in dextris prope ſpinam adnati fuere, quâ in parte pleura quadruplo craſſior, quam in parte ſiniſtrâ comparuit, ubi nihilominus etiam pulmones diaphragmati firmiter connexi conſpiciebantur. In corde nulli polypi, uti nec in venâ cavâ infra hepar apertâ viſi, niſi in dextro ventriculo cordis grumus ſanguinis oblongus, id quod fere in quibusvis diſſectis reperitur. Sanguis in venis diſſolutus magis quàm craſſus viſus, collectâ ſcilicet in pectore omni materiâ lacteo-nutritiâ. In abdomine inteſtina vermibus erant plena, ventriculusque in parte infimâ compreſſus omentum inflare fecit & in veſicas elevavit, repletus nonnihil materiâ viſcosâ albicante. Renes diſſecti & compreſſi materiam itidem reddidere viſcoſam albidam; aliàs Hepar & Lien ſana fuere, inque hoc inciſura plures vitæ prout & rerum ſubſtantia exterior in plures velut lobos diviſa apparuit. Cum bile varia fecimus experimenta, ei nunc affundendo ſpiritum vitrioli qui eam mox præcipitavit & colorem virideſcentem induxit, quibus ſuperaffuſus Spiritus Salis Armoniaci vehementer efferveſcere fecit; cum ſpiritu nitri mox quoque inſigniter fermentavit, vaporesque elevare fecit; prius experimentum cum ſpiritu vitrioli modum explicat quomodo in inteſtinis bilis viridis emergat, illâ in veſiculâ ſuâ adhuc contentâ naturali colore dotata. Unde verò materia illa caſeiformis prodierit & in cavitate pectoris collecta ſit, disquiſitionem meretur, nobis quia in prædicto verè Empyematici cadavere ductus thoracicus in parte dextrâ eleganter isque integer minimè disruptus apparuit, videtur quòd materia illa taliter thoracem replens non ex eo prodierit, ſed potiùs transudârit ex pleurâ ſummè intumefactâ in ſuperiori thoracis parte dextrâ & inferiori ubi pulmones diaphragmati adnati erant, quâ etiam in parte pulmo veſtigia inflammationis ex fixatione ſanguinis exhibuit, ubi tamen non adeo durus & diatheſi inflammatoriâ infectus erat, ut in ſiniſtrâ.

OBSERVATIO XCIX.
D. EMANUELIS KÖNIG,
Alexipharmaca lumbricos necantia.

PRacticorum tum Veterum tum Recentiorum ſcripta ſi evolvamus,paucos Alexipharmaca lumbricos eſſe necantia attendiſſe apparebit, cùm tamen Medicum intentum ſuum facilius obtinere, ſi ad vermes attendat, aut etiam ſi absque propoſito formulam vermes reſpicientem ordinet, non ſemel docuerit experientia. De alexipharmacis univerſalioribus, non de particularibus uni certo veneno enervando dicatis me loqui, Lector facilè colliget: Illorum igitur claſſes ſi evolvamus & perluſtremus, nullum ferè erit quod non inſigniter vermes deſtruat, ſeu ſit amarum ſeu acidum ſeu terreum, vel etiam ex his combinatum, ut Pilul. Ruffi, Elixir Propr. Paracelſi, Confect. de hyacinth. quæ aquis portulac. acetoſ. Syr. citri, ſem. contra verm. Spir. Vitrioli, pulv. viperar. Cornu cerv. uſt. & phil. præparat. Cinnabar. nativ. & Hung. & aliis permixta miraculosè ſæpius ſymptomata quævis mitigavit, dum vermium roſio in partibus nervoſis inhibebatur, eorumq; excretio inde ſequebatur, ac æger è convulſionibus redux Medico vermium ſigna potuerit communicare. Celeberrimi *P. Kircheri* contagium peſtilentiale ex vermiculis deducentis multis minimè arridet, cùm tamen ſæpius contagii peſtilentialis præludia fuerint Inſectorum humoribus acerrimis vel ante vel poſt ad ſui defenſionem à natura donatorum inſignis copia. Quicquid ſit, facilè poſſe in corporibus animalium vermes excitari, etiamſi diu alimentis abſtineant, oretenus Florentiæ retulit Illuſtriſ. Magni Ducis Hetruriæ Archiater *D. Redi*, Vir humaniſſimus, de Lacerto Indico permagno per multas ſeptimanas absq; alimentis vivente, in cujus pòſt apertis partibus quibusvis vermium magna copia ab ipſo reperta eſt, quâ de re pluribus in eleganti opere, quod nuper prelum evaſit, *de Animalibus*

in

in animalibus viventibus. Mihi ſolùm hîc notare libuit in tantâ febrium malignarum (quas ſæpius Tertianæ intermittentes ab initio mentiuntur) frequentia in adultis æquè ac in puerorum morbis ferè ſemper ad vermes Medico eſſe reſpiciendum, qui ut ut ſæpius non appareant, tamen inſcio vel ægro ipſo vel Medico è corpore expelluntur; cujus occaſione non poſſum non hîc ſiſtere notatu digniſſimam Obſervationem olim à Clariſſ. *D. D. Georgio Binningero*, Poliatro Montpelgardenſi, pronuper magno meo cum cordolio è vivis ſubitò erepto ad me perſcriptam: Nuper peregrè vocatus ego, in urbem quadrihorio hinc diſtantem, mulierem vidi, cui ſacro (quod ajunt) oleo tempora, os & nares jam erant peruncta, eratque omninò in mortis procinctu. Præſens ego, pulſum attrecto, qui parvus erat & celer, reſpiratio è profundo petita & parva (& hæc ab oppreſſione non ab exſolutione, ut mox intelliges) videbaturque in faucibus quid hærere, quod exitum continuò moliretur non ſine ſuffocationis metu. Ægra autem tantum à biduo ægrotabat cum ingentibus ab initio ſtatim ſymptomatis & febri intensâ. Rogavit me in lacrymas effuſus maritus ejus opis ei aliquid ferrem pro virili; ego exorari me vix ſum paſſus, eò quod deſperata apparerent omnia. Facies planè Hippocratica & mortuæ ſimilis. Tamen cùm in extremis morbis extrema remedia adhibenda eſſe ſcirem, periculum feci, & ipſe præſens, facto prius prognoſtico, Tartari emetici ad mentem Ludovici parati gr. iij. ex cochleari juſculi carnium calidi exhibui & diſceſſi, animam ipſius Deo potius quàm corpus committendum eſſe dicens.

Quid fit? Vix equum rediturus conſcenderam, cum occurrit mihi præceps Parochus quidam qui ægræ, cùm accederem, adſidebat, refertque moribundam noſtram vermem ab exhibito cochleari vivum per os expuliſſe craſſitie & longitudine digiti indicis, qui ægram in laborioſiſſimo exitu penè ſuffocârat, eamque non ægrotare amplius, ſed à morte ad vitam revocatam eſſe, porrexitque nomine mariti Ludovicos aureos ſex.

ſex. Vermem hunc videre mihi, utpote iter urgenti non licuit ſed delatus is eſt in Cœnobium Capucinorum proximum, tanquam miraculum quoddam, quem in ſcutella plena lactis per triduum vivum ſervavit Pater Angelicus Vicarius (ut mihi poſtridie ibidem retulit) vir oppido curioſus & mei amans, injectoque ut curioſitati ſatisfieret, allio, mox peremit.

OBSERVATIO C.
D. EMANUELIS KÖNIG,
Sanguis tertianarii venenoſus.

FEliciſſimus Practicus quondã Monspelienſis, *D. Barbeyrac*, fœminam febre lacteâ laborantem curandam habuit, quæ ad ſitim levandam noctu ſurgens patellam offendit in qua reſtitit adhuc parum ſanguinis Tertianarii ex venæſectione eo die adminiſtratâ: Ex hac igitur aquam hauriens & bibens venter ejus poſterâ die manè ita inflatus apparuit, ut cauſa ſciri mox non potuerit, usque dum retulerit ſibi noctu id contigiſſe; Venæſectio ſemel ipſi adminiſtrata fuit, ſed intra viginti quatuor horas extincta eſt, indicio nullam dari febrem absque malignitate.

OBSERVATIO CI.
D. EMANUELIS KÖNIG,
Lupi piſcis & Mugilis Ventriculi conformatio.

LUpi piſcis mirabilis eſt conformatio, poſt œſophagum enim peramplum ſed brevem duo velut ventriculi apparent, in quibus moleculæ duriſſimæ inter binas membranas digiti latitudine invicem diſtantes notantur, ut cibi duriores ritè comprimi & in minutias redigi poſſint; pylorus in medio horum apparet, & poſt brevem ejus prolongationem appen-

appendices notantur, ut in Salmonum ventriculo aliàs apparent; ductus pancreatici quinque vel ſex adſunt, uti duo vel tres ductus biliarii, rectum verò inteſtinum ſummè durum & compactum apparet. Mugilis piſcis ventriculus rotundus eſt inſtar verticilli & gallorum gallinaceorum ventriculum, ad conchilia aliaque conterenda, æmulatur, cui & multùm accedit ventriculus anguillarum.

OBSERVATIO CII.
D. EMANUELIS KÖNIG,
Decoctum Febrifugum certiſſimum.

DUm Menſe Julio Anni M DC LXXXIV. Nemauſum antiquitatis venerandæ monumentis ſpectatiſſimam in Languedociâ urbem repeterem, ibique aliquandiu ſubſiſtere cogerer, communicatum à matronâ ſequens pro febrifugo expertiſſimo: ℞. Antim. crud. opt. Nitri āā ℔ß. ſal commun. ℥iiij. Cryſtallor. Tartar. ℥iij. MS. Hujus ℞. ℥i. pro menſurâ vini albi, decoquendo decenter.

[1686. d. 26. Nov. Baſileâ Auguſtam miſſæ.]

OBSERVATIO CIII.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Hypopyo, ſeu Oculo purulento.

QUàm miſerabilem aſpectum Varioli nonnunquam poſt ſe relinquant, & ἀυτοψία, & Medicorum Obſervationes frequentes docent. Varioli dextrum quoque oculi bulbum puelli cujusdam noſtratis invaſerunt, unde *Hypopyon*, ſive *Oculum purulentum* contraxit; hic extra orbitam fœdè prominuit, ut turpi ſpectaculo fuerit: exactis demum aliquot annis, nodulos ex floribus Trifolii pratenſis purpurei,

calidè ei applicuit, unde ita detumuit, ut jam alteri sano oculo æqualis sit.

OBSERVATIO CIV.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Bulitho renali ramoso.

QUàm mirè summus ille artifex NATURA agat, in omnium rerum formis exprimendis, cùm aliis quidem in rebus, tum verò præcipuè in lapidibus, haud difficùlter animadvertere poterunt, quotquot rerum naturalium pernoscendarum cupiditate tanguntur, ita ut ea hoc quoque modo curiositatem humani ingenii exercere, nosque vel sic ab otio propellere, & illud Illustris Societatis Imperialis lemma, *Nunquam otiosus*, tacitè inculcare voluerit. Ne lapides in terræ gremio repertos jam tangamus, ipsa quoque animalia tales suppeditant, qui admiratione non carent; renes autem præ cæteris illorum partibus, mineræ locum hic supplere, satis superque constat. Sic anno 1686. mense Aprili, lapis mihi oblatus est, ex juvenci rene in Rhætia exemtus, quem penes me inter alia rara Naturæ servo, qui ita sese habet: Figuræ est ramosæ, ac si Natura ramos cornuum Capreoli imitari voluisset, tribus diversis ramulis constans; coloris subflavi, præterquam quòd alicubi aureum quendam fulgorem quoque mentiatur, ut lapides in boum renibus reperti, communiter talem splendorem præ se ferunt: ponderis autem drachmarum quinque & granorum sex est. Magnitudo ejus ex addita Figura videre est.

Fig. XXIV.

OBSER-

OBSERVATIO CV.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Pilis pilosis ab equo excretis.

IN ventriculis caprarum, vitulorum atque boum Helvetiæ, Pilæ pilosæ crebrò nascuntur: at eas in equis quoque produci, rarò hactenus visum. Anno 1685. equus Nobilis cujusdam Viri apud Glaronenses tres pilas pilosas non sine dolore per alvum excrevit: earum maximam Vir Nobilis penes se servat; reliquæ duæ ad me pervenére. Figura autem earum est globiformis, magnitudine mali Punici; pilorum glomeramina arctè inter se sunt unita & compacta; atque hinc substantiæ sunt spissæ, & glabra durissimaque crusta obductæ: pro substantiæ autem ratione levissimi sunt ponderis; altera enim, coloris atri, pondus sesquiunciarum & unius drachmæ; altera verò, coloris sublutei, malicorium referens, pondus duarum unciarum, & trium drachmarum habet.

OBSERVATIO CVI.
D. JOHANNIS JACOBI WAGNERI,
De
Coronis Serpentum vulgò dictis.

AGyrtæ nonnulli coronas quasdam parvas, osseas atque candidas venum exponunt, quas Serpentum candidorum coronas esse perhibent, capiti eorum innatas, easque à similitudine coronarum regiarum Schlangen-Krönlein/ appellant: de effectibus earum mira quoque vulgò persuadere conantur & sesquipedalia jactant verba. Conradus Khunrath, *Medullæ Destillatoriæ & Medicæ Parte II. tract. 27. p. m. 309.* mentionem quoque harum coronarum facit, & iis maximas

ximas vires adscribere ausus est. Verba ejus ita sese habent: Die Nater-Schlangen streiffen es im siebenden Jahr mit dem Balge unter einer Haselstauden/ da Mispel aufwachsen/ ab/ darunter sie auch sampt dem Balge gefunden wird. Dieses Krönleins virtutes seynd/ daß wer es bey sich trägt/ præservirt es für allem Gifft/ und Zaubereyen/ und ist das höchste Præservativ wider die Pest in tempore infectionis, verhütet auch Apoplexiam, und machet den bey sich tragenden ein gar gut hell lauter Gesicht. Hinc Illustris Baro ab Hochberg/ *Georgicorum Curiosorum Lib.XI.c.97.* ob authoritatem hujus Viri, haud immeritò hîc intra sacrum & saxum stat, dubiusque hæret quid de his statuendum sit. Verùm ut dicamus id quod res est, Coronæ istæ Agyrtarum meræ sunt imposturæ: tales quippe coronas candidas, serpentum capitibus innatas, nullus Curiosorum Naturæ Mystarum hactenus observavit; aut quis quæso αὐτόπτης animadvertit tales coronas septimo anno, unà cum exuviis, sub corylo exutas? Quin imò decantatæ hæ Agyrtarum Coronæ serpentum, nil aliud sunt quàm dentes molares porcellorum, substantiæ candidæ, superficiei inæqualis, acutis eminentiis seu apicibus pulchrè exasperatæ, inferiore parte rotundæ, ita ut ob id elegantis coronæ formam præ se ferant: cavitas autem eorum ampla, albo seu lacteo quodam humore, veluti muco, est impleta, unde & vulgò die Milch-zähne appellantur. Quilibet Archetypon nullo negotio habere, & ipse inspicere potest. Atque hinc facilè colligere licet, quidnam de jactatis viribus harum Coronarum statuendum sit.

[A.1686.d.26.Nov.Basileâ Augustam missæ.]

SCHOLIUM.

DE hisce serpentum coronis legi etiam meretur in *Dec.I. Ephem. harum Ann.I. obs. 128.* Scholium Nob. *D.D.Jænisii,* ubi porcelli jam ablactati inferioris maxillæ protuberantes dentes molares mentiri coronas illas, monstrat; prout & alia fraudem

dem hanc parare poſſunt; quale quid in noſtri *Georg. Hieron. Welſchii Hecatoſt. 1. Obſerv. Phyſico-Med. 27.* occurrit, ubi coronas has oſſeas ſive eburneas ex maxillis aprorum colligi, & decuſſis quibusdam eminentiis lævigatos dentes, limaque expolitos ad lubitum efformari memorat. Sed quondam etiam mihi coronæ ſerpentum Melitenſium ſic dictæ, albedine atque nitore non inelegantes, cæterùm parvam cum coronis ſimilitudinem habentes, ab Amicorum aliquo fuerunt donatæ; quæ tamen nihil aliud ſunt, quam ſpolia Squillarum albo generi à *Rondeletio* Mantis dicto, erepta, de quibus idem ſcribit: *Brachia duo prima longa habet, articulis intercepta, ut ad os flecti poſſint, chelarumq́; uſum præſtent, interiore in parte ſerrata, quorum denticuli initio minores ſunt, in ſummo ita magni, ut aculeis incurvis aptius, quam ſerræ denticulis comparari poſſint.* Alterius generis mentionem facit noſter quondam *Phil. Höchſtetterus decad. 4. obſ. med. caſ. 6. in Schol.* epilepticæ mulieris, amuleti loco, culcitræ ſuppoſiti; quod cornibus cervi ſive ſcarabæi volantis ſimilimum fuiſſe refert, ſed albida, pura, terſa; quæ forte à dictis Squillarum non multum diverſa fuere.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CVII.

D. DANIELIS BSCHERERI,

De

Quadam Fiſtularum in abdomine Lithiaſi.

CIvis quidam heic Norimbergæ Ictero nigro laborans, eoque per aliquot tempus valdopere excruciatus, auxilium à me petiit. Adhibitis igitur medicamentis huic malo inſervientibus, priſtinam valetudinem, Deo favente, impetravit. Evenit autem ut ejusdem viri filia febri quo-

quotidiana corriperetur; ideoque de illius recuperanda valetudine itidem me consuluit; hoc facto, casum non adeò frequentem, ideoque hujus loci, ut puto, insertione dignum, de se in hunc modum mihi retulit. Semestri anno elapso, quo ab Ictero nigro liberatus fuerim, accidit mihi, ut in latere abdominis dextro, è regione umbilici, tres digitos ab illo distante, macula pisi magnitudine rubra, cum insigni pruritu, existeret, quam primum utpote rem levem pro nihilo habui; tandem verò in pustulam abibat, & sic indies tantum incrementum cum cruciatibus vix ferendis capiebat, ut ultimis diebus magnitudinem disci culinarii æquaret; huic malo multis medicamentis, sed omnia in cassum adhibitis, tandem ex consilio alicujus Emplastrum Norimbergense vulgò sic dictum, tumori applicui; hoc facto, tantos dolores perpessus fui, ut mortem ob ingentes jam antea dolores sæpius exspectatam nunc omnibus precibus exoptatam efflagitaverim: rebus sic stantibus, & cum tantos dolores non amplius essem ferendo, jussi ut Emplastrum detraheretur, quo facto, tumor cum pustula albicante, illiusque centrum occupante in conspectum se dabat, quâ apertâ, insignis copia saniei cum deterrimo fœtore emanavit, multi levaminis causa; hoc Emplastro iterum iterumque adhibito omnis tumor evanuit, relictis tribus foraminibus, jam adhuc patentibus, in his singulis diebus, bis turundas hoc Emplastro obductas immitto, quibus extractis, sanies primum emanat, concomitantibus postea illam lapillis, quorum majores quoad magnitudinem figuræ appictæ respondent, hi plerumque in orificio Fistularum hærent, ibique moram aliquam agunt, & sic dolorem non tamen adeò molestum excitant; abdomine verò duobus digitis compresso, illisque orificio Fistularum quodammodo dilatato, cum impetu prosiliunt, hocque saltu omnem quoque dolorem profligant; servo penes me in memoriam ejusmodi lapillos, jam ultra sexaginta, illorumque numerum quotidiè ferè extrahendo adhuc augeo. Vivo cœteroquin satis benè, ita ut etiam munia

nia mea obire poſſim. His relatis, petii, ut dictorum inſpiciendi copia mihi daretur; quâ conceſsâ, omnibusque ritè examinatis, rem ita verè nudam, & ſine ulla fallacia involutam inveni.

Fig. XXV.

OBSERVATIO CVIII.
D. JOH. THEODORI MOEREN,
De
Phænomeno Meteorologico.

CUm die 23. Januarii ſt. n. Anni 1686. ex projecto præaltæ noſtræ domus in patentem cœli terræque planitiem, quam Rhenus interſecat, & circumquaque montes terminant, poſt cœnam veſpertinam hora circiter ſeptima *Mittelheimii* non incelebris Ringaviæ pagi tum temporis incola, oculos evibraſſem, ſubito fulgore concutiebar, ut vox faucibus hæſerit, nam ubi vix reſpiraveram iterum iterumque perſtringit oculos in craſſis tenebris eò formidoloſius fulmen quo repentinum magis & citatum. Etenim plagam verſus occidentalem hybernam retro pagum Vinicellam (Winckel) dictum, vix ſemihoræ diſtantia ſurgebat à terra in ſummum usque cœlum flamma ingens motu tam celeri, ut fulmen æmularetur, tanta latitudine, taliqúe formâ, ut trium quatuorve ædium incendium putaſſem, ni pernicitas motus ſubitaque extinctio idem diſſuaſiſſet. Vix verò flamma hæc cœlum attigiſſe viſa & extincta à terra de novo exorſa cœlum identidem ad duas horas vano licet conamine invaſit, ſpectaculum hoc plures in pago excitavit, ut facto concurſu incendium exiſtimarent, quorum aliqui campanarum tumultu vicinos convocaſſent, ni attentiores ſe iſthoc aëreo ſpectaculo deludi obſervaſſent.

Totus dies fuerat doloſè frigidus, ſine notabili vento, & circum-

circumquaque tegebat horizontem nebuloſus vapor, qui ingruente nocte craſſior redditus, liberiùs ſe expandit.

Si nunc inflammatio ſit à ſulphure, neceſſum fuit extitisſe in hoc vaporoſo aëre copioſam quantitatem particularum ſulphurearum. At unde hoc gas ſulphureum derivemus? lubet illud è terra deducere, quam illo tractu rudiori metallo divitem eſſe conjicio, è quo hæc mineralis coruſcatio prodierit, quales in metallorum fodinis non rarò obſervant metallicolæ: Verum quo igne exarſit hic aër? nimirum eodem modo, quo ignes fatuæ, quarum inſolita copia eo ipſo veſperi vagabatur ab altera parte Rheni nunquam viſenda niſi tali aêre exiſtente vaporoſo, cum ſcilicet denſiori iſthoc aêre affricentur fortius particulæ ſulphureæ, ſeque ipſas incendant. Salvo meliori.

OBSERVATIO CIX.

D. JOH. THEODORI MOEREN,

De

Iridibus & Corona.

IN prioris anni Obſervatione meâ de Iride innui fundamento nixus philoſophico non ſemper in iridibus eosdem eſſe ſtabiliter colores, neque eodem ſe ſemper ordine ſequi. Lubet nunc hujus confirmandi gratia aliquot obſervationes annectere.

I. In fine Martii hujus anni octuageſimi ſexti apparuit poſt prandium in cœlo Iris cujus in extrema convexitate color erat rubeus, abhinc flavus, tertius virideſcens, quartus ſeu interior purpureus, inter quem & tertium nonnihil ſeſe oſtendebat cæruleus color. Spatio decem circiter Pater & Ave progrediebatur pes iridis à primo loco ubi viſus ad alium locum horâ integrâ diſtantem.

II. Decima octava Maji ejusdem anni veſperi horâ 5. apparuit Iris, cujus à ſuprema convexitate colores ſe inſequebantur

tur modo planè diſtincto & diverſo ab aliis iridibus. Primus rubeus varios habens ſuæ rubedinis gradus, ſecundus viridis, tertius cæruleus, qui erat diſtinctiſſimè cum ſequenti expreſſus, quartus violaceus, quintus flavus.

III. Vigeſima prima Maji veſperi horâ 6. conſpexi iridem, cujus ſupremus color rubeſcebat, ſecundus flaveſcebat, tertius virideſcebat, quartus iterum rubeſcebat, ſed rubedine obſcuriore ſuperiori.

IV. Sexta Junii veſperi horâ 6. ſe viſui noſtro conſpiciendam præbuit Iris ſequenti modo colorata. Superiùs dabat expanſam & albicantem rubedinem, cui ſe jungebat flavedo, tertius color erat viridis, quartus cæruleus, quintus violaceus, à quo paululum diſtabat ſextus color rubeus.

V. Vigeſima ſecunda Julii mane horâ 6. Iris extitit præ cæteris rarior, non tam ob colores, quorum primus erat rubeus, ſecundus flavus, tertius viridis, quartus violaceus: ſed ideo, quod ubi pulchritudine ſua intenſiori niteret, vix ſubjectum eſſet, cui inhæreret, nam ſudo & puro quaſi cœlo inſcripta videbatur, cum vix nubes, niſi vapores tenues apparerent.

VI. Octava Auguſti, Iris concordabat ferè cum quarta, primus enim color erat rubeus, ſecundus flavus, tertius viridis, quartus cæruleus, quintus violaceus.

VII. Pluries obſervavi Irides à Sole ſed jam occidente deſcriptas ex oppoſito Horizontis, fuiſſe planè aureas, cum nubes pariter illo tempore ad aureæ auroræ exemplum inauratæ eſſent.

VIII. Decima ſexta Aprilis anni octuageſimi ſexti toto manè cœlo undique tecto communi tenui & nebuloſo velo apparuit circa Solem Corona, quæ poſt prandium à radiis ſolaribus tam aptè circum circa ſecabatur, ut cœlum unam quaſi ſtellam Sole centro ad omnium intuentium ſtuporem ad tres ferè horas referret.

OBSERVATIO CX.
D. JOH. THEODORI MOEREN,
De
Insolitis muribus.

NOvas sæpè Generationes easque insolitas fieri testantur libri tum à causis purè naturalibus prodeuntes, vel Dei punientis manu permissuque effictas: Hoc ipso anno 1686. non contemnenda clades fuit circumcirca per Palatinatum, & ad Rhenum circa Wormatiam, aliisque in locis Electoratibus Trevirensi & Moguntinensi vicinis, quam inflixerunt insoliti planè generis mures, quorum tanta & tam atrox extitit in agris vario frumento gravidis copia, *ut omnia frumenta ipsas Spicas & Aristas corroserint & suas in cavernas tanquam in horrea congregaverint & reposuerint*, imò viride gramen, vel fame coacti vel naturâ suâ absumpserint; atque cum messis tempore frumentorum manus hinc inde in agris jaceret, tanto numero accurêre mures ut centum & plures ad unum cumulum numerarentur. Clades inde tanta, ut notabiliter auctum sit frumentorum pretium: imò ut ex Parocho Kembdensi habeo, quod certis in locis etiam ejusdem generis mures vineta infestent, & propè Pedunculum botros decerpant uvasque devorent.

Videntur nunc quidem hi mures parum aut nihil Historiam naturalem ornaturi, tamen cum formâ plurimùm discedant ab ordinariis & domesticis & agrestibus, ipsaque eorum Generatio adhucdum lateat, Philosophicam disquisitionem merentur.

Primò. Vix mures pertimuerunt advenientes homines, ita ut plures baculis necati sint etiam à canibus plures concisi sed non devorati.

Secundò. Variegati plerumque sunt coloris, ordinariè tamen inferiori corpore nigrescebant, superiori rufescebant, col-

lum ambiebat circulus albus, cauda erat ordinariis multò brevior, sed crassior, auriculæ vel ambæ vel una discissa erat.

Tertiò. Magnitudine & prædicta forma videntur convenire illi animali, quod in Saxonia vocatur ein Hambster, alias nostras æmulatur Mustelas (Wiselen.)

Quartò. Quantum observare licuit ex majore & minore statura horum murium, animadversum est eos singulis mensibus generare & pernitiosos dare partus.

Quintò. Quanquam diversis temporibus in autumno copiosa deciderit pluvia, qua in suis antris sperabantur mergendi, non tamen hinc minor numerus observatus fuit.

Sextò. In aliquibus locis rustici effoderunt terram & ex amplissimis speluncis mures depulerunt, ubi selectissimam frumentorum copiam nitidissimè congestam repererunt.

Hinc abiit vulgus, de quo *Cicero quod multa ex opinione, pauca ex veritate judicet,* in eam Sententiam, mures hos ab artificiosis magorum manibus & veneficarum artibus prodiisse. At ego novam hanc generationem imputo hyemis prioris benignitati & totius veris siccitati, qua terra ab animalibus subterraneis variè perforata & excavata varios variorum congressus concesserit, hincque nata tam damnosa progenies se ipsam dein avidiùs conservare gestiens & specificæ & individuali propagationi studuerit; quam meam conjecturam ex prioribus deduco.

OBSERVATIO CXI.
D. JOH. THEODORI MOEREN, *De* Ipibus seu Convolvulis.

DE Curculione granariorum hoste acturus *Levinus Lemnius lib.1. de occult. nat. mirac. cap.21.* exorditur. *Nihil est in vita hac caduca & mortali, quod suas non experiatur adversitates atque incommoda multisq; vexationibus*

nibus atque insultibus non sit expositum, ut enim homines innumeris malis sunt obnoxii, multaq; illos circumvallant quæ valetudini vitæq; insidiantur, ita & frugibus sui non desunt hostes, qui illas infestant ac demoliuntur. Idem ego præfari possum damnosissimi insecti brevem daturus historiam.

Passim per Vineta in Junio & Julio volitat animalculum Magnitudine pisæ, scarabæi parvi figuram corporis referens variegati plurimum coloris: est quo in dorso seu potius alis aureum colorem refert, est quod cæruleas, est quod igneas, est quod virides punctis aureis interstinctas alas habeat tantæ pulchritudinis, ut vix sibi in amorem insecti tractus spectator persuadeat, naturam sub hac exactissimâ & aureâ picturâ voluisse latere tam ingentem vinearum hostem, cujus damnum annuè putatur plus minus in Ringavia solum ascendere ad mille florenos.

Etenim proboscide crassa & forti respectu corpusculi, cujus mediam longitudinem pene æquat, levari & deprimi apta in extremitate sua bifurcata & acuminata tenellos vitium ramos etiam calamo scriptorio crassiores juxta truncum perterebrando taliter lædit ut paulatim flaccescant & dependeant folia, quæ aptè nunc huc nunc illuc histeron proteron combinando digiti instar circumvolvit infestus hostis, ac inter singulas flexuras speciei propagandæ erudito amore deponit sua ova grandia albicantia, quæ naturali coitu progignunt, semper enim duo & plura istiusmodi animalcula simul inveniuntur. Ubi folia jam plene exaruerint, decidunt in terram limosam (ordinariè enim in plagis limosioribus inveniuntur) atque autumni tempore ova hæc in veros vermes, quales ordinarie in fructibus horariis invenire est, abeunt, atque circumvoluta folia jam exsucca perrodunt, ut ad lucem veniant, hyemis tamen tempore sese terræ limosæ involvunt, atque in vere volatiles prodeunt, ut nova propagatione sese multiplicet damnosa progenies.

Nescio

Nescio penè, utrum nomine aliquo dignum esset hoc insectum, ni in ejus extirpationem vellem ut insudarent omnes: *Ringavi* Rebstichel vocant: videtur *Columella* citante *Aldrovando Prolegom. in lib. de Insect. pag.* 5. Animal illud quod perrodit teneros adhuc pampinos & uvas nominare *volueram. Aldrovandus* verò *l. 4. de insect. cap. de Cantharidibus in tert. tab. N. 9.* ponit *Convolvulum* ἴπα *græcis dictum, Tagliadizzo vulgò apud Italos agricolas.*

Convolvulum describit esse corpore cæruleo pedibus obscurè lutescentibus in vite repertum ac folia ejus depopulantem, nascitur hic ex Ovis bombicum ovis similibus magnitudine, colore rubicundis; hic cum parere vult, multa cumulat convolvitque folia, (unde fortè à Latinis id nominis datum) atqui in his sua ova reponit.

Cum hæc ergo descriptio cum nostra aliquantisper conveniat, manebit huic insecto nomen Convolvuli seu Ipis.

De hujus insecti extirpatione video sollicitos antiquos, cum vites illiniverint terra ampelitide ut docet *Galenus lib. 9. simpl. Medicam.* quam pharmacitin vocat *Dioscorides l. 5.* eo quod vitium morbo medeatur: *M. Cato* etiam *de re rustica c. 95.* pultem præscribit ne fiat in vineis convolvulus, verum dubito, an hoc nostrum insectum, quod volatile est, pulte aut alia illinitione fugari possit. Laboriosius extirpant singulis annis perniciem hanc *Ringavi*, assignatis enim temporibus è quaque domo deputantur, qui è vitibus colligant ipsum animal, & convoluta folia ovis fœta, & urceo aqua semipleno injiciant, ut vesperi in unum cumulum ante Prætoris ædes aut in foro coacerventur, & superstructo igne & individua & species conflagrant, aut saltem quivis domi suæ aut in vinetis animalculo huic non parcit.

Dabimus forsan aliàs plures de hoc insecto Observationes, cum plura mihi dicenda sint, sed nondum exactè cognita & satis examinata.

[*Moguntiâ 11. Decembr. Noribergam missæ.*]

OBSERVATIO CXII.
Dn. GEORGII EBERHARDI RUMPHII,
De
Ovo marino, Porcellanis, ſeu Conchis venereis.

MItto ſub numero 39. Ovum, quod Porcellanæ eſt ſpecies: tota eſt alba, Incolæ eâ ſuos clypeos exornant: unde Malays Bia Saloaceo, i. e. cochlea clypearia dicitur. Apud ſylveſtres noſtros nemini eas geſtare fas eſt, niſi Heroibus, qui multos hoſtes interemerunt. Videatur Fig. XXVI.

Porcellana guttata, quæ & concha Veneris guttata & matriculus dicitur (ſub Num. 37. miſſa) ſatis nota eſt in mediterraneo quoque mari. Galli eam Porcellain ſive Porcellanam vocarunt à forma porci, ſive pudendi muliebris, unde & Græcis Chœrinæ dicuntur. Ab hac porrò concha nomen ſuum ferunt pretioſa illa vaſa Sinica, vulgò Porcellanica dicta, vel ob lævorem, vel quod antiquitùs exiſtimarint, illa è contuſis cochleis marinis, albumini ovorum permixtis & in multos annos defoſſis, confici. In tranſitu notum facio Europæis, qui forſan vaſa illa Porcellanica poſſident, ut illa ſtudioſè aſſervent, quia hodiè non amplius in Sinarum Regionibus conficiuntur ob Tartarorum barbariem, qui artifices antiquos (ut fama eſt) extirparunt, & omne, quod nunc conficitur, ex Jappone venit, bonitate vaſis Sinicis multùm cedens.

Porcellana literata, minor eſt, & repræſentat Scripturam Arabicam. Vid. Fig. XXVII.

[Ex Literis ad D. Chriſt. Mentzelium A. 1683. ex Inſula Ambona miſſis.]

Fig. XXVI. & XXVII.

SCHO-


Ovi inversa facies.
Ovum marinum Rumphii.
Fig: 26.
p. 222.


eadem inversa.
Porcellana literata.
Fig: 27.
p. 222.



SCHOLIUM.

NOtæ ſunt hæ conchæ marinæ, quæ Venereæ à quibusdam dicuntur, & quarum primam Cl. Rumphius Ovum à ſimilitudine vocat, unde R. P. Buornanni in tractatu ſuo nuper Romæ edito, dicto, Ricreatione dell' Ochio e della mente pag. 226. inquit: Concha Venerea lattea così detta, poiche, in tutta ſuperficie eſteriore imita il candore puriſſimo di latte, e più longo che un'uovo di gallina &c. Videatur etiam Aldrovandus libro 3. de Teſtaceis & in ſpecie Conchis Venereis c. 82. ubi deductionem vocis Porcellanæ eandem cum Autore noſtro habet, cujus tamen rationem Aldrovandus neſcit, & Autor noſter ponit, ſicuti quoque modum vulgò traditum vaſorum Porcellanicorum conficiendi. Χοίρονα, ab Ariſtophano dictæ, quibus olim in ſuffragiis uſi ſunt.

[Chriſtian. Mentzelius.]

OBSERVATIO CXIII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Potu Calido.

p. 260

VIvit in hoc noſtro Perilluſtri Collegio Vir Magni nominis, & de Republica literaria hucusque optimè meritus, quique & nunc Magnum Eximiumq́ue opus molitur. Hic tam æſtivo, quam hyemali tempore ſemper potum calidum bibit, nec unquam frigidum, quem & ſuæ valetudini ſalubrem & proficuum experitur, & arbitratur ſe jam dudum mortuum, niſi hoc potu calido, uteretur. Meumq́ue votum eſt, hic adhuc diu literato orbi ſua Eruditione præluceat.

SCHOLIUM.

Clcien

OCcasione hujus potus calidi, paucis quædam differam de potu Theæ, qui jam inter Magnates & præcipuæ dignitatis homines in frequenti usu est. Quid Thea sit, arbitror constare ex *Obs. IV. Decur. II. Ann. IV. p. 7.* & elegantem observationem de isto potu cum Curiosis nostris communicavit Nobiliss. Dn. *Daniel Crüger c. l. Obs. LXIV. p. 140, 141. 142.* Mihi etiam multis de causis potus ille adeo frequens suspectus est (1) *propter nimiam copiam aquæ*, hanc enim non fert omnis ventriculus sine noxa, & haud fieri potest, quòd non nimius ejus potus fermentum ventriculi hebetet, & si assumatur in tali homine, qui cacochymia laborat, in illo revera nihil aliud efficiet, quam ut cacochymiam augeat, cachexiam vel etiam hydropem causetur. Dices forsan aqua *Theæ* corrigitur? ℞. Nulla aquæ correctio potest fieri ab hac herba. E. g. sunt homines, qui aliquot libras aquæ sorbillant, ad tantum pondus aquæ vix ℥i vel ℥ij infunduntur, si nunc sinimus illam aquam, quæ *Thea* tincta est, evaporare, quod remanet, vix granorum duorum quantitatem excedet. Jam quæritur, an tam exigua *Theæ* quantitas tot aquæ libras possit corrigere, ne hæc suâ copiâ noceat, vel & majus damnum det, quàm dicta herba prosit. (2) *Effectus*, quem ei tribuunt, non Theæ ascribi potest, sed ipsi aquæ, illa enim effervescentiam sanguinis corrigit, illa podagræ seminium aliquantisper domat, si in ea aliquem Arthritici experiantur fructum, quem tamen credo valdè exiguum vel nullum esse. Aqua per se & natura sua in multis morbis Medicina est, proinde amplector Sententiam Excell. *Antonii de Heide* Obs. LXXVI. p. 159. *Quippe verosimile videtur Emolumenta quædam Theæ adscripta ab aqua calida potius esse deducenda.* (3) *Quod adhuc* quodammodo prosit, vel prodesse videatur, ratio est, quoniam hunc potum usurpant Primates, qui postea superinfundunt vinum generosum, sicque vitium cruditatis, quod nimia aquæ quantitas efficit, corrigunt. Multi etiam aquæ

aquæ Thea tinctæ illicò aliquam vini portionem affundunt, saccharumque admiscent, sicq; fit potus palato jucundus. Si æquè frequenter plebei, qui hunc potum vino diluere non possunt, biberent, plus damni quàm commodi afferret. (4) *Frustra* de hac herba vel frutice chinensi sumus solliciti, eundem fructum promitto ex chamæpitidis vel ex aliarum herbarum in aquam infusione calidam, præprimis hîc laudo Baccas juniperi. Die 31. Aug. Quidam Generosissimus Dominus Veronica modo Theæ, quo illa usurpari solet, meo jussu usus est, laudavit usum. Eodem die cuidam Pastori potus Theæ Gnaro propinavi infusum Betonicæ, pro potu Theæ, fraudem non animadvertit. Novi virum hic Kiliæ, hic quoties potum Theæ sorbet, toties ardorem ventriculi sibi contrahit. Et forsan majus emolumentum bibaculis istis *accideret.* (5) *Vitium* diabetis omnino metuendum est in istis bibaculis *Theæ*, si quippe nimius usus succi betulæ hoc vitium inferre potuit, quid obstabit, quòd non æquè Theæ potus hoc possit, cujus vim potissimum credo esse sitam in pellendo sero, & hoc in sanguine sequestrando. (6) Est *potus* magis politicus, quam Medicus, cujus beneficio conventicula optime possunt institui, in quibus deliberatur de negotiis, & quum Nationum quarundam consuetudo sit, frequenter guttur suum humectent, hoc potu sine metu temulentiæ abuti possunt. (7) *Optandum* tamen esset, in omnibus tabernis modicus ejus usus interduceretur, hoc pacto obviam iri posset freqenti temulentiæ & ebrietati, qua Deum gravissimè isti bibaculi offendunt, suaque bona dilapidant, quibus familia alenda est. Et loco *Theæ* herba quâdam Europæa uti liceret, credo in Europa nasci, quæ non solum *Theæ* defectum possent supplere, verum & *Theæ* facere dubiam palmam. Sed finio hunc discursum, & superius prælaudatos viros rogatos volo, judicium suum de hoc potu *Theæ* annectere placeat, cumprimis hoc beneficium pollicem mihi de Excellentissimo *Celso*. Celeberr. *Diomedes* hoc officio defunctus est.

[Ecce Nobilissimi Excellentissimi Viri judicium, quod ex literis Nobiliss. Dn. Diomedis excerpsi, hic enim Magnus Vir die 8. Augusti currentis anni in hunc sensum ad me scripsit, ut sequentia verba sonant]

Quid Tu, Nobilissime Nestor, de Herba (seu Frutice) Thee vel Thea sentias, non novi; cum autem meum requiras judicium, pauca hæc signare volui, utut jejuna & sterilia. Extemporaneum illud Theæ infusum, mihi nec ignoratum est, nec ingustatum; verum, si apertè loquar, neque beneficiis mihi, neque injuriis cognitum est: Sunt quidem, etiam in hac mea Patria, nonnulli hujus potus amasii, quos novi pulcherrimè; quantum autem ipsis ad sanitatem conferat, non novi, cum iidem apud me sæpius illa quærant sanitatis subsidia, quæ mutuari potuissent à famosâ Thea sua, modo hæc non staret infra vota. Invaluit equidem Hafniæ ipsius usus, sed nunc à multis ibidem fama sua minor deprehenditur. Certe, neque ego, neque maximus Socer meus, *Dn. D. Christianus Henricus Lusa*, plurima inclytus experientia, cuiquam hoc, vel dedimus, vel subtraximus, sorbillum. Si ego rectè posuero calculum, iis maximè proderit usus Theæ qui justo largiore meraco ventriculum inquietant, ut, hoc astu, naturæ inimicum restinguatur incendium. Percrebuit, novimus, fama, Serenissimo Electori Brandenburgico benè cessisse contra Podagram hunc potum; num verò huic soli Tubæ sua parentaverit mina murus iste Jerichontinus, nondum satis certo constat. Indifferentibus non incongruè annumerari potest Theæ potus. Ei, qui cum delectu hoc utitur, non nocet, qui sine delectu non prodest. Vale, Amice maxime, Collegii Curiosorum Decus, & hunc sententiæ nostræ consensum, nescio an dissensum, æqui bonique consule. Vale & redamare perge

T. T.

Diomeden.

SCHO-

SCHOLIUM.

Quanquam actum agere videri possem, desiderio tamen Amici denegare hoc officium cum haud valeam, tritum illud *Hippocratis* observandum inprimis esse arbitror, *sect. 2. aphor.* 51. omne scilicet nimium naturæ esse inimicum, vel quod *praced. aphor.* 4. legitur: *Non satietas, non fames, neq; aliud quidquam, quod naturæ modum excedat, bonum.* Uti verò non tam novitas herbæ istius, ex remotissimis Asiæ regionibus ad nos delatæ, quàm potius salutares ab ejus usu observati effectus, potum Theæ primitus Europæis persuasisse, suspicari licet: ita postea, qui mos est satis inveteratus multorum nostrorum hominum, non tantum sine ullo habito individui, temporis &c. discrimine, panaceæ quasi loco, potum hunc paulatim fuisse in usum ductum, ipsique in morbis eum effectum tributum, qui naturæ vires excedit, sed nimia quoque, & hinc plurimis inimica potius in quantitate, stomacho, & quidem etiam, una cum reliquo corpore, sanissimo, fuisse infusum, credibile est, Magnum itaque discrimen hîc occurrere arbitror, quanam in quantitate (ut alias circumstantias, brevitatis gratia, præteream,) bibatur. Quamvis etenim Sinis, aliisque finitimis populis creberrimus ejus fit usus, consuetudo tamen eos à noxa tutos utplurimum facit, ut jam ampliùs ipsis medicamentum haud sit censendum, quod aliàs ob naturam suam sano corpori adversam nocere posset; non secus ac vini potui largiori adsueti nostrorum aliqui, eundem sine notabili sanitatis periculo, quod ob revera medicamentosas vires inconsuetis aliàs metuendum, perferunt; quod & de cervisiæ, liquoris lupulati, & hinc medicati, coctique potu dicendum. Ut taceam, Asiaticos illos populos, Sinas &c. potum aquæ istius medicatæ licet sæpius per diem frequentent, unica tamen vice aliquot saltem paucarum scutellarum sorbillatione contentos esse. Excessum igitur, quem in exhauriendis una vice plurimis cyathis committere, & ita tonum ventriculi, magno

aquæ diluvio eum inundando, labefactare nonnulli solent, neutiquam probare possum; qui neque acidulas maxima in quantitate ingestas nostris satis proficuas esse, multisque fuisse damnosas, imò lethales, recordor, moderato è contra usu earundem desideratum salutarem successum per multiplicem experientiam confirmante. Sic Thee potum moderatum spem de eo conceptam in hypochondriacis aliquoties implevisse scio. Cum enim acidum humorem in eis utplurimum peccare constet, idem potus non potest non esse proficuus; aqua etenim, calidis suis particulis præterquam viscidicatem seri quod incidat promtiusque vasa corporis permeet, latitantem humorem acidum diluere atque imbibere, sicque largiori quantitate haustâ, per urinarias vias secum eliminare valet; qua ratione Exc. *Frider. Lossium consf. Med. 39.* Viro cuidam Reverendo aquæ potum in ventriculi aciditate, ad obtundendam eam, multarum nempe in corpore illius causam, commendasse reperio; Thee autem quia sale alcalico & particulis blande adstringentibus atque amaricantibus prædita est, quas leni coctura in aquam promte dimittit, non tantum noxam, si quam aquæ potus stomachi tono inducere posset, emendat, sed & multorum morborum causam corrigere valet; præcipuè cum largas satis particulas in aquam deponat, atque ejus drachma unica, meo quidem experimento, plus quam tertiam sui partem eidem communicet; quanquam & minori quandoque pondere eas dimitti, si non adeò bonæ notæ herba fuerit, haud planè negare velim. Quanquam & aquæ potum, tam frigidum quàm calidum, naturæ non tantum non noxium, sed proficuum & adcommodatum esse, vel aquæ potatores, sat vegeti, quin & Sinæ, omnia calidissimè, testante *Neuhofio*, bibentes, utplurimum tamen longævi, exemplo suo confirmant. Ob excessus itaque qui in herbæ hujus usu passim committuntur, abrogare ipsum usum circumspectum nollem. Fateor equidem posse multas alias herbas simili modo in aqua decoqui, calidèque sorbillando, ob egregias vires, in usum duci, aut etiam huic herbæ Thee

bæ Thee in certis casibus subrogari; cujus sanè exempla in multis, quæ passim commendant, Decoctis Galenici nobis subministrant; quæ ideò non displicere adeò prorsus deberent; aut etiam fortè multis placerent, si simplicitate grata gauderent, nec herbarum &c. farragine multis nauseam facerent: intereà tamen fatendum est, non tantum adcuratiori examine (quod nuper Vir quidam clarissimus monuit) magnam in herbis, quæ Thee substitui solent, intercedere differentiam, quin & specificas aut seminales à primo ortu eis impressas esse virtutes, frustrà ab aliis, licet forma externa, odore, sapore, aut alia qualitate analogis, exspectandas; sed & ægrorum hîc sæpè quid dandum esse desiderio & gustui, quem porrò, aliam substituendo, fallere, confidentiam, magnum illud in morbis feliciter curandis momentum, facilè, si innoxia cæteroquin fraus innotescat, aqud quosdam, hypochondriacos inprimis, tollere posset.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXIV.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Usu Bufonum medico.

DIe 8. Saturn. Maji Anno 1686. Quidam Generosiss. Dn. von Thinen, consilio meo adversus morbum uteretur suum, rus in aulam accersivit: inter alia discursus de bufonibus incidit. Narravit mihi prælaudati Domini von Thinen Perillustris conjux de quodam concionatore, qui homini furibundo in vertice capitis bufonem exsiccatum imposuit, quo facto illico furoris æstus sedatus, homoque sanatus est: proinde optime *Petrus Johannes Faber cap. XXIV. Myrothecii l. 7.* dicit: ubi posuit natura mortem, ibi etiam vitam collocavit, ut morti mederetur. Ex bufonibus salem prædictus *Faber* multis morbis curandis utilem parat. Revera in natura

 nihil

nihil tam abjectum, quod non eximiarum virtutum in genus humanum promptuarium est, & ex quo non divinæ bonitatis character emicat. Idem *Faber l. 5. c. 8. p. 631. panchymiæ* pulchrè explicat, quomodo suo veneno bufo mustellam ad se attrahat. Etiam erudita sunt quæ de Bufone Excell. nost. *Avicenna Sect. 3. artic. 3. §. 15. p. 179.* in suo *Regno animali curioso* opere discurrit. *Bufo* in terra gradiens aquilæ in aëre volitanti alligatus, est materia Lapidis philosophorum. *Michael Majerus in Symbolis aureæ Mensæ l. 5. p. 192. Avicennæ* tale Symbolum assignat: Aquila volans per aërem, & bufo gradiens per terram. Ipse *Michael Majerus* inter sua insignia hoc Symbolum in imagine delineatum repræsentat. Forsan indultu Rudolphi Imperatoris, cui fuit à consiliis, & eo denotatur quod fuerit adeptus. Cæterum hac nostra Holsatia oriundus.

Conferatur Exc. nostri *Arionis historia curios. Bufonis* nuper edita, *sect. 2. membr. 2. cap. 1.*

OBSERVATIO CXV.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
Causa ardoris urinæ singularis.

ANno 1684. Vir quidam mihi conquestus se sæpius data opera urinam suam in lapathum acutum reddidisse, hocque modo factum est, vehementissimum inter mejendum ardorem experiretur, ita ut medicam manum adhibuerit, & emulsiones ex quatuor seminibus frigidis cum aqua hordei factas biberet, inde levamen sensit, curatusque. Eodem consilio Anno 1686. in urticas urinam suam reddidit, exinde ipsi nullum malum evenit.

SCHOLIUM.

MIrum est, Lapathum, cum temperatæ alias censeatur esse naturæ, tantum ardorem concitare potuisse, quem forte à

te à latente sub eo, vel prope illud alia herba &c. acriores atomos emittere apta, fuisse inductum, suspicari liceat, vel saltem aliud in viri illius urinariis partibus vitium delituisse, quod à mitioribus illis Lapathi exhalationibus commoveri, & dolorem hinc inferre potuerit; præcipue cum folia illius alvum subducere tradantur, atque Lapathis omnibus vim quandam purgandi inesse, experientia *Veslingii*, *Welschius* noster *Mictom. cent.2. obs.62.* notaverit; qua ratione particulas illud habere salinas, nitrosas, quæ serum liquare & commovere ac partes stimulare possunt, credibile videtur.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXVI.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

Arenarum innoxius esus, & venenum.

VIxit Hildesiæ Studiosus macilentus, facie pallida, totus valetudinarius, hic consilio nescio cujus, araneis vesci cœpit, quorum usu obesus factus, & bonæ valetudini restitutus est, summoque desiderio araneas venari solitus, nec minori appetitu comedens: Ex Relatione *Dn. Andreæ Ernesti Evers Studiosi Medicinæ.* Vivit etiam in mea patria Liber Baro ex Perillustri stemmate de Kniphausen, & hic avide & affatim iis insectis venenatis vesci consuevit. Ex Relatione optimæ meæ Matris, quæ ipsum novit. Confer *observ.22. pentecost.1. cent.2.p.232.233.* Excellentiss. *D.D. Cornelii Stalpart von der Wiel*, Amici & Fautoris mei honoratissimi. *Anni 2. obs. Ephemerid. obs. 10. fol.29. Rhodii cent.3.fol. 20. Caspar. Reys q.63.fol.484. Blancardi cent. 5. obs. 43. fol. 52. Albert. Magn. l.7. de Animal. tract.2.c.5. Ludovic. Cæl. Rhodigin. l.11.c.13.fol.109. Borell. cent.3.observ.19. fol.212.* Et jam novissime *Anno 4. Dec.2. Ephemerid. obs. 70.* narrante Excellentiss. Dn. Collega *Ehrnfrido Hagendornio p.147.* Aranei, præter alia commoda, quæ præstant,

ſtant, etiam hoc commodum afferunt, venenum ex aëre ſugant, attrahantque, & niſi hæc inſecta in aëre volitans venenum attraherent, multis modis id noxam afferret. Nam quod de *Fonte* Son ſcribit *Petrus Johannes Faber c.11. Hydrag. ſpag.* hic de veneno fontis hujus aſſerendum eſt, quod potens eſt & validum cum ſpirituale ſit, & nondum in corpus coagulatum, ſed ſemen veneni habeatur, unde potentiſſima eſt ejus actio. At ſi coagularetur in corpus aliquod, minerale, animale, aut vegetabile, tandem ejus venenum ceſſaret & evaneſceret, &c. Eodem modo arbitramur; venenum in aëre volitans ſpirituoſum eſt, & niſi in corpora animalium vel vegetabilium coagularetur, quam maximè noxium foret. Quare quemadmodum bufo dicitur Burſa veneni Magnetica, ſcilicet terreſtris; eodem modo & aranea eſt Burſa Magnetica veneni aërei. Hoc autem multo ſubtilius & efficacius eſt terreſtri. Addimus adhuc quædam verba *Fabri*, quæ *c. l.* recitat. Fons hic ſitus eſt, inquit, in pyrenæis, prope montem Tabor nuncupatum, Hiſpaniam verſus. Hujus fontis ſcaturigo parva, eſt napello circumdata, & inde venenoſa, animalibus cunctis, quæ ex eo bibunt fonte, lethalis eſt potus, & quidem intra parvum ac breviſſimum tempus. Nihilominus ſi napelli quantitas tanta non eſſet, quanta eſt, exiſtimo venenum fortius hujus fontis eſſe, & in omnes transeuntes ſævire poſſe: At quia napelli productio majorem veneni vim ad ſe trahit, ideo minor eſt veneni hujus virtus, ſic Deus mali totius naturæ victor & moderator, malum hoc minuit germinante & pullulante napello, qui venenum hoc coagulat, & in ſui ipſius corpus figit; & condenſat, & ſic volatilem & communicabilem ejus naturam compeſcit. Simili modo venenum aëreum, poſtquam illud attrahant aranearum aliorumque inſectorum copiæ, minuitur, & in corpoream molem addenſatum hebetatur. Et revera! venenatorum animalium inſectorumque creatio inſigne divinæ ergo humanum genus benignitatis teſtimonium eſt. Quod ſi Deus ſolum ex terra animalia venenata & plantas vene-

venenatas tolleret, nemo hominum vivere quidem posset ad momentum temporis. Quam utilia ergo sint venenatorum animalium agmina ejusdemque indolis plantarum germina, verbis exprimi non potest, neque carent usu Medico: Curiosa sunt, quæ de araneorum usu Medico Excellentiss. noster *Avicenna* literis mandavit in suo de *Regno animali Tractatu artic. 7. §. 10. p. 164. 165.* Subsisto, plura procul dubio addet subsequens ætas. Et hactenus de venenis nihil quod eorum admirandam naturam plenè explicat scriptum est. Unicum hic quæritur (1) an detur aliquod venenum universale, quod omnibus hominibus & animalibus lethale? (2) An illud sit animalis, vegetabilis, vel mineralis familiæ? Ego hæc malo ab aliis me doctioribus definiri! Interim ad primum mihi affirmativa placet. Ad secundum dico, quod hoc sit mineralis naturæ, si verum est, quod Lapis philosophorum, qui est Medicina universalis, & Mineralibus componatur, quod est unanimis adeptorum Sententia. Quemadmodum nunc datur Medicina universalis curans, sic etiam datur venenum universale destruens. Dato unico oppositorum, datur & alterum. Lapidis verò universalis vel philosophorum existentiam nemo sanæ mentis negat, eamque asserunt ex professo *Michael Majerus* in Symbolis aureæ Mensæ; *Libavius; Daniel Morhofius; Caspar Cramer; Johannes Arndius; Valentinus Weigelius*, qui & ipse adeptus, & aureum vellus conscripsisse dicitur. *Johannes Gerhardi; Johannes Adamus Osiander.* Et nos peculiari opusculo eum asseruimus, quem propediem (Deo vitam viresque concedente) cum erudito orbe communicaturi sumus.

OBSERVATIO CXVII.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Miro visus symptomate.

ANno 1686. 14. Maji ad me accessit femina, ex pago dicto Broderedorff / nomine Anna Christen annorum 35. ætatis: Hæc mihi de quodam miro visûs affectu conquesta; scilicet manè usque ad horam decimam perfectè videre legereque potest, meque præsente hora 9. matutina legit. Circa decimam visus caligine obducitur, ut non queat legere, sed literæ solito majores ast fractæ apparent. Antequam caligo ingruit, cutis in fronte convellitur. Oculi ipsi semper sicci sunt, nec unquam sordes ex iis effluunt; multis sine successu usa. Optimè omnium profuit vesicatorium, quo fluente optimè vidit, recluso autem rediit caligo. Dabam ei Tragæam ex *cortice Winterano*, *costo*, *cassia caryophyllata*, *semine fœniculi*, *foliis Sennæ*, *diagridio*, *tartaro Vitriolato &c.* Die 7. Junii ad me rediit, usumque pulveris laudavit, optimè vidit, quamdiu illo usa est, ut legere potuerit sine impedimento, quadam autem interveniente tristitia rursum visus debilitatus est. Suasi fontanellam, quandoquidem vesicatorium tam proficuum & oppidò utile experta fuerat. Ego fontanellis multum in similibus morbis ut & catarrho tribuo, utut quidam Magni Viri fontanellas rejicant, & ipsis catarrhus deliramentum videatur. Mihi placet arridetque aliquis in arte Medica *Syncretismus*, proinde Antiquos veneror, modernos vel recentiores demiror, utriusq; Sectæ pro re nata sector dogmata, in nullius autem verba juro; aliquid & mihi tribuo per Dei gratiam.

OBSER-

OBSERVATIO CXVIII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

De

Febre singultuosa.

UT morem geram petitioni Excellentiss. *Oribasii*, *quæ petiit, ut observationes à Collegis Ephemeridibus communicatas, cumprimis practicas, datâ in eam rem occasione, periclitentur, atq; ubi aut similia observare, aut effectus dexter contigit, suo easdem testimonio roborare non graventur; idem peto ab omnibus* honoratissimis Dn.Dn.Collegis, hoc facto, plurimum commodum ex nostro labore in ægros redundabit ac arti Medicæ insigne augmentum accedet. Et quoniam hodie Nostra Medicina quodammodo in *aliquem Scepticismum* degenerat, apprimè necessarium est, Experientiam rerum omnium Magistram sequamur. Ecce ergo Observationem, quæ respicit Excell. *Oribasii* Observationem *de febre maligna singultuosa non lethali, Ann. IV. Decur. II. Observ. 156. pag. 292. 293. 294. usq; ad 299.* *Anno 1686.* die 27. Maji Quædam Generosissima Matrona ad me ablegat pedissequam suam, me de duobus ægris in Uppendorff (quæ Toparchia ad Generosiss. Dn. *Alefeld Regiæ Majest. Daniæ Vice-Colonell. Strenuissimum* pertinet) gravi morbo decumbentibus consuleret: Scilicet Filius delirabat & agrypniâ vexabatur invincibili, præterea jam sextiduum corpus singultus vehementissimus quassaverat. Hujus petito annui & in nomine Jesu juxta Methodum Excell. *Lentilii* præscripsi ægro (1.) ℞. *Specier. diacret. Mynsichti* ℈iij. *Bezoar Mineral. Lapid. prunellæ* āā ℈iß. *Laudani opiati* gr. vj. M. F. pulv. divide in tres partes æquales. (2.) ℞. *Fermenti acerrimi* ℥j. *Theriacæ* ʒiij. *Nuc. Musc.* N. I. M. F. *Cataplasma sine igne cum Oleo Menthæ* ʒß. detur in duplo. (3.) ℞. *Sem. Melon.* ℥j. *Pap. alb.* ʒj. *Amygd. dulc. excortic.* N. xxx. M. F. *l. a. Emuls. cum aq. Scorzo-*

neræ compoſitæ ℥xiij. detur edulcoratum ſaccharo perlato. Ejusdem Ruſtici patri eodem malo ſingultuoſæ Febris laboranti in nomine Jeſu præſcripſi. (1) ℞. *Diaſcordii Fracaſtorii* ℈iiij. *Theriacæ cœleſtis* gr. vj. *Lapidis prunellæ* gr. xx. *Specier. diacret. Mynſichti* ℈ij. M. F. l. a. Bolus, divide in tres partes æquales. (2) ℞. *Aq. Scorzoneræ compoſitæ* ℥iij. *Acaciæ* ℥ijß. *Aq. Sambuci* ℥ij. *Spirit. Sambuci* ʒj. *Diaſcord. Fracaſt.* ʒv. M. detur. (3) ℞. 4. *Semin. frigid. maj. excortic.* ãã ʒiij. *Sem. pap. alb.* ʒij. *Amygd. dulc. excortic.* N. xx. *M. F. l. a. Emulſio cum aq. Scorzon. compoſit.* ℥xij. detur ſacch. perlato edulcoratum. Ambo (Dei auxilio) curati, pater prius, poſtea & filius cum matrem jam ante idem morbus necaſſet, quæ meo conſilio non uſa fuerat.

OBSERVATIO CXIX.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI

Contumaciſſima Menſium Obſtructio curata.

ANcilla quædam ex Toparchia Borghorſt (quæ pertinet ad quendam Generoſiſſimum & Perilluſtrem Dominum von Thinen, & duobus milliaribus Kilia diſtat) juſſu Generoſiſſ. Dn. conjugis ad me acceſſit An. 1683 27. Octobr. & me conſulit de contumaciſſima menſium Obſtructione per triennium durante, itaque peſſimis ſymptomatibus, quæ ejusmodi ſuppreſſionem ſequi comitarique ſolent, laborabat. Annui Generoſiſſ. Dominæ Mandato, (quam & jam pridem graviſſimo morbo decumbentem (Dei gratia) liberaveram) & ancillæ in nomine Jeſu præſcripſi: (1) quod ſequitur ℞. *Caſtorei optimi* ʒj. *Myrrhæ optimæ* ℈ij. *Sal. Succini volatil. Flor. Sal. Armoniac. Sal. C. C. vol. non depurat. Sal. artemiſ.* ãã ʒij. *Croc. optim.* ℈iijß. aff. *Spirit. vini rectificatiſſ.* ℥viij. & inf. per horas 38. in vitro optimè clauſo, & pone in calida arena, poſt detur filtratum infuſum. Sign. Oeffnungs-Tinctur. (2) ℞. *Reſidui magmat.* q. eſt pulv. *Sabinæ* ʒiiij. *Chalyb. aperitivi* ʒijß.

Can-

Cantharid. ℈ij. *Conserv. artemisiæ* ℥j. *Boragin.* ℥jß. *Zingib. condit.* ʒvij. *Pulv. Cinamom.* ʒj. *Brodii* Radic. *Zingib. condit. q. s. Elæosacch. petroselin.* ʒv. M. detur Electuarium. (3) ℞. *Aloës lucidæ* ʒj. *pilul. fœtid. maj. Gumm. Armoniac. Myrrhæ Magist. Chalyb. aperitivi* āā ʒjj. *Castor.* gr. x. *Scammon.* gr. x. *Ol. succini* ℈ß. *Sabinæ* gutt. v. M. F. l. a. *Pilulæ pro* ℈jß. *N.* xv. *cum aq. Sabinæ involvantur succino.* Horum Medicamentorum usu (Dei auxilio) restituta est, cum jam antea multa adhibuisset sine successu.

OBSERVATIO CXX.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

Aliud curatæ Mensium Suppressionis Exemplum.

GEnerosissimi Strenuissimique cujusdam Chiliarchæ ex Perillustri antiquissimoque Stemmate de *Alefeldt* conjux laborabat mensium suppressione *contumaci*, hæc Perillustris femina adversus hoc malum, quod sæva symptomata gignit, & comitantur, meam sollicitavit opem, huic succurri in Nomine Jesu præscribendo ex Sylva Medica p. 189. *Pauli de Sorbait*, utpote: *Excava pomum arantium, imple croco, &, chartæ madidæ involutum, coque sub cineribus: Coctum impone tribus sextariis vini albi. De hoc dentur sæpius 4. cochlearia.* Hujus usu menses redierunt, qui diu fuerant suppressi. Sicque Deus huic Medicamento etiam benedixit, pro quo beneficio ipsi æternas debeo grates! sicque canoni *Arnoldi de Villa nova satisfactum est. Morbi quos generat evacuationis cessatio eadem redeunte vel revocata cessabunt.* Doct. IV. c. 1. §. 2. p. m. 106. Ego hujus Viri Scripta magni facio: plusque certitudinis Eruditionisque inest, quam magnis quorundam recentiorum voluminibus, quibus volupe est, novis inauditisque terminis artem Medicam per se claram & facilem incrusta-

re obscurareque, Ego jam totus revertor ad Veterum Scripta, & nihil sciunt novi, quod & non antiqui æquè benè & perfectè intellexerunt. Ego dico cum *Nobiliss. Diomede* nostro in Epistola Erudita die 25. Julii ad me scripta: *Ego & antiquioris & recentioris Medicinæ Consultos æstimo; sed illorum, in firmandis Medicinæ pomœriis voluntatem, horum; facultatem inprimis laudo.*

SCHOLIUM.

QUædam de mensium in mulieribus fluxu hoc loco commentari placet. Quam commentationem, utut brevem, in aliquot quæstiones dispescemus. (1) An & præter feminam, in alio animalium genere etiam aliquod animal hoc periodico laboret fluxu? ℞ *Johannes Otto Helbigius Dec. I. Ann. X. Ephemerid. obs. 144. §. 9. p. 456. in Simeis & Rajis piscibus ordinarium mensium fluxum hac in India observavi.* Quod experimentum *Helbigii* refellit *Aristotelem l. 3. de Generat. animal. c. 1.* scribentem: piscibus etiam, ut avibus, menstrua nulla prodeunt. *Frigidior enim natura piscium est. Idem* Philosophus l. 6. Hist. animal. c. 18. p. 980. *purgatio menstruorum fit quidem & cæteris, sed nulli æque ac mulieri. Ovi, & capræ tempore coëundi, indicantur, quod idem post coitum etiam fit ad tempus, mox desistit, donec parturiant: tum denuo indicatur quare pastores proximum esse partum intelligunt. A partu autem purgatio sequitur abunde: primum leviter cruenta, postmodum valde, vaccæ, asinæ, equæ, modò quidem amplior e quam supradictis emittitur, utpote magnitudine excedentibus, sed multo ex proprotione minus. Bis itaque fæmina, cum coitum affectat leviter purgatur, quantum hominæ dimidium, aut paulo plus. Tempus autem coëundi tum potissimum est, cum purgatur. Præter fæminam & viros pati menstruorum fluxum constat ex Decur. 1. Ann. 2. obs. 142. p. 294. Vol. III. Act. Haff. obs. 18. p. 30.* & *Decur. 1. Ann. 6. 7. obs. 44. p. 39. Decur. 2. Ann. 1. obs. 70.* Et apud Excell. D. D. *Cornelium Stalpart von der Wiel cent. 1. obs. 80. p. 260. 261. 262.* vivit & hic in Aula Gottorpiensi

piensi Serenissimi Celsissimiq; Principis Domini Mei Clementissimi Nobilis, qui & juxta lunæ phases suum patiebatur menstruorum fluxum, nomini parco, quoniam ex Perillustri familia ortus, nec & forsan gratum esset, publicè innotesceret, & ipsi quid cum sequioris sexus personis commune, qui in omnibus aliis suis actionibus strenuissimum agit Equitem. Et concludimus hunc discursum verbis *Kozack* Medici Bremensis *l.I.c.VIII.p.235*. Ita sunt quoque multi mares, qui sanguinis fluxum menstruum patiuntur, si non per genitalia, tamen per venas hæmorrhoides. Et quendam militem in oppido Wansleben infantem, mortua conjuge, lactasse, scio ex relatione *Dn. Andreæ Ernesti Evers* Med. Studiosi.

(II.) *Ut &* nunc liberemus fidem vel promisso satisfaciamus, quo *Decur.II. Ann.I. Observ.70.p.171.* promisimus agere de causis fluxus menstrui in femina & viro, jam aliquid circa istius ætiologiæ scrutinium conabimur. Dicimus itaque quod sanguini impressa sit hæc proprietas seminaliter, justo statoque tempore effervescat ac ebulliat, ac in illa ebullitione, non secus ac mel igni appositum spumam evomit, suam quoque impuritatem à se sequestrare ac ejicere. Sic & mare habet suum tempus, in quo despumat. Utut nunc hanc virtutem sequestratricem habeat innatam, ea autem astrorum influxui respondet, non quod ab eo causaliter menstrua purgatio dependeat, sed analogia Microcosmi tanta est cum Macrocosmo, ut alteratio unius & alterum alteret propter consensum. Hic enim seminaliter sic dispositus est, ut omnes alterationes Macrocosmi in se percipiat. Nec malè comparatur rerum sublunarium systema cum horologio, sicut in hoc primum mobile motitat omnes rotas, omnes autem rotæ originaliter sunt dispositæ ad primi mobilis influxum recipiendum. Sic & omnis pars in isto systemate sic disposita est ad recipiendum influxum primi motoris. Quemadmodum autem primo mobili in horologio non accepta referenda est aptitudo rotæ, qua ejus influxum

fluxum recipit, sed artifici. Sic etiam in sanguine est illa dispositio nativa, certo tempore sordes quasdam à se eliminet, & hæc sordium eliminatio in sanguine analoga est cuidam in Macrocosmo motui, quo humida se purgant. Quando autem in viris simile quid accidit, nulla alia ratio est, quam quod illorum sanguis ad similitudinem mulierum sit dispositus.

(III) Quonam anno ætatis menstrua effluere soleant? Hoc jam expendemus; illa menstruorum eruptio valde variat, quibusdam admodum juvenibus illa purgatio evenit, aliis tardius, certum tempus tanquam immutabile non servat: Ante pubertatem erupisse rarissima quædam exempla habent *Bartholinus Cent. III. Obs. 11. Tulpius L. 3. Obs. 36. Burgois l. obstetric. observ. 17.* Octiduam puellam menstruosam commemorat *Johannes Schmid M. D.* Dantiscanus. *Dec. I. Ann. IV. Ephemerid. p. 25.* Eodem modo & tempus, quo hic fons exarescere solet, maximè fallat & incertum. Quibusdam 50. ætatis anno, vel & citius desinunt. *D. Johannes Laurentius Fehr Ann. I. Dec. II. Ephemerid. Observ. 166. p. 392.* narrat exemplum de fœmina, cui post 60. ætatis annum quasi postliminio & multos annos suppressi, redditus sit fluxus menstruorum. *D. Pruckelius Dec. I. Ann. IX. Ephemerid. Observ. 10. p. 46.* mentionem facit fœminæ, cui sexto supra septuagesimum anno rediit menstruorum fluxus fonticuli in dextro crure excitati occasione. *Solenander Sect. 5. Consil. 15.* Nobilis Fœmina ex *Dorbeck*, novit mulierem 103. annorum honestam, quæ cum esset annorum 101. recepit menses ordine fluentes magna commoditate naturæ & valetudinis. Retinuit istum ordinarium fluxum annos 101. 102. 103. sed hoc anno profluxibus eisdem tentata occubuit.

Marenschalkia Plettenburg ex Ketleris nata, nobilis fœmina cum ageret annum 70. & amplius recepit suos menses, ordinatè valens, & retinuit annos quatuor. *Bumgardica* novit fœminam 76. annorum, quæ statis temporibus gaudebat ad paucos annos mensibus ordinariis, cum tandem copiosiore fluxu periclitata & exercitata vitam finiret. Addo, *Johannes*

Henrich

Henrich Voigt Mathematicus mihi narravit exemplum de septuagenaria, cui menses fluebant. Quicquid tamen sit, amplector terminum *Vandeli l.1. de aff. mul.* scribentis: Cessant aliquando Menses 60. anno, sed ultra hoc tempus nunquam protrahi possunt. Exempla à nobis adducta sunt rari commatis, quæ ordinario naturæ cursui non præjudicant.

(IV) An hic fluxus adeo necessarius? *Sinibaldus Geneantropejæ l.6: tract.1. c.11. p.597.* si sanguis menstruus, inquit, generationis est proximum elementum, fieri nulla ratione poterit, (unusquisque proferet,) ut mulier, cujus non madescit menstruali sanguine uterus, concipiat, quod experimento probari palam videmus, quandoquidem steriles existunt, quotquot menstruis carent mulieres. Quæ verba *Sinibaldi* necessitatem menstrui sanguinis astruunt absolutam, sed tamen sub hac conditione, *si sanguis menstruus, generationis est proximum elementum &c.* sub hac restrictione *Sinibaldo* subscribimus exempla, quæ in contrarium adducunt autores, nihil præjudicant *Sinibaldi* Sententiæ, ut ex hoc discursu patebit. Quippe, si negotium generationis bene expendamus, ordinario naturæ cursu generatio non potest fieri, nisi fluant ritè menstrua. Patet & hoc ex *Cap.18. Genes. v.11. Erant autem ambò senes, provectæq; ætatis, & desierunt Saræ fieri muliebria.* Ob id Sara ridebat, innuens scilicet suo risu, quomodo concipere posset, quoniam jam desierant fluere menstrua, quo fluxu desinenti simul extinguitur illa concipiendi facultas. Addit *Osiander & Cornelius à Lapide: Menstrua.* Et *Lucas Osiander* eodem modo reddit: *Desierant Saræ fieri muliebria*, id est, inquit, *menstrua cessarant fluere ratione senectutis.* Quare etiam hac de causa incredibile visum, parituram filium. Paria habet *Andreas Osiander. Vinarienses Theologi* eodem modo vertunt, & addunt locum parallelum *ex Genes. 31. v. 35.* *Conradus Pellicanus* eodem modo vertit, & in Commentario addit: *Id autem sine grandi miraculo fieri non poterat, quod ambo longæva ætate erant, & Saræ muliebria per ætatem desierant, ideò secum ridebat.* Clarius

Textum hunc habet versio *Leonis Judæ: Ut menses desiissent Saræ juxta morem fœminarum. Chaldaica Versio Onkelos* autore *Aria Montano. Et desierat esse Saræ consuetudo mulierum.* Confer *Valles. c. X. philosoph. Sacræ:* Annotata tamen sunt etiam Medicis exempla de quibusdam feminis, quæ talem fluxum non passæ, tamen conceperunt peperuntque. Vide *Hildan. Cent. 4. Obs. 41. Panarol. pentecost. 1. Obs. 17. Strauss. de fœtu Mussip. pag. 99. Reusner. in Syll. Obs. Welsch. Obs. Medic. 99. Dec. I. Ann. III. Observ. 132. Ann. VI. Observ. 64. Decur. II. Ann. I. Obs. 41. Ann. IV. Observ. 126. Marcell. Donat. l. 4. c. 23. Rhod. Cent. 3. Observ. 59. Laurent. Joubert. popul. Error. l. 2. c. 1. Brassavol. Comment. ad Aphorism. Hippocrat. 36. l. 5. Nicol. Florentin. Sermon. 6. tract. 3. c. 4. Bertin. l. 4. Med. cap. 6. fol. 61. Thom. Bartholin. Cent. 4. hist. 37. fol. 309. Trincavell. l. X. c. 3. Lazar. River. Pr. M. c. 17. Kozack l. 1. c. 12. p. 335. de Hæmorrhag. Et Cornelius Stalpart* von der Wiel *Cent. 1. Observ. 78. p. 258. Pentecost. 1. Cent. 2. Observ. 31. pag. 303.* Sed annumeranda sunt rarò contingentibus, quæ nullam legem faciunt. Plura de mensibus possent dici, sed apud practicos possunt legi! ego subsisto hîc.

OBSERVATIO CXXI.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

Infantis à partu difficili quasi emortui in vitam Restitutio.

QUotidiana experientia probat, sæpius infantes in partu adeò, ut nec vitæ minimum indicium inesse appareat, debilitari: inque ejusmodi casu, ut pusionem vitæ restituant, nihil intentatum mulierum grex relinquit; ast vix medium eo præsentius suppetit, quo vitæ, qua talis infans privatus videtur, restitui queat, quam si nutrix in infante debilitato sugat papillam sinistræ mammæ, hoc facto, illicò infans ad se redit, vitæque indicia præbet. *Accidit hîc Kiliæ Ann. 1686. die 24. Junii Henrich Waken Civis & Sartoris* conjux filium

lium masculum adeò in partu debilitatum (quoniam tres integras horas in partu humeris innixus hæserat) enixa sit, utque penitus mortuus videretur, & quicquid etiam molirentur præsentes prudentesque matronæ, sive vellicarent, sive setis pungerent, sive afflarent inflarentque, omnia in cassum tentata, nullum vitæ testimonium præbuit. Tandem cum nutrix papulam sinistræ mammæ in infante sugeret, illicò vitæ reddi visus. Idem remedium etiam ante in quadam ejusdem feminæ infante dextrè successerat, hocque consilium primo dedit quædam vetula rustica. *Hujusq; remedii ætiologia,* (nostro arbitratu) *in hoc sita est, scilicet suctione illa aperiri poros mammæ, per quos datur exitus vapori, qui cor obruit & angit, & sanguis qui circa cor hæret illudq; premit, ab eo avellitur, simulq; calore suctionis liquescit, ne prorsus grumescat.*

OBSERVATIO CXXII.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

Visûs debilis Restauratio.

INter innumera divinæ misericordiæ beneficia, visus, quo homines animantesque donati sunt, quoque dulcissima fruuntur luce, non minimum est: Hic si optima oculorum acie, benè dispositis, formatisque organis gaudet, habet merito, de quo sibi gratuletur, Summoque Deo gratias immortales devota mente dicat. Verum postquam post lapsum protaplastorum humanum corpus Morbonæ insultui obnoxium; & tandē analysi, quam mors atra inducit, in sua revertitur principia, etiam visus multis morbis subjici solet, ut multi vel cœci etiam nati, aut morbô visu privati, obambulent; si quidem hoc multa testantur exempla. Quomodo & gutta serena, suffusione, ungue, præter ophthalmiam, strabismum aliasque sexcentos morbos, laborent, palam est: Verum præter recensita vitia, quæ aciem oculorum hebetant, potest etiam accidere, cornea, quæ instar subtilissimi pellucidique crystalli, per

quam rerum ſimulachra in oculorum cameram intromittuntur, aliquam obſcuritatem vel tenebroſitatem, non ſecus ac vitra ſucceſſu temporis priſtinum ſplendorem vel pelluciditatem amittant, ſiquidem iis adhæreat pulvis aut etiam aêr obnubilet, contrahat; unde aliqua viſûs caligo. Adverſus iſtam viſûs caliginem Medici multa per experientiam didicerunt remedia, quorum hic meminiſſe inſtituti ratio haud ſinit. Solum hoc hîc commemorabo ex relatione fide digni Chirurgi ſuæque artis peritiſſimi *Ecklenſerdæ* habitantis nominati vom Dam. Hujus pater Paſtor ad caliginem viſus corrigendam multa adhibuit remedia, accidit autem quodam tempore loco ſuæ conſuetæ aquæ ophthalmicæ ſpiritum vitrioli acciperet; hoc oculos ſuos inungit, credens ſe aqua ſua ophthalmica uti, quid fit? oculi pungi & morderi incipiunt acrimonia iſtius ſpiritus, quaſi è capite evellerentur, aculeis ſpiritus hebetatis altero mane in pupilla quædam impuritas collecta inſtar pelliculæ, qua abſterſa, viſu acutiſſimo donatus, ut etiam 83. ætatis anno ſine conſpicillis in ſuggeſtu textum legere poſſet, non ſecus, ac ſi juvenis eſſet. Narravit hanc hiſtoriam prædictus Chirurgus die 21. Febr. Anno 1686. Mihi ſæpius pomum citri excorticanti ſuccus in oculos inſiliit, poſtea diſcuſſo dolore, viſus acies confortata viſa. Confer Excell. *D. D. de Muralto obſerv. 133.* & ad eam Nobiliſſ. *D. D. Celſi Scholium p. 269. Decur. II. Ann. III.*

SCHOLIUM.

DIſputari ſolet in Scholis an emiſſione vel receptione viſus peragatur? ℞ Hoc dubium melius ſolvi non poteſt, quam ſi expendamus, noſtrum viſum omnino per ſe nullam poſſe conſpicere ſpeciem, niſi clara adſit lux; lux ergo viſui noſtro repræſentat rerum ſimulachra, & hæc ut ſpeculo objiciuntur. Quemadmodum in ſpeculo nullum corpus, abſente luce, utut ei proximum, videtur, eodem modo, nulla ſpecies ab oculo noſtro percipitur, luce abſente etiamſi ei proxime admota ſit.

Patet

Patet ergo, quod per modum receptionis viſio peragatur. Si ab emiſſione dependeret, & abſente luce viſus ſuo officio fungi poſſet, ſed contrarium experimur: illa autem receptio duplex eſt (1) oculus recipit *lucem;* qua recepta (2) recipit ſpeciem viſibilem. Hanc noſtram aſſertionem probamus *ſecundo:* Verbis *Kyperi l.8. inſtit. c.5. §.13. p.480.* Nam talem ſpecierum viſibilium propagationem eſſe ipſi ſenſus confirmant, ſi quis in Camera obſcura chartam albam aut aliud vicem ejus ſupplens foramini exiguo aperto ante poſuerit: Quippe tum exteriora viſibilia in illa charta quaſi depicta conſpiciet. Atque ſic in oculis pariter fieri licet unicuique experiri. Nam artificioſa ſeparatione facta corneæ tunicæ à poſtica circa nervum opticum parte ſi oculus is alicui lucidæ rei objiciatur, quicquid foris eſt, id in oculo expreſſum apparebit &c. Sed inquies lux oculis innata eſt, ut inter alios probant *Bartholin. l.1. de luc. hom. c.14. 15. & 16.* & *Cælius lect. ant. l.8. c.23. 24. & 26.* ſicque lucem ex oculo ad objecta lumen emittere, cujus fulgore illuſtrata (ſunt verba *Valentini Scheid diſſert. ſua* eruditiſſ. *de Viſu vitiato ſect.1. §.67. p.33.*) objecta ad oculum redeant, atque ita viſu percipiantur. ℞. Lucem aliquam non ſolum oculis ſed & omnibus partibus innatam eſſe, non diffitemur. Hæc tamen lux non ſufficiens, ut ejus beneficio in tenebris aliquid videre poſſimus; ante protoplaſtorum lapſum, hujus lucis beneficio omnia etiam nocte videre licuiſſet, verum poſt lapſum hæc lux ſic in nobis obſcurata eſt, ut ad res videndas luce aliqua externa indigeamus, hacque remota in tenebris nihil viſu noſtro percipimus, & oculi noſtri tantum luminis ex ſe evibrare non poſſunt, quo res aliqua fiat viſibilis juxta ſuam figuram, & colorum diverſitatem. Gaudent tamen quædam animalia hoc privilegio, noctu quædam objecta per luminis cujusdam emiſſionem videant: E. g. catorum oculi, & ſerpentum fere omnium, noctu etiam lumen illud nobis oſtendunt: illud tamen lumen valde exile eſt, non longe ſpargitur, vident duntaxat, quod oculis illorum proximum eſt. Proinde emiſſionis patroni nullum firmum fun-

damentum suæ opinioni & innata luce substernere queunt. Sed visio peragitur per modum aliquem receptionis vel intromissionis. Quod ad hoc quæsitum sufficit. Unicum dubium adhuc ventilare placet: An lux sit substantia vel accidens? ℞ *Lucem* credimus esse *substantiam*, & quidem propter has rationes: (I) Quia Deus tum temporis, quo creabat lucem, occupabatur creatione substantiarum, non autem accidentium. Hæc lucis ad jussum divinum emicatio, qua tenebrarum Chaos dissiparetur, & omnia illuminarentur, probat ipsam revera esse substantiam & non accidens. (II) Quum ipse tribuatur tale prædicatum, quod de accidenti non potest prædicari, vel & ei competit. *Genes.c.1.v.4. Et vidit Deus lucem, quod esset bona.* Lux dicitur bona, quoniam habet bonitatem substantialem, & respectu suæ bonitatis etiam tales dotes possidet, quæ in totum substantiam constituunt absolvuntque. (III) Quoniam nullo adhuc existente sydere per integrum existebat triduum. Quod si esset accidens, debebat aliquid exstitisse, cui, tanquam subjecto inhæsionis, inhæsisset: sed tale nihil fuit, nec etiam ad suam existentiam tali subjecto inhærentiæ eget. Sol omnia lustrat, & tamen à nullo inquinatur, & in se ipso habitat; Eodem modo & *lux omnia illuminat*, à nullo tamen inquinatur, & in semetipsa habitat, ex se ipsa per modum evibrationis scaturit, & per modum invibrationis in semetipsam revertitur tempore scilicet noctis: *imo omnes proprietates lucis hoc peculiare* habent, *in omnibus* rebus sunt omnium mutationum vicissitudinumque effectrices, tamen cum nulla re ipsi tale intercedit commercium, ut vel ullo modo ab aliqua re aliquid pati possit, sed ab omnibus abstracta est, & nihilominus omnibus inhabitat rebus. Mirum est hoc paradoxon: *Lux omnibus rebus originaliter inhabitat, & tamen simul ab omnibus rebus, rerumq; intima essentia abstracta manet &c.* Lux semetipsam in omnibus immergit, nihilominus & immersa, ab rerum essentiis abstracta manet. (IV) Quandoquidem ejus magnitudo indefinita; talis autem magnitudo non nisi absolutæ substantiæ

ſtantiæ propria eſt, quale enim corpus eſſet, cujus lux eſſet aliquod accidens.

(V) *Lux eſt ſubſtantia*, quando ejus effectum expendimus, (1) illuminat aêrem & tenebras, quæ ſub Sole maxima ſunt entia. (2) *Per* omnes creaturas ſe diffundit. (3) *Lux habet vim incenſivam*, vel poteſt incendere res ſublunares. *Petrus Johannes Faber elegantiſſimus Philoſophus, & in Adeptorum Republica ex procerum ordine primipilus l. 1. c. 49. p. 97. 98.* Panchymiæ de eodem diſcurrit, noſtramque ſententiam ſic aſſerit, quem vide. Hoc unicum adhuc reſtat hoc loco examinandum, ſcilicet an Lux aliquem habeat colorem, & quinam ille ſit? ℞. *in Chiliade prima Cent. 9. Decur. 6. Epiſtol. 2. & 3.* quædam de hoc quæſito diximus, illa in compendium redacta huc transferemus. Verba, quæ ex dicto loco mutuamur, ita ſonant: Lux, quam Deus Trismegiſtus ex nihilo creavit, & quæ ſe ad juſſum ſuum ſiſtit vel repræſentavit, eſt omnium creaturarum, quas hic Mundus ſinu ſuo vel ambitu complectitur, pulcherrima & elegantiſſima, non tam ratione ſui, verum & ratione ſui effectus, quod omnia, quæ pulchra vel elegantia ſunt, conſpectui noſtro ſiſtat, ut ſunt, quorum etiam pulchritudo & elegantia à nobis non cognoſceretur, niſi lux adeſſet. Colores omnes, quibus res nobis arrident, beneficio lucis agnoſcimus, & diſtinguimus, tempore tenebricoſo nulla colorum apparentia, & quaſi vultus ſuos occultare videntur, rareſcentibus verò umbris colores quaſi è poſtliminio ad viſum noſtrum revertuntur, ac ferè idem eſt, quaſi nobis acceſſum lucis & ſibi etiam gratulentur. De ejus autem colore hoc loco quæritur, & quod ad hoc quæſitum attinet, dicimus, quod nullum omninò habeat colorem. Quippe ſi colorem haberet, & omnibus rebus ſuum colorem affunderet, vel ſuo colore tingeret; lux quippe eſt, quæ inviſibilia reddit viſibilia, & ſic conſpectui noſtro objicit, ut ſunt formata, eadem opera & labore, quo res viſui noſtro exhibentur vel objiciuntur, etiam colore ſuo tingeret, itaque etiam ſequeretur, quod omnia uno eodemque colore eſſent colorata;

ſic

ſic unus in orbe eſſet vultus, unus eſſet in orbe color, non ſecus ac tempore tenebrarum, quo cuncta umbris involuta, atra & nigra apparent, ſic & tempore lucido omnia ſic forent colorata, qualem colorem ipſis lux affunderet, e. g. ſi eſſet cærulea, etiam omnia cærulea, ſi flava, cuncta flava, ſi viridis, cuncta viridia &c.

OBSERVATIO CXXIII.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Uſu Aſtrologiæ in Venæſectione.

QUicquid ullo modo ad ſanitatem homini reſtituendam neceſſarium & utile arbitrati ſunt Medici, hoc ipſum non intentatum reliquerunt. Sicque inter præſidia, non minimum eſt venæſectio, qua ſanguis ex inciſa vena humani corporis educitur. In illa autem cum fructu adminiſtranda Medici certas notarunt regulas, quæ obſervari debent, ne temerè profundatur. Etiam Aſtronomi tempus, quo venæſectio adminiſtranda in ſuis Calendariis indicare ſolent: Et quandoquidem aſtra cum homine vel cum inferioribus ſublunaribus quandam habent harmoniam, merito ergo Aſtronomorum præcepta attendi debent. An autem omnibus Aſtronomis hîc fidendum ſit, in medio relinquo; Quilibet autem Medicus tantum ipſe in Aſtronomia intelliget, ut ipſe delectum poſſit facere, quousque iſtis præceptis fidem adhibere debeat, deceatque. Referam quod contigit hoc anno: Quidam Senator in antiquiſſimo oppidulo *Lutkenburg*, (quod in hac noſtra Holſatia ſitum) dictus *Buck* cum venam ſibi curaret ſecandam, eidem venæſectioni corpus ſuum quoque ſubjecit ejusdem uxor, quæ jam per aliquot annos de quodam affectu veſicæ querula fuit, de quo non ſatis conſtat an ſit ulcus vel calculus, utriusque non obſcura ſigna in urina videntur, ut utroque laborare concludam. Hæc poſt venæſectionem, quæ

quæ *in illa* die 30. Martii statim post plenilunium administrata (in quodam autem Calendario Dn. *Voigtii* hæc signa visa sunt ☍♀☍☿ quæ etiam in Excellentiss. Dn. *Thomæ Pancovii* fastis apparent.) Malè habuit in istis locis, in quibus dicto morbo laborat; scilicet illicò ardorem & vehementem æstum in uteri regione & intestino recto experta est. Causam istius symptomatis rejicio in dicta signa, cumprimis in ☿ & ♀, alii hac de re judicent.

SCHOLIUM.

DE multis hic discurrerem (1) an Venæsectio in totum rejicienda? (2) quid de astrorum influxu sentiendum? (3) quid de Uromantia judicandum? (4) an astra rectè nominibus idolorum nuncupentur? (5) an Astronomiæ cognitio Medico oppidò necessaria? Quicquid ad hæc quæsita respondendum sit, malo ex aliis audire, quàm ipse proponere. Solum hoc dico ad (3): Hæc morborum causas sæpius manifestat, proinde Medicus eam negligere non potest &c. Ad (4): Malè hoc fit: nam (1) hoc prohibet Scripturæ sacræ Codex *Exodi c. 23. Omnia, quæcunq; dixi vobis, servate, & nominis aliorum Deorum ne mentionem quidem feceritis, ne audiatur ex ore tuo.* Quo jure ergo Christiani dies & astra nominibus gentilium Deorum nuncupent, non videmus, e. g. Dies Martis, dies Mercurii, dies Jovis, Veneris, Saturni &c. sicque planeta Saturnus, Jupiter, Mars, Venus &c. Sunt quippe nomina sceleratorum hominum, qui facinoribus pessimis apud Ethnicos inclaruerunt, teste historia: nos Christicolæ his sceleratis hominibus, eorum nomina in ore nostro circumferentes, cultum quendam exhibemus; imò, nostro arbitratu, est quædam idololatria, & Deo fit injuria, si optimas ejus creaturas hac nomenclatura paganorum insigniamus, & Eum debito honore privamus, hocque est contra 1. & 2. præceptum Decalogi, dictumque Scripturæ; honorem meum alteri non dabo, hoc hîc fit: Nec ullo modo excusare possumus, nisi consuetudinem oppo-

namus; verum Christus non dixit, ego sum consuetudo; sed *ego sum veritas*: Neque desunt vocabula in sacris, quibus dies & astra nominare licet; apage ergò hanc idololatriam! Judæi hoc in puncto nobis meliores sunt, qui, si *Gaffarello* credimus, non duntaxat idololatriam, sed & illud, quod quodammodo idololatriæ simile, imò & nomen ipsius rei, quæ ipsis idolum videbatur detestati, abominati sunt, fuitque ipsis horrori terrorique: Sicque *& Deus, omniaq; ea in quibus vel odor aliquis idololatriæ subest, lege prohibita esse voluit* sunt verba *Majemonidis* (qui floruit 1180. in Ægypto) *Mor. Neroch: p. 3. c. 37.* ac inde factum, ut refert ipse *Curios. inaudit. c. 11.* ex rei veritate, quod Judæorum Astrologi septem planetis nomina dederint, non hominum, quibus apud paganos cultus aliquis divinus exhibebatur, sed alia nomina eorum naturam aut effectus nomenque referentia, Saturnum nominantes שבתאי quietem, Jovem צדק justum, Martem אדום rubrum, Venerem נוגה splendorem, Mercurium כוכב stellam, aut כתב scripturam. Publicam lectionem meretur Elegantissima Epistola Nob. D. D. *Johannis Christiani Frommanni*, quia aliquando mihi ad hoc quæsitum respondit, si liceret, communicarem cum Erudito, impetrata ab Excellentissimo Viro licentia, proximo anno, D. V. legetur! Quandoquidem sic Scriptura pronunciationem nominis idolorum prohibet, meritò hac nomenclatura abstinemus, prudens monet *R. Nachman in Talmud: Si res fuerit tibi clara sicut lux matutina, dic illam; si non, ne dicas illam.* Quique contrarium hîc defendunt, iis illud *Ciceronis l. 1. de Natura Deorum*, dictum objicio! *Quid tam temerarium tamq; indignum sapientis gravitate atq; constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit & cognitum, sine ulla dubitatione defendere.* Ad 2 & 5 Excellentissimus *Celsus* respondere dignetur, quam humanissimè rogo! velitque Scholiis auctarium addat, est, quod & obnixè contendo. De signis planetarum quibus quoque metalla e.g. ☉☽♂☿♀♃♄ notantur, ut & de signo Antimonii, alibi data occasione in Scholiis

liis quibusdam discurram! Magnum Mysterium iis inest, felix, qui eruit.

OBSERVATIO CXXIV.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Aëris Inquinamentis.

ACcidit hoc Anno 1686. M. Junio aêr noster, qui ut rarò heterogeneis careat particulis, singulari quodam contagio vel inquinamento inficeretur: Videlicet omnia ex metallis confecta peregrino anomaloque obducebantur colore, argentea cupreo, ut penitus in cuprum versa viderentur: Successu verò temporis ille color adscititius evanuit, pristinusque nitor rediit metallis. Aliqui causam rejiciebant in stagnum *Klenen Kiel dictum*, cujus aqua fermentescens turbata *fœtidum putridumq; vaporem exhalabat*, quique tam abominabilis noxiusque erat, ut nisi Deus Misericors emendasset, pestem gignere potuisset periculosissimam.

OBSERVATIO CXXV.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Cadavere sanguinem stillante, præsente occisore.

FRidrichstadii (quæ civitas in Holsatia ad Eideram fluvium sita, & Kilia decem milliaribus distat.) Quidam Fabri Ferrarii dicti Toulemont servus meretricem, qua diu usus, malleo in cervice vulnerat, vulneratam in aquam præcipitat, hæc triduo post, aquis mortua innatat, sicque mortua in stabulum Curiæ civitatis defertur, adducitur ad eam homicida (cui nomen Matz) ipso accedente jamque

præsente, cadaver è naribus sanguinem fundit & cruentatur, viso hoc confitetur facinus, capitur, pœnamque capitis luit. Ex relatione beati mei Soceri Petri Johannis de Calis, istius civitatis, dum viveret, Senatoris.

SCHOLION.

QUod si in ejus historiæ aliarumque similium ætiologiam inquirimus, claret, quod istorum eventuum partim causæ hyperphysicæ, partim physicæ sint. De priorum genere hoc loco & tempore non sumus solliciti. Secundum autem genus paucis scrutabimur. Et ut hoc, si quid obscuri inest vel inesse videtur, demonstremus evidenter, sequentia supponimus.

(1) Sanguis (sunt verba *Kozack l. 1. c. 1. p. 84. de Hæmorrhagia*) est extractum totius mundi seminalium rationum; non quidem secundum artem aut scientiam humani spiritus factum, sed secundum leges spiritus Mundani, qui omnia desideria carnalia, terrestria, animalia, in nobis moderatur, per quæ cum Mundo hoc communicamus.

(2) Aqua est abyssus (idem *Autor a. l. p. 85.*) omnium saporum, odorum, colorum; Aër verò caliditatum, frigiditatum, humiditatum, motuum, ponderum. Ita sanguis corporis humani animalis in suo Chaos complectitur omnia, quæ in eo sensibilia fiunt, cujus vel tardius, & sub forma sensibili inde generantur vel excernuntur.

(3) Quemadmodum in semen omnium rerum, quibus vescimur, character idealis imprimitur, quem nulla mutatio in eo obliterare valet, & cujus archæum phantasia (juxta ideam impressam) in actum excitat, ille & prævalet &c. Nihil autem in semine, quin prius fuerit in sanguine *obs. 55. p. 92. Dec. II. Ann. II.*

(4) Quoniam verò (*Johann. Marc. part. 4. sect. 1. subs. 3. t. p. 405.*) in corpore mortuo aliquid vitæ superesse dixi, cujus ratione sympathia & antipathia fiat; tanto magis locum habet

bet in sanguine, qui omnium primo vivit, omnibusque aliis vitam influit: sicuti enim vitam habet ex se à quovis alio independentem, ita eandem citra ullius opem longius retinere valet: præsertim si à corruptione sit alienus: qualis nimirum est in iis, qui morte violenta decedunt.

(5) Quod quando infans per totam vitam à fele abhorret (*obs. 50. p. 82. Decur. II. Ann. II. & Schol. in hanc obs.*) hoc fieri ob abhorrentiæ ideam, quam mater embryoni impressit, ob terrorem, quæ matrem gravidam ex subito felis in eam insultu invasit.

(6) Quicquid mater videt, audit, sentit, patitur, illud pariter videt, audit, sentit & patitur infans. Cujus enim infantis unum est corpus cum corpore matris: sanguis spiritusque utrique sunt communes. *Malebranche l. II. c. 7. §. 1. p. 93.*

(7) Jam autem sensationes & affectus à motibus sanguinis & spirituum pendent ordine naturæ. *Idem ibidemq.*

(8) Pathemata vehementia, cujusmodi sunt ira, amor insanus, audacia, desperatio, valide concutiunt sanguinem & spiritus. *Zodiac. Gallici Ann. V. Dissertat. an sanitas ab animi pathematis &c. p. 245.*

(9) Pathemata, quæ possunt sanguinem concutere ut & spiritus, & quoque eodem modo & potentia sanguini posse imprimere ideam abhorrescentiæ.

(10) Ideo Deus, qui numeravit omnia, cuilibet numero legem constituit ordinis certi custodem; ut unum alteri esset subsidio, vel ad motum, vel ad quietem; atque sicut omnia justis temporibus, & locus tum moverentur, tum quiescerent, tum ad motum ex quiete; tum ad quietem ex motu peregrinarentur, circulari reciprocatione. *Kozack c. 3. p. 135. a. l.*

Ex supposito, quæ omnia credimus vera, concludimus cum *Joanne Marco part. 4. philos. 5. Rest. a. l. p. 406.* Hæc autem phantasia ideam sibi analogam pingit in subjecto materiali &c. ob quam sympathia & antipathia provenit. (scilicet illa idea imprimitur sanguini juxta *suppositum 5. 6. 7.* illa autem impressio

ideæ nullibi fit, niſi in ſanguine, quia ſanguis eſt tale receptivum, quale deſcripſimus *ſuppoſ. 1. 2. 3.* illa idea dependet à pathematis animi, juxta *ſuppoſit. 8. 9.* Nec iſta idea movetur in actum, niſi juxta *ſuppoſitum 10.*) Cui idea analoga & hoſtilis in corpore & ſanguine homicidæ pingitur ab imaginatione ejusdem. Quæ hoſtilitatem in ſe exercent, dum intra ſphæram actionis magneticæ ſunt conſtitutæ: motaque idea hæc ab illa, alias deinceps movet ſibi connexas; quousque demum ſanguinis ab idea motùs concitatrice recipiat impulſum motumque. Ad hanc opinionem proxime accedit *Cornelius Gemma Coſmocritì l. 1. c. 6.* Videmus, inquit, exſtincto quoque cadavere, usque ad tertium diem interfectoris imaginem velut in concreto ſanguine latuiſſe. Quam eadem ſemel præſente reſiduus ille ſpiritus, propter ideas inhærentes in percuſſorem obvium concitat. Nec prius profluvium ſanguinis è vulnere ſupprimitur, quam qui occiderat longius à funere ſit ſemotus. Hæc *Marci* Sententia fundatur in ſuppoſitis, quæ jam ante attulimus, hisque & nos moti eam cadaveris cruentationem ex phyſicis cauſis poſſe oriri credamus.

OBSERVATIO CXXVI.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
Lapilli Tuſſi rejecti.

HOc Anno 1686. Menſe Aprili decumbebat hîc civis nomine *Daniel Solffvvechter* gravi tuſſi cum aſthmate laborans, materia, quam fruſtulatim exſcreando rejicit, lapillis & ſabuloſa ſubſtantia plena eſt. Similem hiſtoriam jam ante annum cum noſtris Curioſis Excell. D. D. *Joh. Daniel Dorſtenius Dec. II. Ann. III. Obſerv. 63. p. 153.* communicavit.

SCHO-

SCHOLIUM.

IN Medicorum & Physicorum foro de generationis lapidum in Macrocosmo & Microcosmo causa disputari, cognitum est, hicque in varias opiniones abeunt. Quod si scrutinium hujus rei instituimus, comperimus, quod eadem causa, quæ in Macrocosmo producit lapides, etiam in Microcosmo gignit calculos. *Vallesius in sua philosophia sacra cap. XLIX. p. m. 300.* Lapidumque substantiam pertinere ad terram, & concretionem habere ab utroque, à calore scilicet siccante, & à frigore constringente, ut fictile. Siquidem neque dissolvuntur, liquati à calore, neque dissoluti ab aqua &c. Alii quendam spiritum lapidificantem fingunt. Hoc autem frustrà dici arbitramur. Nam quod primò ad causam efficientem attinet, nihil certius est, quam sicut omnia calor & frigus duo spiritus architectonici architectantur; sic & hos duos spiritus ex materia ad lapideam substantiam disposita & modificata lapidem componere. Ita ut minimè opus sit hîc quendam peculiarem archæum lapidificantem fingamus. Natura per hos duos spiritus omnia illa efficit, quæ effici opus, & prout materia ad hoc vel illud modificata est, istud etiam ex materia fabricat, & non aliud, nisi in sua turbetur operatione vel etiam avertatur à suo scopo per vim quandam fortiorem aut motum violentum intervenientem. Quod superest de materia, de ea dicimus, quod quoniam omne humidum in nostro corpore, & quoque in mundo in siccum est coagulabile, cumprimis constat hoc ex destillatione humidi, quod omne humidum post se relinquat aliquid terreæ viscidæque substantiæ, & hoc constituit caput mortuum: Quando nunc calor humidum nutritivum absumit, usque ad ipsam terream substantiam, facillimè fieri potest, ista terrea substantia propter instantem calorem & præsentem visciditatem nexu quodam lapideo coaguletur, sicque lapidem constituat; sic & malè acetum, malè quoque sal accusatur, quasi hæc duo præ aliis apta sint generare lapidem. Sed potius statui-

ſtatuimus, ubicunque humidum, iſtic & lapides generari queunt. Cum omni humido ſic inſuper comparatum eſt, ut ſemper vaporet, quando autem non reſarcitur ſubſtantia, quæ per vapores perit, facillimè fit, humido per vapores abſumpto, materia reſidua terrea in lapidem convertatur, iſta enim materia terrea in poris ſuis ſemper retinet aliquid materiæ viſcidæ, & hæc inſtar glutinis particulas ferreas in contextum lapideum coarctat. Pulchrè quoque hac de re diſcurrit *Libavius l. 11. epiſtol. chym. N. VIII. p. m. 49.* Sed & in cavitatibus quibusdam ubi reſtagnant aliquantiſper humores glutinoſiores, aut ſabuloſi, ut in cerebro, pulmone, epate, renibus, rumine, ventriculo, inteſtinis, cholidocho, veſica &c. gypſeas circumferunt concretiones & ſaxeos globos.

OBSERVATIO CXXVII.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
De
Uvulæ prolongatæ Cura.

CUratio uvulæ eâ methodo, quam communicavi *Dec. II. Ann. II. Obſerv. 56. p. 93.* & *Ann. III. Obſerv. 50. p. 139.* cum Curioſis noſtris, interea temporis ſæpiſſimè feliciter adminiſtrata eſt, nec fallit unquam. *Camerarius* (*Cent. XIV. Memorabil. Obſerv. 51. p. 1169.*) noſtri Ruſtici (inquit ex *Rondelet. M. C. M. l. 2. c. 4 fol. 322.*) tonſillarum inflammationem, (antiades) furoulx vocant, easque curant frictione facta in carpo, exiſtimantes tumores quosdam factos & apertos frictione illa dura in carpo prædictum affectum tollere, prodeſt autem revera ob diverſionem. Hæc *Rondeletii* cura tonſillarum inflammationis non multum abit à noſtra curandi uvulæ prolongationem methodo; in hoc autem non conſentimus, quod quædam *diverſio* uvulam in ſuum retrahat locum, tunc enim frictio in loco proximo prodeſſet, ut non opus in loco tam longè diſſito, utpote carpo adminiſtraretur. Verum arbitramur,

bitramur, nodos illic in carpo existentes (&c. *Comm. 3. Observ. 50. p. 139.*) à nobis remonstratos cum uvula habere consensum, quod probat, quoniam prolongata uvula hoc tuberculum magis sentitur tumidum, magisque versus manum descendisse, & frictione vehementi in locum suum restitui; frictio etiam peragitur in utroque carpo. *Uvula* est glandula; glandulæ cum glandulis per universum corpus dispersis singularem habent consensum, non secus ac aliæ partes. Quando autem nunc accidit, ut *Uvula* suo moveatur loco, etiam istæ glandulæ in carpo descendunt, & harum descensus testatur de *uvulæ* procidentia, sicut hoc cuilibet exploranti obvium. Quando dico, quod uvula glandula sit, hoc forsan nemo in dubium vocat, & quod tales glandulæ in carpo appareant, notum est; hisce glandulis cum uvula consensum esse, probat nostra observatio *a. l.* adducta. Quam cito ergo humor aliquis imbibitur ab uvula, & eam prolongat, is humor & depluit in carpi glandulas, easque intumescere facit, qua intumescentia & locum suum excedunt. Quando nunc hæ fortiori frictione vellicantur, exprimitur imbibitus humor, huic expresso humori succedit humor ex uvula depluens, quo & hæc evacuata in locum suum retrahitur, sicque non nuda est *diversio*, verum & quædam *expressio* imbibiti humoris; credo præterea, quod certus ductus ex *uvula* in has carpi glandulas transeat, per quem materia cum iis communicatur, inque eas infunditur, hæc expressionem postulat; hic autem ductus in *uvulæ* prolongatione solito magis lubricus est, exinde glandularum in carpo subsidentia. Hæc mea conjectura est de uvulæ cura, alii penitius inquirant in hoc arcanum, ergo etiam non desinam scrutari ætiologiam hujus curæ.

OBSERVATIO CXXVIII.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
Lochia aquosa.

CUjusdam Commissarii Provincialis in Provincia Daniæ conjux in partu gemellorum lochiorum loco (excepta pauca ichorosa materia) meram ex utero fudit aquam. Et die 31. Julii huc venit Kiliam meo uteretur consilio. Prædixi me metuere hydropem, quam & ipsa metuit, curam auspicatus, Deus annuat cœptis: Est enim omnis hydrops periculosus; verum tamen hoc modo, anasarca periculosa, ascites periculosior! Tympanites periculosissimus &c.

[Confer. Observatio LXXXII. Decad. hujus Anni I.]

OBSERVATIO CXXIX.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,
Delirium singulare.

ANno 1684. Mense Augusto curabam cujusdam Generosissimi Strenuissimique Chiliarchæ (qui ex splendidissimo Perillustrique *Ranzoviano* Stemmate ortus) conjugem febre maligna decumbentem, hæc in mentis abalienationem incidebat vehementissimam, ut multa paradoxa garriret, quæ inter se non cohærebant, nec præsentium, Mariti, Matris, meique vel & pedissequarum ullam haberet notitiam. Hæc in ejusmodi mentis aberrantis delirantisque paroxysmo canebat cantilenas, tam dulci melodia Rythmicaque Harmonia, qua nihil dulcius suaviusque ac concinnius me unquam audivisse recordor, quibus se, maritum, liberos, matrem, totamque Perillustrem stirpem Deo devotissimè recommendabat. Et quod mirum, vox erat tam fortis, ut homini athleticè valenti esset congrua; & quidem quod maximè demiror, cantilenas eas in ipso delirio primò meditata, nec unquam

quam memoriæ demandaverat ſuæ, nec in ullo exſtant libro vel autorem aliquem, præter Generoſiſſimam iſtam conjugem, agnoſcunt.

SCHOLIUM.

MEns noſtra nunquam in ſuis operationibus efficacior eſt, quam quo minus à corporeis impeditur, quemadmodum in ſomno, & graviore morbo, quo corpus debilitatum; Tunc mens ſuo quaſi juri reſtituitur, ac ſui fit compos, tunc talia poteſt, quæ captum humanum ſuperant, eoque reſpectu & mens noſtra quodammodo omniſcia dici poteſt, habet enim ideas ſpirituales impreſſas, quas non hauſit ex corporearum contemplatione, ſed Deus primitus indidit, ut eſt aliqua DEI idea: Quare qui eam raſam tabulam, in qua necdum ulla litura facta cum *Johanne Marco Marci à Krenland* (*Philoſ. Vet. Reſt. part.3. ſect.3. ſubſ.3. p.299.*) dicunt, hi videant ne in Deum injurii ſint & in mentis majeſtatem, cujus amplitudo non minor eſt hoc univerſo creato. Et quoniam anima eſt ex ſpiraculo DEI, tanquam fonte, hinc etiam fit talia ex ejus principio ſcaturiant quorum ideas habet impreſſas.

OBSERVATIO CXXX.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI, Remedium nimii Hæmorrhoidum Fluxûs.

QUidam in hac Cymbria noſtra Proquæſtor immodico fluxu hæmorrhoidum laborans cujusdam Medici opem implorat, hic varia ei præſcribit remedia, inter alia, ſanguis deplueret in vitriolum, aſt omnia fruſtrà: Accedit quidam ſenex ruſticus, hic dat conſilium, fumo Raſuræ ungulæ equinæ nates ſuffirentur, hoc ſimplicis hominis conſilium plus auxilii ipſi attulit, quàm quæ Medici manu præſcripta fuerant.

SCHOLIUM.

UNgulæ equinæ ſuffitu partum etiam mortuum ejici, in *Plinii hiſtor. natural. lib. 28. cap. 19.* legimus, ejusdem cum butyro frixæ uſum internum in dyſenteria habet *J. B. Helmontius tract. pylor. rect. §. 22.* & *tr. ignot. regim. §. 41.* In eis copioſum reperiri ſal volatile, in *Metallurg. contract.* Cl. *Jacobus le Mort*, & *Chim. Med. phyſ. cap. 11.* oſtendit. Et hujus ſalis intuitu in hæmorrhoidum fluxu nimio ſuffitum earum utilem quandoque eſſe poſſe, exiſtimo. Cum enim non ſemper à ſanguine calido, bilioſo vel efferveſcente ortum habeat, ſed etiam, ut *Hippocrates* in *lib. de hæmorrhoid.* ſcribit, à pituita ad venas, quæ in ano ſunt, decumbente, vel ſanguine auſtero & acido, ſicque in coagulationem prono, qualis hypochondriacorum fluxui huic ſæpè obnoxiorum, eſſe utplurimum ſolet, & qui coacervatus vaſa tandem laxet atque perrumpat, producatur, ungularum fumus, ob ſalis volatilis ſpicula, craſſitiem, lentorem, & acorem illius corrigere, quin & fibras ab eo laxatas, diſcuſſo impacto humore, ad naturalem tonum reducere; aut fortaſſe ſpiritus efferos, ſanguinem agitantes, ſicque qua data porta, cum eo erumpentes, fœtore ſuo ſalino-ſulphureo, quo cætera ferè ſalia exſuperare à laudato *le Mort* dicitur, compeſcere, ac quaſi ligare, unaque ſanguini placidum motum reſtituere valet.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXXXI.
D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI
De
Potu calido Puerperarum.

p. 223.

HOneſta quædam Matrona anno XII. hujus ſeculi Embdæ Friſiorum nata, ſicque annorum LXXIII. per ſuæ vitæ integrum curriculum, ab omni potûs calidi uſu abſtinuit abhorruitque: ſed ſemper etiam ſæviente

Bruma,

Bruma, frigidam cerevisiam glacie commixtam bibit, sitimque suam extinguit. Sicque dilectissima mea conjux quatuor filiorum (Dei gratia) genitrix in suo puerperio contra hic locorum & forsan omnium Germanorum receptam consuetudinem semper frigidam bibit cerevisiam; Et cum in puerperio primo præsentibus matronis, Buxtehudæ in Ducatu Bremensi, in assumendo potu calido gratificaretur, in gravissimum morbum vitæque periculum incidit, dato autem frigido cerevisiæ haustu illicò convaluit, ab eo tempore usu calidi potus abstinuit, puerperiique tempus sine morbo vel ullo sanitatis dispendio (Summo archiatrorum Principi Deo debentur grates) transegit. Nec frigidis abstinet tempore, quo ipsi juxta consuetudinem feminarum (ut cum *Rachele Genes. XXXI. v. 35.* loquar) accidit. E contra si aliæ feminæ calidi potus usu carent, dictis temporibus, in vitæ discrimen incidunt. Nec ego autor ero ulli feminæ, hac in re conjugem meam æmuletur, utut ipsi benè cesserit. Et ego potius suadeo calidi potus usum ob multas rationes, quarum recensu hic supersedeo nisi forsan consuetudo aliud imperet, suadeatque.

SCHOLIUM.

DE potus frigidi calidique usu & abusu amplissimus discurrendi campus sese hîc pandit, verum isto labore Excell. D. D. *Jacobus Wolffius* Collega Honorat. in sua pererudita & curiosa *Exercitat. de Literatorum potu c. 11. §. 25. &c.* defunctus est; Hicque laudatus Autor *§. 34. p. 50.* Denique tanquam memorabile (inquit) recenset *Eunapius*, quod *Proæresius* expers calidi potus totam vitam exegerit. Duo autem hac vice expendere placet, tertium verò huic prælaudato *Jacobo Wolffio* expendendum relinquimus. Primò placet agere de potu *Theæ*, de quo jam ante quædam meditati sumus, verum loco *spicilegii* hæc addimus contra eos, qui adeò istius herbæ encomio tument, quasi nobis Europæis imò nobis Germanis deesset planta, quæ non similem effectum posset cedere, qualem sibi falso de potu Theæ

 polli-

pollicentur. Contra eos autem hæc pono Theoremata. (1) *Quod omnis terra illa affatim proferat*, quæ *terræ illius incolarum temperamento sunt proficua* & homogenea: Sicque (2) omnium exoticarum usu carere possumus. (3) Exotica nostræ naturæ sunt adversa. (4) Utque plurimum adulterata mangonioque corrupta. (5) Iisque morbi peregrini in terram nostram traducuntur. Hæc Theoremata esse vera, hæcque fundamento firmo inniti, palam est. Quod ad primum attinet, hoc ipsum eruditè & nervosè demonstravit Excell. *Thomas Bartholinus* in suo pererudito libro de *Medicina Danica*. Eodem labore & hoc demonstratu facile esset de Medicina Germanorum, quod scilicet nostra Germania ubertim producat, tam quæ requirit necessitas, quàm quæ exigit voluptas, ut minimè opus esset, ex Indiis sanitatis præsidia accersamus, ut nunc fit, cum nostrum solum, nostræque mineræ, vivariaque iis luxurient. Et nos exoticis carere posse, eaque mercatorum avaritia corrumpi vel adulterari, sicque novorum morborum occasionem materiamque præbere, jam ante demonstravimus *in nostra Methodo cognoscendi simplicia vegetabilia §. 11. pag. 21. &c.* Hæc hactenus de exoticis dicta apud omnes saniores arbitramur esse in concesso & confesso, proinde jam applicamus hæc ad herbam, vel fruticem *Thee*, quæ non solum nostro temperamento contraria, siquidem crescat in terra, quæ sub ferventissimo climate sita, sicque etiam terræ suæ aërisque indole donata est. Ita etiam non potest habere virtutem, qua temperamentum nostri corporis peccans possit corrigi. (2) *Ea planta* in totum carere possumus, quum Germaniæ nostræ imo & hujus nostræ Holsatiæ solum suppeditet in magna copia herbas, quæ *Theæ* palmam possunt facere dubiam, inque ejus locum optime majorique sanitatis commodo substitui possent sequentes Herbæ *Betonica*, *Veronica*, *Euphrasia*, *Majorana &c. Baccæ juniperi, &c.* De *Betonica*, hanc illi surrogari posse, si illius decocti usus introduceretur, scribit *Thomas Bartholinus a. l. Dissert. 5. pag. 234.* Ego sanctè dicere possum me jam ter infuso

Betonicæ loco Theæ esse usum, non sine sanitatis commodo; imo & elapso mense Septembri his egregium *Theæ* potui assuetum hominem infuso *Betonicæ* pro Thea fefellisse, qui & istud infusum affatim mecum bibit, & Theam istam, credebat enim eam esse, laudavit, sibique bene de ejus usu fuisse confessus est. Quis autem tam peregrinus est in notitia *Betonicæ*, ut non majorem efficaciam eam habere concedat. *Secundo* dico surrogari posse *Veronicam*; non admodum diu est, cum quidam Generosissimus Dominus mecum periculum faceret de *Veronica*, hanc eodem modo ut Theam infundebamus, ac sat magnam copiam de illo infuso bibimus, nec male nobis cessit ejus usus. Imò die 3. Octobris, cum ad ipsum Generosissimum Dominum in Toparchiam suam accerserer, sponte confessus est, se ultra octiduum loco *Theæ Veronicæ* esse usum, paremque effectum se in ejus usu esse expertum, nec dubitabat *Veronicam Theæ* præferre, se & diutius in Veronicæ usu velle perseverasse, sed propter defectum non potuisse. Ex his experimentis patet, nos Thea posse carere, & majori sanitatis commodo illi surrogari *Betonicam* & *Veronicam*, utriusq; plantæ usum jam probavit experientia. (3) Quod hæc planta, quæ juxta *Simonem Pauli* est chamæleagnus, etiam avaritiam fraudemque Materialistarum experiatur, ut pro vera planta *Thea*, quandam adulteratam mangonioque corruptam vendant, nullum omninò dubium est. Multas omninò querelas de hac impostura audivi; Libram herbæ istius *Theæ* vendunt jam pro 12. thaleris imperialibus, imò & majori pretio venire solet. Sicque duplicem *Theam* faciunt *imperialem* & *communem*; illa maximo pretio venditur, hæc minori. Verum quoties communem admiscent *imperiali*, vel & communem pro *imperiali* istius rei ignaris vendunt? Fraus illa tam multiplex est, ut verbis exprimi non possit. Avaritia enim Materialistarum inferno similis. Judæi, fœneratores, potius tolerandi in Republica, ut qui solum crumenæ insidiantur, quàm illi fraudulenti aromatarii, qui vitæ hominum insidias struunt, suntque fœneratores pessimi, &

homi-

homicidæ nequissimi. Sed dicis *Thea* tot commoda sanitati præstat, ut hoc ex Nobiliss. *Bontekoe* scriptis claret, ergo ejus usu carere non possumus; ℞ Nobiliss. *Bontekoe* sat prolixus est in virtutibus *Theæ* deprædicandis; ast hactenus experientia ipsi testimonium non æquè verum, sed infidum perhibuit. Si etenim Thea omnes ejusmodi vires, quas ipsi *Bontekoe* tribuit, possideret, incomparabilis panacea foret. Verum enim verò experientia idem non asserit, sed potius vis illa, quam ei tribuunt, aquæ calidæ accepta referenda est. Idem mecum asserit *Nobiliss. Antonius de Heide Cent. Observ. Medic. Obs. LXXVI. p. 159.* Ejus potum aliquando quibusdam conducere negare nolo: Tamen ut eum omnibus utilem putem adduci nequeo: quippe verosimile videtur emolumenta quædam Theæ adscripta ab aqua calida potius esse deducenda. H. 1. Mihique præterea ambiguum est, an aqua sit verum & genuinum menstruum, quo vires ex Thea possint extrahi, quoniam aqua penitus ejus contextum non solvit, nec intimam ejus essentiam medullitùs penetrat. Hoc etiam quodammodo liquidum evadit ex observatione Dn. D. prælaudati *de Heide* sic scribentis: Tincturam è foliis Theæ mediante aqua calida extrahi vulgo notum est. Elegantiore verò colore rectificatus spiritus vini ab iis tingitur, ut & sapore adstringente ac gratè amaro. H. 1. Quod si ergò aquâ virtus ex Thea non sufficienter extrahitur, quod non videtur fieri, cum spiritus vini alcoholisatus aliam virtutem ex ea extrahat, sequitur, quod hactenus de genuina indole Theæ non judicare potuerunt; ferunt enim judicium de tali Extracto Theæ, quod non adæquato menstruo fuit præparatum. Alii & Theam infundunt in lac, sed hoc multo minus aptum menstruum est ad vires ex Thea eliciendas; itaque, ut dictum, judicarunt de Viribus *Theæ*, quæ præ se fert extractum *Theæ* menstruo minus idoneo compositum. Sicque procul dubio alias vires proderet, si genuino menstruo extractio fieret. *Bontekoe* scribit potum Theæ prodesse contra podagram, sed qua vi podagræ mederetur, nisi beneficio copiæ calidæ.

Sicque

Sicque Hydropotæ non infestantur podagræ cruciatu. Omnes affectus, contra quos Theæ potum deprædicat *Bontekoe*, emolumentum insigne sentiunt ex aquæ potu frugalisque Diætæ observantia. Et Excell. *Simon Pauli de abusu Tabaci & Herba Theæ p.47. & 48. &c.* aliisque in locis pluribus & insufficientem enumerationem partium, vel demonstrationem esse dicit, quod Chinenses à potu calido vel herbæ Theæ usu bene & à malis variis, imprimis vero à calculo, podagra, & chiragra immunes degant, nec universalem pestem quampiam illic observent; & hoc potius loci, aëris, vel cœli, & aquæ præcipue salubritati attribuit, atque inde excellentem sanitatem illic dependere scribit. Aquas autem propter mineralium efficaciam ibidem saluberrimas, nec non fontem peculiarem paralyticis mirè proficuum illic reperiri, eodem autore teste ex *l. a. p.49.* percrebescit. Quod Chinensibus etiam aquæ potus & decocti chinæ usus sit frequens, apud eundem autorem *p.44.* scriptum comperimus. Tandem quod etiam diæta Asiaticorum Europæis non ita congrua atque ideo potus illorum calidus, nostro frigido usitato, in nostris regionibus neutiquam præferendus sit, laudatus *Pauli* itidem censet. Sicque hunc locum ex *Simone Pauli* citat Excell. D. D. *Jacobus Wolff. a. l. §.31. p.48.* Huncque articulum hisce verbis claudit: Accommodamus, ait, eidem asserto non inviti assensum; sique ad alios corporis affectus nationum earundem respicimus, quia marcore & sputatione frequenti laborare dicuntur, ideo suspectum istum potum nostro subfrigido minus præferimus. Suffragatur quadantenus opinioni nostræ *Bernh. Swalvius in quærel. ventric. p.161.* Dum tepidiusculum potum, nec admodum calidum laudem mereri ait, idque consuetudinem ita ferre, quod Japonenses fervidam bibant. Mihi plurimum gratulor, de Excell. *Wolffii* albo calculo, quem nostræ Sententiæ ex *Celeberrimi Viri Scriptis* appono. Merentur & hic locum illa, quæ de Thea Excell. *Henricus Mundt d. l. c. 15. §.2. 3. p. 482. in Novo lumine physices* scribit: Multa de virtute, ait, hujus potus prædicantur: Nam dicitur omnibus cerebri, &

nervoſi generis morbis conducere: item phthiſicis, ſtomachicis, & ſpleneticis auxilio eſſe. Porro narrant, neminem eorum, qui eo aſſiduè utuntur in regionibus ubi naſcitur, lithiaſi, aut arthritide tentari, *ſ.3.* Sed ſuſpicio eſt, folia optimæ notæ ad nos rarò, aut non omninò advehi: aut ſi advehantur, tempore, & longiſſima navigatione vileſcere. Itaque nonnullis pſeudothea è Betonica, ſcordio & chamæpitide eodem modo infuſis non minoris efficaciæ videtur &c. Et alia ratio ſubeſt, quare *Japonenſes Sinenſesq;* fervido potu fruantur, ſcilicet, *vivunt* ſub ferventiſſimo climate, ubi ſol illorum corporum calorem ad circumferentiam evocat, & diffundit, ita ut viſcera vix debito calore caleant, ut autem hanc caloris foras evocati jacturam reſarciant, fervido potu indigent. E contra apud nos calor magis in intimis corporis viſceribus dominatur, & concentratus eſt, proin calidus potus vix nobis tam proficuus eſt, ut *Sinenſibus & Japonenſibus.* Nec parum famam potus Theæ imminuunt nocumenta, quæ idem *Antonius de Heide a. l.* commemorat: Hunc potum quibusdam nocuiſſe videtur Experimento ſæpius probatum, inter alia hoc patet ex ſequenti hiſtoria. Mulier vegeta & ſana potui Theæ addicta conqueritur de frigore acri interiora concutiente, præſertim noctu: quod à Theæ potu derivandum putat hanc ob cauſam, quia eo potiſſimum corripitur, ubi huic potui indulſit. Memini ante aliquot annos virum robuſtum conqueſtum eſſe de frigore acri in abdomine, quod etiam potus Theæ, quem quotidie ſumebat, imputat. H. 1. Et quoniam talia ſimiliaq; vitia metuunt Theæ potatores, ut plurimum, quando affatim ventrem aquæ potu hauſtuque impleverunt, ſuperinfundunt hauſtum vini Canarienſis, vel aduſti, vel ſpiritus aniſi, cymini, Elixiris leviſtici, Matthioli, Liliorum convallium, & id genus ſpirituoſos hauſtus inebriantes. Sed dicunt, Thea elicit ſudorem, ℞ hoc facit aquæ fervidæ hauſtus, cui vis ſudorifica tribuenda, non Theæ. Interim laudamus Theæ potum ex hoc capite, quoniam facit ad frugalis diætæ obſervantiam, & præſtat *Theæ* potum aſſu-

assumamus modicè, quam ut ventrem & caput oneremus *inebriaminibus*, sicque multis morbis occasionem suppeditemus, qui ex inebriaminum abusu oriuntur, & animam ex corporibus nostris exulare faciunt. *A potu* Theæ *progredimur ad potus calidi usum in febre ardente, & hoc erit alterum hujus Scholii punctum.* Quod inter illa symptomata, quæ febrem ardentem comitantur, *sitis censeri* debeat, non solum autores Medici, verum & ipsi ægri attestantur, & rarò febri ardenti abest sitis, & quando hæc abest pro infausto habetur signo. Quomodo autem sitis in febre oriatur, meo arbitratu, satis *benè Pompejus Sacchius* Vir in hujus Seculi ornamentum datus erudito *libr. Iris Febril.* dicto *c.15. §.7. p.242.* demonstravit. scil. *Bilis vincens alios humores, unde caliditate vaporum fauces exsiccando, & salivalem humorem incrassando, sitim molestam parit &c.* proinde ad sitim illam exstinguendam pragmatici præscribunt apozemata refrigerantia, julapia, potiones, emulsiones, &c. quæ omnia merentur suam laudem, & sæpius bonum effectum edunt. Nec nos in totum ab eorum usu abhorremus; cumprimis acidiuscula; ast in febre ardente quam maximè proficuum arbitramur calidi potus usum: quem autem nolumus constare ex *cerevisia*, si quidem hæc vix tam tenuis esse potest, ut non vapores ad caput ableget, qui id turbant, & somnum turbulentum generent. (2) Nec *vino* constabit, licet id aqua dilutum præstans sæpiuscule sit potus, quo interdum febricitans commode uti potest. Sed constabit *aqua*, quæ calida vel *Theæ*, vel *Veronicæ*, aut etiam *Betonicæ* affundi debet, sicque hoc *infusum calidum* assumatur; nec malum, si febrem aliqua malignitas comitetur, hæc aqua calida affundatur *Baccis juniperi, Radici Scorzoneræ, contrajervæ; Herbæ Scordio; Carduo benedicto, &c.* Nec opus aquam simplicem fontanam sumamus, potest & aqua boraginis, acaciæ, tussilaginis, vel alia pro re nata assumi. Quare autem potum calidum, vel etiam infusum recommendemus, sequentes rationes suadent; quas partim emolumenta, partim nocumenta docent, partim bibendi suavitas & diuturnitas.

nitas. *Emolumenta*, quæ ægro ex talis infusi haustu pollicemur, sunt: (1) Tale infusum calidum assumptum copiosum elicit sudorem; provocatio autem sudoris, qua fuligines simul exhalant, ne illæ in corpore corrumpantur, apprimè utilis & necessaria est. Sicque & sanguis ab excrementis suis mundatur. (2) Eodem modo & pori aperiuntur, ut ritè procedat insensibilis transspiratio, quò melius autem illa sese habet, tantò magis convalescentiæ spes affulget. (3) Talis potus caliditate sua, omnem occasionem flatuum generationi præscindit, hi autem ubertim generantur, quando vires languescunt. (4) Ejusmodi potus quàm maximè reprimit vapores, ne illi sic in caput efferantur. (5) Potus calidus etiam prohibet, ne salivalis humor nimium incrassetur, hujus enim incrassatio sitim gignit. (6) Potus calidus bilem efferam domat, & una abstergit, ne illa adhærentia sua noceat. (7) Imò tale infusum melius salino-acidas particulas resolvit, ne & hæ corpus lædant. (8) Tale etiam infusum exæstuantem sanguinem temperat, ejusque siccitatem novum serum sanguini affundendo corrigit. (9) Tale etiam infusum (excepto infuso Theæ, quod magis vigilias efficit,) blandè somnum provocat. (10) Tale infusum & ventriculo prodest, ejusque necessarium calorem conservat, nec in totum appetitum minuit. (11) Et nostro arbitratu, & tale infusum phrenitidem præcavebit, ne in illam æger dilabatur. Hæc sunt potiora emolumenta, quæ ex largiori calidi infusi haustu promittere possumus. E contra frigidus potus hæc nocumenta gignit: (1) Si diutius eo uti perseverent, appetitus ventriculi tam magnoperè perditur, ut debellato febris paroxysmo, tunc tam languidus ventriculus superest, ad quem curandum prolixiori industria & medicamentorum apparatu opus, quam antea requirebatur ad ipsum morbum superandum, cujus languor ventriculi duntaxat fuit aliquod symptoma. (2) Quoties videmus, quod febre ardente laborantes insuper incidant in pleuritidem, peripnevmonium, & alia mala, quæ revera aliunde non proveniunt, quam à nimis larga potus frigidi infusione.

fusione. (3) Quando sic interanea vehementissimo æstu uruntur, & simul tunc in ista æstuantia viscera infundatur frigidum; quid hoc aliud est: quam quod ibi duo extrema concurrant, quorum concursus incurabile malum parit. (4) Docuit experientia sæpius homines febre ardente laborantes subitò extingui, hujus rei nullam causam esse arbitramur aliam, quam quod partes, per quas frigidus ille potus transit, vel gangræna occupentur, vel etiam aliqua syderatio eas obsideat. *Omnis enim mutatio ab uno extremo ad aliud periculosa est.* (5) Quod & potus frigidus plura nocumenta, quam calidus attulerit, docet nos Excell. *Wolff. l. a. §. 28. 29. p. 45. 46.* proin melius facimus, media tutaque incedamus via, qua nemo perditur. (6) Quemadmodum à frigido potu post vehementes corporis motus protinus quosdam suffocatos commemorat *Adrianus Spigelius l. 6. de human. corp. fabrica. c. 2. Joh. Henric. Paul. in anat. Bils. c. 8. p. 88.* Similis suffocatio fieri potest in corpore, in quo viscera tantopere calent. Quippe homines à frigido potu post motus vehementes non aliunde læduntur, quam quod motus calorem nimium in corpore excitaverit, quoniam autem in calentia viscera infunditur frigidum, exinde subita illa mutatio suffocationem accersit. Memorabile exemplum *legimus in sepulchreto* Excell. D. D. *Boneti L. 3. Sect. 14. Observ. 5. p. 896.* Plura nocumenta frigidi potus congessit prælaudatus D. D. *Wolff.* Omnia autem illa nocumenta quàm maximè metuenda sunt à frigido potu in febre ardente. Præstat ergò calidus potus. (7) Diutius largiusque tali infuso uti possumus, & sine minore noxa, quam aliis potus frigidi generibus. His argumentis moti potum calidum frigido in febre ardente præferimus. Sed antequam huic discursui finem imponamus, paucis ℞ ad objectiones contra calidum potum: (1) dicunt, quod non æquè sitim exstinguat, ℞ affatim bibitus æquè sitim exstinguit, nec tam citò rursum potus exigitur, quam post frigidi assumptionem. (2) *Objiciunt*, quod calidus potus non æquè spiritus refocillet, ac frigidus; nec etiam animi deliquio tam citò succur-


rat. ℞ potus calidus debet esse loco ordinarii potus, interim ægro in promptu esse possunt aquæ cordiales, de quibus interdum aliquot cochlearia assumat, hæ spiritus refocillare, & animi deliquio subvenire possunt. Tantum de potu calido in febre ardente commentari placuit; prælaudatus *Wolff. a. l. §. 33. p. 49.* allegat *Marci Mappi* dissertationes geminas *de potu calido*, quæ mihi non ad manus, B. L. eum autorem consulere potest.

OBSERVATIO CXXXII.

D. JOHANNIS de MURALTO,

Anatome Ardeæ.

ARdea hæc, quoad staturam, Ciconiæ haud absimile quid referebat, colore tamen differentiam aliqualem innuebat. Erat enim armata rostro oblongo, minore tamen & breviore quam Ciconia, unà cum collo, quod undiquaque plumis nigricantibus reflexo ordine dispositis circumdabatur. Collum excipiebat corpus reliquum, inferius candicantibus plumis molle, ab alis verò ad superiora fuscum. Pedes erant longissimi quatuor digitis ornati, quorum uterque, tres versus anteriora, unum versus posteriora protendebat. Quoad interna; ipsius peritonæum erat undique abdomini succinctum & superius cohærens cum diaphragmate, suspendebatque hepar quod ventriculum utroque in latere tegebat, duobus lobis à se invicem divisis; Vesicula biliaria inde prodibat oblonga, ventriculus stercus pilosum continebat, ab avibus & muribus cujus plicæ interiores omnes commodè separabantur à subjecta musculosa cute. Ranam habebat in gula Salamandram lacertamque, ita quoque in œsophago pisces conspiciebantur, ad cujus principium congeriem plurimarum glandularum vidimus, quæ pressæ, liquorem fermentativum subcitrinum undique plorabant fracidi, penetrantissimi odoris; erant autem hæ glandulæ omnes ex conglobatarum numero, cylindriacæ; reliquum œsophagi ad gulam usque erat amplum


a. Os cranii.
b. Rostrum superius.
c. Rostrum seu maxilla inferior.
d. Articulatio inter duas maxillas.
e. N°16. denotant totid: vertebras colli.
f. Anterior sterni pars clavicula dicta.
g. Latior ossis sterni pars, sive scutum pectorale.
h. 5. Costas denotat.
i. Humeri condylus.
k. Humeri extremitas cubito innexa.
l. Cubitus.
m. Radius.
n. Oßa oblonga carpi loco data.
o. Oßa manus loco volatilibus conceßa, id quod in vespertilionib. egregie conspicitur.
p. Femur.
q. Tibia cum fibula.
Ardea Stellaris.
r.s. Pedium.
t. Metapedium.
u. Calcar.
x.x.x. Digiti.
z. Extremitas lumborum intra quam reconduntur intestinum rectum. ρ.
Fig: 28.
p. 270.



plum latumque ſtriis ſurſum verſus, plurimis diductis. Poſt ſeparationem internæ tunicæ ventriculi, villi plures ex oppoſito latere ſpectabantur; inteſtina pluribus glandulis rotundis forinſecus ornabantur cum meſenterio undique connexa. In lumborum cavitatibus, utrinque carnes glanduloſæ erant conſpicuæ, renum loco datæ. Paulò ſupra poroſi pulmones pallidique intra ſpatia ſua ceu totidem præſepiolis ſepeliebantur. Cor erat ſuſpenſum in medio pectore, duobus ventriculis præditum, valdèque carnoſum, muſculi pectorales craſſitie inſignes ad motum alarum accommodati videbantur, aures patulæ acumen auditus indicabant, oculi erant prægrandes, cerebrum verò totum flaccidum. Quoad oſſa in lumbis 6. utrinque conſpiciebantur præterea 24. colli & dorſi vertebras obſervavimus, 5. inſuper numeravimus coſtas & ſternum falcata lataque apophyſi præditum erat, cujus ſummo clavicula, ſuperinducta membrana fortiori adhærebat.

Fig. XXVIII.

OBSERVATIO CXXXIII.
D. JOHANNIS de MURALTO,
Verruca cancroſa.

HEnricus Meyerhoff pago Weyach ditionis Tigurinæ, ſexaginta quinque annos natus, ante annum in manu ſiniſtra, verrucam parvam accepit, quam ſcalpendo eradicavit, ut exiſtimarit ſpatio trium hebdomadarum verrucam hanc evanuiſſe, quia nihil amplius percepit, nihilque vidit, ejus loco verò rubicunda macula cum dolore comparuit, ingraveſcebat dolor, denuoque verruca comparuit, ac incrementa ſenſim ſine ſenſu ſumſit, latiusque vagata eſt ingenti cruciatu per totum brachium, magnitudine ad ovum gallinaceum accedens. Doloris & moræ pertæſus, circumforaneum adivit ægrotus, qui ipſi ſanitatem promiſerat, abſcidit hic verrucam, tantamq; ſanguinis vim profudit, ut ſiſtendo par

do par vix eſſet, uſurpavit porrò varia medicamenta præfatus homuncio, uſurpavit quoque Sabinam à Medico quodam celebri Senatui medico noſtrati propoſitam, ſed ſine omni effectu, ſiquidem malum partes vicinas ſerpendo vorabat, dolor intolerabilis reddebatur, usque ad cubitum & ultra perreptans, febricitabat ægrotus inſtar macie conſumti, nobis multoties comparebat & auxilium implorabat, abſciſſionemque brachii quam ardentiſſimè precabatur; Miſericordia ducti petitum ipſi denegare nolentes, ſupra cubitum die 28. Menſ. Julii operationem ſubire conceſſimus & in brachio notavimus verrucam hanc cancroſam cujus icon hic præ oculis ponitur, non tantum tendines digitos extendentium muſculorum, ſed & metacarpi oſſicula ſcabra atque carioſa fuiſſe, intra quæ materia ſebacea, craſſa, purulenta, fœtorem ſpirans acidum penetrantiſſimum, ex pluribus foraminibus exprimi poterat, tendines quoque inflammationem aliquam jam concepiſſe, ex colore & dolore ſpaſtico, in præced. arguimus, ſperamus autem bono cum Deo virum hunc evaſurum.

Fig. XXIX.

a Cancer ſuprà metacarpum ſiniſtræ manus ſitus.
bbb Ejus ſubſtantia intra diviſos digitos moventes tendines profundius repens.
c Cutis à pollice ſeparata.
d Cutis brachii dilatata & ſemota.
e Muſculus cubiteus externus.
f Cubiteus internus.
g Tendo quidam oblongus à humeri apophyſi deſcendens.
h Relicta poſt amputationem caro muſculoſa humeri.
i Oſſis humeri ad cubitum vadens portio.
k Oſſis humeri externa apophyſis.
Lmnop Quinque digiti.
Q Pollicis extenſor.
R Supinator brachii alter.
S Brachiæus alter.

T Bra-

Fig: 29. p. 272.



T Brachiæus.
V Extenſor carpi primus.
W Carpi extenſor alter.
Xx Extenſores bini digitorum.
y Ligamentum annulare.
z Tendines articulorum digitorũm.

OBSERVATIO CXXXIV.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Iride Solari in planitie terræ & Arachnio meteoro.


CUr Thaumantia cælum nubesque pertæſa ex alto in planitiem terræ ſe demittit coram homine? ſcilicet DEI cum mortalibus antiqui fœderis memor, divini amoris & gratiæ erga humanum genus, beneficiorum DEI aliàs obliviòſum, memoriam refricare inſtituit. Cauſæ naturales non excludunt ſupernaturales. Sic ego ſupputo Chriſtianus. Vos calculum adjicite ſapientes rerum ſublimium perſcrutatores, quos decet, Mathematici. Hôc Salvatoris noſtri Annô 1686. die 30. Septembris Juliani, h. 8. antemeridianâ, ſub elevatione Poli noſtri Arctici 52. graduum cum dimidio, Potsdami, cælo ſereno, Sole rorem cum frigore in terram deturbante & ſuper gramina demeſſa, telis aranearum fœtûs innumeri & arachnio meteoro obducta, rore in guttulas margaritarum inſtar rotundas condenſato, cùm viſitaſſem manè Sereniſſimum Electorem, & me domum referrem, Iris in via, in prato nempè quodam parvo, quod pertranseundum erat, ſe mihi exhibet ex latere, ubi Sol umbram meam in oppoſitum, nempè occaſum verſus, projecerat. Siſto gradum, novitate rei antea à me non viſæ ductus, quamvis ab aliis forſan; voco in teſtimonium proximè habitantem Cl. D. D. Caſparum Marchium,

chium, Caſpari filium, Archiatrum Electoralem, Collegam meum ſuaviſſimum. Procedimus ambo ad locum, ubi Iridem integram, quaquaverſum nos concomitantem, in prati graminibus, rore, & araneolarum telis undique & densè obſitis, perluſtramus. Erat hora circiter nona matutina, cùm ego ſcipione meo, cui innitor, & qui tres pedes Reinlandicos accuratè dimenſos & in ſuas uncias diſtinctos continet, diſtantiam Iridis à pedibus noſtris menſuro & à calcaneo meo (ubi angulum rectum loco) usque ad apicem Iridis ante nos tres pedes Reinland. dimetio in umbra mea, reliquum autem umbræ per Iridem, ut pars diametri, duplo longior excurrebat, adeò ut tota umbra 9. vel 10. pedes Reinlandicos conſtitueret. Sic data menſura lineæ rectæ ab oculo meo usque ad calcaneum, quæ eſt quatuor pedum cum dimidio (cùm tota ſtatura mea ſit quinque pedum Reinland.) formo triangulum rectangulum, B C D cujus latus ab angulo C ad apicem Iridis D ſit trium, & latus rectum, C B ſit quinque pedum; unde angulus C B D erit circiter 30. gr. & C D B 60. gr. Porrò totius umbræ longitud. cùm ſit circiter 9. pedum, dat triangulum B C E, cujus angulus C E B eſt 30. & oppoſitus angulus è contra 60. graduum. Figura autem Iridis erat Hyperbolica, tanquam ex coni F G H latere dextro F H Hyperbolica ſectione L I K exciſa, ut eſt apud Apollonium. Hîc A Sol eſt, cujus altitudo ſupra Horizontem Potsdamenſem forſan per triangulum B C E inquirenda; qualis tunc temporis fuit. Quibus modis autem Hyperbolica Sectio juxta Apollonium inſtituenda, cùm latus coni F H ſecatur in L hyperbolicè & Diameter Hyperbolæ S L ſit externa, ſive latus transverſum, nimirùm vertice Hyperbolæ L prolongato in M N, ubi in N latus coni G F concurrit &c. Autor eſt conſulendus. Ego exiſtimo (ſalvis meliorum Sententiis) Solem A dare Diametrum noſtræ Iridis Hyperbolicæ in terris per umbras eſſeque centrum omnium Iridium, uti in Fig. XXX. indicavi. Porrò an homo ſemper extra Irides & nunquam intra arcum cæleſtem etiam in terris, ut hoc loco, viſum, conſtituatur, non auſim ſim-

ſimpliciter affirmare. Nam etſi in Iride noſtra terreſtri id accidat, cæteræque Irides omnes hominem circumvenire aut pone illum ſe ſiſtere nunquam videantur, inſuper ſubtilis ingenii Vir des Cartes hominem extra totum arcum Iridis ponat, ut eſt appoſita figura de Iride Carteſii ſub Fig. XXXI. expreſſa; poteſt tamen fieri, ut homo in principio pluvioſæ nubis, ſive in guttis primis pluviæ, à Sole in Iridem illuſtratæ, verſetur, qui etſi Iridem retrò ſe ob lumen Solis videre non poſſit; eam tamen prope & ante ſe in oppoſitam partem Solis, denſam nimirum nubem pluvioſam intueri poterit. Neque ſtatuero hominem ſemper tres pedes Reinlandicos extra Irides terreſtres conſtitui, ut mihi accidit, cùm aſcenſus Solis ad meridianum loci, & umbram hominis, & Iridis apicem ab homine diſtantem (quamdiu materia Iridis in terra non abſorbetur) variè poſſit mutare. Et licet quis diſtantiam hominis ab apice Iridis determinare cupiat ex figura Carteſiana hîc appoſita, quoniam poſito, quòd homo E, qui ex angulo circiter 42. graduum Iridis apicem D intuetur, & ibi colores Iridis ex ampulla vitrea aqua plena & Solis radiis in B C D refractis & reflexis conſtituit, cum ſua diſtantia, ab Iridis centro M ad ſuum oculum E delata & 44. partium circiter longa, deferatur in altum per circulum F ad apicem Iridis D, emineret oculus hominis ſupra apicem Iridis circiter 4. partes: vel ſi pari ratione Iris cæleſtis 40. partium ex centro M ad apicem ejus D ſeſe inclinaret ad terram verſus pedes hominis, ſimiliter homo extra Iridis apicem tres vel quatuor partes de quadraginta collocaretur, ut mihi tres pedes ab Iridis vertice diſtante accidit; tamen non auſim ſtatuere, partes has eſſe Iridis determinatas, cùm illæ nunc in perticas integras, jugera, & majores menſuras, juxta loci varias diſtantias, nubium, Solis in hoc vel illo ſigno cæleſti, hac vel illa Zona, hoc vel illo loci horizonte, hac vel illa hora ſtatum, oculi humani aptitudinem, & ſecundùm alias circumſtantias abire & commutari poſſint. Quapropter cùm me huic calculo imparem agnoſcam, exorandi ſunt cujuscunque loci Clariſſ. Domini Mathematici,

ut ingenioſè ſupputent, cur Iris in planitie terræ figurâ hyperbolica apparuerit, & annon parabolicâ vel alia circulari forma in planitie terræ ſe exhibere poſſit? cur tres tantùm pedes ab homine apex Iridis & non plures tunc fuerit? & quæ ex aliis circumſtantiis deduci poſſunt, ut noſtra admiranda Iris ſit noſtra jucunda Eris. Cæterùm colores noſtræ terreſtris Iridis non tam multivarii erant, ut cæleſtis: nam extrema pars ejus verſus hominem, quæ O O O O eſt notata, rubebat; ruborem ſequebatur dilutiſſimus color luteus, qui deinde in album mutatus, candore reliquum arcûs conſtituebat. Unde inquiſitio de his coloribus ibidem inſtitui poteſt. Pars illa quæ Q notata eſt, pars eſt agri, prato P P P adjacentis, quæ ob defectum roris Iridem non exhibet, ſed ſaltem pratum P P ubi ros telis aranearum tanquam filis inſtar margaritarum affixus cohærebat & quaſi alligabatur, ut R monſtrat. Nunc paucis de Meteoro Arachnio agam. Etſi meteora veteribus ſint ea, quæ circa loca aſtris vicina accidunt, ut cùm Cometes exſurgit, & ad illum omnium vultus in cælo eſt; tamen inter meteora numerantur quoque ea, quæ in terris fiunt, ex æthere tamen vel alto oriunda, ut ſunt mineralia quoque & metalla, quibus veterum Sapientia naturam ſeptem Planetarum in cælo dicavit. Meteora inſuper mediam plerumque & infimam aëris regionem occupant, ut ſunt Irides & plura, quibus annumerare placet ἀράχνιον μετέωρον, de quo paucis. In noſtris Septentrionalibus regionibus, Autumni tempore, cùm aranea fœtus ſuos excluſit, qui ad texturam nati, quaquaverſum proreptando gramina demeſſa, & quidquid eſt ſolidum, telis ſuis cum majoribus inficiunt: Ingruentibus jam impetuoſis ventis, imbribus, frigore, rore, pruinâ, araneus omnis cum fœtu telas expanſas relinquit, ſeque ad terræ, arborum, & ædium latebras confert, relictis inanibus ſuis retibus, ad capturam culicum muſcarum & id genus ferarum ſuarum fruſtra expanſis: quo tempore retia hæc aranearum ludibrio ventorum exponuntur, quorum vis omnes telas araneorum ex nemorum arboribus,

ædificiis


Fig: 30.
p. 274.
A
N
F
M
L
K
G
S
H
I
R


Q
P
O
B
C
D
E



A
B
C
D
Fig: 31.
p. 275.
F
E
Z
G
M


Fig: 32. p. 276.
ἀράχνιον.

us V.

ædificiis & nullis non locis cogit, destruit, & in aëre hinc inde agitat. Cùmque jam discussis nubibus, Sol die sereno insurgit, apparent hæ texturæ coactæ, niveo candore, tanquam longis filis alligatæ, liberè in aëre, nunc sursum supra turrium altitudinem, nunc deorsum in terram volitantes tanquam, & graminibus inhærentes. Vulgus hoc phænomenon vocat æstatem abiturientem. Discedit sanè æstas præsente Autumno. Mihi ἀράχνεον μετέωρον vocare placet, cum in aëre infimo non quidem generetur, sed variè agitatum appareat, donec graminibus omnique solutæ rei in terris adhæreat. Hæc materia substrata videtur Iridis nostræ terrestris, quando tempore Autumnus, manè in pratis talibus araneosis & rore multo obsitis se conspiciendam hominibus præbet, vid. Fig. XXXII. Causam hujus phænomeni jam indicati quisquis aliam invenerit, idque ex halitibus terræ glutinosis aut aliis causis oriundum statuerit, per me liceat manifestiori inhærentem.

[Berolino 1686. Decembr. ad D. Helianthum missa.]

Fig. XXX. XXXI. XXXII.

OBSERVATIO CXXXV.
D. JOHANNIS DOLÆI,
De
Ischuria lethali.

RArum est quod Romæ observavit Celeberrimus Noster Ettmüllerus Amicus post busta etiam colendus in Principis Tusciani Ischuriâ lethali laborantis cadavere, in quo solæ glandulæ prostratæ ad radicem penis tumefactæ inventæ fuerunt, à quo humore lethalis urinæ suppressio oborta fuit, cui observationi & hanc addere lubet; Vir sexagenario major Pastor noster Gallicus ex Gallia propter religionem profugus l'Enfert dictus, iter suscepit Rinteliū, in via post assum-

ptum Bryhanium incidit in colicam, quam comitabatur urinæ ſuppreſſio, urinam neque catheter neq; candela cerea, neq; optima alia remedia tum interna tum externa, balnea aliaque prolicere poterant, tandem accedentibus vomitu, ſingultu momentaneo, & convulſionibus, decimo morbi die placidè moritur, poſt mortem, diſſecto cadavere nil mali in renibus, niſi in ſiniſtro duas puſtulas ſero limpido repletas reperimus, veſica verò erat inſtar capitis in immenſum extenſa & ſanguine ſeroſo referta, glanduloſæ proſtratæ erant inſtar pugni tumefactæ inventæ cum maxima duritie, à quo tumore collum veſicæ & inteſtinum rectum ita comprimebantur, ut urinæ & fecibus tranſitus denegaretur, hinc lethalis hæc urinæ ſuppreſſio noſtro judicio orta fuit, quare multorum morborum cauſæ latent in hisce glanduloſis partibus, hactenus à pluribus Medicis malè neglectis.

OBSERVATIO CXXXVI.

D. JOHANNIS DOLÆI,

De

Atrophia unius lateris.

Puella 7. annorum Mercatoris hujus civitatis Wizel dicti filia nunc ab anno atrophia laborare cœpit & quidem unius lateris ſcilicet ſiniſtri, quod latus ab axillis usque ad calcem ita emaciatum eſt, ut nihil præter oſſa & cutem appareat, altero latere benè & naturaliter ſe habente, adhibitis ſpinæ variis topicis antiſpaſmodicis & internis ſudoriferis nunc melius ſe habere cœpit puella.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVII.

D. JOHANNIS DOLÆI,

De

Motu Fœtûs in Utero Matris jam exſtinctæ.

IN oppido Lichtenau dicto fœmina gravida in febrem incidit malignam qua etiam octavo ingravidationis menſe exſtinguitur, altero die poſt mortem adſtantes cum admiratiõne obſervant motum infantis in utero per 12. horas, deſtitũti verò Medico & Chirurgo naturæ omnia reliquerunt.

OBSERVATIO CXXXVIII.

D. JOHANNIS DOLÆI,

Ex Aſſumptione XII. gran. Theriacæ cœleſtis Mors ſecuta.

TErtius excurrit menſis quo miles à pharmaceutices artis ſtudioſo dono accepit grana 12. Theriacæ cœleſtis, qui colicâ laborans iſta 12. grana unica vice aſſumſit, hinc in contumaciſſimam incidit alvi obſtructionem, ad quam reſerandam aſſumſit altero die purgans, à quo paſſus hypercatharſin lethalem.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIX.
D. JOHANNIS DOLÆI,
De
Filia urinam per inconſuetam viam reddente.

EX profugis è Gallia filia etiam eſt, quæ clauſa habet genitalia, in qua natura ſibi fabricavit foramen prope claviculos, per quos continuò ſtillat humor urinæ perquam ſimilis, quem filia ſemper ſpongia excipit, aliàs vegeta eſt.

[Caſſellis 1686. 20. Dec. ad D. Helianthum miſſa.]

OBSERVATIO CXL.
D. PETRI ROMMELII,
Loquelæ, Memoriæ & Rationis Imbecillitas à Venæſectione.

QUanto in pretio & exiſtimatione Phlebotomia ſive artificialis ſanguinis eductio, tam præſervationis quàm curationis gratia celebrata, ab antiquis temporibus hucusque habita fuerit, & adhucdum habeatur, neminem, qui ſaltem non fungum vel cucurbitam pro cerebro habet, fugere poteſt; minimeque latet, quot quantaque commoda ab eadem ritè adminiſtratâ, in ægros redundârint, quodque plurimorum morborum ſalutare auxilium, imò præſentiſſimum & extemporaneum remedium vel centies millies extiterit, cujus opportuna evacuatio à morbis periculoſiſſimis morteque adeò ipſa ſæpè liberârit, & proinde meritò *inter remedia univerſalia*, tanquam *præcipuum*, ante & poſt *Galenum*, ab omnibus ferè celeberrimis Medicis, interque eos etiam à ſolertiſſimo *Harvejo Exercit. de Generat. 52. pag. 217.* poſita

sita sit, & à doctissimo *Conringio*, *Maximum Medentum Auxilium* vocetur, *Herophilo verò auxiliaris Deorum manus audiat*; Quicquid *Erasistratus*, *Apæmantes* item & *Strato*, eorumque asseclæ, præsertim egregius ille novator & mirus paradoxologus, αἱμοφόβος *Helmontius* oggranniant, quibus à plurimis doctissimis viris, jamdudum & sæpius responsum, leviculæque eorum rationes solidè refutatæ, èque saniori Medicorum Schola proscriptæ & explosæ sunt.

Quia tamen nihil in Medicina tam præclarum, utile & sanctum est, quod non etiam inconsideratè & sinistrè adhibitum, plurimis incommodis & periculis ansam dare, imò quandoque mortem ipsam accelerare possit, juxta proverbium: *Medicamentum aliàs saluberrimum, in manu ignorantis, est instar gladii, in manu furentis*; ita etiam cum Venæsectione sive sanguinis Missione comparatum est, ut illa ob inconsideratam & intempestivam, vel minus necessariam, frequentiorem aut largiorem adhibitionem, haud raro periculosa imò exitiosa exstiterit, ita ut non una vice ægros in Cymbam Charontis præcipitârit, quæ aliàs non paucos, ex ipsius Orci faucibus revocavit & pristinæ valetudini restituit: Unde plurimi aliorum periculo non quidem cautiores sed justo timidiores facti, tantopere venæsectionem exhorrescunt, ut ad illam admittendam, vel prorsus non, vel vix & ægerrimè, etiam necessitate urgente adigi possint, imò ad solam venæsectionis mentionem expavescant, aut ex imaginaria saltim venæsectione in lipothymiam incidant, quale exemplum habetur in *Decur. II. Ann. I. Misc. Curios. Obs. 168. p. 400.* & ego ipse bis vel ter, in aliis idem expertus sum, cum tamen, ut in omnibus aliis rebus ita etiam hîc, abusus, verum rei usum minimè tollere debeat.

Non mihi jam animus est prolixè de Venæsectione ejusque commodis, usu & abusu, & quæ circa hanc notari possent, scribere; hoc enim nihil aliud esset quam tempus venerabile simulque irrevocabile, chartamque inutiliter terere ac perdere, actumque agere; sed saltim exempla aliquot & quidem re-

centiora venæſectionis infeliciter peractæ, adducam, ex quibus patebit circumſpectè eſſe agendum & in venæſectione. Prudentiâ Medicâ maximè opus eſſe; aliter ac ſibi vulgus chirurgorum elati barbitonſores, temerarii balneatores, fraudulenti dentifrangibuli, pediculoſi unguentarii, crumenimulgi exteſticulatores & avari lithotomi, fraudatores Uromantæ & lotiophyſici, circumpurpurati agyrtæ, malitioſi Pſeudo-medici, grandiſtrepi ſacrificuli, rogo dignæ medicaſtræ, hujusque farinæ ſangui-& argentiſugi, (quibus proh pudor! major utplurimum in venæſectione ſuadenda & adhibenda fides habetur, quam veris & judicio valentibus Medicis,) imaginantur; nec vitæ theſaurum pretioſiſſimum ſanguinem ſcilicet in quo Scripturâ ſacrâ teſte vita hominis exiſtit *Levitic. 17. v. 11. 14.* tam temerè & ſine prudenti conſilio profundendum eſſe; non enim tam difficilis & artificioſa res eſt, venam ſecare, cruorique purpureo & vitali exitum concedere, cum quivis tonſor & balneator paganus id poſſit & faciat toto die; ſed cum ſucceſſu & valetudinis periclitantis commodo id facere, ita ut juvet, haud verò noceat, hoc demum eſt prudentis Medici, non verò thraſonici Medicaſtri vel ſcioli barbæraſoris.

Ante aliquot annos communicavi obſervationem Matronæ cujusdam poſt venæſectionem ſine conſilio celebratam, paralyticæ & mirabiliter aphonæ factæ, quæ ſub titulo Aphoniæ raræ *Ann. I. Decur. II. Miſcell. Curioſ. Obſ. 97. pag. 222.* inſerta eſt. Jam aliam illi non prorſus diſſimilem in alia matrona extranea, honeſta, & apud ſuos non ſine honoris charactere conſpicua, nuper obſervatam communicare lubet. Hæc ſexagenaria jam major, vegeta & evſarca, præterito vere, nulla præcedente præparatione, nec ulla urgente neceſſitate, ſolùm conſuetudinis (quæ vim legis habet) gratia, venam brachii aperiri curat, quod etiam Chirurgus dextrè & maſculè exequitur, ſanguisque debitè fluit; fluente autem adhuc liquore purpurea veſte ſplendente, non levem in capite ſentit alterationem, cum tremore & ſemiparalyſi artuum, & loquendi difficultate, quam mox excepit

cepit, memoriæ (quæ thesaurus ac custos rerum, Ciceroni vocatur) imbecillitas, & vix non totalis rerum omnium oblivio in hunc usque diem dum hæc scribo, perdurans. Loquitur quidem jam satis articulatè, ita tamen confundit verba, ut nullus exinde sensus hauriri queat, recordatur etiam plurium rerum dudum actarum, sed admodum confusè, inordinatè, & tam inconcinnis verbis de iis sermocinatur, ut Oedipo opus sit, qui illam intelligere velit: inter loquendum enim ratio & memoria illam deserit, ita ut nil nisi verba parùm cohærentia, omni sensu destituta, sat abundanter quidem & promptè proferat. Maritus illius interdum quid indicare velit, potius divinatur, quam reverà intelligit. Irascitur interdum quando illi, quibuscum colloquitur illam vel non intelligunt. vel illa ipsa, quæ vult, tum ob memoriæ debilitatem, vel etiam ut videtur ob linguæ, tanquam loquelæ organi principalis, inobedientiam (quanquam inventi dicantur, qui sine lingua nihilominus articulate loquuti sint, teste *Th. Bartholino, & Miscell. Cur. Acad. Nat. Cur. Ann. I. Dec. II. p. 119.* præsertim *Jacobi Rolandi Aglossotomographiâ*) iis, quibus decet verbis proferre haud potest.

De nomine mariti interrogata, illud pronunciare quidem conatur, sed ferè semper in eo errat, longeque aliud profert, & nomen unum pro altero substituit eique hoc vel illud imponit, qui tamen Ulrici nomen gerit. De errore monita, corrigere illum quidem satagit, sed loco veri nominis, modo prolatum denuò & repetitim profert, donec vix octava vel decima tandem vice, lingua officii memor, mentis imperio pareat, verumque nomen pronunciet. Cæterum sic satis valet, appetitus viget, dormit, rectè incedit, brachiis præsertim in ducendis filis lineis commodè utitur, sed ad alia officia & negotia domestica obeunda minus idonea est. Plurimis hactenus remediis tam à Medicis quam medicastris & pseudo-medicis præscriptis, sed sine successu, exiguoque cum levamine usa est. Ego cum nuper ad illam inviserem, diversa remediorum

genera, hisce symptomatis curandis vel mitigandis idonea visa, in & externè adhibenda, omnia tamen evporista ordinavi, diætam juxta præscripsi, & ut vena revertente vere denuò, præmissis tamen præmittendis, secetur, suasor fui; qualis successus futurus sit, dies docebit.

Ad suadendam Venæsectionem præter alias rationes me etiam compulit Historia, quam ex *Fulgoso* refert *Bonifac. in Histor. Ludicr. lib. 14. cap. 14. p. 419.* quæ ita se habet: Clericus germanus, natus in oppido quod S. Michaëlis Petram adpellant, dum Federicus II. Augustus rerum potiretur, ex venæ incisione servata aliarum rerum memoria, literas ita oblitus est, ut nihilo magis legere aut scribere nosset, quam si nunquam didicisset; transacto deinde anno, renovatoque vulnere ejusdem venæ, ad pristinam legendi & scribendi peritiam restitutus est. Felicior nostrâ matronâ & modo citato Clerico fuit Ecclesiastes ille sexagenarius, cujus meminit *Olaus Borrichius in Actis Philos. Med. Hafniens. Vol. 5. pag. 169.* qui quidem quoties vel febris, vel plethora necessariam sanguinis missionem indicabant, statim ab evacuatione memoriæ jacturam sentiebat, quæ tamen non longo post tempore integra redibat.

Ex hactenus recensitis patescit, cautè cum Venæsectione præsertim in illis qui ætate jam sunt provectiores, esse procedendum; nec sine prævio prudentis Medici consilio, observatisque observandis, cum valetudinis dispendio & jactura, (ut sæpisissimè fit,) vitæ inæstimabilem thesaurum minuendum, internamque quietem temerè & petulanter, non tamen semper impunè, turbandam esse.

OBSER-

OBSERVATIO CXLI.
D. PETRI ROMMELII,
Paralytica à Venæsectione restituta.

PHlebotomia, si adhuc inter ignominias, sicut olim in Romana Militia, notante *Gellio lib. 10. cap. 8. Noct. Attic.* numeraretur, (quoties enim milites gravius delinquerent, sanguis illis mittebatur, atque venæsectione tanquam re infami, ac severa animadversione, coërcebantur) & non in tam magno pretio hodiè haberetur, procul dubio, non ita indiscriminatim ab omnibus, imprimis etiam ætate jam provectioribus admitteretur, & multi juxta famam, etiam valetudini magis prospicerent.

Vetula quædam, decimum tertium ætatis lustrum jam prætergressa Spengel-Anna vulgò dicta, laboribus victuique crasso adsueta, senio non obstante, nescio ob quem imaginarium & adhuc imminentem morbum, proprio & barbitonsoris consilio persuasa, ad exemplum vicinarum muliercularum, etiam venæsectionem postliminiò quasi experiri gestiens, Chirurgum adit, venamque cruralem sinistram, quam etiam Ischiaticam adpellant, vulgò die Brand-Ader secari permittit, magnum exinde levamen, & vix non ipsius juventutis restitutionem sibi ipsi promittens; sed valdè hallucinata speque concepta frustrata fuit, Chirurgoque simul non levem terrorem injecit: aperta enim vena, vix rutilans cruor effluere & prosilire cœperat, cum è vestigio quasi, Apoplexia corriperetur, sensu motuque privaretur, ita ut eam, quæ paulò ante hilaris ædes tonsoris adierat, semimortuam jam domum reportare oportuerit. Accersitus inveni Apoplexiam in paralysin (quæ utplurimum apoplexiam ut umbra corpus sequi solet,) totius sinistri lateris desiisse, ita ut nec stare, nec ambulare, neq; manum, brachium aut pedem istius lateris movere potuerit, vixque perceptibilia verba, dicturiens, proferre valuerit, membraque modo dicta,

motu, sensu, atque calore destituta plumbi instar & trunci, jacuerit. Facto prognostico, (in senibus enim à plerisque Paralysis incurabilis putatur, quod tubuli partium sint duriores, fibrillæque crassæ & densæ, minusque mobiles, unde obstructiones in iis genitæ non facilè tolluntur, pessimumque præterea habeatur signum, si partes resolutæ ad tactum frigeant, indicat enim vel nullos vel paucos admodum spiritus, per nervos transeuntes, magnasque nervorum obstructiones,) præscripsi quidem remedia, potius ne deficerem in charitate, & quia turpe existimabam soli prognostico ægram relinquere, quam singulari felicis succesûs spe, & quia jubente *Tralliano*, humanum benignumque artis auxilium etiam in desperatis, cum morbis contendere oporteat: Nihilominus tamen Summus Medicus præter omnem expectationem, medicamentis à Practicis hujusmodi in casibus præscribi atque internè & externè adhiberi consuetis, paucis quidem & vulgaribus (res enim angusta domi erat,) tam clementer benedixit, ut non solum ex Charontis Cymba, cui jam naulum exsolutura credebatur retracta, sed quod mirandum, spatio quatuor septimanarum integrè pristinæ sanitati restituta fuerit, cautiusque dehinc mercari didicerit.

Admirationi haud indignum videtur, venæsectionem aliàs, tanquam remedium heroicum, in Apoplexia sæpè cum præsentaneo successu adhiberi solitam, hic Apoplexiæ & subsequutæ Paralyseos causam extitisse. Certò enim persuasus sum, hoc minimè evenisse, si sanguinis missio intermissà, spiritus humoresque antea quieti, non intempestivè commoti & turbati fuissent.

OBSER-

OBSERVATIO CXLII.
D. PETRI ROMMELII,
Convulſiones triduanæ à Venæſectione in ſeptuagenaria.

TRitum in ſcholis axioma eſt: Duo cum faciunt idem non eſt idem. Hoc præter alia confirmabit etiam obſervatio ſequens, ob argumenti ſimilitudinem priori ſubnectenda. Videmus & experimur quotidiè, etiam ſenibus & decrepitis, contra communem medendi methodum, innoxiè (apparentes tamen ſæpè) venam ſecari poſſe, cujus ipſe varia, etiam in octuagenariis, utriusque ſexûs, obſervata exempla producere poſſem, ſi operæ pretium eſſet. Non tamen ſtatim in ordinarium exemplum trahi debet, docente Excell. D. D. *Rolfincio*, quantumvis ob naturæ robur, ſemel atque iterum benè ceſſerit: Nam ſæpe ſæpius heroicum hocce remedii genus peſſimè ceſſit iis, qui minus catè & cautè, ſolum ad imitationem & exemplum aliorum, nulla vel ratione vel neceſſitate ducti, empiricorum vel muliercularum ſuaſu, illud adhibuerunt, & in proverbio dici ſolet, unum calopodium omnibus adaptare pedibus, arroganter præſumſerunt. Non enim ſemper & ubique locum invenit, aureum aliàs, venerandi noſtri ſenis, magni *Hippocratis* effatum *Sect. 2. Aphor. 50. Conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent.* Fidem dictis ulterius fœnerabitur quæ ſequitur obſervatio.

Fœmina honeſta, edentula, Septuagenaria jam major, Anna Maria Fürſtin / poſt vehementius ab Empirico aſſumptum medicamentum purgans, ſecundo à purgatione die venam brachii, medianam vulgò dictam, per Chirurgum aperit, qui ſanguinem, pro ratione ætatis, ſatis liberaliter effluere permittit: Non multô poſt horrendis corripitur convulſio-

vulſionibus, quæ integrum triduum mirè & miſerè ægram exagitabant & excruciabant, nullasque ferè vel ſaltem minimas inducias concedebant: Per totum hoc triduum aphona manebat, præterque motus convulſivos, extra illos, nullum verò minimum vitæ præſentis indicium edebat, ita ut ceſſantibus interdum paululum convulſionibus, ab omnibus pro mortua habita fuerit, & tanquam jam defuncta aliquoties ab adſtantibus & miniſtrantibus tractari cœperit, ni revertentes convulſiones, ab hôc pietatis officio, vel invitos abſtinere coëgisſent. Interim quantum ob continuos ferè violentioresque motus fieri potuit, idoneis remediis convulſam refocillare non deſtiti, & non obſtantibus iis, ſubinde aliquid medicamentorum convenientium, potius guttatim inſtillari quam cochleatim infundi curavi, non neglectis quæ externè conducere videbantur, licet magis prognoſtico relinquenda, resque inter ſacrum & ſaxum conſtituta videretur, docente *Hippocrat. Sect. 5. Aphor. 3. Sanguine multo effuſo, convulſio accedens, malum.* Item *Sect. 7. Aphor. 9. A ſanguinis profluvio delirium, aut etiam convulſio, malum.* Et *in Coac. Prænot. 359. Vocis interceptio ſive loquendi impotentia in Convulſionibus diu durans, mala eſt.* Triduo tamen peracto, cum nil niſi mors præ foribus hactenus expectare, ultimusque vitæ halitus inſtare videretur, facies rerum præter omnem ſpem ſubitò ſe mutavit. Filia enim lacrymabunda (moniti mei memor,) moribundæ matri, de aqua confortante & ſimul antiſpaſmotica, ex cochleari paululũ maximè in os ſtillare ſatagens, fauſto manus vacillantis errore, totum quicquid in cochleari continebatur affatim ori & faucibus hiantibus infundit, ſicque facultatem jam ſopitam, & ſuccumbentem Archeum, ob metum violentæ & ſubitaneæ ſuffocationis, irritando, ad munus quaſi revocat. Nam ecce, inopinatô & non ſine ſumma adſtantium conſternatione & terrore, mortis candidata, loculoque vicina, ſe ipſam in lectô erigit, oculos aperit, præſentes ab ipſa præ metu aufugere tentantes

tantes alloqui incipit, jusculum capit, & nescio quæ ridicula, delirans recenset. Ad illam invisens, taliaque videns & audiens, insuperque graviter illam febricitare observans, adstantes meliora sperare jussi, memor effati magni nostri Coi quando dicit *Sect.* 2. *Aphorism.* 26. *Febrem convulsioni supervenire melius est, quam convulsionem febri.* Item *Sect.* 4. *Aphorism.* 57. *Qui à convulsione vexatur, febre superveniente liberatur.* Et *Coac. Prænot.* 354. *Convulsiones & tetanicas distensiones febris superveniens solvit.* Item *Coac.* 358. *Convulsionem solvit febris accedens acuta, quæ prius non aderat.* Juxta cephalica temperata & confortantia antifebrilibus etiam, ex methodo febri contra fuit itum, quibus benedicente Numine effectum est, ut post aliquot dierum intervallum, & febris, simul etiam delirium contumax, aliaque haud levia symptomata, remiserint, ægraque successivè cum pristina sanitate optimè reconciliata fuerit, aliquotque posthac annos, pro ratione senii sat commodè vixerit.

Hinc facile patescit, non ita temerè cum sanguine humano ejusque missione ludendum, sed majorem ei reverentiam, tanquam pretiosissimo vitæ succo & thesauro, præsertim in senio jam constitutis, utique habendam esse. Facilis quidem est jactura sanguinis, irreparabilis tamen vitæ. Quemadmodum enim Venæsectio, ut verbis Excellentissimi D.D. *de Muralto Observ.* 103. *pag.* 246. *Ann. II. Decur. II.* utar, si cum ratione instituta fuerit, multorum morborum Panacea est, ita ægris ut plurimum nocet, nisi prudenter adhibeatur.

OBSERVATIO CXLIII.
D. PETRI ROMMELII,
A Venæſectione Delirium Melancholicum.

VEnæſectionem non ſolùm in ſenio jam conſtitutis, ſed in juvenibus etiam ſæpius evadere, ſi non prorſus funeſtam, ſatis tamen periculoſam; exemplum habet *Hippolitus Guarinonius*, inſignis quondam Medicus, in ſuo **vom Greuel der Verwüſtung Menſchlichen Geſchlechts** *opere, lib. 5. cap. 36. fol. 987.* de Virgine nobili 26. annorum, nunquam antea venæſectionem paſſâ, optimâ ſanitate fruente; cui præter neceſſitatem, ſolùm voluptatis gratia, & ut aliorum, quorum petitioni refragari nefas ducebat, voluntati ſatisfieret, vena aperta & ad ℥iiij. ſanguis eductus fuit: Sanguine enim adhuc fluente convulſiones ſupervenêre inque lipothymiam incidit, ita ut præſenti Medico *D. D. Guarinonio*, ad illam reſtituendam multum operæ faceſſerit.

Præterito autumno, virgo plebeja 24. annorum, Maria **Heulin** / ut conſuetudini litaret, ex brachio ſiniſtro, anni tempore, juxta barbitonſorum Regulam, ita requirente, ſanguinem vena ſecta emittit, majoremque quam par erat, minei humoris Chirurgo ita volente, effluere ſinit; ſed paulò poſt, vix bihorio præterlapſo, quæ patre malo hypochondriaco vexato progenita erat, eodem malo non ſuperficiariè affligitur, hinc in delirium melancholicum incidens, omnibus ſe divitiis abundare ſibi imaginabatur, matremque viduam, & miſerrimam vitam ob valetudinem continuò adverſam ducentem, ſolabatur, bonoque animo eſſe jubebat, dicens: ſe jamjam ex hac miſeriarum valle diſceſſuram, matrique egenæ omnia illius bona, minimè vilipendenda, fore relicturam. Interrogata nihil dolorum ſe ſentire profitebatur, & ubique ſibi benè

eſſe

esse affirmabat. Interim parum comedebat, & adhuc parcius bibebat, prorsus non dormiebat, medicamenta ferè omnia respuebat, vix semel vel bis, & potius astu circumventa, quam rationibus persuasa, aliquid ad alvum segniorem solicitandam, assumebat; nil nisi mortem exoptabat, quam etiam hilari fronte & animo desiderabat & expectabat, subinde de die in diem, & hora in horam se morituram prædicens: In omnibus tandem ita se gerebat, ut non leve periculum futuri furoris maniaci adesse judicabatur: Et quia medicamentis, pro pacificando Archéo, spiritibusque mitigandis & compescendis nullus concedebatur locus, præter Cremorem Tartari, Tartaro vitriolato sociatum & interdum Tinct. Tartar. & non nisi per fraudem, nihil remediorum planè assumebat, clysteres tam illa, quàm adstantes detestabatur, frontalia & epithemata statim abjiciebat, & hoc ferè per decendium integrum. Venæsectionem nonnulli iterandam esse putabant; Ego tamen ut pediluvio ex rosis, capitibus papaverinis, & foliis salicis paratô, aliquoties in die uteretur suasor fui, quod & tam benè cessit, ut somno adveniente, bidui spatio omnia tam gravia symptomata remiserint, planeque evanuerint, & patiens brevi cum pristina sanitate in gratiam redierit.

Hæc omnia ab intempestiva & largiore sanguinis missione, humorumque & spirituum agitatione, & Archéi irritatione evenisse, mihi persuadeo; quæ si vel intermissa, vel majori cautela administrata, vel etiam parciori, & necessitate postulante, crebriori extra missione, & non confertim celebrata fuisset, dubio procul non, cum ægræ maximo dispendio & incommodo accidissent: *Omnis enim nimia evacuatio*, docente *Hippocr. lib. 1. Aphor. 3. est periculosa; item Evacuatio quæ copiosè fit ac repentè periculosa est & bellum naturæ indicit: omne siquidem nimium, naturæ inimicum; quæ verò paulatim instituitur, illa tuta est: lib. 2. Aphor. 51.*

OBSERVATIO CXLIV.
D. PETRI ROMMELII,
Viſus imminutus à Phlebotomia.

QUantæ utilitatis opus ſit ſanguinem vel quantitate, vel qualitate vel etiam motu peccantem, venarum apertione methodicâ minuere, corrigere, Archeum nimis oneratum levare, nimis calidum, aduſtum & ignefactum ventilare & refrigerare, à ſalibus peregrinis & ſylveſtribus, quibus ſæpè ſcatet, operationibusque nocet corrigere & liberare, circularem motum pigriorem vel etiam concitatiorem, varias in corpore actiones turbantem, emendare; quotidiana nos docet Doctorum æquè ac imperitorum Magiſtra, Experientia. Unde *Galenus* ſua jam ætate manifeſtiſſimis exemplis oſtendit: Venæſectionem eſſe præſidium omnium optimum, præſentaneum, & multiplici rerum uſu adprobatiſſimum, cum omnibus aliis remediorum generibus ſit opportunius, citius, atque tutius. Hæc enim ſive dignitatem ſpectemus, ſive usûs frequentiam, palmam reliquis omnibus materiis præripit.

Quantas è contrario, minus methodicè & ſine prudenti conſilio, non præſentibus indicationibus, vel etiam benè habentibus, & extra periculi neceſſitatem conſtitutis adhibita, noxas inferat, quotidiè triſtes & ſæpè funeſti eventus nos commonefaciunt.

Notum ſatis eſt, Phlebotomiam in oculorum affectibus & visûs ſymptomatibus plurimis, & commendari magniqúe ſubinde usûs extitiſſe, ut exemplis id confirmare ſupervacaneum opus foret. Tamen hinc inde obſervatum eſt, venæſectionem viſui maximè obfuiſſe. Sic *David* Schirmer *in Sermon. Convival. num. 9. p. 12.* & ex eo *M. Joh. Georg. Schiebelius in Domo Amœnitatum hiſtoricarum Part. 2. pag. 137.* refert: Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum I. aliquando narraſſe, ſe inter milites

lites suos Centurionem habuisse, qui statim à venæsectione visum amiserit, cœcusque factus fuerit, & quod demum post aliquot septimanarum spatium visum denuò recuperârit, sed admodum debilem & imminutum. De virgine itidem narratur, illam sanguine adhuc ex aperta vena fluente exclamasse: *Ego nihil videre possum.* Cui quidem vena statim clausa fuit, nihilominus tamen, omnem reliquam suam vitam cœca transigere coacta est. Sic etiam *Joh. Udalricus Rumlerus Obs. 70. p. 41.* Civis Augustani primarii & divitis Matthæi Baleri meminit, cui ob diuturnum capitis dolorem nullis remediis compescibilem, tandem à Celeberrimo Medico sanguis ex cephalica missus est. Quo facto, eo ipso momento doloribus evanescentibus repentè cœcus factus est, & ad obitum usque permansit. Cui parem penè historiam Excellentissimus adnotator *Nestor* ex *Nicol. Fontani Analect. Obs. c. 11. exempl. 8.* subnectit, sed disparis eventûs; ibi enim ophthalmia laborans, à Sectione Venæ cephalicæ, cœcus redditus, sed Clysteris adplicatione & venæ basilicæ apertione curatus est.

Ego non simplici vice in plurimis qui saltem ex consuetudine quotannis venam secare solent, observavi, sanguine ritè fluente, ubi vix una vel altera sanguinis uncia adhuc egressa erat, illos de nebula oculis obversante, vel rebus diversicoloribus visui se objicientibus conquestos esse, nonnullos etiam talia vel his similia verba protulisse: Deus bone! ego vix vel parùm, vel hoc, vel illud video, nullo subsequente animi deliquio vel lipothymia. Tunc ego statim venam claudere & quieti se committere imperavi, magis tutum esse ratus, ob superius adducta exempla, ab ulteriori sanguinis profusione desistere, quam majores turbas ciere, quod etiam, Deo sint laudes, semper feliciter cessit, majusque forsan jam imminens periculum præcautum fuit.

Apud nos communis opinio (non audeo dicere error) viget, â sectione venæ cephalicæ dictæ, quæ inter pollicem & indicem manus est, visum diminui, cœcitatemque induci posse,

plures etiam juratô affirmantes audivi, post missionem sanguinis ex hac vena, visum illorum maximè imminutum & obtusiorem redditum esse, idque non semel se observasse, sed toties quoties scilicet hanc venam incidi curassent, accidisse. Scio equidem delectum venarum, stante circulatione sanguinis, non ut olim factum, tam superstitiosè esse observandum, venasque omnes communi frui fato. Interim tamen non ita simpliciter omnis delectus est rejiciendus sed cum grano salis vid. *Ann. 6. Misc. Cur. Decur. '. obs 96. p. 135.* nec prorsus negari potest, plures ex hujus vel illius venæ apertione majorem utilitatem capere quam ex alia, exemplum hujus videri potest apud *Joh. Valentin.* Majern *Med. Crailsheimensem in consilio Febrifugo p. m. 96. 97.* Quod si non Planetis maleficis tempore Venæsectionis existentibus, eorumque violentis aspectibus, quadraturis ac oppositionibus, aliisque magnis astrorum mutationibus, (signis Zodiaci, quia nihil ad legitimum Phlebotomiæ usum valent, tanquam rei phantasticæ & absurdæ, nihil tribuo,) quibus non omnem omninò operandi vim negandam esse, doctissimi viri censent, certè consuetudini cujus maxima vis ubique esse solet, erit adscribendum. Interea de Phlebotomia hoc notandum, quod abusus & quæ ex accidenti fiunt, verum rei usum tollere non debeant, cautè tamen semper procedendum, omnesque circumstantias, eâ quâ decet circumspectione esse perpendendas.

OBSERVATIO CXLV.
D. PETRI ROMMELII,
Aphonia post Venarum hypoglottidum Sectionem.

QUot homines apud nos fiunt lectularii ob intempestivas vel Venæsectiones, (præsertim si plures unà, uno temporis articulo aperiantur,) vel purgationes. Ita Celeberrimus *D. D. Simon Paulli in Quadrip. Bot. p. 140. & 608.*

& 608. veritatem hujus effati præter jam allatas hiſtorias ulterius confirmabit mox ſequens hiſtoria. Rectè inſuper *D. D. Winclerus obſerv. 91. pag. 131. Ann. 6. Decur. I. Miſcell. Curioſ.* inter alia ſcribit : Nulla Venæſectione plus ac ſæpiùs peccatur quam ea, quæ ſub lingua inſtituitur, ubi ſæpè inconſulto Medico, Chirurgi præpoſtero ordine revulſionem ſolent parare à parte ignobili ad partem nobiliorem : Hiſtoriamq́ue funeſtæ ſub lingua Venæſectionis *loc. cit.* & *paulo poſt*, nempe *pag. 135.* aliam de Epilepſia & inſania, ſectionem venarum ſublingualium ſubſequente adducit, cui propemodum parallela eſt ſequens ab Excellentiſſimo *D. D. Gabriele Furtenbachio*, Phyſico Leofanenſi meritiſſimo, amico meo integerrimo, & plus quàm fraterno amore proſequendo, ante triennium communicata obſervatio.

Ruſticus juvenis ex pago **Seybrantz** ditionis Illuſtriſſimi Comitis à Zeil &c. Chirurgum oppidi vicini Venæſectionis cauſa adiit. Chirurgus petitioni ſatisfacturus præſtò eſt. Facta in brachio ligatura venam incidere tentat, nullo fluente cruore, ictum repetit, pari ſucceſſu, ex vulnere enim nihil effluxit: Utrum ſanguinis craſſior ac terreſtrior, an timor, an verò frigidior aëris conſtitutio, (fiebat enim menſe Decembri) obſtiterit, quod minus promptè fluxerit, non prorſus liquet, cum unumquodque horum, vel etiam omnia ſimul in cauſa eſſe potuerint. Hoc modo re non ex voto ſuccedente, balneator venarum ſublingualium ſectionem, ne forſan mercede ſua fruſtretur, ſuadet; facilè adnuenti, vena ſub lingua ſecatur, vix facta inciſione loquendi potentiam amittit & aphonus fit, terroreq́ue ob hoc inopinatum accidens perculſus, agreſtes, lares curſu citatiore repetere ſatagens, ſed quanto magis periculum evitare greſſumq́; accelerare conatur, eò velocius & citius ſummum vitæ periculum incurrit, fatumq́ue maturat; à motu enim violentiori ſanguis incaleſcens, fluidior redditus, ex utroque brachii non ligato vulnere, fluere, & quidem tantâ vehementia cœpit, ut viribus exhauſtis rori vitali effuſo, ob defe-

ctum

ctum qui succurreret, exanimis factus in via mortuus repertus fuerit.

Aliàs in Aphonia Venæsectio tanquam præsentissimum remedium adhiberi solet: Hanc enim *Hippocr. 2. Epid. Sect. 5. f. 21.* commendat quando dicit: *Qui derepentè voce privantur, iis sanguis mittendus* & *4. de Vict. rat. in acut. repentè obmutescentibus Venæsectionem suadet.* Venæsectioni etiam *Cornel. Celsus lib. 3. c. 27. p. m. 178.* multùm tribuit. Item *lib. 2. cap. 10. p. m. 79.* dicit: *Quicquid deniq; fauces difficultate spiritus strangulat, quicquid subitò supprimit vocem &c. sanguinis detractionem requirit.* Et *paulo post: Idq; maximè fieri debet ubi nervi resoluti sunt, ubi subitò aliquis obmutuit.* Excellentissimus præterea *D. D. Wedelius* de Venæsectione ritè adhibenda fatetur inter alia, se vidisse, sectis hisce venis sublingualibus sublatam ἀφωνίαν apoplecticam, & paulo post testatum facit; non solùm in Angina, ardore faucium, febribus ardentibus cum delirio &c. sed etiam *Loquelæ defectu*, venas raninas commodè secari. Hic tamen planè contrarius effectus consequutus est. Plura adhuc infelicium & funestarum Venæsectionum exempla in medium proferrre possem, sed hæc sufficient, ad alia pergendum jam erit. Rectè interim Excellentissimus *Curiosorum Thessalus Ann. II. Dec. II. observ. 169. p. 382.* monet: Quicunque vitam (valetudinem) suam in pretio habent, neque fata sibi suisque ægrotis ante diem accersere volunt, cane pejus & angue fugiant crebram nimis (addo ego nimis licentiosam, largiorem & sine prudenti consilio administratam) Venæsectionem, quæ Parcarum instar, si quam maximè blandiri videtur, vitæ filum rescindere solet. Concludo Magnifici atque Amplissimi *D. Argonautæ*, Præsidis Illustr. Societatis Leopoldinæ meritissimi cedro digno Disticho:

Discite mortales pretioso parcere succo,
Tam vitæ fons est, quam necis author idem.

OBSER-

OBSERVATIO CXLVI.
D. PETRI ROMMELII,
Bulithi copiosè in vesica reperti.

NUllum amplius dubium superest, *Aristotelem* valdè hallucinatum fuisse, & cum eo plures alios, quando scribere ausus est: Inter animalia solum hominem calculis esse obnoxium. Quam falsa autem, imò falsissima sit hæc Aristotelica assertio, multiplices experientiæ, rationibus plurimis longè præferendæ, testatum faciunt, totoque die in omnis generis animalibus, eorumque diversis partibus calculos & generari & inveniri observamus, variaque exempla, ut alios jam authores prætercam *Miscellanea Curiosa Acad. Nat. Curiosorum* nobis suppeditant: Loco plurium sufficiet nobis allegâsse Excellentiss. D. *Celsi* Adjuncti meritissimi & Scholiastis diligentissimi *Observ. CLXVIII. Ann. IV. & V. Miscell. Curios. Decur. I. p. 224.* de minutis, rotundis, splendentibus Patavii in vesica bubula repertis calculis; Cui parallelam paucis abhinc septimanis de Bulithis à me observatam historiam addere lubet: In vesica enim recens mactati bovis, ingens numerus hujusmodi splendentium ac metallum æmulantium globosorum calculorum, majorum, mediocrium, minorum & etiam minimorum, inventus fuit; majores magnitudine pisa communia æquabant, nonnulli etiam superabant, minores & minimi, quorum infinitus erat numerus, semina minutissima papaveris & majoranæ, referebant. Color non omnibus unus idemque erat, nonnulli enim aureo & fulvo splendore coruscabant, alii fusco & obscuriori colore præditi erant, non pauci gemmæ Turcoidis colorem aliquo modo æmulari videbantur. Omnes quos confregi, fracto superiori cortice, alium, hocque itidem fracto iterum alium aurei coloris corticem, priori & superiori longè splendidiorem oculis objiciebant; duritie ferè lapidea gaudebant, lamellæ ab invicem quoad fieri potuit separatæ,

diaphaneitate aliqua se commendabant, maxima horum globulorum pars perfecta rotunditate & globositate se ostentabat, vix decimus inæqualitatem monstrabat, odor durius tractatorum urinosus erat, in pollinem redactorum, linguaque gustatorum sapor percipiebatur nullus. Imprimis admiratione dignum videbatur solùm vesicam hisce scatuisse, renes verò planè nihil hujus arenæ metallicæ fovisse: An verò vesica vel etiam renes locus natalis hujus lapideæ sobolis, vel vesicula fellea (in qua tales sæpissimè reperiri notissimum esse puto,) vel alia aliqua pars extiterit, non adeò liquet, in vesica sola omnes hos in tam magna quantitate fuisse genitos, ut credam vix induci possum. In instanti eos genitos esse, (quale exemplum *Ann. IV. Dec. II. p. 43.* exhibet, & momentaneus calculus in *Th. Barthol. Act. Hafn. Vol. 3. p. 73.* describitur) lamellæ sibi ipsis invicem impositæ, credere vetant, magnaque eorum quantitas obstat. Utrum æquè diuretici ac lithontriptici sint, ac illi qui in boum ventriculis & vesiculis felleis reperiuntur, quorum virtutes mirabiles Excell. D. D. *Frid. Hoffmann. in M. M. W.* contra calculum tantoperè deprædicat, experientia hactenus destitutus, affirmare non audeo, multò minus iisdem, ob hanc eandem rationem, virtutem Bezoarticam, (quemadmodum Hippolithis & etiam porcinis lapidibus, & à Celeberrimo quondam *Nestore Hecatost. I. Obs. 93. p. 117.* ipsis etiam Taurolithis, adscribitur,) tribuere & adserere possum; quanquam non dubitem hos, illis ratione qualitatum, & virtutum medicinalium facilè æquipararari ac adsociari posse.

SCHOLIUM.

Bulithi illi parvuli, quorum hæc observatio ex *Dec. I. Ephemer. Cur. Ann. IV. pag. 224.* mentionem facit, triti urinosum, quem illi à nostro Exc. D. Autore memorati spirant, haud exhalant, sed qualem oculi cancrini, obtusiorem, terrestrem quasi, vel testaceum, emittere solent; qui etiam, lapillorum istorum more, in aceto destillato promtè dissolvuntur, remanente

nente tantum pellicula, inque coagulum albidum ab alcali præcipitantur. Cæterum & his, & illis qui urinosi salis præsentiam tritura ostendunt, diureticam virtutem competere, nullus dubito.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXLVII.
D. PETRI ROMMELII,
Ovum cum appendice sive caudatum.

POsthabita illa Disceptatione seu Quæstione, quam *Aristoteles* olim & *Theophrastus* multique non ignobiles Peripatetici Philosophi exsolvi omninò posse negârunt; videlicet: *Aves ne ante, an verò ova generata sint?* (vid. *Censorin de Die Nat. cap. 4. p. 9.* & *Lindenbrogii in eum notæ;*) posthabita inquam illa quæstione, sufficienter à *Sancto Moyse Genes. cap. 1.* solutâ, qui aves, non ovum primùm extitisse & factas esse apertè docet, nihilominus nos hìc loci ab ovo exordiemur, postea verò de pullo seu ave nonnulla dicemus.

Varia de ovis rara, curiosa & monstrosa hinc inde, præsertim in *Ephemeridibus Germanorum Curiosis utriusque Decuriæ, Th. Bartholini Epistolarum Centuriis, Hist. Anatomic. Actis Philosophico-Medicis Haffniensib. &c.* legenda extant, de ovis nempè prægnantibus, serpentiferis, verminosis, humanis, in ventriculo & tumore inguinali repertis; duplici cortice, duplici item & triplici vitello præditis; ovis æquinoctii non putrescentibus; Eclipsi lunari, cometa, stellis insignitis; monstrum humana facie, item silices, scorpiones in se continentibus; insolitæ figuræ; de Ovo in intestinis concepto; loco infantis à muliere edito, gemello, caudato, alii ovo incluso, galli gallinacei, basilisco ex ovo &c. Multa præterea perdocta & curiosa de Ovis, Excell. *D. D. Lentilium*, Curiosorum Oribasium in sua *Oologia Curiosa* esse prolaturum, singularis Doctissimi & Excellentissimi hujus Viri eruditio & industria sperare nos jubet. In-

terea tamen omittere non possum, quin etiam ego Miscellaneis hisce ovum aliquod rarum sive monstrosum (cujus Schematismum ruditer saltem adumbratum sisto,) inseram.

Hoc duplicatum, vel si mavis cauda vel adpendice dotatum ovum, præterita æstate in arce Ilertissen à gallina juvenca seu pullastra in lucem editum & Illustrissimæ D. D. Baronissæ, natæ Comitissæ de Pappenheim, tanquam res monstrosa traditum, mihique postea ad contemplandum gratiosè concessum fuit. Lubentissime interiora duplicati hujus ovi rimatus & utrum bipartitus etiam vitellus in eo contineatur scrutatus fuissem, si sine diffractione ovorum fieri potuisset, vel saltem Illustrissima D. D. Comitissa lubentius apertionem, quam nolui immodestius urgere, concessisset. Si conjecturæ locus conceditur, ego opinor, gallinam parturientem, & jamjam ovum edere volentem, aut partûs dolore, præsertim si primipara fuit, vel terrore ob inopinatum & improvisum hominis vel animalis alicujus supervenientis adventum perterrefactam vel profligatam, & in ipso partûs actu & opere aliquo modo impeditam fuisse, quo minus continuo conatu opus perficere, ovumque uno actu & nisu excernere potuerit, sed repetito nixu ad expulsionem opus habuerit, & ob viarum vel angustiam, vel diuturniorem inter pariendum moram, vel maturiorem quam par erat uteri constrictionem, in duas quasi partes, maximè tamen inæquales, quod unicum in ovario adhuc erat, diviserit; quod facile ut mihi videtur fieri potuit, si consideremus, ovorum utero adhuc inclusorum testes, non tam duras, quales à partu postea ob aërem & frigus ambiens observantur, sed plerumque molliores & flexiles esse. Fig. XXXIII.

SCHOLIUM.

OVum caudatum huic non admodum dissimile, quod in hac *Eph. Cur. Decade II. Ann. I. Observ. 16.* exhibui, unico vitello fuisse præditum, hîc addidisse sufficiat; ut ita conjecturæ, quam de suo adponit Nobil. D. Autor, facilè adsensum da-

re

re liceat, unicum scilicet illud esse ovum, aliquo in exclusione impedimento in extremitatum altera attenuatum.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXLVIII.
D. PETRI ROMMELII,
Pullus gallinaceus quatuor alis totidemque pedibus præditus.

PRomissi memores, misso ovo, ad aves sive pullos gallinaceos nos convertimus. Non quidem præmaturè cantantem jam exhibeo, qualis ille Haderslebianus fuit: Ibi enim anno 1672. in ædibus Judicis pullum triduanum, quater tam clarè ac fortiter cantasse, gallumque jam adultum voce sonora æmulasse & propterea omnes in magnam admirationem rapuisse, scriptum est. Idem etiam Anno 1532. accidisse, *Dresserus Part. 2. Millenarii sexti p. 494.* testatur: Cùm enim Joachimus II. Marchio & Elector Brandenburgicus &c. dicto anno expeditionem contra Turcas susciperet, iterque ingrederetur, galli vix ante biduum nati, læta adclamatione totum diem cecinerant, fausto omine, copias enim Turcicas, ingenti præda onustas, ita attrivit, ut ad internecionem redactæ sint, &c. quam historiam *Georgius Sabinus* aliquot distichis comprehendit. Anno 1670. Alslebii in civis cujusdam ædibus pullus quatuor dierum cantare cœpit, hocque malo omine factum esse refert *Franc. Moncæjus.* Ex *Apuleji lib. 9. p. 290. de aureo Asino* scimus, gallinam quandam non ovum ut naturaliter aliàs solent, sed pullum pennis, unguibus, oculis & voce perfectum peperisse, qui matrem suam continuò comitari cœpit. De Ansere quadrupede, pullis etiam variis monstrosis, vid. *Ephemerides Acad. Nat. Curiosor. passim.* Ego hîc pullum gallinaceum, quatuor pedibus simulque quatuor alis præditum sisto, cujus alæ priores albis, posteriores verò nigris donatæ e-

rant pennis ſeu potius plumis. In arce vicina Illuſtr. & Generoſ. D. D. Baron. de Bernhauſen hic pulchrè monſtroſus pullus præterito vere fuit productus, non tamen à gallina ipſa excluſus. Hæc tamen peracta incubatione, juſto tempore ex ovis ſuppoſitis omnibus veros eduxit pullos, unicum ſaltem ovum relinquens integrum, quod ancillæ animadvertentes Illuſtriſſimæ D. Comitiſſæ narraverunt, ſimulque ovum incubatum quidem & pulleſcens, non tamen apertum monſtrârunt. Illud aperire juſſæ nimis meticuloſæ facere detrectârunt, urgente tamen Domina Comitiſſa, quædam reliquis cordatior, teſtam tandem non ſine vano periculi gravioris metu confregit, taleque quale præſens figura exhibet monſtrum, extraxit, cujus ſuperior cranii pars, quia teſtæ adnata & quaſi adglutinata erat, forſan etiam imprudentius ab ancilla ruſtica tractabatur, in ovi putamine relicta fuit. Ego ab Illuſtriſſima D. Comitiſſa gratioſè mihi transmiſſum pullum, interanea etiam contemplaturus diſſecui, non autem ut ſperabam duplicata ea, ſed ſimplicia ſaltim inveni. Fig. XXXIV.

SCHOLIUM.

GEmellos etiam humanos ex uno ovulo aliquando prodire, non pro planè impoſſibili habendum eſſe cenſet Celeberrimus *D. Joh. Bohnius Circul. anatom. progymn. 1.* ſimili forſan, judicans, ratione, ac interdum unum frumenti granum plures ſpicas promit, & ova gallinarum duplici vitello, albumine & cicatriculâ prædita gemellifica deprehenduntur; & ob hanc involucri unius communionem etiam gemellos variis modis coaleſcere & monſtroſa fieri, *progymn. 2.* arbitratur. Interdum quoque absque ejusmodi coaleſcentia fœtus quaſi duplicatos poſſe excludi, quos nempe ſine concurſu violentiæ alicujus externæ, luſus aliquis naturæ, non facilè ab ullo ingenio explicandus, tales generavit, exiſtimo; quibus præſentem pullum gallinaceum adnumerare haud dubito, cum corporis proportio unicum pullum deſignet, quatuor tamen alis totidemque

demque pedibus instructum, cujus interanea etiam simplicia saltem inventa. Non enim video, si duo pulli primo fuissent, quomodo reliquæ partes omnes alterutrius absumi, & alæ ac pedes tantum trunco, & tam aptè, inseri potuerint. Imò quomodo gemelli illi connati, quibus, reliquis visceribus duplicatis & salvis comparentibus, unicum cor fuisse, dissectio ostendit, violentissimam corpusculorum, prius nempe & ab ortu separatorum, collisionem & dilacerationem necessariò contingentem, simulq; liquoris vitalis inevitabilem profusionem, absque interitu sustinere, aut novæ à corde unico remanente in utrumque corpusculorum truncum concinnæ distributiones contingere valuerint, capere nequeo; quo de dubio etiam egi in *additam. ad obs. 13. D. Joh. Hellvvigii.*

[L. Schröck, L. F.]

OBSERVATIO CXLIX.
D. PETRI ROMMELII,
Diarrhœa singulis mensibus innoxiè recurrens in gravida.

QUàm periculosa in gravidis esse soleat Diarrhœa sive frequentior alvi dejectio, sua jam ætate divus Senex, experientia edoctus, testatus est, inprimis quando *Sect. 5. Aphor. 34.* scribit: *Mulieri in utero gerenti, si alvus plurimùm profluat, periculum est, ne abortiat.* Aurei hujus Hippocratici effati, Medici prudentiores, & qui juxta famam integram etiam conservare student conscientiam, memores, in præscribendis medicamentis alviducis, gravidis exhibendis, cautè procedere, & non facilè vehementer ac celeriter alvum moventia iisdem propinare solent, ne quod facilè fieri potest, partum vel potius abortum promoveant. Quapropter Excellentissimus atque Experientissimus *D. D. Frid. Hoffman-*

Hoffmannus in ſua *Meth. Med. W. lib. 1. c. 7. pag. 70. a.* doctè & conſcientiosè ſcribit: *Qui gravidæ purgationem aliquam celeberrimè operantem præſcribit*, næ *is abortum cauſabit.* Hanc tamen Hippocraticam regulam non perpetuæ eſſe veritatis, ſuasque pati exceptiones, præter plures alias, ſubſequens evincet obſervatio.

Civis & Mercatoris noſtratis integerrimi, D. J. F.K. dilectiſſima conjux, trium jamfeliciſſima prolium mater, fœmina juvenis, habitûs gracilis, ad bilem valdè (adiram verò minimè) proclivis, præ aliis fœminis hoc peculiare habet, quod gravida facta, ſtatim à primo conceptionis menſe, usque ad ultimum geſtationis diem, ſingulis menſibus, Diarrhœa & quidem diuturna ac vehementiori corripiatur, cum doloribus & torminibus ventris ſat gravibus atque moleſtis; hactenus tamen menſtruam hanc diarrhœam ſemper & ſibi & fœtui innoxiam fuiſſe, experta eſt, eamque jam pro indubitato graviditatis ſigno habet, ſi nempe menſtruo ſpatio exacto, loco Catameniorum alvi profluvium adveniat, quod deinde ſingulis menſibus, ſtato tempore rediens, ſeptem vel octo ſubinde diebus continuis durare ſolet, illamque ſingulis diebus vicies, quinquies & vicies, ad minimum verò quatuordecies vel quindecies, ad ſellas Patroclianas ſecedere, ibidemque copiosè & liberaliter alvum exonerare, ſarcinamque moleſtam deponere cogit; Cum tamen tam utero gerens quàm extra graviditatis ſtatum, parùm admodum comedat, nec multum bibat, ita ut aliis mulieribus, talis victus tenuis vix ad conſervandam vitam ſufficiens foret; Illa tamen ſana & vegeta, nec inelegantis formæ fœmina, pulcherrimosque & vivaces fœtus ter jam enixa eſt. Cùm primùm gravida fuit, hocce profluvium idoneis medicamentis ſiſtere & inhibere, conatum quidem fuit, ſed ob inſequentem reſpirationem difficiliorem, aliaque ſupervenientia ſymptomata, deſiſtendum Naturæque imperio, non autem artis præceptis parendum fuit. Extra graviditatis tempus menſtruum lunare debitum ſatis liberaliter perſolvere, purpureum-

que

que liquorem abundanter profundere consuevit; statim verò à conceptione fluor albus copiosus ipsi molestus est, donec mense absoluto diarrhoea superveniat, tunc fluor albus cessat, & ut dictum ordinatè singulis mensibus diarrhoeâ recurrit, fluore amplius albo non revertente.

Sic provida Natura quæ Dei amanuensis dicitur, in motibus suis certas periodos & stata tempora observare solet, & in homine sapientior est quovis Medico, magisque gnara suæ utilitatis atque damni, quam cuncta Scholarum ingenia: Optima enim medendi magistra est, & sæpè intento quasi digito artificibus vias monstrare solet, per quas commodissimè velit ac possit ab humoribus superfluis acribus & salsis liberari.

Notum aliàs est etiam gravidas non rarò vehementiores purgationes sine notabili damno & embryonis periculo perpessas esse; meretrices etiam à vehementissimis Catharticis iteratò etiam assumptis, voti sui, vel ob naturæ robur, vel potius singularem Dei providentiam, minimè compotes factas fuisse, nec abortum attentatum procurare hoc modo potuisse: Quanquam nullum è contra supersit dubium, plurima scorta triobolaria fœminasque infames & impias hoc modo scelestum nefarium & funestum suum scopum, haud rarò adsequutas fuisse & attigisse.

[Ulmâ Augustam 1686. d. 24. Decembr. missa.]

SCHOLIUM.

Diarrhœam vehementem & diuturnam citra periculum à gravida perpessam habet *Felix Platerus Observ. Med. lib. 3.* In consilio, quod in fluxu ventris & vomitu gravidæ à *Joh. Nævio* scriptum, *operi suo consiliorum Joh. Laur. Scholzius* inseruit, *num. 340.* quamvis alvi fluxus uterum gerentibus multum familiaris, minimè tamen salubris pronuncietur, hoc tamen admonitum voluit prædictus celebris Medicus, ne, ubi fluor ad sistendum inobediens factus observetur, multum urgeatur, addens: *Ferunt enim nonnunquam prægnantes ejusmodi diar-*

rhœas usque ad partum, citra noxam, ut contigit in uxore fratris mei, quæ prægnans per quatuor menses sanguinolentas dejectiones, etiam cum rasura intestinorum, passa est, nec ullo medicamento sisti poterant, tandem excluso fœtu sano & incolumi, sponte sua intermiserunt. Conferatur etiam *Observ. 17.* Celeberrimi nostri *D. Herculis in Dec. I. Ann. III. Ephem. harum* consignata.

[*L. Schröck, L.F.*]

OBSERVATIO CL.
D. JOHANNIS JACOBI WEPFERI,
De
Uteri procidentia sectione feliciter sublata.

ANna Maria Stöcklerin / uxor Thomæ Franci Pistoris, Staturæ justæ, carnosa, benè colorata: maritata Mens. Febr. 1684. Stuttgardiæ. Anno 1685. d. 25. Dec. manè & vesperi propter Festum Nativitatis D.S.N. templum adiit. Vesperi domum rediens, citra præcedentia ulla indicia ad partum sollicitari cœpit: conatus parturiendi ad tertium diem prorogabantur atque interea primipara intempestivè ad pariendum urgebatur; tandem propè tertio die elapso peperit facilè fœtum mortuum, stato tempore fœtûque perfectè conformato, ac paulò post subsequebantur secundinæ. In principio puerperii febri continuâ petechiali correpta fuit, cujus exordia in sella parturientibus accommoda percepit. Dum adstantes mulierculæ fœtum reficere ac variis auxiliis animare tentabant, matrem prorsus neglexerunt. Lochia largè manârunt ad diem usque decimam; tunc primum animadvertit sinum pudoris impleri corpore quodam carnoso, magnitudine ovi anserini; nondum tamen egrediebatur limites illius: Ostendit illud statim obstetrici, quæ suasit ut biberet Ol. Olivarum & Amygdal. dulc. sed addita monitione illud vel inde expulsum iri, vel manifestum fore, num corpus hoc ad procidentiam aliquam

Fig: 35.
p. 306.



A. Tumoris ambitus.

B. Collum ubi amputatus fuit.



C. Maculæ lividæ ubi putrescere cœpit.





quam uteri pertineat? postea illam intra triduum non amplius invisit: hoc elapso obstetrix rursus illam convenit cum alia obstetrice, quarum hæc affectum agnovit ac procidentiam pronunciavit, quamvis illam alio nomine insigniverit: retrusit illam blandè indiditque sacculum infarctum fl. Chamom. Meliss. aliisque in lacte coctum: unde retro cessit atq; aliquandiu intra vaginam recondita mansit: suasit quoque insessus ex aqua mera cocta calidos, quorum sex partitis vicibus usa est cum manifesto sensu sponte retrocedentis procidentiæ: Hinc prorsus ab obstetricibus negligebatur nullamque amplius curam illius gerebant. Decem septimanis puerperio aliisque molestiis vacare cogebatur: interea & postea fluore nunc albo, nunc cruento vexabatur; quilibet propè per octiduum seorsim manavit, ac ferè alternabant: hanc ob causam venam secandam curavit, usa est tragea uterina; bibit Decoctum urticæ mortuæ flore albo aliaque sumpsit Euporista, sed sine ullo levamine. Intereà rursus concepit; perrexit nihilominus fluxus & licet quandoque per biduum substiterit, nihilominus postea largius erupit, ut aliquando largissimam uteri hæmorrhagiam passa fuerit. Fœtu crescente procidentia denuò extrudebatur & aliquando duorum renum vitulinorum figura inæquali & magnitudine similis extra vulvam prominuit, quam tamen facilè repellere potuit, mansitque intra vaginam, quamdiu sibi à ponderum sublatione cavebat, nam aliàs promptè rursus excidebat: quandoque decubuæ in lecto spontè retrocessit. Fluxus semper alternando continuavit, licet temperanter vixerit sibique studiosè à noxiis caverit. Die 1. Sept. 1686. Stuttgardiæ quidam ebrius pugno frontem ei percussit, unde valdè excanduit, ipsaque in tumultu lumbos inscia allisit: Post horæ quadrantem supervenit larga uteri hæmorrhagia; lectum petiit: d. 2. Sept. manè satis benè se habuit: obambulavit in conclavibus: circa meridiem dolores secantes in abdomine sentire cœpit: hora 2. pomer. abortiit: Embryo erat longior spithama, masculus, forma perfectus; cui per funiculum umbili-

calem adhæſerunt ſecundinæ; poſt abortum lochia vel parca vel nulla emanârunt, at protinus procidentia erupit inſignis magnitudinis, etiam longè extra ſinum pudoris pependit: quamprimum retruſió tentabatur, ſuffocatio imminebat: ſi ſtetit, aut ſi tracta fuit, ſummoperè doluit in hypogaſtrio. Cùm reponi amplius non poſſet, de vaſti iſtius corporis exciſione ambiguis ſententiis deliberatum fuit; verum cùm gangrænæ periculum & inſignis putrefactio inſtaret, unanimi Conſilio, ut propediem ſectio inſtitueretur, concluſum fuit. Itaq; d. 11. Septembr. 1686. dexterrimus *Chirurgus Dominus Jacobus Chriſtophorus Beckerus Sereniſſimi Ducis Ordinarius*, præſentibus Excellentiſſimis *Dominis, Salomone Reiſelio, Joh. Georgio Gmelino & Joh. Caſparo Härlino, Archiatris*, ſectionis ſuaſoribus, hac methodo inſtituta fuit: primum moles pulvillo, ne nimium pondere ſuo deorſum traheret uterum, impoſita fuit; deinde funiculo propè ſinum pudoris fortiter conſtricta fuit, inde acum ſcindentem filum ſericeum trahentem ſupra funiculum per collum molis, brachium mediocre æquans, à parte inferiore ſurſum adegit, aliamque acum à latere dextro verſum ſiniſtrum traduxit; ambo filo ſericea validè conſtringebat; hinc novacula cis funiculum, relicto ſpatio aliquo molem hanc abſcidit; vix ultra duas uncias ſanguinis vulnus profudit: impoſuit ſtatim fungum, quem crepitum lupi vocant; unde hæmorrhagia ſubſtitit: veſperi cum deligabatur, optimè habuit, de nullo dolore quærebatur, imò gaudebat ſe ab hac moleſtia vindicatam eſſe. Sequentibus diebus fruſtula quædam carnis cis vinculum ſeu funiculum protuberantia *Dominus Beckerus* abſcidit forfice, unde portio cum filis & funiculo ſuperſtes ſurſum abrepta fuit. Ad fœtorem & corruptum ei adhærens auferendum injecit decoctum traumaticum. Paucos poſt dies ſurgere ſine ope è lecto potuit & ſine impedimento tertia ſeptimana obambulavit, rem domeſticam curavit, ac ſi nihil quicquam horum paſſa fuiſſet. Moles reſecta pendebat libras duas, tota lardo perſimilis. Anno 1686. die 25. Octobr. illam cum Exc.

Domi-

Dominis Archiatris & Domino Chirurgo, memoratis invisi: Vinculum & unum ex filis residuo procidentiæ infixa hæserunt: indito in vaginam digito ambitum orificii interni uteri attingere & circa illud ducere potui; orificium reperi prominulum & duriusculum, verùm in sinistro latere habuit hiatum mollem; nihilominus quousque digito penetrare potui, deprehendi filum per cervicem versus uteri fundum vergere: versus os pubis vagina supra hoc orificium laxior fuit & plenior, attactum persensit, absque tamen dolore. Fluorem nec cruentum, nec album amplius vel minimum experitur: Erat benè colorata, carnosa, vegeta; omnia domestica negotia obiens sanæ instar; nec de ullo symptomate querebatur.

D. 30. Octobr. Cùm *D. D. Härlino* & *Dom. Beckero* manè rursus exploratio facta fuit: dum antrorsum reclinato corpore stabat; statim digito occurrebant rugæ magnæ, molles, flaccidæ, usque ad locum illum qui referebat orificium internum: ambitus illius erat prominulus, duriusculus, non tamen exactum circulum habuit, sed in stante hiatus amplior magisque dextrorsum vergens reperiebatur, quàm nuper, nam tunc hiatus magis in sinistro latere & angustior occurrebat: per hiatum superficiarium intrabant reliquiæ vinculi & filorum. Post hunc annulum seu circulum similem aliquo modo orificio interno, ante & retrò rugæ aliæ ampliores molles flaccidæ tangebantur, imprimis sub osse pubis vesicam versus, pulvillorum instar inveniebantur. Attactum optimè pertulit: vinculum & fila inhærebant adhuc pertinaciter, quæ nolui fortiùs trahere.

Rursus asseruit, toto illo tempore, quo procidentia erupit usque ad abortum nec in mictione, nec in alvi solutione se vel minimùm impeditam fuisse: postquam verò abortivisset, si tumor pendulus erat aut si trahebatur, se doluisse, imprimis in dorso atque ad alvi solutionem crebro stimulatam fuisse: urinam verò involuntariè effluxisse, minùs lumbos doluisse, si paulò altius tumor locabatur: Post sublatum tumorem alvum ritè se solvere huc usque: Urinam in lecto tota nocte se retinere:

 siob-

si obambulet, nunc singulis horis, nunc post 2. horas præproperè sæpè ad mictionem stimulari & vix satis maturè matulam se arripere posse: mictionem tamen indolentem esse. Tumoris primum duæ libræ amputatæ fuerunt: dierum quatuordecim intervallo per vices frustula, putida summè fœtentia ad vinculum usque forfice abscissa fuerunt: quæ pondere omnia accesserunt circiter ad ℔ sem. Post dies 14. demum vinculum & fila sursum rapta fuerunt, ubi adhuc hærent.

Cum hodie tumorem linteo involutum & in camino suspensum è camino famulus *D. Beckeri* sustulisset, detracto linteo occurrebant millenaria muscarum & thecarum oblongarum & fuscarum, ex quibus exclusæ fuerunt: Portione cutis arida à tumore subtracta, corpus tumoris cavernosum & fibrosum mirè intertextum erat: simile fuit lieni denudato à tunica & omni parenchymate, aut utero à *Dom. Svvammerdam* delineato. Fig. XXXV. & XXXVI.

SCHOLIA.

I. AFfectus similis procidentiæ uteri, vulgò sic dictæ, repudiandus videtur, nam post diem decimum à partu difficili corpus quasi carneum vaginam implevit, atque ad sinum pudoris primum descendit retrudique potuit: in secunda conceptione planè extra sinum pudoris instar duorum renum vitulinorum protuberavit & nihilominus repelli valuit; tandem post abortum vastâ mole extra illum pependit. Insuper quamdiu hoc affectu prædita erat, fluore nunc albo nunc rubro alternatim molestabatur, quod huic morbo plerunque evenit.

II. An totus uterus, cum cervice & orificio interno, in vaginam descenderit ac extra sinum pudoris prolapsus fuerit (ut quandoque verè fieri novi, relaxatis potissimum fibris vaginæ orificium internum prominulum ambientibus) quasi per introsusceptionem uteri in vaginam? dubito, imò vix mihi hoc persuadere possum, nam rursus concepit; deinde crescente Embryone nihilominus hoc corpus descendit, imò ulteriùs pro-


Fig: 36. p.310.
A
B
C
A. Membranæ tumoris reliquiæ.
B. Cavernulæ in quibus muscæ earumq; ovula nidificabant.
C. Fibrarum tumoris plexus et reticula, membrana illius avulsa, conspicua.



Ovum duplex, s. caudatum.
Fig: 33.
p. 300.


Fig: 34.
p. 302.
Pullus gallinaceus cum quatuor alis et quatuor pedibus.



progressum est, quàm ante conceptionem; protuberavit enim extra sinum pudoris insigni magnitudine; denique post abortum mole maximum erupit, consistentia & figura planè dissimile utero, etiam statim à partu.

III. Ἀπόσπασμα membranæ internæ vaginæ quandoque evenit post partum difficilem idque statim; hanc brevi in tumorem insignis molis excrevisse cum aliis observavi: Matronæ cuidem Nobili, cui ante aliquot annos polypum ustione è nare sustuli, in molem protinus à partu excrevit similem farcimini parato ex intestino cœco suillo sanguine impleto, supprimentem alvum & urinam cum summis cruciatibus, quam Massiliæ *Dom. Lambertus Chirurgus* peritissimus & senex Venerandus jam à Medicis derelictam, brevi pristinæ sanitati restituit, inciso tumore atque expresso sanguine grumoso fœtidissimo. Honestæ fœminæ similis tumor statim à partu Meskirchii, eadem symptomata pariens emersit, illo sponte rupto, multo cruore profuso, cessantibus doloribus, paulò post convaluit: Ancillæ cuidem primiparæ post partum difficilem ibidem idem accidit; illam cum Aulæ Præfecta semel invisi: inter vaginam mediam & intestinum rectum tumor ovo anserino major, ruber, summè dolorificus; nec vel minimum attactum perferens conspiciebatur: omne auxilium illa respuit: quis morbi eventus secutus fuerit, non rescivi. Similem tumorem observavi in vinitoris nostratis uxore, qui alvum & mictionem ita suppressit, ut nihil prorsus excreverit, nisi admoto Cathetere aut injecto Clystere: rupto abscessu multoque pure per anum excreto brevi convaluit, & in hunc usque diem sana vivit: de qua videatur *Ann. III. Dec. I. Colleg. Curiosor.* Tale ἀπόσπασμα in hac ægra locum nec in principio nec postea habuisse existimo, quia in principio non statim ad molem majorem excrevit, nec valdè doluit, nec mictionem nec alvi solutionem impedivit, nam apparente tumore, non accersivit hoc nomine obstetricem, sed ob rem insuetam vaginam implentem, graviora timens, & postea retruso tumore rei domesticæ præfuit: potissimumque

que de fluore postea sollicita erat. Aliquam tamen divulsionem & secessum membranarum & fibrillarum Ægram hanc passam fuisse vel in vagina, vel in cervice, veritati consonum est, ob quam lympha & sanguis in capillaribus vasis stagnarunt, vel etiam extra vasa humores elapsi in molem aliquam partem illam distenderunt, nam tumor die decima à partu apparuit notandæ alicujus magnitudinis; nullum verò dolorem nullumque impedimentum in mictione alvique solutione genuit, quia in minore copia inter porulos detinebantur nec cum impetu è vasis propulsi fuerunt. Divulsionis & secessus causa fuerunt labores pariundi inanes, forte etiam intempestivi, per triduum continuati, & neglectus puerperæ, cùm aliàs providæ obstetrices puerperis statim à partu sinum pudoris blandis fomentis deliniant: nostrates in vino rubro calefacto dissolvunt frustum butyri recentis & aliquot vitella ovorum; atque illo pulvillos ex linteis madefaciunt calideque cum fructu apponunt: quod quia sæpè in pagis ab obstetricibus negligitur, ipsæque rusticæ non diu post partum obambulant ac quædam munia domestica obeunt, frequenter procidentia, uteri vocata corripiuntur: In uno pago Würtembergico prope Alpes plures hac affectas se novisse *D. Christoph. Völter p. m.* sæpius mihi narravit atque non item pridem in pago Scherzingen sub monte Heuberg aliquot vetulæ & juniores hoc malo afflictæ opem meam implorârunt.

IV. Quonam in loco radix hujus procidentiæ infixa sit, & unde succreverit, meritò inter Exc. Dominos Archiatros disceptatur & adhuc sub Judice lis est: Intra cavum uteri esse non leve argumentum est, quod post sextam septimanam ab abscissione tangatur orificium internum aliquantum apertius, quàm aliàs esse solet; deinde fila & vinculum per hoc cervicem uteri intrâsse comperitur & intra illam quousque digito perveniri potest detineri manifesto tangitur, quorsum die decimo quarto post sectionem quasi cum impetu abrepta fuerunt ibique in hunc usque diem firmiter affixa hærent: denique ante

sectionem

sectionem, post abortum, si tumor repellebatur, suffocatio instabat: si verò trahebatur, aut si pendulum relinquebatur, doluit in lumbis & hypogastrio. Verùm sententiam hanc valdè dubiam alia reddunt, nam primum rursus concepit; deinde fœtu crescente nihilominùs tumor protuberavit & quidem longiùs & extra sinum pudoris mole major quàm ante conceptionem; facilè quoque repelli potuit, imò sponte in decubua subinde retrocessit; insuper hæmorrhagiam jam utero gerens rursum passa est, salvo manente fœtu; certè si è fundo emanâsset sanguis, tum propter tumorem, tum propter profusionem sanguinis statim expulsus fuisset nec adolevisset ad longitudinem spithamæ cum dimidia; & post hæc abortiit non propter tumorem, sed propter graviorem hæmorrhagiam dissimilem priori, commotam propter vehementem excandescentiam & lumborum allisionem, idque intra uterum. Denique in sinistro latere orificii hiatus in decubua tangitur mollior quàm reliquus ejus ambitus, at illa incurvo corpore stante, in parte dextra, versato quasi circulo, ac si prominentia illa tantum vaginæ quædam inversio esset, falsò referens limbum interni orificii, cujusmodi circuli prominuli videntur in subintratione intestinorum, imprimis ilei, qui quoque diversissimi sunt, à circulo pylori & ilei circa principium coli. Veritatem tempus plenius revelabit: Si sublatis vinculo & filis menses redirent, illaque rursus conciperet, de integritate uteri planè non dubitare liceret, nec unquam tumorem hinc pullulâsse credibile vel maximè foret.

V. Tumoris consistentia lardo similis evasit, quia illud quod stagnavit in & extra vasa in poris tumoris serum aut lympha fuit, quod in loco calido inclusum in talem substantiam concrescit: si sanguis grumosus extravasatus fuisset, suppuratio supervenisset. Sic in genubus contusis ganglia nascuntur, dum sola lympha, aut serum poros magis magisque occupat, à calore inspissatur & progressu temporis ampliùs densatur, donec ad consistentiam lardo similem perveniat. Portio mem-

branæ, quæ à siccato tumore avelli poterat, & fibræ pars membranæ & fibrarum texturæ vaginæ erant.

VI. Vera Uteri Procidentia, si non valdè inveterata sit, nec ligamenta lata adhucdum omnem tonum amiserint, curatur pilis ligneis *Fabric. Hildan.* Aut annulis ex Costis balænarum confectis *D. Völteri*, qui globulis annulos præfert, eò quòd sordibus exitum concedant, earum verò effluvium remorentur globuli, magnasque corruptelas sæpè afferant: verum & noxæ huic facilè succurri poterit, si subinde pilæ extrahantur & frigida abluantur.

VII. Prudenter *D. Bekerus* præter constrictionem funiculo radici tumoris circumjecto, factam, post illum bina fila sericea trajecit, sic enim hæmorrhagiam largiorem præcavit, illamque quæ supervenerat, brevi fungo sistebat. Et quidnî tumor talis gangrænam aut cancrum minitans exscindi posset? cùm in amputatione artuum majores venæ & arteriæ dissecentur, hæmorrhagiæque ligatura eo usque inhibeantur, donec vel ustione vel congruis medicamentis sanguinem sistentibus penitus supprimantur. Fila huc usque laudabiliter reliquit, quæ natura ceu corpus alienum sua virtute propediem separabit, obducetque cicatricem omne periculum caventem.

VIII. Ob laxitatem rugarum vaginæ, imprimis propter pulvillum illum altiorem anterius in vagina circa situm vesicæ superstitem vel globus excavatus ex ligno tiliæ, emplastro congruo obductus, vel annulus necessarius erit, ne rugarum aliqua denuò humoribus serosis impleta & laxior facta descendat ac procidentiam quandam mentiatur.

Fig. XXXV. & XXXVI.

OBSER-

OBSERVATIO CLI.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Sen.

Ex imprudenti in nares liquoris errhini injectione deperditus gustus cum olfactu.

GEnerosa Baronissa quædam destillationibus ex capite per nares solitis nonnunquam divexata, dum constipatis aliquandiu per os cribrosum meatibus nullâ amplius tentaretur coryza, incommoda ex debilitato ab oppletione cerebro vitatura, injectiones ex aquâ Sambuci, Anagallidis, Senecionis, succo Betæ, Rutæ, Oxymelite Scillitico secundum rationem commistis in nares admisit: quem liquorem aliquoties usurpavit; sed illum non ad aperiendas obstructiones & extrahendas viscididates & phlegmata elicienda sufficere putavit. Succum proinde raparum rubrarum expressum in locum ejus substituit: Sed, nescio cujus suasu, siphoni superaddidit cannulam osseam, qualem in *Anno Ephemeridum nono & decimo p. 158.* ad uterum accommodatam dedimus, quâ cum alteram narium ita obtûravit, ut expulsus per siphonem succus, dum exitum alium non reperiit, transitum sub osse cribroso per alteram narem quæsiverit. Hoc secunda vice dum repetiit, tantopere incitavit abditos illos recessus, & ex ardore vehementi dolorem concepit intolerabilem, & orbita circa nasum in facie impensè rubuit. Vocatus ad illam, illicò emulsionem ex frigidis seminibus, aquisque refrigerantibus cum spermate ceti in oleo Amygdalarum soluto confectam, pro temperando calore, & moderandâ succi mordacitate per siphonem utrinque, absque cannula, injici curavi: quâ devictâ & benigniore redditâ per dimidii anni spatium & gustu & odoratu annihilato penitus caruit. Tandem tamen post usum aquæ Salviæ, Lavendulæ & florum Lil. convallii paulatim in utroque sensu pristinum recuperavit vigorem.

SCHOLIUM.

PRæcipuas morborum & ſymptomatum cauſas cerebrum inprimis, cum bile & ſucco pancreatico, malè diſpoſitis præbere cauſas, quilibet, qui penitius examinaverit omnium ab internâ origine ſcaturientium præter naturam affectuum indolem, mecum fatebitur. Nec pedes nimis remoti ſunt, quin deſtillationes ex capite illos vel arthritide, paralyſi, ulceribus, vel quovis alio afficere morbo poſſint: deorſum ſiquidem catarrhos motu ſuo naturali delabi nemo ibit inficias. Ex cerebro autem vapores per cranium exhalantes, dum pori cutis illud ambientis ab externo frigore obſtruuntur, nec ii transmittuntur, condenſati & in aquam reſoluti delabuntur à vertice ad aures, maxillas, dentes, linguam, palatum, collum, & quæ amplius ſubſunt, hujus generis ſubſequentes alias corporis partes; unde tot morborum, quot earundem infeſtantur, origines ducuntur. Anne pectoris regio à tali inundatione intus vel extra relinquetur immunis? Annon abdominis peripheria, vel contenta in eo viſcera metuendam ſibi à catarrhis quoque habebit irruptionem? Nec ullam ſibi ſuperior polliceri poterit regio ab inferioribus corporis partibus ſecuritatem, aſſurgente quandoque ex pedibus ad caput noxio quodam halitu vel vapore, cephalalgiam, epilepſiam, apoplexiam, lethargicos aut comatoſos, quin multos alios capitis affectus efficiente, ſi non per tranſpirationem exitum ſibi procurârint. Hinc malè ſibi conſulunt, qui dum naturæ ſunt tenerioris, à frigore externo mitris vel capillitiis caput obvelando non ſtudiosè defendunt. Porrò ſi meatus per os cribroſum obſtructi prodeuntem ex cerebro ſaburram non transmittunt, cum rarò per emunctionem ſecernitur, quod excretioni dicatum eſt; & ſic adaucta per longiorem moram copia, nec per os Sphenoides exſcreando expuitur, tandem per nucham exitum illa cum ſummo vitæ periculo ſibi parat, doloresque infandos ſæpè conciliat, & apoplexias, per catarrhos ſuffocativos promovet.

OBSER-

OBSERVATIO CLII.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Sen.

Ulcerum in cruribus periculosa curatio.

ÆDituus hujus urbis ad templum D. Jacobi crura utrinque ulcerata habuit, & per biennium id incommodum toleravit, donec à circulatore, qui ulcera illa curavit speratum impetravit auxilium. Exacto dein exiguo temporis spatio dolere capite cœpit. Fugata proinde ista molestia à capite deorsum se recepit. Supra utriusque pedis malleolos in flexurâ tumor oriri cœpit, unde debilitatis pedibus tandem ad ambulandum prorsus fuit redditus ineptus. Medicus quidam variis cum inunctionibus emplastrisq; resolventibus tumores imminuere tentavit, & in medio plantarum pedum singulo octiduo scarificationẽ consuluit. Cum verò per octodecim hebdomadas huic suo innitens scopo oleum & operam se perdere cerneret, derelicto suo patienti valedixit. In hoc misero rerũ statu cum vocatus fuissem, quo in termino scopum meum curationis figerem, dubius nonnihil hæsi: Tandem per divinam gratiam cum emplastro de Rhabarbaro, & de ranis Vig. cum Mercurio aliquandiu experimentum facere constitui. Cum verò tardior effectus me ad efficaciorem solicitasset medicinam, Emplastro Oppodeltoch Paracelsi, cui Euphorbium admiscui, tumores cooperui. Pustulis exinde excitatis & apertis substitui nonnunquam superiora: sicq; alternatim renitentes illos tumores domavi, ut paulatim imminuti tandem pedum vigorem pristinum impedire non amplius potuerint, & ille in publico deinceps inoffensus ambulavit. Pari methodo Theologi primatis hujus urbis conjux, Ischiadicum suum curatura dolorem, oleo ceræ aliisque calidioribus abusa, humorem dolorificum ex sacri ossis regione quidem sustulit, sed ad utriusque pedis flexuras supra malleolos ablegavit, & consimiles tumores effecit, cum ambulandi impotentiâ. Hæc per men-

sis spatium eâdem tractata methodo pristino itionis beneficio fuit beata. Sed decoctum Sassafras crebro potum, plurimum his attulit auxilii.

SCHOLIUM.

INtempestivam ulcerum antiquorũ in pedibus consolidationem quam gravia sæpè mala, vel ipsa mors sequantur, historiæ Medicorum loquuntur. Sic acutissimos capitis dolores, & hos refractariam cœcitatem successisse in nobili viro observavit *Bald. Timæus lib. 1. Cas. Med. 28.* & *resp. med. 41.* qui etiam atrocissimam cephalalgiam, scotomiam, vertigines, mentis alienationem, aliaq; gravissima symptomata, quæ nulla arte superari poterant, ex simili causa memorat *lib. 6. cas. 26.* & *cas. 31.* itidem post vehementissimam cephalalgiam, gangrænam brachii & sphacelum. Porrò oculos caligantes, vertiginem & apoplexiæ metum Nob. *D. Adam. à Lebenvvaldt Eph. nostr. Ann. praced. Obs. 81.* tussem ac tabem exitialem, ut & in alio subjecto vocis læsionem *D. Joh. Georg. Greulichius de Bile part. 2. propos. 1. §. 31.* sanguinis sputum *Joh. Rhodius cent. 2. observ. med. 35.* vomitum sanguinis lethalem *Joh. Scultetus Armament. Chir. part. 2. Observ. 59.* & mortiferum tonsillarum ulcus *Zodiacus Med. gall. Ann. 4. Mens. Febr. Observ. 22.* memorant. Cum enim natura peccantes humores per hæc in partibus ignobilioribus spontè enata emunctoria evacuare soleat, si ea obstruantur, non possunt non illi sanguini confusi, & sensim adaucti, varias excitare turbas, visceribusque nobilioribus labem adfricare, atque in cerebro inprimis, à quo, ut serosorum fluxuum præcipuo fonte, prius ad pedes derivabantur, hostilem vim exserere. Vel etiam, massa sanguinea cæteroquin impuritate ista prius si haud fuerit inquinata, in parte exulcerata demum à morbifero ibidem altius stagnante fermento corruptioni obnoxia facta, ubi medicamentis exsiccantibus effluxus inhibetur, superficie tantum ulceris ad cicatricem deducta, interiori verò recessu haud perpurgato, corruptæ materiæ particulæ refluo ad centrum sanguini

guini

guini communicabuntur, quæ majores sic vires adeptæ, ob heterogeneam suam naturam alicubi subsistentes, varia incommoda inducere valebunt.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLIII.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Sen.

Ex obstructione narium Melancholia.

VIr quidam sexagenarius, niger vultu, gravitatem præ se ferens singularem, ad habitum vergens & temperaturam atrobiliariam, tristem agere vitam cœpit, qui licet nullius indigus rei lætam ex opibus senectam ducere potuisset, continuis se afflixit suspiriis, planctu nonnunquam aliquot horas consumsit, nullius culpæ aut causæ sibi conscius. Ex Medici consilio frequentibus corporis pro depurando sanguine divexatus evacuationibus, reiteratâ quoque sanguinis missione, electuariis lætificantibus atque aquis antimelancholicis ad nauseam usque abundè assumptis laterem se lavare sensit, in eodem subinde gradu remanente mœstitiâ. Quamvis leves interdum & perbreves ipsi concessæ fuerint induciæ: affectus tamen plerumq; recurrens easdem vehementiâ compensavit. Suasu tandem cujusdam familiaris, cum s icciores ejus nares animadvertisset, usum pulveris Nicotianæ sibi recommendatum voluit, repetitis eundem vicibus per nares attrahendo: paulatim eas reseravit, & continuò fluentes adeò effecit, ut crebris emunctionibus saburræ istius liberum acquisiverit effluxum; unde noxia ista humiditas, lienem perturbans retrò vocata per nares se subduxit deinceps ad obitum usque patulas. Huic quoque fini fonticulum sibi in sinistro brachio excitari voluit, non sine commodo, & sic ad se rediens bonus ille Vir, naribus per continuum usum roridis quasi effectis tabaco vix per momentum carere potuit.

SCHO-

SCHOLIUM.

HÆc narium obſtructio frequens morborum multorum & ſymptomatum cauſa multis impoſuit Medicis tanquam nihil ad morbos faceret. Verùm hæc ſola Virginem annorum circiter 18. capitis imbecillitate affecit, dolore in eodem & vertigine ſæpiùs afflixit. Medici conſilio nil adjuta fuit, meque tandem accerſiri juſſit. Tunc è domo, ſibi de caſu in publico metuens, egredi amplius non fuit auſa. Indagatis horum ſymptomatum cauſis, cum ſe ab anni tempore nihil emunxiſſe fateretur, cum tamen circa æquinoctia ſe gravedinoſam ſemper fuiſſe aſſereret. Opem proinde petenti per ſiphonem injici in nares errhinum liquidum, os cribroſum obſtructum reſerans curavi, quod aliquot diebus naribus immiſſum denſam tandem paulatim emollitam mucilaginem inde elicuit, inſecuto mox ubere ex naſo effluxu, vehementem tum paſſa fuit coryzam, quæ ſuperiùs labium circa philtrum, ob humoris acrimoniam, ferè per menſtruum ſpatium vehementer corroſit.

Hæc virgo ſola hâc injectione errhini fuit reſtituta, & viro mox juveni nupſit.

OBSERVATIO CLIV.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Sen.

Dolor nephriticus celeriter curatus.

FOemina 48. circiter annorum crudelem circa renes dolorem cum ingenti vociferatione indicavit, cui, accitus ego, ſtatim exhibui

℞. Aq. laxativæ ℥ij.
Extr. diacarth.
Tinct. Tart. ā ℈j. Mſ.

Exacto horulæ ſpatio, alvo redditâ laxâ, dum egerendi conatu urgeretur, ſubitò evanuit omnis dolor, breviqúe ita, ex divinâ gratiâ priſtinæ reddita fuit ſanitati.

SCHO-

SCHOLIUM.

Dolor hicce in regione sub diaphragmate à catarrho ad renes delabente excitatus ortum suum habuit; Cum proinde eandem mox ab initio doloris inviserem, intercipere statim fluxum illum, & ad intestina promovere consultum duxi. Dictum, factum. Unde ex cerebro per dorsum, comite aliquali horrore, descendisse destillationem illam apparuit, quâ aliorsum derivatâ dolor ille ex voto, illicò cessavit.

OBSERVATIO CLV.

D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI, Sen.

Nervi læsio Epilepsiæ orientis causa, per cauterium ablata.

Virgo 19. annorum Svabaci Walchia, piscem apertura, in sinistri brachii domesticâ regione, tribus sub carpo latis digitis nervum cum arteria læsit. Vulnusculum curantes, in supprimendo sanguine arterioso occupati nil relictum putantes brevi illud consolidarunt, permanente quadam pustulâ, baccam vacciniæ rubræ æmulante. Post paucos illa menses levibus nonnunquam lipothymiis affici coepit, & consilium meum petiit. Ego hujus symptomatis originem sedulò pervestigans, & in ante, quæ fuerant acta, inquirens, utrum caput ejus ullam perpessum fuisset injuriam, vel quid aliud violenti ipsi contigisset, fui sciscitatus. Illa mihi affectum ostendit brachium, referens curationem vulnusculi arteriosum sanguinem fundentis; pustulamque verò illam relictam pro anevrismate incipiente habuissem, nî ligatione fortiori fuisset impedita. Chirurgum ex urbe nostra eò ablegavi, cui in mandatis dedi, ut super pustulam illam atrorubicundam lapidem pro cauterio imponeret: & nisi ille satis profundè penetraret, alium insuper superadderet; donec in me-

dii digiti apice quid sentire se affirmaret. Notum quippe est, nervos læsos nisi dissecueris aut adusseris, convulsiones exinde orituras esse. Inserviit dein locus ille adustus, remotâ escharâ, virgini pro fonticulo ad dimidium anni spatium, nullo subsequente lipothymiæ indicio. Hoc tandem ulcusculum curatum fuit, & ab omni deinceps symptomate liberatam se sensit à decem, & quod excurrit, annis, multorum genetrix liberorum.

SCHOLIUM.

NOn solùm nervos punctos, sive aliter læsos periculo convulsionis haud carere antiquis cognitum fuit, sed & alias corporis partes subtiliori præditas sensu, periostia, pericrania, tendines, membranas, ligamenta & hujus generis alia ex levi offensâ consimilem vitiosum convulsivum inducere posse motum, experientiâ constat. Sic juvenis 18. annorum dum unguem sinistri pedis pollicis curvatum à latere cutem penetrantem, & propter dolorem ingressum ejus sufflaminantem Chirurgus resecare annititur, incautius illum cum scalpello tractans effecit epilepticum: historiam illam videre licebit in *Dec. I. Ephem. Anno VI. & VII. Observ. 77.* Quo in statu per biennium, per intervalla perstitit: virtute tandem cauterii potentialis loco illi affecto applicati fuit curatus, sanusque deinde evasit. Vide *Sect. I. Ann. I. Obs. 124.* Virguncula octo annorum ab ancilla ollam præ se aquâ repletam fervente gestante in tenebris sub collo per totum pectus perfusa, & combusta curata fuit à suo Chirurgo, licet papillarum dextra curam longiorem admiserit ob graviorem sui læsionem. Cum verò post aliquot annos mammæ illius forariare inciperent, languidior illa reddi cœpit, de capitis nonnunquam imbecillitate conquesta. Tandem uberibus cum ætate solitam impetratis magnitudinem, convulsiones accessere epilepticæ, nec illi vel cum pretiosissimis antiepilepticis potuit subveniri, miseramque deinde vitam per quatuor lustra non amplius constans mente, duxit finiit-

que.

que. Huic opem ferri potuisse crediderim, si causa, præcedens scilicet papillæ combustio innotuisset curanti. Papillas siquidem mammarum exquisitissimo præditas esse sensu, cuteque obtectas tenuiore, sed nonnihil rugosâ, magisque asperâ, quàm in aliis mammæ partibus constat, quæ contrectatis manibus effluente spiritu subitò attolluntur, mox iterum disperso eo flaccidæ subsident. Vid. *Adrian. Spiegelium in Anatomia.* Membranas verò istas, quæ cingunt cannulata papillarum foraminula, juxta cum fibrillis illa concomitantibus ab externa, & levi saltem injuriâ læsis inprimis dolere lactantes contestantur, quia ex nervea constant substantia: siquidem nervi affecti, nisi adurantur aut dissecentur, caducum semper afferre solent morbum. Sic itaque in hoc subjecto potuisse averti vel curari tristem hunc affectum, si papilla cum cauterio potentiali fuisset ambusta, haud dubiè conjiciendum est.

OBSERVATIO CLVI.

D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,

Sanguis per Microscopium examinatus, ramosus.

UTut inimitabilis sit natura artifex, nec assequi liceat, ob diversorum fermentorum & seminum differentiam, intima mixtorum centra; nihilominus tamen ars naturam imitans quo magis scrutatur, eo magis admittitur. Sanguis, sulphur vitale fluidum viventium, cohæsionis omnis in corpore materia prima, naturâ suâ viscidis, plicatilibus, unctuosis & inflammabilibus particulis excellit, lucidis superbit, easdemque spiritibus & corpori hinc reliquo suggerit. Has ergo globosas, bullulascentes facilè colligit intellectus. Sin oculorum fides accedat, longè certius id demonstratum habetur. Eminent præter illas & fibrosæ, quibus veluti ramis exporrectis gaudet, ut æquabilem his geminis potissimùm debeat


formam, motum & consistentiam. Reliquæ his immensæ salinæ & velo quasi obductæ aliunde clarent, alio sensu arbitro, alio magisterio, ignis puta, oculis sistendæ.

Non ignoramus celebrioribus jamdum hæc notata scriptoribus. Liceat nihilominus oculis nostris visa exhibere, guttam sanguinis siccati curioso microscopio examinatam, amicè utrumque suppeditante Dn. M. *Gottfriedo Teubero*, Pastore Teisensi, qui suâ manu instrumentum, pro excellenti ingenio, quo pollet, & studio fabricavit. Nec de hoc dicemus, quod id ad scopum nostrum minus faciat. In præsenti figurâ ejusdem considerari merentur (1) striæ albicantes, quæ exactissimè æmulantur vasa, prout alias in parenchymatibus excurrunt & ramificantur diversimodè, (2) spatia intermedia, (die innern Felder) quæ exhibent partim circellos, partim globulos. Tria saltim horum examussim depicta sunt, reliquis, planè & per omne cum his convenientibus, vacuis relictis.

Proportio objecti, prout visui per se & oculo armato se repræsentat, habet se ut in Figurâ circellus A ad circulum B C D E. Dubium verò est, cui striæ albicantes debeantur causæ, an essentiales sint partes sanguinis, fibrosæ, an potius extensæ vel dilaceratæ bullulæ ejusdem, ab exiccatione præviâ, lucem extraneam admittentibus & referentibus rimulis. Quicquid horum sit, quamvis probabiliùs sit priùs, vel saltim non casu solo istæ rimulæ lucem figurent, ipsâ hinc textura sanguinis illustratur, ita dispositis particulis fibrosis, ut pro illapsu non uno tum secundum naturam, tum præter illam vasa variis modis divaricentur, & nova emergant in tumoribus.

Fig. XXXVII.

OBSER-


Sanguis ramosus.
A
B
Fig: 37.
p. 324.
E
C
D



OBSERVATIO CLVII.

D. JOH. PAULI WURFFBAINII,

De

Nigredine fuliginosa in cruribus Hydropicæ non Gangrænosa.

MAtrona quædam Vidua 48. annorum, quæ ob pietatem & modestiam omnibus se commendabat, Ann. 1681. Mens. Octobr. in Cachexiam incidit hydropicam adeò vehementem, ut pedum tumor, quem per aliquot jam annos hinc inde levem saltim observaverat, subitò ultra genua ascenderit, & abdomen circa hepatis potissimùm regionem, lapidis instar durum apparuerit, cum pertinacissima urinæ suppressione, adeò, ut vix tantum XXIV. horarum spatio urinæ excreverit, quantum duo capere possunt cochlearia; exhibita fuerunt Diuretica ab effectu aliàs saluberrimo, decantatissima, Tincturæ nempe, pulveres, Salia, Decocta, infusa, Clareta ex cineribus ad mentem Mynsichti parata &c. sed omnia frustra, & irrito planè conatu. Confugi itaque ad Bufonum pulverem, à tot autoribus ceu summum & extremum in hydrope commendatum, & crebris, ut ajunt, experimentis comprobatum, evporiston, tanquam ad sacram aliquam anchoram, & ægræ meæ insciò grana xv. Spiritu nitri dulci,(ut efficacius redderem & gratius) irrorata, sed effectu planè nullo, semper enim ob naturam procul dubio nauseabundam, subsequebatur vomitus, nulla copiosius profluente urina, quæ paulò post simplicissimo Radic. graminis decocto liberalius nonnihil provocabatur: apparuêre insuper rubicundæ in cruribus maculæ, quæ sensim nigrescere videbantur, sed levi linteolæ contactu, removebantur, purulenta in foraminulis subjacentibus emanante materiâ; nihil interim ex parte mea internè, nec Chirurgi satis periti Nicolai Erringshausen / externè,

quod ad gravis hujus & gangrænam cum Sphacelo minantis morbi impetum infringendum facere potuit, omissum; nihilominus tamen nimia serosæ lymphæ acrimonia omnem tibiarum separabat cuticulam, & crura tumida aspera & inæqualia, non secus, ac si ex meris conglomeratis constarent glandulis, apparebant; imprimis verò globulis hisce seu rectius pustulis serosis, nigredo quædam fuliginosa toties inhærebat, quoties deligatio singulis diebus iteratò suscepta, fiebat: credidissent artis nostræ imperiti, imò jurassent, carbones in pollinem redactos, linteoli angustioris filamenti ope, fuisse inspersos; odor tamen salsuginosus, acris & urinosus quodammodo penetrans, nares adstantium adeò ferebat, ut excedentem lymphæ acredinem, verissimam horum symptomatum causam mecum agnoscerent; imò, confirmavit hanc nostram opinionem corrosivus nigredinis hujus effectus, qui linteola etiam purissima injecta, superimpositis Emplastris Defensivis, adeò penetravit, ut nec smegmate lota, nec lixivio incocta, inustam nigredinem amiserint, sed altera vice admota, post remotionem, filamentis quasi omnibus solutis & exustis, in favillam penitus conciderint: duravit nigredo hæc per tres & quod excurrit menses, & sæpè sæpiùs instantis gangrænæ, imò sphaceli pedissequæ ejus, non vanum certè, licet frustraneum, DEO sit Laus! injecit metum: tandem tamen infra tali regionem spontè oborta quædam vesicula perpetuam lymphæ exsudationem, produxit, sensim decrescentibus ac evanescentibus ægræ nostræ patientissimæ viribus, ut tandem quoad inferiorem corporis regionem tumida, superiorem verò emaciata, in hoc XV. Mensium morboso certamine, enervata occubuerit, mundanasque molestias beatitudine sempiterna commutaverit.

SCHOLIUM.

Nigredo in hydropicorum cruribus certè inusitatum quid non est, sed gangrænæ & sphaceli imo, instantis mortis pluri-

plurimùm nuncia: Fuliginosa tamen & non gangrænosa, rarior est, imò à paucis quod sciam descripta; non equidem nego, latitasse anguem sub herba: nimia enim urinæ suppressio, (quæ procul dubio à vasorum lymphaticorum vitio, distensione nempè ac ruptura, lymphâque aliò deductâ, ortum traxit,) sanguinis & humorum serositates adauxit, obstructiones produxit, debitum partium nutrimentum declinavit, corrupit, acriusque semper & corrosivum quodammodo reddidit, ita, ut facili negotio ad summum ascendere gradum, stupefactionem nempe ac corrosionem fibrosarum partium producere, & hoc modo gangrænam imò Sphacelum inducere potuisset: at, cum præmissis evacuantibus, Diaphoretica ac deobstruentia semper Diureticis maritata fuere propinata, sicque omnibus modis pororum reseratio procurata, totus mihi persuadeo, serosam hanc & corrosivam quodammodo materiam hoc modo (ut sic loquar) fuisse volatilisatam ac resolutam, & quoad subtiliores suas particulas per communia hæc corporis ostiola atque spiracula sensim ac insensibiliter sub fuliginosa hâc specie evaporatam ac imminutam. Obiisse autem nihilominus tandem ægram nostram quoad inferiores corporis partes tumidam superiores verò emaciatam, quid mirum? superiores enim partes lymphâ suâ tanquam summè necessario alimento privatæ, non potuerunt non viribus fractæ marcescere, inferiores verò, ab eâdem lympha dubio procul extravasata, perpetuo inundatæ, ab officio suo recedere atque corrumpi.

OBSERVATIO CLVIII.

D. JOH. PAULI WURFFBAINII,

De

Admirandis Grandinis figuris.

ANno 1676. d. 7. Junii cum in Oppido Reipublicæ nostræ Altdorffino, ex Academia satis claro, t. t. versarer, circa pomeridianam secundam subito congregabantur nubes,

nubes, quæ ſerenam paulo ante & ſapphiream cœli faciem momentanea quâdam metamorphoſi tetro quaſi obvolvebant peplo, proruebant è latibulis ſuis venti, & procellæ quicquid eis occurrebat, abripiebant ſecum in gyrum: hâc nonnihil effrenata ventorum ferocia cohibita, vehementi cum fragore ac ſtrepitu, nimboſus implicato grandine cadebat imber, quæ inuſitata ſua magnitudine & impetu, tecta domorum lateritia diffregit, feneſtrarum orbitas excuſſit, erectas frumentorum ſpicas proſtravit, ſoloque æquavit, imò proceras quoque arbores, imprimis verò Morum Horti Medici juxta hybernaculum, medias confregit: At, elapſis vix binis unius horæ quadrantibus impetuoſiſſima hæc tempeſtas ceſſavit, coruſcante denuò inter nubes & contriſtatam paulò ante cœli faciem exhilarante rurſus Sole, non tamen diſparente penitus conglaciata hâc, ſed in craſtinum usque quibusdam in locis, præſertim verò opacis, durante adhuc grandinis maſſa, quam Dnn. Studioſorum quidam potui, refrigerationis gratiâ injecerunt, ſed omnes (referente mihi hoc haud ita pridem in Pharmacopœa Leinkeriana Excell. *Dn. D. Hoffmanno Seniore*) quotquot illum deguſtarant, ſat graves paſſionibus colicis afflicti dedere pœnas, imprimis verò duo in Grandine hâc notatu erant digna, Inuſitata Magnitudo & admiranda ejus Figura: Magnitudo columbinum ovum longè ſuperabat, Figura verò varia erat, partim rotunda partim anguloſa, puriſſimo quodam & pellucido centro lentis magnitudine, notabilis, quod glaciali quâdam maſſa incruſtatum quaſi videbatur atque obductum: collegi tunc temporis aliquot grandinis hujus maſſas, easque in Virorum Excell. *Dn. Georgii Matth. Königii*, Græcæ Linguæ & Poëſeos & *Dn. Daniel. Guiliel. Molleri* Hiſtor. & Metaph. P. P. Fautorum meorum honoratiſs. præſentia perluſtravi ac delineavi, quos etiam teſtes hîc mecum provoco oculatos.

SCHO-

Admirandæ Grandinis figuræ.





Fig: 38. p.328.











SCHOLIUM.

GRando cum ad Ingeniosissimi *Cartesii* mentem *Meteorolog. cap. VI. p. m. 227.* nihil aliud sit, quàm floccorum nivis à caliditate aëris ambientis solutio & frigido superveniente vento denuò constrictio: facilè ex accuratissimi Philosophi hujus doctrina, inusitatæ jam descriptæ grandinis hujus magnitudinis causa & figuræ ratio deducenda erit: cum enim frigidiores superioris aëris venti levissimos nivis floccos in inferiora hæc præcipitarunt, hi ab ambiente calidiore ac æstivali aëre, quem permeare necesse erat, resoluti, inque aquosas planè guttulas partim transmutati sunt, quos tamen frigidiores & impetuosiores oborti venti, in glacialem, pellucidam & globulosam massam denuò constrinxerunt: cui quam plurimi alii descendentes eique occurrentes licet nondum penitus liquati nivis flocci adhæserunt, & ubi eam tetegerunt, planiorem nonnihil & lenticularem reddiderunt, sicque in unam congelati massam molem ejus & magnitudinem adauxerunt, figura planè angulosa, varia ac irregulari: Cæterum de grandine juglandis magnitudine in Falstria d. Pentecostes A. 1647. septem pagorum segetes prosternente & quatuor dierum spatio non liquescente vide Curiosiss. *Wormii Museum Lib. 1. Sect. 2. cap. 12.* Grandinem 12. circiter digitorum circumferentia, imò, ovis gallinarum Indicarum nihilo inferiorem, interius fulgentem, exterius lævem, Anno 1666. d. 7. Julii prope Yarmouth vehementi procella effusam, *Societ. Reg. Anglican.* communicavit *D. Natanael Fairfax Act. Philos. Mens. Jun. 1667. Relat. VI.* Grandinem in districtu Iglaviensi Moraviæ trium quatuorve librarum pondere inventam, descripsit Excell. *Dn. D. Joh. Ferdinand. Hertod Tartar. Mastich. Morav. Part. 1. Cap. 2.* Præprimis verò annotandæ erunt grandinum illarum rarissimæ species, quarum altera à *Nauclero* descripta Anno 1240. Cremonæ nucum magnitudine impressa crucis figura, facieque Christi, adscriptis verbis JESUS NAZARENUS, cecidit, altera verò in re-

gionibus Septentrionalibus Anno 1395. Menſ. Auguſt. humanas exhibuit facies, viriles cum barbis, muliebres verò cum peplis & cruribus, cujus mentionem fecit *Kranzius lib. 9.*

Fig. XXXVIII.

ADDITAMENTUM.

MIræ quoque & variæ figuræ grandines A. 1673. d. 7. Jun. ad Legerium montem vicinaque loca ditionis Tigurinæ decidiſſe, digitorum nempe, avium, infantum involutorum, ſtellarum, crucium &c. in *Hiſtor. Nat. Helvet. cur. pag. 376.* ex aliorum dubio procul relatione, memorat Excell. *D. D. Joh. Jacob. Wagnerus.* Ubi non rejiculum eſt judicium *D. Iſraël. Conradi in Diſſ. de frigore cap. 9. quod verò interdum,* ſcribentis, *in grandine miræ imagines apparere dicantur, ſæpe id hominum imaginationi adſcribendum, qui grandines attente inſpicientes, varias in iis imagines perinde ut in nubibus concipiunt;* quam figurarum varietatem ex vento & colliſione guttarum jam indureſcentium, vel ex caſu ſeu concurrentia cauſarum per accidens oriri, cum aliis ſtatuit. Cæterum in regionibus Septentrionalibus decidere ſubinde grandinem inſtar humani capitis, *Olaus Magnus lib. 1. cap. 22.* autor eſt, & Româ ab Alarico captâ grandinem octonarum circiter librarum pondus habentem delapſam eſſe, *Majolus in Canicularib.* narrat; atque in Gallia, Paſchali Pontifice, unum grandinis fruſtum decidiſſe 12. pedum longitudine, ex *Bonfinio* conſtat.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

OBSERVATIO CLIX.
D. JOH. PAULI WURFFBAINII,
De
Numismate quodam Scutellari argenteo.

f. 417.

SImile quoddam scutellare corpus, seu concavum monetæ genus ex lectione eruditiss: Scholii Excellentiss. Celsi in *Observat. VII. Decur. II. Ann. III. pag. 40.* additæ figuræ inspectione, me quoque possidere, recordatus sum, non tamen cupreum, sed argenteum, cui eadem ferè simulacra & literæ antiquiores inscriptæ videntur, nisi quod minus attritum, clarius adhuc intuentium oculis usurpari queat: placuit itaque, pace tamen Excell. Dn. Scholiastæ, & meum hunc nummum breviter descriptum Ephemerid. nostris inserere, & quantum inter se hic vel ille differant, annotare: Pars convexa Nummi mei, Matronam quandam non stantem, sed throno insidentem & complicatis quasi manibus orantem, exhibet, additis literis $\overline{MP}$. $\overline{\Theta V}$. quâ Excell. Celsus noster rectissimè beatissimam Deiparam Virginem repræsentatam, suspicatur: Concavitas verò alterius lateris Personam quandam Regiam, Orientali habitu indutam, nullum quidem imperiale ut vulgò vocant pomum, summum Majestatis & Imperii Signum, Sceptrum tamen dextrâ, at non duplici, sed simplici tantùm cruce signatum tenentem. Hujus ad latera Angelus, quantum ex alis affictis conjicio, conspicitur, sagatus & clypeatus, dextrâ sertum seu corollam Imperatoris capiti impositam, firmans: Explicationem hujus Nummi & adscriptarum nonnihil obliteratarum literarum accuratissimam communicavit mihi VIR Cl. Dn. *Andreas Arnoldus*, dignissimus beat. Dn. Parentis sui in Professione & Ministerio Successor, Fautor & Affinis meus pl. honorandus, cujus ipsissima verba ex literis ad me datis, hûc transcribere licebit seqq.

Reddo Tibi nummum Tuum argenteum concavum, cujusmodi aurei quoque, mediæ ſcilicet ætatis Græcorum Imperatorum non pauci reperiuntur. Tuum verò puto me legisſe: Ab una parte lego ICAAKIOC, *Iſaacius*, quod nomen eſt Imperatoris, cui Angelus coronam vel tenet, vel imponit. Aversâ parte meo quidem judicio legitur M̄P̄. Θ̄V̄. μητὴρ Θεȣ̃, *Mater Dei*, quæ inſcriptio non eſt admodum obvia: Communiter enim in ſimilibus nummis occurrit imago Salvatoris Noſtri. Reſtat, ut me exponam, cujus Iſaacii; cum duo fuerint, Iſaacius Comnenus, & *Iſaacius Angelus*, nummum Tuum eſſe arbitrer; Credo eſſe poſterius Iſaacii; nam alter ille, in regio numiſmate, Spathophorus imprimebatur, Imperii dignitatem propriæ virtuti & rei militaris peritiæ, non Dei benignitati tribuens. Adhæc duo argumenta, ut ita ſentiam, me quàm maximè movent: Primum eſt tenuioris notæ argentum, quo nummus ille conſtat. *Argenteam monetam adulteravit &c.* ſcribit Nicetas Choniates Lib. 3. de Imperio Iſaaci Angeli. Secundum autem eſt, cultus Iſaacii ſingularis erga Divam Virginem. En Nicetam altera vice eod. Lib. 3. pro teſtimonio dicentem: *DEI Genitricem tanta veneratione coluit, ut ad ejus imagines, animo pene linqueretur: ideoq; plurimas auro & gemmis ornatas, in iis fanis adorandi causâ dedicavit, ubi frequentiſſimus erat piorum hominum concurſus.* Quam ob rem igitur B. Virgo in hoc nummo cernatur, non amplius ambigo, nec juvat plura de Iſaacio contuliſſe &c.

Confirmatur itaque Magni noſtri Apollinis & Excellentisſimi Celſi ex Obſerv. ſup. citat. veriſſima ſententia, ſcutellaria hæc corpora ſive aurea, argentea, aut metallica ſint, non Iridis eſſe fœtum, ut fabulosè hominum vulgus credidit, ſed Numiſmatibus antiquorum rectius annumerari.

OBSER-

OBSERVATIO CLX.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

Experimentum Veſicatorium cujusdam Judæi in dolore dentium probatisſimum.

IN Manuſcriptis *Dn. D. Scharlachii*, Avi mei materni, b. m. ſequens experimentum in dentium Podagrâ, uti Odontalgiam ſalutat *D. Strobelbergerus*, laudatiſſimum & propriâ ipſius experientiâ ſæpiùs confirmatum reperi, quod in hunc modum ſe habet. Recipiuntur quinque cantharides, tres Allii apices & theriaca, conciſa ſubtiliter in formam Linimenti rediguntur, poſtea linteolo excepta admoventur flexuræ cubiti, quo loco vena tundi ſolet, & quidem iſtius brachii, in quo latere dolores intenſiores ſentiuntur: relinquuntur ita, donec veſiculæ erumpant, quæ tandem in unam grandiorem abeuntes aperiuntur, quâ aperturâ ſtatim levamen certiſſimum ſentiunt adflicti. Remedio hoccè quam plurimos Judæus iſte curavit, & teſtis oculatus ſæpiùs extitit, aliisque ſuaſit prælaudatus *D. Scharlachius*, & quidem ſucceſſu admodum felici. Meminit etiam *Platerus* in dolore dentium allii contuſi carpo dextro, ſi dolor in latere dextro, ſiniſtro verè, ſi in ſiniſtro eſt, adponendi. Vid. *l. 2. Obſ. p. 371. 375.* Ratio levaminis in promtu eſt, quia hâc ratione ſerum, doloris cauſa, evacuatur, ruptis nimirùm puſtulis ſeroſâ materiâ plenis.

SCHOLIUM.

NOtari hìc merentur, quæ *Ambroſius Paræus lib. 16. Chirurg. cap. 25.* de uſu allii in odontalgia tradit, illud non tantùm meatui auditorio immiſſum, tritumve manu dextra aut ſiniſtra, prout dextri aut ſiniſtri dentes doluerint, geſtatum, dolorem ſedare, ex *Meſue* referens, verùm quoque ſub

ſub cineribus coctum, ſi dolenti denti imponatur, eundem mox mitigare, propriâ experientiâ confirmans. Et apud *Dioſcoridem lib. 2. cap.* 146. cum thure & teda decoctum, atque in ore detentum, dentium dolorem levare, legitur; ubi etiam vim ejus acrem eſſe, & cutem exulcerare ſcribit. Hinc allium revera attrahere, à veſiculis, quas ſæpè excitat, manifeſtum eſſe, colligit Cl. *Thom. Sydenham diſſ. de variol. confl.* in quibus itaque plantis pedum admovere id ſe conſueviſſe teſtatur, ad materiam nempe peccantem à capite derivandam. Non enim ſolùm acri ſuo ſale, vel, uti Exc. *D. Wedelius lib. 1. de Medicament. facult. ſect. 2. cap. 6.* diſſerit, acutis ſuis particulis cuti infixis archæum irritando, advocat humores, eosdem fundit, & poros dilatat, ut eo magis illabantur; ſed etiam volatili ſuo ſale penetrantiſſimo, quod urinæ fœtor allii eſum inſequens, quin & fonticulorum pus odore ejus, obſervante Nob. *Dominic. de Marchettis Anatom. p. m. 98.* imbutum confirmant, remotioribus etiam in partibus ſerum in motu ſuo impeditum atque coagulatum, reſolvere, aut acore præternaturali dolorificum mitigare valet. Simili ratione raphanum ſylveſtrem odontalgiæ mederi, ex Clar. *Bartholino* &c. notum eſt, quo de vid. *Anni præced. Ephem. Obſerv. 90.*

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLXI.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

Uſus Salis Ammoniaci in faucium Affectibus conſpicuus.

CHirurgus quidam antè ſat multos annos hîc Francofurti ob artem ſuam commendatiſſimus in ariditate, fiſſuris, inflammationibus & exulcerationibus faucium ac linguæ Gargariſmo uſus eſt ex Aq. flor. liguſtri & plantag. Sir. de roſis ſicc. addito pauxillo Salis Ammoniaci: hoc

ſæpiùs

sæpiùs de die prædictis faucium ægritudinibus affecti utebantur ad colluendum os & fauces: Solo autem Sirupo de rosis siccis, cui itidem parum Salis Ammoniaci admixtum, fauces mundabat quousque pertingere poterat instrumento huic operationi accommodo, & quidem ter de die, manè scilicet, à meridie, & vesperi antè cœnam, ac si opus, paulò antè somnum. Gargarismate hoc multum sibi laudis paravit ob faustum successum, ægrorumque optatam sublevationem: Exterius adplicuit Empl. de Meliloto, quod tutius & melius putavit aliis Cataplasmatibus atque inunctionibus. Earundem virium meritò æstimatur Destillatum Conradini ex Sale Ammoniaco ad faucium inflammationes, aliasque linguæ gutturisque molestias, quod tale est:

℞. Sempervivi q. l. Contunde ac pro singulis libris adjice Salis Ammoniaci ℥ij. repone in loco humido subterraneo, donec Sal liquefactus sit, posteà aquam Ammoniaco extrahe & serva. S. Mundwasser für die Bräune.

SCHOLIUM.

Eandem aquam ex fol. sempervivi recent. ℔iiij. cum Salis Ammoniaci ℥jß. conquassando, atque ad siccitatem destillando, pro gargarismo parare docuit Cl. *Joh. Helfric. Jüncken not. in Agricol. pag. 178.* Imò hæc ipsa salis ammoniaci virtus in faucium adfectibus jamdudum etiam Augustanis meis cognita fuit; qui itaque non aquam tantùm è dictis duobus simplicibus destillatam, quondam pro usu ægrotorum prostare voluerunt, eandemque in *priorum editionum Dispensatoriis nonnullis* denominarunt, sed etiam, ad faucium ac linguæ ariditatem & inflammationem tollendam, non inutilem Sirupum de sempervivo compositum dictum, i. e. ex succo sempervivi & sale ammoniaco, pararunt; quæ equidem in *nupera Pharmacopœiæ nostræ editione* inter medicamenta minùs usualia sive quæ parata prostare haud debent, reposuimus; hunc quidem, quòd Sirupo simplici quovis tempore desiderata salis i-

stiùs

stius quantitas pro lubitu & exigentia facilè jungi queat: illam verò, quòd à simplici, vel ex solo sempervivo prolecta aqua haud differat, cùm à sale ammoniaco nil quidquam inter destillandum elevetur, sed integra ejus substantia in fundo remaneat intacta. Huc quoque pertinet Lapidis prunellæ præparatio, quam Nob. *D. Wedelius*, loco sulphuris, cum eodem sale in *Dec. I. Ephemer. nostr. Ann. II. Obs. 196.* instituere edocet. [*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLXII.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

Ex Obstructione Urinæ totius corporis intumescentia curata.

COmitem Mansfeldicum prædictus Avus meus ex retentione lotii toto corpore intumescentem, proque hydropico habitum feliciter hoc modo restituit: usus est balneo ex lacte, herbisque emollientibus: deinde Raphanus sylvestris contusus ac in sacculo in aqua adpropriata decoctus peni pubique bis aut ter calens adpositus, unde urina copiosè effluxit, simulque calculus grandis ejectus fuit: intus tamen & nephritica exhibita fuêre præsidia.

SCHOLIUM.

RAphani rusticani vim nephriticam etiam *Joh. Fernelius Method. Med. lib. 5. cap. 25.* commendat, quem ut & alterum sativum renes expurgare, urinam ciere, calculos comminuere & exturbare, scribit; idem in *suo Diætet. cap. 49. Dav. Lipsius* effatur, & Nob. *Thom. Bartholinus Actor. Med. Hafn. Volum. 4. Obs. 39.* raphanum quemcunque incidendi vi pollere, in calculo tamen clarius istam exserere, statuit; quin & ipsi *Dioscoridi* id fuit cognitum, cui *lib. 2. de mat. Med. cap. 106.* Armoracia urinam concitare dicitur. Huc referri possunt, quæ apud

D. Her-

D. Hermannum Grube de Arcan. Med. art. 2. cap. 2. sect. 2. de eodem habentur, in multis nempe hydropicis usum illius sibi exploratum esse, qui vel solo hoc, volatiliori sua substantia lympham illam copiosius ad ductus urinarios abripiente, pristinam recuperaverint sanitatem.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLXIII.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

Mictus sanguinis bufone exsiccato sublatus.

MIra fuit historia in conjuge cujusdam Nobilis Marchici de Sidovv observata à *D. Scharlachio;* huic scilicet post partum & etiam aliàs sanguis copiosissimè per urinas sæpiùs etiam in grumos concretus effundebatur: omnibus frustrà adhibitis, cum planè debilitata esset, alligatus fuit bufo siccatus humero dextro petiæ ex sindone duplicatâ inclusus: post triduum convaluit.

SCHOLIUM.

BUfoni in aliis quoque sanguinis fluxibus sistendis virtutem quandam nonnulli adscribunt; id quod de hæmorrhagia narium noster Exc. *D. Eman. König* in *Regn. Animal. pag. 139.* fide Pharmacopoei, scribit, qui eam ischæma quævis spernentem, bufone collo applicato se cohibuisse retulit; id quod etiam *de Medicam. cap. 10.* in *Marcello* legimus, ubi ranæ rubetæ exsiccatæ particulam linteolo involutam & collo suspensam mirè prodesse, traditur. Bufonem, referente *Conr. Gesnero lib. 2. de quadrup.* sindone involutum manu tenendum dedit taliter laborantibus Fridericus Dux Saxoniæ; imò omnem fluxum sanguinis præsentissimo remedio sistere, testimonio *Christophori Salveldensis* idem *Gesnerus* addit. Eundem in finem ossa bufonis mundata & in sindone rubro collo adpensa contra nimium mensium fluxum laudat *D. Guern. Rolfincius* Ord. & *Me-*

thod. Med. spec. comment. lib. 9. sect. 6. cap. 9. Cujus rei rationem, ut cum *Gesnero* loquar, non video, nisi horror & metus sanguinem ad cogitationem de animali tam contrario naturæ hominis refugere faciat: utrum verò, si, quid linteolo contineatur, æger ignoret, superstitiosis amuletis, quo idem Autor inclinare videtur, adnumerari debeat, hæreo, dum multas medicamentorum, externo inprimis attactu tantùm & inspiratione agentium, operandi modos nos latere considero. Confer. quæ hac de materia congessit Curios. noster *D. Chr. Franc. Paullini tr. de bufone sect. 2. membr. 2. cap. 3.*

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLXIV.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

Usus cucurbitularum in dolore Ischiadico.

IN ischiadico dolore, ubi materia in profundo hæret, præmissis præmittendis sæpiùs laudatus *D. Scharlachius* feliciter usus fuit primò Emplastro conveniente, & ventosis suprà nates majusculis per tres dies singulo manè adpositis, posteà cute scarificatâ Cucurbitulas adhibuit, & quidem in forma crucis hoc modo: . : . Multum indè sanguinis extractum cum præsentaneo ægrotantis levamine. Remedium hoc posteà etiam in Gonagrâ & arthritico scapularum dolore sæpiùs expertus fuit: instituitur verò cutis scarificatio non in balneo sed ad fornacem.

SCHOLIUM.

IDem in morbo hoc curando antiquorum quorundam Medicorum fuit consilium; prout *Celsus lib. 4. cap. 22.* frustrà adhibitis aliis remediis, *si ne sic quidem*, scribit, *finitus dolor est, aut tumor ei accedit, incisa cute admovendæ sunt cucurbitulæ;*

pariter

pariter & *Cælius Aurelianus lib. 5. chronic. cap. 2.* scarificationem adhibendam esse consulit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLXV.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

Dolor in Musculis femorum & tibiæ aliisque.

IN musculis interdum similis convulsioni fit dolor, cui Venæsectio interdum & Purgatio conveniunt: posteà scarificatio circa lumbos & suprà genua aut in tibiis: hinc Topica administranda; & ab initio modicè calefacientia, ut Unguentum anodynum vel resumptivum cum oleis emollientibus ac calefacientibus, ut chamæmelino, lilior. alb. vel medullâ Cervi & Terebinthinæ sive Spiritu Terebinth. Ex quibus omnibus aut aliquibus cum cerâ recenti mixtis f. Unguentum. Hæc si non juvant, convenit ol. laurinum, axungia anatis, irinum, petroleum, quod propter tenuitatem penetrat altissimè & discutit. Addi potest nonnihil Aquæ vitæ cum pulvere Castorei, Myrrhæ, Aloês, Croci, Galbani, Ammoniaci in aceto dissoluti, medullæ cervinæ: Item Unguentum de Altheâ &c.

OBSERVATIO CLXVI.

D. GOTHOFREDI SAMUELIS POLISII,

De

Puellâ cum Hydrocephalo singulari in lucem editâ.

MUlier quædam plebeja trans Oderam habitans, consistentis ferè ætatis & benè habita, multæque jam, & ante biennium geminæ prolis mater, denuò imprægnata, partu admodum difficili, infantem fœmel-

lam vivam d. 7. August. hujus 1686. anni enititur: adspectu verò monstrosi fermè capitis perterrita misella, quid agendum, hæret: lac itaque maternum cum ob vitiosam oris constitutionem sugere non posset, per vices de die beneficio cochlearis cerevisiam faucibus guttatim instillavit mater, quo alimento per septem hebdomadas sustentata fuit infans, donec 25. Septembr. deficiente nutritione, sub diluculum exspiraret. Hanc naturæ παρέκβασιν ut accuratius lustraremus, eodem die instituta fuit capitis apertio, prosectore Nobilissimo, Amplissimo atque Excellentissimo Viro, *Dn. Irenæo Vehrio*, Med. Doct. & Prof. Publ. Celeberrimo, Sereniss. & Potentiss. Electoris Brandenburgici Archiatro gravissimo, Facult. Med. p. t. Decano Spectabili, Fautore, Adfine ac Compatre meo honoratissimo: sequentia verò tunc à nobis notata & observata fuerunt. Erat scilicet puellæ cetera corporis probè formatæ *Facies* quâ mentum quâ genas minimè deformis, ast reliqua supremi ventris membra pleraque inconcinna, & à naturali constitutione abeuntia: nempe *os* propter labium superius aliquantò brevius & gingivis arctius adnatum, quodammodò distortum & ad suctionem ineptum. *Nasus* justô & planior, ut *dorsum globulusq;* parum à genis exsurgerent, & latior, ut *nares* magis hiantes viderentur: ex quarum dextrâ *tuberculum* quoddam *album* & *rotundum*, pisi majoris magnitudine emergebat, quod Polypum primo intuitu referebat, sed postea ἔκφυσις quædam cutanea tantum fuisse visum est. *Oculi* majore ab invicem intervallo sejuncti, iidemque intrà orbitas suas altius reconditi conspiciebantur: & *sinister* quidem profundiùs situs, palpebrisque, nisi spectatorum manibus istæ diducerentur, semper opertus; uterque tamen quâ globum adeoque & album & nigrum, *Pupillam* & *Iridem*, non malè conformatus deprehendebatur. *Frons* nulla, nec *Vertex*, nec *Tempora* satis elata erant. Eorum verò loco *Tumor ingens* sese conspectui offerebat, quem *Mammiformem* dicere, propter insignem cum mammâ turgidâ convenientiam, liceat. Erat enim *mollis*, *cute lævi ac nitidâ vestitus*,

ſitus, *vaſorumq́; ſanguiferorum ductibus* quibusdam ſub cute decurrentibus *diſtinctus*, & *verſus anteriora* ad nares usque *propendens*, ut cum tuberculo antè dicto è narium dextra emergente, mammam pendulam papillâ inſtructam egregiè mentiretur. In *occipite breviori cervici* ſubnixo & *capillis quibusdam nigricantibus* conſperſo, major ſoliditas advertebatur, & ſubſtratorum ibidem integumentis oſſium ſolidiorum fidem Tactus faciebat. Confirmabat idem Viſus, cum Tumorem illum: qui à nativitate aliquantum auctus, & paulò ante obitum quodammodò pellucidus adparebat, inſtrumentis tentaremus. Detractâ enim providè cute, *Membranam translucentem*, per quam vaſa quædam ſanguifera oberrabant inflatæ inſtar veſicæ ſuillæ tumentem invenimus: Ea in ſummo (*ubi proceſſum quaſi quendam ovi minoris magnitudine habebat*) ſimplex atque firmior, in partibus verò inferioribus duplex: atque ex Meninge duriore & Pericranio originem traxiſſe viſa eſt: quâ apertâ, *copioſa aqua limpida parùm flaveſcens ad* ℔j effluxit. Eam poſtquam patellâ excepiſſemus, membranamque cruciatâ, quam vocant, ſectione diviſiſſemus, *Cerebrum* ſeſe obtulit, quod mediis hactenus in undis quaſi fluctuabat; *Meninge* quidem *tenui* veſtitum, ſed quæ ſolito *denſior* atque in *ventriculis admodum laxis* potiſſimum talis obſervabatur. Inclinabat verò hujus moles verſus poſticum, nec minus *Cerebellum* ſub eâ poſt medullæ ſpinalis principium totum deliteſcebat, unde *Nervi tàm optici quàm ceteri* ab origine ſua ad inſertionis usque locum *productiores* quàm aliàs cernebantur. Inter *Oſſa Cranii* ea quæ *Bregmatis* ſeu *Verticis* dicuntur, ſitum ſuum ita mutaverant, ut verſus occiput reclinata & erecta quaſi ſtarent, ſuperius hiatu quodam, qui aliàs in infantibus ad βρέγματος ſive Fontanellæ conſtitutionem concurrit, divulſa. *Os* verò *Occipitis* ſeu *Baſillare* iisdem ſubſtans altius in Cervicem deſcendebat; unde *vertebræ Colli* antrorſum cedere coactæ fauces anguſtiores reddiderant, adeò ut *Uvula* in iisdem ægrè & non niſi diſſectis ad aures usque buccis conſpiceretur. Quam inter alias cauſam

fuiſſe difficilis deglutitionis (nam non niſi guttatim inſtillata fuit ex cochleari cereviſia & quidem non ſine ſuffocationis periculo) exiſtimare licebit. *Frontis*, quod aliqui *inverecundum* alii *Coronale* vocant, *os* planè deerat, indeque ab *Ephippio* ſive *ſellâ Equinâ* planum & pauliſper convexum os, quod in medio aliqua oſſis *cribriformis* & *criſtati* veſtigia oſtendebat, *Baſin Cranii* in parte antica conſtituebat. Formatum hoc modo cranium libenter ſervaſſemus, niſi obſtetiſſet parentum pertinacia: quare cum delineandum Pictori offerri non potuerit, rudi non penicillo ſed calamo adumbratam exhibere placuit notabilem illam oſſium compagem, quam talem quidem contigiſſe ob Hydrocephalum (quacunque de cauſa) ante ipſorum ſolidationem in utero, craſſam inter tenuemque meningem obortum, atque adeò accumulatis ſenſim ſub dura Matre & Pericranio aquis, & diſtentis earum impetu tum his tum cutaneis integumentis, monſtroſum infantis caput evaſiſſe, minimè ambigendum.

Fig. XXXIX.

aa Oſſa bregmatis.
b Os occipitis cerebelli latibulum.
c Foramen medullam ſpinalem transmittens.
d Sella equina.
e Os planum baſin cranii in parte antica conſtituens.
f Papilliformis excreſcentia è dextra narium prominens.

OBSERVATIO CLXVII.

D. GEORGII HANNÆI,

Graviditas fruſtrata.

IN hac Patria mea vivit Puella, nondum viginti annos nata, ſed Pamphili, neſcio cujus, compreſſu gravida, jam ante biennium, facta. Hæc, circa Feſtum Martini, Anni 1684. obſervavit in alvo ſua volutari globoſum corpus, magnitudine pomi


Fig: 39.p.342


a
a
b
c
d
e

ne pomi decumani. Quatuor ante Paschatos Festum septimanas, Anno 1685. quasi in furias acta, delirare cœpit; cui delirio prælusit quotidie insignis membrorum tremor, & feralis coarctatio cordis. Quamdiu omnibus contremuit artubus, obsurduére interdum ἀνηκοΐᾳ aures, modò obriguit ἀφωνίᾳ lingua; tandem obdormivit, atque è sopore evigilans, levatam vim morbi sensit. Rediit nihilominus hic intestinus hostis indies, & è novis contumacior surrexit insidiis. Interea pendet Natura inexspectatum lunare tributum, novem ante Pascha diebus, ipsâ autem Feriâ secundâ, postquam intolerabilis totius corporis pruritus monuisset aliquid monstri ali, factus est maximus aquarum (quales profundunt parturientes) æstus; insequentibus actutum intensissimis doloribus, per integros novem dies, adeò molestis, ut nulla essent perceptæ nuperrimæ titillationis, vel gaudia, vel tædia, si cum his compararentur Lucinæ torturis. Neque tamen sua levata est sarcina infelix ista; sed cœpit ab eo tempore liberiùs respirare, nisi quod cataleptica videretur, quoties ingruebant denovo superiùs nominata capiti atque cordi inimica symptomata. Tandem visa est sibi valere rectiùs, septimanas decem, eoque temporis tractu menstruis bis levatâ est muliebribus. Elapsis hebdomadibus hisce, rediit quodam die cursus menstruus, & proxima luce fudit novum laticem amnios, per novem dies continuos; sed nullus veridicus, sive Fœtus, sive Molæ, consecutus est exitus, quin potiùs, soporatis doloribus, detumuerit venter, quasi re bene gesta. Quamvis autem suas jam servent periodos menses; nihilominus tamen hæret hodienum odiosus hic hospes in utero, neque Matris, neque Virginis.

OBSER-

OBSERVATIO CLXVIII.
D. GEORGII HANNÆI,
Desperatus ascites curatus.

DE quodam me legisse memini, quem Manibus dederat hydrope comitata febris, quod per ignem & aquam transierit in æternæ vitæ refrigerium. Verùm, & de hac ipsa via, & de hac ipsa meta moderatiùs sentire convenit; cùm illac eatur, unde nemini redire contigit. Nec est, quod sannis hos excipiamus morbos, qui tam dubia spe victoriæ Pharmacis sese opponunt sæpiùs, ut alter, à multis inde usque seculis, Medicorum audiverit scandalum. Et quid non audet Ascites? ut sileatur nunc Tympanites, & Anasarca. Certè, nisi maturè huic torrenti eatur obviam; latissimè evagandi sibi viam faciet, omnesque, præter solos à Morta præfixos, tandem vel convellet, vel transiliet limites. Descripsi ante aliquot Annos, raram monstrosi Ascitis Historiam, *Act. Med. Haffniens. Vol. 5. Observ. 13. p. 32.* non nisi ipsa morte acerbissima terminatam: nunc lætiorem proponam desperati Ascitis catastrophen. Militem tenuioris sortis, sed tenuissimæ valetudinis, oppresserat ante biennium, è variis in diæta commissis erroribus, gravissimus Ascites; qui, partim neglectus, partim malè tractatus, ipsum capulo vicinum constituit. Aderant symptomata atrociùs sævientia, totius corporis summa lassitudo, vigiles noctes, appetitus prostratus, asthma molestissimum, sitis intoleranda, quam nisi gelidâ restinguere non potuit aqua, hinc tantum accreverat, simul cum pedibus & femoribus prætumidus venter, ut à metu formidandæ rupturæ nunquam securus esset, tutus nunquam. Huic, re misero, exspectatione multò miseriori, sanitatem, Deo gloria! perfectè restitui, solis hisce medicamentis, cum encomio memorandis non solùm, ut Nobilissimis Auctoribus sua deferatur laus meritissima; verùm etiam, ut Excellentissimi *Oribasii* observatu dignissimo satisfiat

tisfiat voto, quô, in *Ephemeridum Nostrarum Tom. ult. Obs. 156. p. 292.* Illustres Naturæ Curiosos obtestatur, ut Observationes Practicas à Nobiliss. Collegis communicatas, data in eam rem occasione, periclitentur, atque, ubi aut similia observare, aut effectus dexter contigit, suo easdem testimonio roborare non graventur. Cyathum vîno repletum, cui comæ absinthii & baccæ Juniperi infusæ erant, ductu Nobilissimi Helianthi, *Ephemerid. Curios. Decur. I. Ann. IX. & X. Observ. 18. p. 63.* manè atque vesperi hausit quotidie miles, fractus membra dolore; addendo, quavis vice, guttas viginti quinque Essentiæ Alexipharmacæ Excellentissimi *Thesei*, descriptæ, *Method. Bals. Corp. Hum. pag. 192.* Ubi his paucas septimanas usus fuisset, evanuit auspicatò impetuosus iste, unà cum tot rivis, profluens, nec vel tenuissimum sui stagni reliquit vestigium. Vivit hodiè quovis pisce sanior, mihique ante biduum lætabundus occurrens, gratias denuò egit amplissimas. Salutarem horum Medicaminum usum expertus sum aliquoties in scorbutico-hydropicis; qui omnes enatavere salvi, nisi quoties operam eluserit accedens tussis, tristissimum in Ascite signum, & quasi ultimæ fecialis horæ.

OBSERVATIO CLXIX.
D. GEORGII HANNÆI,
Vermes Epidemii.

PLures, unô Annô, non memini me observasse verminantes, quàm hoc ipsô; quô plurimorum latibulis intestinos hosce excussos vidi nebulones, etiam, vel præter omnem ipsorum hospitum exspectationem. Alios, quævis potiùs metuentes, deseruerunt hæ bestiæ; quosdam morbis exagitatos aliis, usus Medicamentorum, licèt non anthelminthicorum, expedivit, Vermes foràs ejicientium præcipites, alios neci dederunt præproperè bestiolæ. Imò nec pueris modò, aut junioribus, insidiati sunt; sed & adultorum subiere

viſcera; neque ſine manifeſto putredinis argumento, neque ſine malignorum (quos DEUS avertat!) morborum præſagio. Hæret mihi adhuc in recenti memoria Virgo, proximis diebus canicularibus meæ curæ commiſſa. Hæc ultra Annum morbida fuerat, & ultra bimeſtre ſpatium clinica, tot circumſepta moleſtiis, ut ſe faſcino incantatam, & ipſa aſſereret, & crederent Parentes. Accitus, audivi conquerentem ægrotam de proſtratis viribus, & languore totius corporis, de cephalalgia, cardialgia, & palpitatione cordis difficili, de vaga febricula, doloribus hyſtericis, & moleſtiſſima inteſtinorum (licet quietiſſimè decumberet) agitatione; qui tremulus viſcerum concuſſus, ut aliis incantamenti ſuſpicionem dederat; ita mihi indicium præbuit minimè obſcurum (quamvis antea nunquam obſervatum) vermium, intra cuniculoſos anfractus reptantium. Hos autem egregiè debellabant convenientia Pharmaca, debellatos eliminavêre repetita Cathartica, Mercurio dulci ſtimulata, ſed in limoſam ac fœtidiſſimam reſolutos (unicô, inſignis magnitudinis, exceptô) putredinem, in patrocliana ſella ad ſtuporem usque fermenteſcentem. Atque ita cardiaco-hyſtericis Decoctum Chinæ interpolans, ante Septembris exitum, ſuo judicio deploratam, Numine fortunante, ſervavi Virginem.

Ipſe quoque vidi, ante quinquennium, & fatis eripui puellulam, factam è vermibus & cœcam & mutam cujus heic dabo Hiſtoriam, cum publico eandem promiſerim, in meæ *Aphonologiæ Cap. IV. §. 4. pag. 34.*

OBSERVATIO CLXX.
D. GEORGII HANNÆI,
E Vermibus cœca & muta reſtituta.

QUadrimula Civis Othinienſis Filiola, jam biduum immodico efferveſcens calore, corpus ſummoperè contorſit; imò, nec ore ejulatus, nec palpebris lacrymas comprimere valens, faciem & obvia corpuſculi ſui membra

membra unguibus, præ dolore graviſſimo, laceravit miſerè. Dum his defungitur inofficioſis officiis, variaque alienatæ mentis ſigna oſtendit, deſtituit miſellam & Viſus & Sermo! unde, vivam, infra mortuos jam demandatam, filiam, videns Pater, ſimilique ante paucos Annos confeſtim exſtinctæ filiæ exemplo perterrefactus, ſecundâ noctis me conſuluit vigilia, deſperationis pleniſſimus, & tyrannidem Dæmonis plenis buccis incuſat. Quod autem diabolo imputavit Pater, ego vermibus adſcripſi. Quibus per anthelminthica debitè oppugnatis, rediit ab exilio loquela, circa proximi diei veſperam; tertii autem diei auroram ſuis lætabunda vidit oculis. Febrim poſtea Spiritu Cornu Cervi abegi; quô etiam verminantium puerulorum febres ſæpiùs ſuſtuli.

OBSERVATIO CLXXI.
D. GEORGII HANNÆI,
Petechiis Agonizans reviviſcens.

GRaſſabantur hinc & inde apud nos hac Æſtate Petechiæ, quibus etiam correpta eſt Generoſa Heroina, jam ultra decennium valetudine parum firma. Hæc, ſub initium morbi, alium conſuluerat Medicum, qui nihil intentatum reliquit, quò hoc in herba ſupprimeret malum; ſed adeò refractarium erat, ut contra Medentem recalcitraret effrænatiſſimum. Ego primùm vocor, octavô decubitus die, quô Illuſtri Marito ſupremum Vale dixerat. Adveniens circa ſecundam pomeridianam, non intromittebar ante ſextam veſpertinam, quoniam omnia conclamata nuntiaret mœſtiſſimus Heros, ægramque, ſic ipsâ jubente, ferali jam tum indutam ſupparo. Horâ ſextâ veſpertinâ, in ipſiſſimo Plenilunio, ingraveſcente usque ad terrorem adſtantium morbô, primùm admiſſus, ipſam graviſſimè delirantem, (leviter autem à primis ſtatim deliraverat diebus,) & verè agonizantem

 offendi.

offendi. Vigiliæ continuæ fuerant, & alvus adſtricta nunc, pulſus nullus erat, extrema frigida, Petechiæ retroceſſerant planiſſimè. Ego me libentiſſimè ſubtraxiſſem huic, inter tot vortices immenſum quantum periclitanti Dominæ; nî ſuavibus Perilluſtris Mariti, Nobiliſſimorumque Amicorum petitionibus devictus, paſſus fuiſſem me ad opem dubiam afflictiſſimæ ferendam exorari. Illa, cor refocillante medicamento actutum recreata, cœpit ad ſe redire aliquantulum, & mediocria nos juſſit ſperare; ſed poſt binas horas, novas nobis curas injecit nova defectio animi, quaſi ſupremum intentatura ictum; è qua iterum excitata, aſſuetum continuavit delirium. Mox id totus agere cœpi, ut Naturæ ſuccurrens, Petechias, ſi fieri poſſet, expellerem; quod eadem nocte, Cœlo connivente, tam feliciter ſucceſſit, ut evigilantis, circa octavam matutinam ſequentis diei, pectus atque brachia ex rubrô liventibus picta eſſent maculis. Ab eo tempore non deſtiti contra lernæam hancce Hydram Bezoardicis velitari & Alexipharmacis, ſingulaque ad Methodum medendi facere ſollicitiùs, ut, remotis ſolerti cura tot obſtaculis, aurea rediret Sanitas, quam antea ſperaverat nemo. Lentiſſimè placabatur Caput, nec ante duodecimum, poſt meum adventum, diem, laqueis delirii ſe pleniùs explicavit; quia alvus ignavior ſui diutiſſimè obliviſcebatur officii, niſi vel Clyſteribus admonita, vel Turundis, neque pudore ſalvo teſtari licet, quàm impuri halitus, meliore fortuna dignum, impeterent caput, ipſi ſeſe prodentes turpiter fœtore mephitico, quoties ex inſperato concrepuiſſet poſticum. Revaluit nihilominus, imò revixit, Deo fortunante, Generoſa Heroina! nobis documentum datura Miraculorum, quæ in Medicina ſubinde contingunt.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXII.
D. GEORGII HANNÆI,
Virulenta Gonorrhœa sanata.

INter illa spolia, quæ, stipendii locô, cedunt in castris illicitæ Veneris sordidulè militantibus, primum ferè locum suo merito obtinet Gonorrhœa virulenta pessimæ notæ moneta. E tali prælio inglorius discedens Vir satis robustus, postquam ad inguinatum plus satis incaluisset focum, aquas Hygieiæ medicatus (quas è Chirurgorum pumice, jam undecim septimanas frustra elicere aliquoties tentaverat) anhelus sitiens, me, hôc annô, consuluit. Verùm, quantum me exercuerit pertinax istud malum, cum quo conflictabatur hicce luis Venereæ candidatus, scribere nolo. Heic urgente, moram impatientiùs ferente, ægroto; atque illic obstante, flecti nescio, morbo. Ad normam Artis nostræ rebellem tractavi, & tributum ubîque imperans, jussi, ut, primùm Decocto Lignorum, sudorem; inde, Cathartico, eluviem; tum, Chirurgico scalpello, sanguinem, penderet. Sed laterem lavi! Perrexi ab his, ad ea, quæ acido-acres temperarent humores, sed enormem moderari non potui fluxum, nec flavescentem ejus, vel tantillùm, immutare colorem! Subjunxi blandè astringentia, Terebinthinata, sepiæ ossa; & per siphunculum Chirurgi demulcentia membro illi, quo Vir fuit, sæpiùs injicienda curavi. Sed multum movens, nihil promovi! Ego, sine tædio, eandem hanc remetiri viam cœpi, ut curam absolverem tutiùs, & tandem flavens magma in liquorem dilutum, eumq́ue albicantem, converti. Ubi tantum profecissem, foro utendum ratus, fugienti acriùs instare cœpi, quovis mane septem devorandas suadens è Pilulis hisce Riverianis: ℞. Gummi Arab. Tragac. Succin. præpar. Alumin. Bol. Armen. ãã ℥j. pulveris. M. & cum Syrup. de Ros. siccis, f. Pilul. N. 150. & quavis vespera ℨß. sequentis Pulveris, in Aqua Bursæ pastoris. ℞. Flor. Rosar. rubr. ℨj. Herb.

 Menth.

Menth. sicc. ℥iij. Semin. Lactuc. ℥ij. Agn. cast. Rut. Rad. Ir. florent. Corall. rubr. præpar. Succin. alb. præpar. Hæmatit. Mum. ãã ʒj. Sacch. alb. ℥ij. incis. & contus. M. f. Pulvis. Atque ita profuerunt in tantum hæc Medicamenta, ut fluxus remiserit interdiu. Verùm, ubi his assuevisset aliquamdiu natura, solitam ostentavit contumaciam, atque in flavedinem degeneravit iterum materia peccans. Tandem venit mihi in mentem infusum Cantharidum, cujus usum in Gonorrhoea virulenta, à Divo & Illustri *Bartholino*, maximè commendari, ipsemet olim præsens audiveram. Paravi itaque hoc Infusum, eôdem modô, quô illud descripsit maximus hic meus Præceptor, Histor. Anatomic. *Cent. 5. Observ. 82. p. 160.* Scrupulo uni integrarum Cantharidum (sic enim sumendas jusserat laudatus Apollo, cum partes exteriores sint corpusculo ipsarum magis innocentes, ideoque retinendæ sunt, quoties intrinsecus vocabuntur in usum, sed rejiciendæ in vesicatoriis, ne vesiculis excitandis moras nectant) pulveratarum affudi uncias quatuor Spiritus Vini atque post aliquot dies, per chartam bibulam colavi. Percolati cochlearia duo quatuordecim Vini immiscui; & jussi, ut ex hac Mixtura biberet primo die, unum, alterô bina, tertiô & sequuturis, quotidiè tria cochlearia. Paruit, cum tam felici successu, ut ambo lætaremur! ego, de curatione prospera; ille, de sanitate desiderata. Generosum remedium est, nec recentem patietur inveterascere Gonorrhoeam virulentam.

OBSERVATIO CLXXIII.
D. GEORGII HANNÆI,
Secundina retenta, insperatò exclusa.

PRimaria hujus urbis Foemina, Pharmacopoei uxor, circa mediam noctem ante diem Lunæ, quarti Octobris, peperit Filium grandiusculum, enixu felici; sed restitabat Secundina, lateribus uteri obstinatè adhærescens; ne verò sui officii curam abjecisse videretur obstetrix, residuam umbilici in-

ci in-

ci infantis partem femori parturientis alligavit. Advocatur, post aliquot horas, alia obstetrix, quæ tamen secundinas prolicere non potuit; verùm, quod deteriùs fuit, prominentem extra uteri valvas detraxit funiculum, atque ita miseram Matrem metæ æternitatis propiùs astituit. Cùm jam omnis spes vitæ decollasset, consuluntur bini in hac Urbe Experientissimi Medici, qui sociam ultrò contulerunt operam, ut optimam liberarent Matronam, fotibus & litibus demulcentes ventrem (pellentia enim interna ægerrimè tulerunt justô liberiùs fluitantia lochia) at res ex voto succedere noluit. Interea dum suam repurgat sentinam Fluonia, urgent sæpissimè, cum siti intensissima deliquia animi, grassantium per membra cruciatuum testes, & ipsissimæ mortis anteambulones. Ita trahebatur molestissimè totus dies; sed adhuc molestiùs nox insequens, inter semitertiatos somnos, & malè cohærentia exigebatur deliria. Ibat nox in diem Martis! sed sine melioris ominis præsagio. Diescit lucidiùs! sed nubilant domum atratæ Parcæ. At jam meridiari cœptum est; cùm, ecce! *Lucina* Saturnia (quasi, tot votis, tot suppliciis, commitigata) uterinum illud Hepar eructat integrum, quod hactenus retinuerat invidiosè, integras triginta sex horas. Fit magnus actutum congratulantium Amicorum applausus, vitam & sanitatem afflictissimæ promittentium, licèt amiciùs, quàm veriùs. Vix enim benè levata fuerat hoc onere, cùm horror febrilis atrociùs concuteret delassatum corpus, quem postea ulciscebatur æstus vehementior. Atque his febrilibus torrebatur ignibus commiseratione dignissima Puerpera, donec Jovis dies advesperascens lethæis eosdem exstingueret aquis.

OBSERVATIO CLXXIV.
D. GEORGII HANNÆI,
Mater, Infantis mortui vivum ſepulchrum.

HIſtoriam proponam, fidem penè excedentem, & tamen veriſſimam. Mulier, Kirſtina Georgii, quæ ante octo annos nupſerat militi, poſt unum Abortum, uterum denuò ferre cœpit. Primis poſt conceptionem ſeptimanis, graviſſimè laborabat, lecto affixa; ſed tamen has moleſtias forti animo ſuperavit tandem, redeunte poſtliminio ſanitate. Trudit ſine tumultu dies diem, menſem menſis; usque dum moveri primulùm cœpiſſet Embryo, integris ſeptimanis, à primô motus termino, octodecim, benè vegetus. Illuxit primus Maji, Anni, 1680. quô, parum firmæ valetudinis ſigna edere cœpit Infantulus, matre de veneficio magico nimiopere ſollicita. Secunda verò poſt Feſtum Michaëlis ſeptimana triſtiùs laborans puſio, inſolentiùs ſe jactare cœpit, totum corpus in globum complicare, iterumque contorta ferociùs explicare membra; atque tam horrendos immaturæ ſuæ morti impendere leſſus, ut matri fermè unà fuiſſet occidendum. Illa intolerabilibus viſcerum lancinationibus & diſtorſionibus miſerè excarnificata, obſtetricem vocavit; ſed opem ipſius eluſit Pertunda, in longum ſui ludibrium ærumnoſam reſervatura. Interim rediit afflictiſſimæ in circulum Menſis, qui (à ſatu decimus) partus tempus adeſſe monuit! Ad recidentibus in vanum conatibus omnibus, iners truncus jacuit fœtus, neque carceres mordere valuit, utut in caput conſtitutus, jam ultra menſem mortuus. Nihilo tamen ſeciùs immolabantur Junoni purgamenta convenientia, ſatis copiosè; neque lac ſuis comprimebant mammæ papillis, ſed ultra bimeſtre ſpatium fundebant prodigè. Pacatis ſeriùs his tempeſtatibus, nimiùm

miùm impetuoſis; effloruit per totum miſeræ Matris corpus fera ſcabies, in puſtulas abiens majuſculas, tam acri, tam mordaci, repletas ſero, ut, hoc exſudans, vicina denuò excoriaret loca, donec ſanioſis ulceribus malefidam ſuperindueret cruſtam fœdiſſima eſchara. Ubi menſibus pluribus ſe ita deferveſcendô exoneraſſet irritatus Archeus, aliquantulum detumuit fœtus venter. Remanebat tamen intra clauſtra alvi maternæ cadaver! Et ubi carnem induerat, invitante Naturâ, ibi eandem exuebat, ſtupente Natura! Geſtavit hunc fœtum infauſtum Mater infeliciſſima, olim carnibus veſtitum & cute, nunc iisdem planè nudatum, ultra Sexennium integrum, & geſtat adhuc! ipſaque oſſa, ſatis cohærentia, mihi hodiè palpanda obtulit intra vivum ſui ventris Sepulchrum, à putredine adeò libera, ut, ſollicita manu explorata debitam oſtenderint ſoliditatem oſſeam. Tyrannidem Mezentii deteſtamur meritò, qui viva demortuis alligabat corpora, quò lentiùs exſtinguerentur atque crudelius! Sed vicit longè iſtam truculentam ſors hujus mulierculæ aſperrima; cujus viſcera, propriæ ſobolis ſunt, non modò mortis, ſed & tumuli perpetui conſcia. Habet tamen, quô glorietur hoc Sepulchrum, & vel Mauſoléo ſe præferat! quod, dum proli ſe ſubſternens defunctæ, exciperet tabum profluum (incertum! imò dubium! per quas iterum vias rejectum) Matrem ad umbras non amandaverit unà, viventium ereptam cœtui. Illa enim ſalva hodienum degit, ſolâ Clementiâ Superum! in tanto naufragio, pluribus, quâm modò recenſitis, nondum jactata turbinibus. Quod quidem humanam excederet fidem, nec ego hoc unquam credidiſſem, ni ipſamet de ſingulis à me interrogata momentis, hæc jurejurando ſanctè affirmâſſet. Jam quinque annos præſtò ſunt, ad terminos à Natura præſtitutos, Menſes, licet parciùs fluentes. Verùm, circa hæc tempora graviùs affligitur, ſentiens maniſeſtè, capiti innixum Σκέλετον inferiùs ſe tunc demergere. Ceterà ſana eſt, jam quadragenario major, niſi quod tumeſcere non deſierit venter prominulus. Nunc Othiniæ divertitur,

cum suo Marito; quod si autem heic moreretur; id agerem, ut per me rescíscerent Curiosi, quicquid in hac causa jam restat, ab ipsa discendum extispicina.

OBSERVATIO CLXXV.
D. GEORGII HANNÆI,
Ovum Hydropicum.

GAllina, Auguribus digna, admodum pinguis, ventrem habuit monstrosæ magnitudinis, & ad terram penè dependentem. Destinata culinæ, jugulatur, deplumatur, exenteratur. Exemptis cum ventriculo intestinis, coqua, quem intra alvum videret tumorem, nescia, Gallinam ad me defert. Hanc cum fidissem, video Ovum decumanum, sed sine cortice, hinc inde volubile, quod ovario innumeris ovulis referto, per fibram annectebatur firmiùs. Secui ligamentum, & exemptum lustravi Ovum; at ne levissimum vitelli in eo cernere licuit vestigium, sed aquâ repletum erat, eâque non limpidâ, verùm grumis referta. Ne autem hic liquor, nondum satis exploratus, diffflueret, coquere decrevi hoc monstrum, suâ magnitudine pyrum volemum provocans, & ℥v. cum ʒij. pendens. Coctum (ovo, in gallina adhuc latitanti, necdum incrustato, exteriùs quàm simillimum) exhibuit interiùs gelatinam flavidam, substantiam colostri exactè referentem. Asservavi hoc, quamdiu per fœtorem potui, illudque suo sero tandem innatare vidi, quasi rediturum in prima sui principia.

[Othiniâ 1686. d. 29. Dec. Augustam missæ.]

OBSER-

OBSERVATIO CLXXVI.
D. JOH. CONRADI PEYERI,
De
Rete mirabili.

QUam eximium vitæ uſum arteriæ præſtent, omnes norunt, quotquot animalium ſtructuram ex anatome cognitam habent atque perſpectam. Illæ namque ampliſſimis initiis à corde in ſingula feruntur membra, ut non vitalem modo ſpiritum, ſed etiam ſanguinem ipſum aſſiduo pulſu diſtribuant. Arteriarum itaque multiplex ac propemodum infinita reperitur diviſio. Nulla tamen perinde notabilis eſt, atque illa propter glandulam, ut vocant, pituitariam ſub cerebro, quæ rete mirabile conſtituit. Neminem verò novimus, qui id penitiſſimè deſcripſerit. Eſt enim perquam intricata res & explicatu difficilis, quippe oſſeis quoque impedimentis abſcondita, ut vel exercitatiſſimos interdum eludat fallatque. Creditum id etiam priſcis ſcriptoribus, quæ cauſa videtur, cur rete mirabile dicerent. *Galenus* equidem magnam adhibuit diligentiam, ut hoc quod appellat, naturæ miraculum exponeret, primusque cenſetur de illius fabrica & uſu diſertè locutus. Nec poſteri autores plura tradiderunt, quam à *Galeno* acceperant, ut multos arbitrer de rete mirabili ſcripſiſſe, etiamſi id nunquam adſpexerint. Erravit autem *Galenus*, quod homini attribuerit, quæ in brutis tantum repererat, pariterque hallucinati ſunt, quicunque vitula iſta ararunt. Conſtat enim in homine rete mirabile non exſtare, quicquid *Riolanus* aliique contendant, ac ad defendendum *Galeni* errorem moliantur. Quamobrem labat etiam magnificus ille & decantatus uſus, præparandi aut generandi animales ſpiritus, quoniam ratio nequit ulla excogitari, quare princeps animalium homo tam utili & neceſſaria conſtructione deſtituatur, quem omnes judicant præſtantiſſimis eſſe ſpiritibus uber-

rimè instructum. Major autem difficultas exinde percipitur, quod eo careat etiam pars maxima brutorum. Imò nostra observatione quæ in his rete mirabili sunt prædita, ea cæteris fermè putantur stupidiora. Ex quo manifestum est, rete mirabile ad spirituum generationem nihil omninò conferre, aliterque sentiendum esse de illius usu, quam hactenus plerique statuerunt. Quapropter cum nihilominus admirabilis ac prorsus singularis pulcerrimaque semper mihi videretur texturæ concinnitas, quam in hac anatomiæ perfectione nefas esset aspernari aut negligere, nec commodi cujusdam gratia à Deo constructam credere, egregium doctissimumque Virum *Johannem Jacobum Mejerum*, Medicinæ Candidatum, civem meum & antehac discipulum hortatus sum, ut argumentum istud peculiari dissertatione illustrandum susciperet. Neque operi deest successus, quandoquidem variis experimentis ac potissimum liquatæ ceræ rubræ inductionibus mirabile hoc rete adeò extricaverimus, ut nihil amplius lateat structuræ, & iconibus jam multò elegantius atque distinctius, quam à *Willisio* & *Vieussantio* factum, possit repræsentari. Antequam verò ederetur opella, naturæ Curiosos instituti certiores facere voluimus, insuperque rogare, si quas fortè observationes hac de re comparuerint peculiares, eas benevolè dignentur nobiscum communicare. Gratissima erit certè officii memoria, & quanto majus ornamentum alii addiderint, tanto insignior fiet ipsorum gloriæ accessio. Cæterum ut de usu obiter quædam attingam, non penitus displicet illorum sententia, qui ad infringendum sanguinis motum rete compositum esse existimant. Evidenter enim apparet simplici, & ampla, rectaque via faciliorem ac expeditiorem esse cursum, quam multiplici, angusta, & tortuosa. Verumtamen ut de his nemo dubitet, anceps adhuc causa videtur, quare hic frangendus fuerit sanguinis impetus. Ajunt aliqui, caveri apposite, quorum animalium prona sunt capita, ne cerebrum sanguine obruatur. Sed vix sufficit ista ratio, quia perpetua non est. Dantur etenim

nim quadrupedes retis mirabilis exſortes, ut equi, proclivi licet & demiſſo in terram capite nihilominus incolumes. Nec equi tantùm, ſed etiam canes felesque, ut propterea mireris illos à *Williſio* rete præditos dici. Nam à diligenti examine non reperimus; ſed canibus arteria carotis interna ſimpliciter dividitur in duos ramos, brevi iterum coaleſcentes in unum, antequam perveniant ad cerebrum, & ramorum alter peculiari ſpecu oſſeo reconditus intorquetur duntaxat, ac velut replicatur in nodum, nulla retis ſimilitudine, ut in diſſertatione clarius patebit. Quùm igitur pronorum animalium & pabulum è terra legentium quædam habeant rete, alia quorum numerus fortaſſe maximus eodem deſtituantur, quis illud uno illuviei metu, qui utrobique tamen æqualis eſſet, & hic repagulo certo amoveretur, illic præſidium non inveniret, à ſapientiſſimo architecto putabit conditum? Annon hiſtriones videmus & geſticulatores ſubverſo corpore pedibusque in ſublime elatis identidem capiti inſiſtere, & incedere manibus, vel etiam extremo pede dependulos ſeſe aliquamdiu librare, nullo cerebri incommodo? Quanto ergo minus diſcriminis imminerct animalibus natura pronis, etiamſi rete mirabili carerent. Nec, quod omnes intelligunt, efficit iſtud, ut minor ſanguinis copia cerebro tradatur; tantum enim ſumminiſtrat aſſiduè, quantum poteſt recipere: ſed moderatur ſolummodo, temperatque, ne pari velocitate & impetu perferatur, quo à corde impellitur. Quoniam enim arteriæ ſunt abditæ, neque libero aëri expoſitæ, & ſanguis æqualibus pulſationibus eodemque robore cordis ſurſum deorſumve eliditur, pronus ſitus parum conducit, ut major vis ſanguinis eò ruat, quo inclinat corpus. Adhæc ſi quod modo periculum ſanguis cerebro minatur, convenienti modo & quibus par eſt viis per naturam traditus, dubitaveris merito, annon plus metuendum ſit animalibus quæ habent rete, quàm expertibus? Cum enim ſanguis in his anguſtiis quodammodo torpeſcat, tardius poſtea movetur. Quo autem lentius promovetur, hoc ſtagnat facilius. Et tunc ſane

demum exundans, ac extra vasa suffusus, cerebrum potest opprimere. Quid verò dicam de opinione eorum, qui rete mirabile tradunt glandulæ pituitariæ in hunc finem appositum esse, ut isto tanquam colo purgaretur sanguis, priusquam effertur in cerebrum? Tam reor ineptam, ut vix refutari mereatur. Stat interim sententia animis nostris omnium verisimillima, & aliis etiam ut speramus placitura; ad hoc factum esse rete, & sanguinis motum propterea mitigari, ut in cerebro spiritus generentur quietiores minusque fervidi, sed ad animalium naturam ac indolem peculiariter accommodati. Carent enim rete animalia ferocia, docilia, callida, agilia, & gestuosa, ut homines, equi, canes, feles, vulpes lepores: habent simplicia, lenta, & parum versuta, ut pecudum boumve genus suesque. Tantum de rete mirabili naturæ Curiosis Symmystisque nostris examinandum & dijudicandum proponimus, tantisper dum à nobis posthac singula plenius illustrentur.

[*Scaphusiâ 1687. d. 10. Januar. Augustam missa.*]

OBSERVATIO CLXXVII.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Medicamenta è Mercuriô vivô difficillimæ sunt præparationis; ideoque summè cautam Chymiatri prudentis & experti exposcunt manum.

Quemadmodum non è quôlibet lignô fit Mercurius juxta vetus Mechanicorum axioma, ita quoque secundùm regulas Medicas non tam facilè & securè è Mercuriô vivô Medicamenta laudabilia sunt speranda. Si enim inter singulas creaturas, quas humani Generis commodô fieri jussit Divina Clementia, nullum admiratione dignum foret, (cùm tamen talium innumerarum myriadum myriades Nos non tam in admirationem, quàm summum stuporem

porem rapiant,) illud ſanè vel ſolæ mererentur res medicamentoſæ è Terrâ creatæ. Et dum de hiſce proponere nonnulla audeo, ob incomprehenſibilis numerorum, qualitatum, & modorum præparandi diverſitates, quæ menſem occurrendo obruunt, lingua hæret, manus titubat, crena congelaſcit; (Loquor autem ſaltem de cognitis atque paſſim obviis; de mirum quantum, quantum autem! earum farragine quæ Nobis adhuc ſunt occultæ, & quarum plures ſucceſſivè unusquisque docet, & docebit dies, indicare heic neutiquam licet.) Ut ad ſpecialiora nunc progrediar, ſi inter dictas res medicamentoſas admiratione dignum eſt, ac humana exercuit ingenia in inquirendis ſuis qualitatibus quoddam, id ſanè fecit Mercurius vivus, mirabilis ille irrationalis πολυπράγμων; dum ſcilicet pro cujuslibet deſideriô lubricam ac promtam ſuam ſubſtantiam multis offert (1) pro materiâ ad medicamenta arcana inde elicienda; (2) Aliis pro lignô, è quo ipſe Philoſophorum Lapis fabricandus; (3) Non paucos pro auxiliô transmutatoriô, quô metalla ignobiliora in perfectiora & puriora, aurum & argentum nimirum exaltantur. Verùm, cùm rariſſimè accidat, ut priores ſuo potiantur fine, extorquendo poſt varios casûs, poſt tot diſcrimina rerum inde medicamenta extraordinariâ ſeſe commendantia virtute, veluti tam felicibus eſſe licuit *Paracelſo, Helmontio*, & paucis aliis Chymicorum Coryphæis per adeptionem Mercurii veri diaphoretici fixi, & ſimilium magnô Artis Chymiatricæ honore. Secundi autem meritò ſeſe exponant ſaniùs ſentientium ſubſannationi, cùm Æthiopes dealbare conentur. Inter tertios verò maxima pars aureô piſcetur hamô; ac unô eôdemque labore capiant Chimæras, Phænices, Pelicanos, Gryphes, Harpyias, & ſimilia miraculoſa; licèt metallica transmutatio poſſibilis ſit, veluti Obſervatio ſequens 184. docebit. Ideoque Medicos juniores, meosque Philiatros & Pyrotechniæ Gymnaſio non adeò exercitatos ingenuè monitos volo, velint dictam præparationem Medicamentorum Mercurialium potiùs relinquere chymiatris ſagacioribus;

bus; Niſi enim per adcuratiſſimam tales præparationes regantur & abſolvantur manum, plus aloës, quam mellis habent; ac adverſæ proximi valetudini per hæc facilè plus damni, quam auxilii accreſcere poteſt, non ſine propriæ famæ cauteriô. Præprimis quidem ingraveſcente magis, magisque ſcorbutô, qui antiquum viſceribus robur, ac vitalem ſanguini balſamum clanculùm ſuffuratur, ac in ſpecie nervoſum genus, & quæ inde dependenti inſanum quantùm debilitat. Veluti recenti dolor! adhuc inhæret cordatorum memoriæ, quantum detrimenti plures novorum remediorum avidi unô vel alterô ultimô hôc luſtrô (ut de aliis taceam) perſènſerint ex thraſonicorum Panacæiſtarum pulveribus Mercurialibus illegitimè præparatis, vel ad minimum non decenter fixatis; Poſſem horum aliquot nominare, ſed nauſeam movere animis ingenuis nolo; magisque conſultum judico, ut eorum nomina cum mercuriis ſuis malè præcipitatis ad æternas oblivionis umbras præcipitentur.

Eò citiùs autem tales dubii effectus labores omittere poterunt, cùm munificentiſſimus Polarcha ex uberrimô ſuô Cornu copiæ laudabili eorum indagationi chymicæ largiſſimam hodiè materiæ Medicæ benignioris ac tutioris admetiatur farraginem. Si verò tandem in mercurialibus mentem manumque chymicè exercere velint, eligant ſibi tutiora illa, cinnabarin puta tam nativam, quàm antimonii, quâ in re ipſis inſervirent præter alios Scriptores nuperi *Scholzius*, *Tillingius*, *Hoffmannus*, necnon *meus Tractatus*, *Inventum Cinnabarinum* inſignitus.

Ne autem Lectori benevolo tenuibus meis verbis perſuadere velle videar, ſubjungo ſequens Magni Viri teſtimonium: Aliquot abhinc luſtris eruditiſſimo uti colloquiô aliquoties mihi licebat cum Chymiatrô Seculi noſtri primiceriô; Hic ſummô candore mihi ſedulò varia ſciſcitanti detegebat & enucleabat, quæ ſtudia mea valdoperè juverunt; Tandem verò arcanæ ac genuinæ Mercurium præcipitandi ac figendi methodo avidè inhianti hæc regerebat: Gloriari Egomet poſſum,

me

me inter vivos Chymicos esse seniorem; (Erat autem supra octogenarius, lecto adfixus, mortisque è marasmô senili Candidatus,) siquidem plusquam 50. annos continuos sedulus consumsi in chymicè perscrutandis regni animalis, vegetabilis, ac præcipuè mineralis rebus physicis; & hæc quidem omnia largissimis Primatis cujusdam Mundi pro desideriô meô sumtibus. Diuturnô hôc tempore, & numerosâ consumtâ pecuniâ multa utilia & laude digna quæsivi ac obtinui; frustrà itidem tentavi multa. In specie aliquot mille thaleros impendi in ruminandô & enucleandô polymorphô istô Mercuriô; Acquisivi nonnulla; sed impensis factis neutiquam respondentia; licèt versi pellem ejus genium successivè optimè cognoverim. Proinde eâ, quâ decet, animi ingenuitate monitum Te velim, ut caveas Tibi diversas ob causas ab infidô & variabili istô Vertumnô.

OBSERVATIO CLXXVIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Opium, inter moderna medicamenta generosa neutiquam posterius, in præparatione & propinatione molliter vult tractari.

INter res medicamentosas, quas è largifluo Regni vegetabilis Cornu copiæ non modiô aut trimodiô; sed totô horreô Nobis admetitur infinitum & æternum illud rerum omnium Principium, Omnipotens Deus, primatum & prærogativam plurimis aliis dubiam facit, tenui quidem meô judiciô, Opium. Medicusque modernus meritò habet, de quo sibi gratuletur, si legitimum opiatorum usum intellexerit; Ita enim præter alia commoda inde ægris suis expectanda, sedat & figit calidos sanguinis p. n. ebullientis tumultûs, serum tenue incrassat, somnum cautè & modestè conciliat, unde per hunc

Archæus contumaces ſanguineas atomos eò feliciùs faciliùsque cicurare ac ſopire valet.

Cùm autem roſa hæc pulchella acutiſſimis circumdata ſit ſpinis, hoc eſt, ſcateat cruditatibus ſylveſtribus atque ſcoriis noxiis; proinde varii Naturæ Myſtæ lapidem moverunt omnem, quo aurum hoc è minera ſua erueretur & ſepararetur, purumque ab impuro divideretur; veluti quidem huic operi ſedulò inſudârunt, præter alios, in peculiaribus Tractatibus celeberrimi *Angelus Sala*, *Dan. Wincklerus*, *Joh. Freitagius*, *Joh. Hartmannus*, *Mich. Döringius*, *Matth. Tillingius*, *Mich. Ettmüllerus* & tandem in Globo Medico ſtella primæ magnitudinis, *Wedelius noſter*. Quibus ſtantibus noctuas portarem Athenas, ſi in Opii qualitatibus indagandis diutiùs commorarer; Nihilominus cùm arduum hoc opus nondum planè ſit abſolutum, nec opium tam ſimpliciter obediat regulis methodi medendi, non malè adhuc alii inſudant, quo purum purius reddatur pro proximi commodo; propterea nec ego in Theatro ἀσύμβολος comparere volui candidè propoſiturus, quàm periculoſum experimentum in proprio corpore mihi improvisò obtigerit, ut ſic diſcant nondum exercitati Medici juniores, ſubdolum ac clancularium virus opiatum cautè tractare, ac alienis periculis doctiores fieri. Notum enim eſt Hygéæ noſtræ, gnavos rerum phyſicarum ſcrutatores mediante Chymiâ ſi in re alia, præprimis in opio fuiſſe ſummè ſollicitos, ut ſuſpectæ ac noxiæ heterogeneitates expugnarentur; ideoque tantum non ſingula media edomantia adplicuerunt; ſcilicet modò ſulphurea, modò acida, modò ſalina, alcalia, camphoram, caſtoreum, cydonium, calida aromatica, v. g. piperea, ſpiritum vini, modò aquea, modò toſtionem ſuper carbones, evaporationem, & neſcio quæ alia. Ego tunc ob certam rationem, mediante corrigente acidô, aliquid tentabam, proinde opio pulveriſato ſuperfundebam ſpiritum vitrioli, q. ſ. pro obtinenda pultis ſubſtantia, ſucceſſivè optimè mixta imponebam calori leniori, ut in pulverem exſiccarentur.

Accidit

Accidit autem, ut famulus vasculum continens adportaret, quæritans, num materia sit satis incrassata, quæ tunc extracti liquidioris formam præ se ferebat; Ego, meditationibus seriis intentus, inverto pennam, agitando massam, & quod huic adhæret, deglutio; (deglutitum circiter 10. grana ponderasset.) Posthæc unâ alterâque horâ scopum meum prosequor, meditando, scribendo, pòst absolutis sacris meis solitis Christianum decentibus, lectum ingredior, minimum mali nec metuens, nec sentiens; per tres tantum non horas somno utor suavi; dein expergiscor, nullam planè ex opiô assumtô somnolentiam, capitisve stuporem persentiscens; è contrà molesta erat tensio dolorosa scapulæ sinistræ cum asthmate, ut instare Pleuritidem olim bis familiarem metuerem. Hinc statim sumtâ dosi Essentiæ meæ alexipharmacæ è sale fuliginis sudorem pervoco; ac illiniri curo spiritum juniperi, salviæ, salis armoniaci camphoratos, & pro voto paucis pòst horis dicta tensio successivè evanescebat, ut sanus mihi visus lectum desererem. Quid fit? Circa vesperam Famulæ lectum sternere volentes, inveniunt pulvinari (cui caput versus faciem quodammodò inversum fuit impositum) inhærere sanguinis tunc congrumati uncias circiter 3. vel 4. Inexpectatâ hâc relatione consternatus varias menti extorquebam opiniones; tandem veritati magis consentaneum credebam, circulationem sanguinis à dosi opii quisquiliis suis sylvestribus nondum penitus privati, nec sufficienter exsiccati nimiâ in pulmonibus adeò fuisse sufflaminatam, ut vas aliquod rumpi fuerit coactum. Si similis continui solutio accidisset vasi paulò majori, mors extra dubium fuisset ejus pedissequa; Et cùm nemini meorum de nondum penitùs cicuratò opiô aliquid constiterit, causa hæmoptysin lethalem inter somnum excitans sanè plurium animos in diversas traxisset sententias. Hæc proposui in favorem Philiatrorum, ut assuescant, opiô uti neutiquam mente ac manu præcipiti; Cùm mihi constet nonnullos in re Medicâ non superficiariè versatos irridere eos, qui in propinando opiô ratione

doſeos ſolent eſſe nimis timidi. Magis conſultum igitur eſt, hîc peccare in defectu, quàm in exceſſu; agitur enim de vitâ pretioſo Chriſti ſanguine redemtorum. Novi ſanè uno plures, qui aſſumtâ nimiâ opii doſi, placidiſſimè obdormiverunt; quorumque evigilationem liberi & cognati ad hunc usque diem fruſtra expectant. Novellis Medicis Practicis candidè hanc adnecto cautelam: Ubicunque Archæus à morbi aut violentiâ, aut longitate eſt debilitatus, ſanguisque ſpiritibus innatis depauperatus, ubi item cachecticus balſami ſanguinei eſt defectus, ibi cautiſſimè ac parcâ doſi exhibendum eſſe opium, meâ, aliorumque conſtat experientiâ.

OBSERVATIO CLXXIX.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Opium crudum quotidiè per plures menſes larga doſi optato effectu à Germano aſſumtum.

SI Opium ab heterogeneis ſaltem particulis legitimè non depuratum tam dubiô ac periculosô exhibetur eventu, veluti antecedens docuit obſervatio, quid, quæſo, ſentiendum erit de illô crudô à minerâ ſuâ & fæcibus innatis nondum libero? Me quidem non latet, quid Perſæ, & Turcæ, aliique Orientis inquilini hîc valeant, ſed hæc propter climatis, Complexionis, ac conſuetudinis diverſitatem Nos non feriunt; ſed loquimur de noſtri Climatis domeſticis. Proinde non poſſum non, quin rariſſimam producam hiſtoriam, cùm adhuc aliquando in Naturâ fiant monſtra: Vir Illuſtris, 28. annorum poſt ſcorbuticas ſanguinis impuritates aliquot annis in itineribus, dein in caſtris Danico-Belgicis copioſiſſimè collectas corripitur febre quartanâ per quatuor & quod excurrit menſes; Variis remediis infelici effectu contra antiquum illud Medicorum

dicorum Scandulum exhibitis, impatiens Patiens tandem aſſumit à quôdam multiloquô pulverem Mercurialem non legitimè præparatum, unde quidem diſceſſit febris; ſucceſſère autem tormina ventris & artuum quaſi intolerabilia, anxietas cordis, vomitûs, alvi fluxûs, virium proſtratio, invitum ſeminis profluvium. Medicorum Conſiliô methodicè varia alternando exhibentur, quibus ſæpè mixta opiata, ſ. a. tamen præparata, ut per hæc diverſis ſimul ſatisfieret medicationibus; Sed ſingula non ſufficiunt in corpore impurô & debilitatô eradicare malignas pulveris iſtius Mercurialis turbas; licèt ſucceſſivè magis aucta fuerit exhibita opii doſis. Æger autem ſanitati anxiè inhians, percipit opium crudum, nondum præparatum, penetrabiliore (eâ tamen periculoſiore) pollere efficaciâ; Proinde indignabundus hoc aliquoties aſſumit, prioribus vicibus aliquot grana pro doſi; Levamen aliquale perſentiſcens, Medicos diſſuadentes dimittit, ſibique parat pulverem ex opii crudi, lapidum cancrorū & nucis moſchatæ anaticâ portione. Continuatus licèt hujus uſus cùm doloribus ſuffocandis non ſuffecerit, auget doſin, & quidem adeò, ut binis vel trinis vicibus in die ſumſerit pulverem dictum, ſingulâ doſi 10. 12. 15. grana opii crudi continente; (arrige aures, Lector curioſe, unoquoque die ſic fuêre comeſta 40. ad 50. opii crudi grana!) & hanc doſin ita quotidiè continuavit per ſeſquiannum, vel 18. menſes, quandocunque enim Naturæ adſuetæ hoc ſolatium aliquando denegare audebat, ſtatim aderant ante fores maximi dolores, vigiliæ, alvi fluxûs, ut ita ejusdem complexio in Turcicam vel Perſicam metamorphoſi aliqua degenerâſſe fuerit viſa. Cùm autem prava hæc conſuetudo, Naturæ ſimia, omne extra dubium Archæo tandem peſſima minetur ſymptomata, præprimis nervorum; ſucceſſivam opii doſeos imminutionem ſeverè ſuaſi, veluti eandem antea exaltaverat; Archæi robur autem ſartum tectum ſervando adhibeantur per vices Eſſentia Caſtorei volatilis in *Tractatu de Tinctura univerſ.* deſcripta, Liquor

C. C. ſuccinatus, Eſſentia Terræ Catechû, Cinnabarini pulveres.

OBSERVATIO CLXXX.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Phthiſici auxilio Medico anxiè inhiant, quia ipſis Hannibal reverà ad portas.

HYdrops Quartana Medicorum ſcandala plana! Ita ſonat in non vile Artis ſervandorum hominum opprobrium antiqua Satyra, utinam hodiè non ampliùs vera! Conſtat mihi tamen tum aliorum, tum propriâ experientiâ aliquot per luſtra noſtri ſeculi bigam hancce malitioſam cornua deponere fuiſſe coactam, præprimis quidem Hydropem. Poſtquam ſcilicet contra Hydras hasce Lernæas fortiùs frequentiùsque remediorum chymicorum clavâ Herculeâ pugnare didicerunt naturalium Chymici ſcrutatores, laudabilem operam conferendo Medicamentis è Tartari Sale fixo & volatili, item Martialia, Saturnina, nitrata &c. v. g. Tinctura è Sale Tart. & Vitriolo Martis, Tinctura è Vitriolo Martis, & Saccaro Saturni; aliis verò palmam dubiam faciunt ſalia alcalia tam communia ex herbis, quàm liquores chymici per hæc compoſiti, quales apud diverſos Neotericos Chymicos, ut & in *Capite ultimo Tract. mei de Methodo balſamandi* largè inveniuntur. Fine autem ſuô faciliùs potiuntur, ſi ſanguis innato non nimis privatus balſamô, ac viſcera chyli- ac ſanguificationi deſtinata depurando, colando, muneris ſui non obliviſcantur. Sed ut ad rem; Majori jure Medicorum ſcandalum dici meretur Phthiſis, & ejus conſanguinea, febris hectica; quippe de quibus expugnatis, ſi aliquales egerint radices, experientiſſimis etiam Chymiatris communi querelâ triumphare vix licet, non modò propter luxuriantem materiæ ulceroſæ in pulmonibus ſpongioſis truculentiam; ſed & ob clancularias ſubdoli caloris hectici vires, cui hucusque ſufficiens præ-

cipitans

cipitans & extinguens, veluti fit aliarum febrium calori, opponere & invenire, quantum mihi constat, nemo valuit. Nihilominus tamen gratiosissima Clementia Divina more suô neque hic suam humano generi denegavit opem, veluti magnam merentur laudem sequentia: (nisi malum per longas invaluerit moras;) Agmen ducat Aqua antiphthisica egregia *Epiphanii Ferdinandi*, vel ideò cedrô dignissima, cùm sanguinis acrimoniam mirè dulcificet, purificet, confortet, attenuet, humectet, nutriat, consolidet; Eam describit in *suis Observationibus, Histor.20.* Quam tamen ob Climatis diversitatem, scorbutumque ingravescentem quodammodo mutavi, aliud addendo, omittendo aliud: ℞. Sanguinis è porcello recent. decollato ℔iiij. Terebinthinæ Venetæ, liquiritiæ rasæ āā ℔j. Summitat. pini mense Aprili vel Majo decerptarum Mviij. Flor. bellid. rubræ Mij. albæ Miiij. micæ panis triticeæ recent. coctæ ℔j. Mixta destillentur in vase vitreo; dosis est 1. vel altera uncia. Huic aquæ efficaciâ neutiquam cedit Tinctura è Vitriolo Martis & Saccaro Saturni; ejus varii extant præparandi modi, v. g. ℞. Saccari Saturni ʒvj. Vitrioli Martis ʒiij. Mixtis extrahatur Spiritu vini non adeò forti Tinctura; Alii seq. præferunt: ℞. Vitrioli Martis ℥ß. solve in Liquoris Saturni (dum minium acetô solvitur) ℥iijß. Spiritûs vini ℥i. digere, filtra; dosis 25. 30. 40. guttæ; primâ methodô paratam plus vice simplici mirabili virtute sum expertus. Antihecticum Poterii è regulo antimonii & stanno compositum maximi sanè solatii & operationis est remedium, præprimis, si portiuncula pulveris anodyni misceatur. Non minus egregiam præstat operam radix aronis aliquoties Tincturâ fl. bellidis & papaver. errat. imprægnata & exsiccata, pro roborando pulmone acrimoniâ hectico-phthisicâ læso, præprimis ubi stomachus malè coquens usu aliorum refrigerantium & præcipitantium vires perdidit necessarias. Sperma ceti cum lacte sulphuris variis indicationibus quoque satisfacit; ut & potus tepidus lactis humani, asinini, caprini.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXI.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Nimis rigorosa & iniqua est Galenicorum nonnullorum in Chymicos Censura.

QUamvis non parvam Medicamenta Galenica omninò mereantur laudem; nihilominus horum in favorem chymica minimè vilipendenda, iisdem postponenda, aut penitus omittenda; sed rectiùs hodiè à Medicis dogmaticis amicè uniuntur, ac pro adfectuum diversitate variè & alternatim usurpantur. Plus vice simplici sum miratus, quòd Medici isti, puros Galenicos quos dicunt, tam præcipiti fervore indignentur Chymiæ cultoribus, eorumque remedia suspecta reddere annitantur ægrotis, aliisque curiosis, quasi hæc sint nimis fortia, corrosiva, è minerali potissimum regnô petita &c. Hos ipsos autem lepores esse, licèt pulpamenta quærant, sequentia docebunt.

Neutiquam negatur, Chymicos aliquando uti medicamentis valdè penetrantibus, & his quidem è triplici rei Medicæ regno depromtis; dum scilicet Chymicæ Scientiæ successivè per crebram & indefessam indagationem in res naturales tantus accrevit splendor, ut Essentias, Spiritus, Tincturas, Salia tam volatilia, quàm fixa, & quæ alia sunt medicamentorum genera, ita ab innatis scoriis, ac particulis impuris separare nôrint, quò vel ipse Hermes & Hippocrates reduces facti attoniti sint reddituri, artem suam in tantam puritatem ac vigorem elevari, fuisse possibile; Licèt reverà providam sagacis Medici in propinatione exposcant manum. E contrario & ipsi Galenici itidem fateri coguntur, sese pro usu quasi quotidiano non minùs adhibere mineralia, & hæc bonam partem cruda, ubi purum ab impuro nondum est separatum, nec qualitas sylvestris ac noxia cicurata, veluti semper fieri solet & debet in legitima medicamentorum

mentorum chymicorum compositione; proinde etiam in prima mea observatione querela publica est producta contra immorigerum Artis Filium, Mercurium. Sic v.g. quid magis vulgare, magisque consuetum est Galenicis, quàm suos ægros ablegare ad Thermarum & Acidularum usum, ubi operatio & energia ipsis tamen solummodò expectanda est à summè crudis, variè mixtis diversorum mineralium sibi partim contrariantium nondum edomitorum, non raró arsenicalium & similium qualitatibus? Quanta autem à talibus medicamentis noxa plerumque sit metuenda, vel inde judicandum, quòd veneranda Antiquitas seculi infelicitate cognitionem chymicam maxima ex parte ignorans, consultum censuerit, Acidularum & Thermarum usum instituere tempore æstivô, (aliàs remediis non adeò accommodô) ideò quòd per radios benefici Solis penetrabiles aquæ istæ quasi destillentur, cruditatesque partim consumantur; Propterea ejusdem Successores successivè, Natura monstrante viam, Artem chymicam deberent sequi, vel talia remedia eorum usu addere pro depuratione & correctione veluti in architectura, mechanica, & similibus novæ inventæ enchirises addantur, vel veteres coloni planè migrare jubeantur. Si præter Acidulas & Thermas alia quoque medicamenta desideras mineralibus scatentia, nec à suis scoriis adeò separata, evolve, sis, præter alias *Pharmacopœiam Augustanam*, quæ hucusque generale quasi formularum Pharmaceuticarum fuit Lexicon, præprimis, veluti eam Vir ad elegantioris literaturæ Medicæ culturam augendam, natus, *Dn. D. Luc. Schröckius, Junior*, emendavit; ibi reperies pilulas de nitro Tralliani, species diaspoliticon Galeni, electuar. chalybeatum, pluraque ejusdem farinæ, quæ mineralia ingrediuntur. Sed quid de aliis Autoribus loqui audeo; ingredere saltem *Opera* illius Sectæ principis & principii, *Galeni* scilicet, ibi leges non sine stupore, quam præcipitanter tractet & propinet remedia violenta & cruda, præprimis etiam mineralia; Locô omnium evolvatur *Liber nonus de Medicamentis localibus* in *Operum* Tomô

quintò; ibi plura infuſa, aliasque formulas internas invenies è gypsô, calce vivâ, auripigmentô, antimoniô, opio crudo, ſemine hyoſcyami in largiore doſi, varieque miſtas ſine depuratione ac correctione neceſſariâ.

OBSERVATIO CLXXXII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Thematum genethliacorum incertitudo.

QUamvis Thematibus genethliacis debitum derogare honorem non audeam; nihilominus ea in ſola ſimpliciter & impiè fiduciam non eſſe ponendam, teſtatur experientia, cùm Majeſtatica DEI omnipotentis manus, uti omnia, ita & hæc ſupra-ordinariè dirigat prout Pietas ac Probitas hujus vel illius illud poſtulet; aſtra enim regunt Homines; ſed regit aſtra DEUS; quippe quæ ſaltem inclinant, non neceſſitant. Exempli locô produco duos unô eôdemque die, unô eodemque in locô natos atque educatos; horum alter à pueritiâ legibus Ethicæ Chriſtianæ obediens, in Literis ac moribus adeò proficiebat, ut honorum, divitiarum ac ſenii culmen attigerit; Alter verò à primis nativitatis annis Vacunæ litans, ſuoque indulgens genio, ac poſteà Bacchi Venerisque Sacrificulus ante medios ætatis ſuæ annos diem ſuum obibat, poſtquam variis Fortunæ adverſæ procellis mirè ac miſerè fuerit agitatus.

OBSERVATIO CLXXXIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Felis Sciurum pariens.

SUmmè miraculoſos ac quotidiè quaſi novos è Naturæ abyſſo luſûs ac metamorphoſes modis innumeris patefieri, certiſſimum eſt, quas deſcribere, non eſt humanæ crenæ opus. Ob diverſas cauſas unica hîc ſufficiat talis hiſtoria:

Felis

Felis domeſtica à coitu cum Sciuro parit tres catos ſui generis, & unum Sciurum; dictus Sciurus ob raritatem à Viro Illuſtri ſummis in deliciis habitus, ne minima Naturæ matriſſantis indicia præ ſe ferebat; veluti quidem catuli felini ne minimum patriſſabant.

SCHOLIUM.

UTrùm in ovis quorumcunque animalium, antequam à ſemine maſculino fœcundentur, ipſa fœtus delineatio vel rudimentum jam compareat? vel an demum accedente & agitante ſpiritu ſeminis virilis, humor in ovo contentus in fœtum taliter figuratum, vel corpus corpori, à quo ſpiritus ille deſcendit, ſimile ab eo disponatur? quamvis acutioribus ingeniis decidendum relinquere malim, qui imbecillitatem ingenii mei in hoc occulto DEI miraculo lubens agnoſco, ſi tamen quid divinare mihi liceat, ad poſteriorem ſententiam magis inclinarem, idq́ue exemplo à Nobil. Dn. Autore noſtro adducto confirmarem. Si enim in ovulis felinis rudimenta ſaltem fœtuum felinorum præexſtiterunt, quomodo ſciurus hîc produci potuerit, haud video; cum potius omnes fœtus tum excluſi felini comparere debuiſſent. Ut itaque credibile mihi videatur, felim iſtam eodem tempore à cato imprægnatam trini fœtus felini genitricem evaſiſſe; à ſciuro autem itidem tum compreſſam, non potuiſſe non ſciurum excludere; cum in coitu iſto immiſſus in uterum felinum genitalis ſciuri ſpiritus ovulum in ovario fœcundaverit, vel particulas fœtui producendo in ovulo aptas agitando, easdem ſpecifico motu in ſui ſimile corpus conjungendas diſpoſuerit.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CLXXXIV.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Transmutationis Metallorum Possibilitas.

ANtecedens Observatio occasionem exhibet, mentionem faciendi metallicæ transmutationis; Constat enim optimè Physicæ rei scrutatoribus, quàm acerrimè pugnatum sit inter affirmativam & negativam defendentes, & adhuc controversiarum trahatur serra. Negantium modernorum (solidis rationibus pugnantium) Coryphæus extra dubium est immortalis *Athanasius Kircherus*, eruditionis in omnibus disciplinis stapula; Hic in *Mundo suo subterraneo* tam Veterum, quàm Neotericorum, propriique cerebri rationes ponderosas multis ambagibus proponit.

Tenuitati autem meæ semper placuit, & adhuc placet affirmativa; cum rationes pyrotechniæ experimentalis, aliæque practicæ mihi id persuadeant, quarum unam pluribus philosophicis theoreticis anteponendam censeo. Teste enim quotidianâ experientiâ, plures metamorphoses & transmutationes mediante virtute seminali plasticâ in regnô & animali & vegetabili contingunt; Cur eædem minerali sint denegandæ, sanè non video. Quamvis enim metalla & mineralia perfectam vitam vivere non deprehendantur; vivunt tamen illis analogicam, cùm crescant & augeantur. In regnô animali hoc it testatum incestus noster Sciurus cum suâ meretrice fele, generans heterogeneum; Quòd equa ab asini coitu enitatur, quis est, qui nescit? Cùm sacer Codex nostros id edoceat pusiones? Non minùs bombycem aliasque erucas plurimas in papiliones degenerare, ac alas (veluti *Horatii* ille pauper cornua) sumere, nôrunt itidem tenelli rusticorum hæredes. In regnô vegetabili rariora obtingunt; sic v. g. miraculorum transmutationem artis emphyteuticæ vel insitiæ (pfropfen) mirantur meritò dendrophili; dum scilicet arborum etiam sylvestrium natura obe-

dit artis expellentis furcæ, nec uspiam recurrit; (contra probatam in aliis dicti Horatiani veritatem) sed degenerat planè in surculi insiti qualitates, etiamsi non unius, sed diversæ sint speciei arbores, v.g. mali surculus commodè, feliciter & constanter patitur insitionem in cydonium, pyrus in morum, & sic porrò.

Imò quod adhuc majus, regnorum quoque diversitatem similem inversionem admittere negari non potest; nullum dari viscus humanum, quod vermes non generaverit, Anatomicis & Observationum Scriptoribus abundè constat; imò & ipsam massam sanguineam esse verminosam. Nostræ quoque mulierculæ cognitum habent, mel & panem, ut & saccarum & panem citò transformari in formicarum myriades. Caseum antiquum idem experiri miraculum, multorum oculi nauseantes, ac plurium linguæ delicatæ attestantur. Similes metamorphoses confirmant singuli homines, singula bruta, dum substantiam suam animalem longis annis optimè conservant cibis è regnô vegetabili quotidiè acceptis. Magis mirabile Naturæ opus est adnectendum: Et homines, & bruta tam terræ, quàm maris incolas, & arbores, & plantas, imò innumeras alias creatarum rerum Species mediante succô aliquô lapidificô esse petrefacta, vel in lapides conversa, quis inter eruditos, cum quibus mihi res est, abnegare audebit? E pluribus aliis hæ sufficiant instantiæ. Non possum tamen non, quin è supra laudati Magni *Kircheri Mundô subterraneô*, producam nonnulla, quamvis enim *Tractatu de Lapide Philosophor.* acerrimè impugnet metallicam transmutationem, tamen in *Tract. de Rerum Panspermiâ, & seq.* amplissimus est, similes Metamorphoses in regnis aliis clarissimè per rationes & experientiam demonstrare; veluti præter alia loca *Tomi secundi* capita multa priora hinc inde edocent; Exempli locô prodeat saltem *Partis 2. lib. 12. sect. 1. cap. 9. fol. m. 347.* Non est ulla in rerum naturâ aut planta, aut animal, quod non è seipsô aliud insectum, differentis tamen speciei, producat ortu spontaneô; & *Franc. Corvinus*

in ſingulis diverſiſſimæ ſpeciei herbis ſingulari ſtudio vermem invenit. Sic ex diverſis herbis naſcantur erucæ, quæ dein asſumtis alis degenerant in papiliones diverſicolores. Allegavimus hactenus è pluribus aliis varia Naturæ opera; multa autem horum à Naturæ æmulâ arte facta produci poſſent, (veluti de formicis dictum,) è variis Autoribus; Pro evitandâ tædiosâ prolixitate tamen Lectorem curioſum ablegatum volo ad modò allegatum dicti celeberr. *Kircheri* Opus aurô contra carum, ibi inveniet plura huc facientia & ſibi ſatis facientia. Quibus ſtantibus & quotidianâ experientiâ confirmatis, ſanè non video, cur ſolis metallis deneganda ſit transmutationis poſſibilitas; cùm hæc homogeniis conſtent principiis, ac inter ſe gradu quaſi ſaltem differant, proinde jure hæreditariæ analogiæ unum alteri, præprimis arte adjutum radios ſuos illuſtriores facilè communicare poterit. Optimè inſuper conſtat alchymiæ cultoribus, imò communibus metallurgis, hôc noſtrô ſeculô prioribus multas ob cauſas feliciore ac fertiliore, magis magisque innoteſcere vias ac modos, quibus metalla imperfectiora in nobiliora mediantibus ſalibus, aliisque, v. g. Sale Armoniaco, Sale Tartari, Nitrô, Borrace, Arſenicô, Mercuriô ſublimatô, Lapide calaminari, &c. ope ignis fortioris fuſoriâ per arcanas artis chymicæ enchiriſes exaltentur; Licèt utplurimùm hæ fiant ſine fœnore, & impenſæ factæ vix redeant; idcircò tamen poſſibilitas neutiquam tollitur; cujus cum aliis pluribus & ipſe aliquoties oculatus posſum eſſe teſtis. An igitur ſit Philoſophi, contra autopſiam diſputare, judicent alii.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXV.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Bryonia egregium exhibet regno suo vegetabili ornamentum.

MUlta latent adhuc Naturæ in gremio arcana, quæ Deus & dies successivè offerunt inquirendo hæc expetentibus; mirè item ludit in humanis Divina potentia rebus. Talibus arcanis meritò adnumerantur curæ transplantatoriæ; hæ sub Christianis Artis Medicæ legibus institutæ, omissis superstitiosis, opemque diabolicam olentibus, minimè sunt contemnendæ. Radix Bryoniæ, præter alias virtutes contra diversos morbos pro usibus internis ipsi innatas, laudabile hujus rei ostendit testimonium contra symptomata, & quæ his analoga, arthritica; si scilicet è terra recens evulsa locis adfectis affricetur, soloque iterum concredatur, ut more sibi naturaliter insito crescere pergat. Præter dictam hancce qualitatem virtuosam hoc in frutice præprimis notatu dignum est, quòd variorum botanicorum experientiâ constet, è baccis ejusdem, licèt largè prodeuntibus, nullam planè sperandam esse prolem, etiamsi serendo, aliisque modis cautissimè tractentur à manu botanica. E contra, si aves baccas hasce devorent, frequentissimè veluti fieri solet, eæque postea excrementa sua hinc inde dispergant, atque ita simul dictas baccas quasi fermentatas, calcinatas, vel destillatas excernant, frutices hosce protuberare, ut postea ab hortulanis in loca commoda transportari atque excoli possint.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXVI.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Cricetus (der Hamster) providus ſibi contra famem hyemalem promus-condus, ſingularibus à Natura organis ad hæc inſtructus.

AMant alterna Camœnæ! Curioſo in præcedente obſervatione propoſito botanico lubet ſubjungere anatomicum, ut ubivis miremur & rimemur miranda Omnipotentis Opificis Opera. Sacrum Codicem mandatô emphaticô ablegare pigros noſtros ratione utentes ad impigros irrationales, puſillas ſcilicet formicas, ut ab hisce illi diſcant, quomodo annonæ caritas famelicô hyemis tempore ſit præcavenda, humili & devotâ reverentiâ legunt, piè ſentientes. Prudentes & cautæ hæ œconomæ, formicas intelligo, inter bruta, ſui ſimilia, multis abundant æmulis. Inter diverſa alia, jam ſolum produco Cricetum, den Hamster / vocat vernacula lingua, beſtiolam ruris inquilinam. Dum præteritæ æſtatis fine ob negotia practica per agros rhedâ vehebar cum itineris ſocio, *Dn. Joh. Hilſchero*, Chirurgo noſtro aulico ſolerti, dolebamus publicas ruricolarum querelas, quòd inſolitæ hôc anno Cricetorum copiæ meſſem ipſis anticipaverint, frumenta cavernis ſuis ſubterraneis in futuram ſuſtentationem concredentes. Ventilabamus ſimul, quomodo poſſibile ſit, ut ſpatiô paucarum ſeptimanarum, vel potiùs dierum, quô frumenta maturitatem maximâ ſui parte acquiſita in agris ſaltem hærere ſoleant, aut relinquantur, ab iſtis beſtiolis tantâ copiâ in clancularia ſua latibula & horrea transportari poſſint? Motus inde curioſus *Dn. Hilſcherus* cultrum anatomicum admovet cuidam criceto, & invenit illum in utroque faucium latere largis crumenis vel folliculis huic transportationi à natura deſtinatis dotatum; veluti


Cricetus, cum folliculis suis.
Fig: 40.
p. 376.
F
F
B
A
C
G
G
D
E
E
C
A. Folliculus in suo situ naturali extra collum sub cute.
B. Musculus latus, quo mediante hic collo est alligatus.
C. Folliculi vel crumenæ facies interior inversa.
D. Foramen, per quod frumenta transportanda crumenæ intruduntur.
E. Dentes duo longi, quales alias etiam leporibus competunt.
F. Cutis sinistri lateris separata, inversa.
G. Costæ ibidem denudatæ.



uti quidem è figura depicta clariùs apparebit. O quanta, quanta sunt utilia, jucunda, curiosa, quæ ignoramus; ô quantilla, quæ scimus, vel potiùs, quæ ex socordia scire nolumus.

Fig. XL.

OBSERVATIO CLXXXVII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Simia mas, constans usque ad exilium suum Virginis pulchræ Amasius.

SImias externos hominum mores gestusque æmulari, notorium est usque ad tonstrinas, & ulteriùs. Eas autem internas quoque animi humani operationes imitatas esse, rarius est auditu; audiamus proinde sequentem historiam: In Aulæ primariæ Gynæcéo alebatur simia mas, uti non rarò fieri solet; Hæc amabat efflictim virginem nobilem Gynæcéi inquilinam, venustate reliquas, veluti minores luna stellas, superantem. Fervorem autem amoris sui insanum - quantum magnum indiciis omnibus possibilibus, imò variis illecebris venereis ingenuum ac constantem demonstrare semper annitebatur; nec verbis comminantibus, nec verberibus æstuantem ignis sui amatorii flammam extingui patiebatur.

In aliud conclave propterea reposita, necdum amorem continuare cessabat; sed laceratâ aliquoties catenâ desideratissimam suam Glycerium undique & undique prosequebatur, etiam tecta transsiliendo, fenestrasque mediante rupturâ suo introitui aptas reddendo. Tantum autem aberat, ut virgo ista ingrata procum tam fidelem, tam perpetuum reciprocô favore beaverit, atque observaverit monitum *Ovidii*: Ut ameris, amabilis esto; aut illud *Senecæ*: Si vis amari, ama; vel etiam Solem fuerit imitata, qui radiorum suorum splendore & venustos & indecoros æquè recreare ac incalescere soleat; ut potiùs petierit à Domina, & quod petierit, obtinuerit ista summô

mô pudore ſuffuſa, quò ridiculoſus ac miſellus ille amator aulâ exire fuerit coactus, alteri cuidam dono miſſus. Simiam hancce non ex *Ovidii* Scriptis apprehendiſſe artis amandi theoriam, fatebuntur omnes; An autem amatorias atomos è præcordiis magis gratorum Procorum Gynæcéa non raró viſitantium ſibi ſolâ experientiæ practicæ ulnâ fuerit admetita, ac in molliuſculo & cereô ſuô corculô fermentationem æmulatoriam excitaverit, judicent alii; Cùm enim adoleſcentes illi aulici cum virginibus preces recitaſſe vix præſumendum, ideò phantaſiæ ſimialis teſta ideis iſtis amatoriis non ſemel, ſed ſæpiùs imbuta, non potuit non easdem diu ſervare, ac ad praxin gratiſſimam adplicare.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Pennæ albæ corvo nigro ex ala ſucceſſivè excreſcentes.

DUm rem aliquam repertu ſummè difficilem & rariſſimam deſcribere veneranda Antiquitas volebat, ejusque ſequax noſtra ætas, ſequenti uti ſolebant & ſolent denominatione: Rara avis in terra eſt, alboque ſimillima corvo; Qui loquendi modus præprimis quidem Nos Europæos ferit; cùm me non lateat, exteris in regionibus, Novâ Zemblâ &c. ordinariè ali corvos albos. Quæ item de corvis albis Wetteraviæ refert Clariſſ. *Wizelius* in *Ephemerid. German. Curioſis*, *Decad. I. Anni III. Obſervat.* 57. ibidem poterunt videri.

Veluti autem nulla facilè datur regula, quæ exceptioni non ſit ſubjecta, ita etiam heic Natura admiſit irregularitatem, ceu pateſcet è ſequentibus: Vir Curioſus alebat in area domûs corvum juniorem, uti aliquando fieri ſolet, more noſtris regionibus ubique ſolitô nigrum præ ſe ferentem colorem; redeunte proximô Vere creſcebant ipſi in alis tres vel quatuor pennæ

pennæ summè albæ & niveæ; hasce autem ipsi invitissimo protuberare, inde erat colligendum, quòd omnem rostrô admoveret operam, usquedum eas evelleret; hoc tamen neutiquam nisi difficillimè, & conatu 3.4. dierum, & quidem comitante largâ hæmorrhagiâ, effectum dare valebat, cùm altas semper pennæ egerint radices. Hanc avis hujus nauseam in colorem suo generi insolitum sæpè non sine stupore, & ob dolorem in tentatâ violentâ evulsione excitatum non sine commiseratione adspeximus. Quamvis autem unâ vice eradicaverit hospites hosce ingratos misellus iste; redeunte tamen Vere simul redibant itidem dictô modô similes pennæ albæ, quas ille labore circulatoriô evellere, uti antea, non cessabat. Expellere ita Naturam furcâ aliquot annorum spatiô conabatur; recurrebat tamen illa semper invito; donec casu fortuitô & violentô vitam cum morte commutare cogebatur, & sic imposterùm tædiosô hôc labore supersedere valebat.

SCHOLIUM.

– – – – – Cùm candidus ante fuisses,
Corve loquax, subitò nigrantes versus in alas.
Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas sine labe columbas &c.

Sic canente *Ovidio lib. 2. Metamorph.* Sed utut fabulosa hæc sint, dari tamen corvos albos, præter in hac observatione memoratos, fidem facit *D. Frid. Lachmund Dec. I. Ephem. harum Ann. IV. Obs. 184.* totum album ibidem producens; alium quoque planè candidum quoad rostrum æquè ac plumas se vidisse, Ill. *Rob. Boyle tr. de coloribus experiment. 11.* scribit. Albos fieri, quosdam putare, in *phys. Hippocr. diss. 8. §. 10.* refert *D. Dan. Horstius*, si ovum corvinum felis cerebro illitum gallinæ albæ supponatur. In Lapponia præterea corvos magnos & planè albos esse, rostro & pedibus exceptis, ex *Martinierii* relatione in *Itinerar. cap. 22.* habetur. De Insularum Ferroënsium corvis versicoloribus, sive quibus color albus & niger alternatim in cor-

pore dispositus, videri potest *D. Thom. Bartholinus Act. Med. Hafn. Vol. 1. Obs. 49.* & *D. Ol. Wormius Mus. lib. 3. cap. 17.*

[L. Schröck, L. F.]

OBSERVATIO CLXXXIX.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Rara Somnambuli historia.

ADmiratione dignas, quæ à Somnambulis ob depravatos Phantasiæ motûs peraguntur, actiones non sine stupore legimus; harum plures videre est apud laboriosum *Schenkium*, aliosque; lubet aliam proponere: Scholæ Alumno, gnavo Palladis militi, à Præceptore aliquot vicibus exhibetur argumentum (quod vocant Scholæ,) Germanicè scriptum latinâ donandum civitate, vel latinitatis exercendæ specimen. Discipulus lucubrationes aliis impendens studiis, dicti speciminis versionem in latinum auroræ semper reservat; E lectô autem surgens manum ac mentem operi admoturus, hoc à se infectum jamjam factum invenit. Re insolitâ attonitus factus, diabolicas suspicatur illusiones; Proinde Rectori omnia detegit; hic jubet binos ejusdem Commilitones adcuratum dormientis curam gerere. Dictum factum, sanus ille æger unâ alterâque horâ somnô usus surgit, museum ingreditur, latinitatis specimina inscius conficit, ac lecto sese reddit, pro ulteriori somnô capessendo. Cùm majora mala minetur sæpiùs hic affectus, exhibui tam ratione causæ universalia, laxantia, sudorifera, dein Hypochondria aperientia, v. g. Tincturam è Sale Tartari & Vitriolo Martis, Tincturam è Vitriolô Martis & Sacc. Saturni, aliaque martialia ac tartarea; Pro cerebrô verò roborandô Essentiam Castorei volatil. Sal volatile oleosum succini, Cinnabarin meam fixatam, &c. inde cessavit affectus. Obiter moneo de hôc symptomate, nisi hôc nimis ingravescens majora post se traheret incommoda, imò pe-

ricula

ricula vitæ insidias struentia, nullus dubito, quin plures, qui Vacunæ, Morphei ac pigritiei sunt sacrificuli, eô modô, qui Scholastico obtigit, ægrotare potiùs velint, quàm ut medicamentis hosce conatûs Naturæ expelli, sint concessuri.

OBSERVATIO CXC.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Scortum album ab Æthiope parit Filium bicolorem.

Quàm varias, imò innumeras, easque summè mirabiles dispergat operationes imaginatio creditu est difficilè, & sanè amplissima volumina non caperent historias diversimodè proponendas. Jam saltem in memoriam revocabo Lectori, quid hôc in passu juxta varios Scriptores acciderit à coitu & in fœtûs formatione; Prodeat tamen unicum Exemplum hâc vice: Æthiops, Aulæ cujusdam Alumnus, lascivâ utitur Venere cum meretrice Germanâ albâ. Hæc tempore legitimô parit Filium omnia membra album, exceptô solô illô, quô virum sese præstitit Taurus iste in Venerem ruens, nigrô & patrissante. Patescit inde lascivam istam in coitu Phantasiæ suæ impressisse non auream arenam, quam Tagus atque Ganges tramittunt, aliàs ubivis gratissimam, neque delicatas culinæ & cellæ dapes, nec vestium pulchritudinem nec Floræ delicias, nec Cereris divitias; sed præ aliis omnibus impudici istius Amasii sibi desideratissimum *Dic, cur hîc.*

OBSERVATIO CXCI.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Melancholica imaginariè ſibi viſa gravida, & poſtea Puerpera.

ANtecedens Hiſtoria locuta eſt de viribus imaginationis circa Fœtûs conceptionem; Sequatur nunc notabile Phantaſiæ depravatæ ſpecimen ex innumeris Melancholicorum impreſſionibus, quas ſingulas enarrare uti impoſſibile, ita inutile: Fœmina plusquam ſexagenaria non viſu ſolùm privabatur ob ſpirituum cerebri paucitatem ac impuritatem; Sed etiam aliquot annis ob motûs phantaſiæ depravatos debilitati obnoxia erat melancholicæ, quæ creſcentibus annis creſcebat; inter alias, easque mirabiles mentis turbas ſeſe credebat gravidam, & poſtea quoque puerperam; querebatur de moleſtiis gravidæ conſuetis, ac ſymptomatibus puerperarum variis, tractabat molliter & providè non-Ens illud infantem ſuum, lactabat, mundabat, omniaque perpetrabat, quæ decent Matrem piam, cautam, ſedulam. Propinavi præmiſſis laxantibus & hypochondriorum quisquilias evacuantibus, ea, quæ in *Decuriæ Secundæ Anno III. Obſ. 83.* propoſui; præprimis ſanguinis aſinini infuſum, eſſentiam è ſale fuliginis, & alia. Levamentum quidem ſentiebat; malum tamen inde eradicari penitus non potuit ob ſanguinem ſenilem, balſamô ac ſpiritibus neceſſariis depauperatum.

OBSER-

OBSERVATIO CXCII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Vermis importunus & molestissimus dentis cavi inquilinus.

ODontalgia adfectus est à diversis parvi æstimatus, cùm non-rarò subitò transeat, cedatque remediis domesticis, quorum plura tantum non singuli pusiones rustici obtrudere nôrunt. E contra non minus notum est, nullam dari familiam, ferè dixerim nullum individuum, quod non de dolorosâ insimulque contumaci ejusdem truculentiâ habeat, quod queratur. Quamvis quidem hujus doloris, dum violentus est, causa sæpè meritò adscribatur partibus nervosis subtilissimis ac summè sensibilibus, dentium extremitatibus adnexis; tamen sæpè ejus contumacia inde oritur, quòd causa dolorifica decenter non cognoscatur; quâ non cognitâ commodum ac methodicè oppositum non applicatur remedium. Natales enim sæpè debet causis frigidis, v. g. aêri injurioso, humido, frigido, aliquando causis calidis; aliquando cruditatibus acidis post cibos adsumtos cavitati eorum inhærentibus, & postea corruptivè fermentando molestè stimulantibus. Cùm meus non sit scopus, de his amplè philosophari, Lectorem & Philiatros remitto ad libros practicos variorum varios; Hoc saltem adhuc præmittere lubet, me præ aliis feliciter contra hos dolores pugnare Tincturâ Sulph. Vitrioli, quæ è cap. mort. Vitrioli summè edulcoratô Spiritu Sal. & Vini paratur, dum 40. ejusdem guttas aquæ adpropriatæ instillantur, ac locô gargarismi adhibentur; hæc enim diversis indicationibus satisfacit, ac ob Sulph. Vitrioli anodynum huncce, ut & capitis dolorem simul internè sumta, miraculosè sedat. Laudem suam non minùs merentur omnia alcalia, v. g. Spiritus Salis armoniaci volatilis, Essentia mea è Sale fuliginis, mumiæ alcalica,

&c.

&c. quibus utplurimùm feliciter miſcetur portiuncula Eſſentiæ opii, vel ex extracto hyoscyami correctô paratæ; Tinctura Laccæ Mynſichti optatum quoque communicat effectum; Alii gingivis illinunt aquam cæruleam, quam dicunt, dum ſali armoniaco pulveriſato in aurichalceo vel cupreo vaſe ſuperfunditur aqua ſalviæ vel ſimilis. Sed ad rem, vel hiſtoriam promisſam: Corripiebatur Vir magnus ſæpè odontalgiâ nullis ferè remediis domabili; ſed novas ſemper vires recuperante, ut tandem ad ultimum doloris medium, dentis ſcilicet evulſionem confugere fuerimus coacti. Dens evulſus malleô confractus quoad interiora erat cavus & carioſus, domiciliumque præbebat vermiculo illis ſimili, qui è corrupto aut vetuſto naſcuntur caſeo.

Hic dubio procul natales debens muco putreſcenti; & cùm ipſi nutrimentum fuerit expectandum mediante ſubtiliſſimô dentis foraminulô ſuperiùs patenti; hoc autem facillimè claudi potuerit per modicum cibi non decenter maſticati ibi relictum, proinde fames hunc miſellum & incarceratum impulit audax, ut turbas hasce doloroſas faceret, dum ſcilicet indignabundus ac famelicus nervoſas circa dentium radices particulas vellicando aures nutritori vellicabat.

SCHOLIUM.

ODontalgiam à vermiculis aliquando excitari, non unâ Practicorum obſervatione conſtat. Sic *Scribonius Largus comppoſ. 54. ſuffire*, ait, *oportet ore aperto Alterci ſemine carbonibus aſperſo, ſubinde os eluere aquâ calidâ: interdum enim quaſi vermiculi quidam ejiciuntur.* Ubi prudenter, judicio *Joh. Rhodii in notis*, nihil certi affirmat; vix enim vermiculos eſſe, ſed hiſtrionum ſaltem fucum; ſiquidem vel proprietate ſuâ hyoscyamum vermiculos gignere, vel pituitam craſſam ſuffitu ejus prolectam vermibus non eſſe diſſimilem, arbitratur; unde etiam

iam fabulosum id videtur *Hollerio* in *perioch. ad lib. 5. Gal. de compos. med.* revera incenso semine evolant, addens, tanquam vermiculi, etiamsi non attingat fumus vermiculosum dentem. Verùm neque hyoscyamus proprietatem aliquam generandi vermiculos, quam nemo hactenus demonstravit, habet; neque si fortè aliqui minutissimi & nudis oculis invisibiles semini adhærerent, eo momento, quo vivis carbonibus illud injicitur, in magnitudinem visu perceptibilem excrescere possent, quin potiùs comburerentur; neque pituita crassa suffitu ex ore projecta vermiculorum figuram obtinet; neque etiam quidquam aliud, præter fumum, ab incerto semine, aut semen ipsum dissiliens, evolat: ut ita, licet histrionum, agyrtarum, mille fraudes & persuasiones non ignorem, fabulosum hoc simpliciter neutiquam pronunciare audeam. Quamvis non ita communis odontalgiæ cujusvis causa à vermibus peti queat, & hinc ab hyoscyami fumo semper iidem prodire nequeant; posse tamen quandoque id evenire, non est impossibile; cum vermes dolorem istum quandoque producere, tum ex hac Nob. D. Autoris, tum aliorum constet observatione. Sic *Joh. Agricola not. in Joh. Popp. de Tartaro* duos vermes usu arcani sui tartari prolicuisse se testatur, & *Phil. Salmuth cent. 3. Obs. Med. 32.* vermis dentium permagni mentionem facit. Curiosa inprimis sunt, quæ de vermiculis dentium in *Dec. I. Eph. nostr. Ann. IX. Obs. 24.* protulit Nob. *D. Pechlinus*, nec non *Obs. 187.* Exc. *D. Gothofr. Schulzius*.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXCIII.
D. GABRIELIS CLAUDERI,

Vomitus quadraginta librarum muci corrupti, ac pici liquatæ ſimilis, lethalis, aliáque rariſſima in diſſecto corpore obſervata.

OFfero curioſitati Tuæ, benevole Lector, caſum, qui non heri aut nudius tertius, ſed 28. abhinc annis Lipſiæ, dum ibidem ſub favonio Magni *D. Joh. Michaëlis* Praxin Medicam initiabar, accidebat; mihi autem certè promitto, illum antiquitatem ſuam raritate fore compenſaturum. Quid interiùs æger monſtri aluerit, ſummè meritus *Thom. Bartholinus Centur. 6. Hiſtor. Medic.* de ſtomacho in thorace ſito meminit; ſed breviter ſaltem. Integra autem morbi hiſtoria, ac reliqua notatu digna erant talia: Juvenis 24. annorum habitûs athletici ac corpulenti, ſagô indutus Palladis fuit miles, ſub exercitu Suecico Vexilliferi munere aliquot annis fungens, rebus ſuis magis conſultum judicat, ut denuò in toga per tempus ipſius legibus ſeſe ſubjiciat, ac pro ſcopo ſuo obtinendo celeberrimam ſibi eligit Academiam Lipſienſem; Finitô ibi trienniô bellica caſtra repetiturus, in prædio Amicis ultimum dicit vale. Epotô hilaritatis, quod vocant, poculô, Hectores iſti Bacchici cereviſiarium dolium è cella curant inferri hypocauſto, illud benè agitant, & ſic quod ſucceſſivô labore cauta ars ſeparaverat, purum ab impuro, illi incauti & temerarii rurſus conjungunt. Circa tertiæ diei finem exhauriunt nectar illud; ſuccedit huic renovato belli candidato unô alterôque ſtatim die laſſitudo, anorexia, cardialgia, ſingultus, quibus accedunt vomitus frequentiſſimi; excernebatur materia aduſta, picea, ac fœtens, admixtô pituitæ viſcidæ albæ pauculô. Cùm rejectorum color niger ac piceus, illorumque fœtor

cum ſubitaneâ, eâque vehementi virium proſtratione monſtrarent, ob potum cereviſiæ fæcibus ſuis denuò impragnatæ & deturpatæ largiorem, cruditates in corporis craſſi ſtomachô, inteſtinis, meſenteriô, totâque maſsâ ſanguineâ contentas fermentatione præternaturali eſſe commotas, corruptas, ac ob œconomiam Microcoſmi violentè turbatam in ſtomachum regurgitatas ac revocatas eſſe, malignitate aliquâ Archæo ſimul inſidias ſtruentes, adhibebantur ſtatim alexipharmaca, præcipitantia è C. C. uſtô, ebore uſtô, terrâ ſigillatâ, ſpiritus maſtichis, balſamica item è ſulphure, mumiâ miſcebantur; theriaca internè & externè applicabatur; nec omittebatur opium, & clyſteres acres revellentes, additô electuar. hier. picr. cum agaricô & nitrô. Sed truculentia cauſæ eludebat opem ac operam omnem, donec circa diei tertii finem accedente plenariâ, eâque celerrimâ virium proſtratione, atomis putridis balſamum vitæ extinguentibus, ſub copioſiſſimâ dictæ materiæ piceæ per os, nares & alvum, quâ data porta, proruptione ſuffocatus ad plures abierit, inter togam & ſagum medius. Novimus, illum cum collegis thyrſigeris potatum in rus abiiſſe; neſciebamus autem, quòd fæces denuò cereviſiæ conjugatas biberint; proinde obſtupeſcebamus ſubitam illam & lethalem fermentativam corruptionem, ſuſpicabamur quaſi venenum; Hinc juſſu *Dn. D. Michaëlis* inſtituebamus cadaveris ſectionem. Primariam & primam vomituum horum miraculoſorum cauſam alibi, quàm in ſtomachô primùm quærere non poteramus. Diſſectis & ſeparatis abdominis viſcera continentibus partibus externis hic nullibi apparebat; Inde quaſi occæcati manuductionem implorabamus Duodeni, utpote Ventriculo aliàs connexi; Illud tranſibat diaphragma in thoracem per foramen à Naturâ factum, non verò aliquâ violentiâ, quale exemplum reliquit Magnus *Dan. Sennertus in Medic. Practicâ, Tractatu de Vulneribus.* Apertô igitur Thorace, inveniebamus faſtuoſum noſtrum ſtomachum, altioribus inhiantem, in ſiniſtrô ejus latere latentem ſub omenti portione,

tione, cui firmiter erat adnexus; Incisus hic tres adhuc libras materiæ istius nigro-viscidæ contentæ spectatoribus monstrabat; Pylori sphincter adeò erat relaxatus, ut ex intestinis mucus iste plenô impetu in stomachum redire non difficulter potuerit; Hic, cætera liber, inferiore sui parte ligamentis aliquot membranosis, iisque fortissimis diaphragmati & pleuræ circa costas spurias alligabatur; nunquam tamen de asthmate ille conquerebatur, nisi de subitaneô ac quasi suffocante, mox tamen iterum evanescente, postquam unam alteramque potûs libram præcipitatâ deglutitione ingurgitabat, qui modus, hausticùs bibere, in potatoriâ palæstrâ Bacchi discipulis audit. Libera semper in hoc homine respiratio eò magis erat admiranda, cùm stomachi moles mirum-quantum magna superiore sui parte claviculas ferè attingebat, sinistrumque latus planè occupabat, adeò, ut vix minimæ sinistri Pulmonis particulæ (in favorem stomachi parcè ibi à Naturâ providâ creatæ;) locus superesset necessarius; Ingratus iste insuper & superciliosus Thoracis hospes cor quoque (quod mediante pericardiô pleuræ erat copulatum) de suâ in dextrum latus depellebat sede; ita ut dexter Pulmo Cordi cedens dorsi adhæreret spinæ. Sed nondum cessant stomachica ista ludibria; situm enim obtinuit à Naturâ opifice inversum; Oesophagus enim descendens propè diaphragma ipsi inserebatur, (unde in morbô præsente de solitô cardialgiæ locô affectô conqueri poterat;) E contra Pylorus Duodeno annexus altiùs, ferè usque ad claviculas erat situatus, superjacebatque superiori, quod dicunt, Ventriculi orificio. Diaphragma totum erat carnosum; Hepar magnitudinis insolitæ ac tantæ, ut locum stomachi infra deficientis ordinarium impleret, Diaphragmati quoque erat adnatum. Abdomen ita ingressi non immeritò volebamus oculorum holocaustum offerre lieni; verùm & hic nullibi adparebat; Veluti autem antea stomachi latibula per connexum Duodenum licebat expiscari; ita & hîc non minus per vas breve stomacho conjunctum, aliaque vasa viis ordinariis adhunc tendentia

dentia reperiebamus, ſanum quidem, ſed exilem in peculiari capſulâ, quam Diaphragmatis duplicatura ipſi in ſiniſtrô latere compoſuerat, nidulantem. Supereſſent alia addenda rara; ſed crena ſtupefacta ampliùs non obedit.

Ex adductis pateſcit, quantæ accidant in corporibus humanis contentorum variationes, (licèt in aliis ſubjectis non tam copioſæ ſemper & rariſſimæ,) quæ ſæpiùs eludant in cognoſcendô morbô etiam cautiſſima Medicorum experientiſſimorum ingenia; ideoque modeſtiùs agere, & cenſoria indicia ſuſpendere, vel ad minimum ſine aculeis proponere ea deceret Medico-Maſtiches contra Practicos innoxios, cauſas morbificas tam adcuratè divinare neutiquam valentes.

SCHOLIUM.

EAdem hæc ventriculi in thorace reperti hiſtoria, prout eam An. 1661. Nobil. D. Autor Patavio ad *D. Marcum Ruych*, Medicum Amſtelodamenſem perſcripſit, recenſetur in Exc. *D. Laurent. Strauſſii tr. de fœtu Muſſipont. pag. 196.* cujus etiam *pag. 15.* nec non in *D. Thom. Bartholini cent. 6. hiſtor. anatom. 55.* ex edito Lipſienſi programmate mentio facta; dignæ ſanè, quæ ob raritatem has quoque Ephemerides exornet. Cæterùm etiam ventriculus in thorace repertus legitur in *Laz. Riverii cent. 4. obſerv. 67.* ubi nempe is dextri pulmonis deficientis locum in juvene per naturam occupaverat.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CXCIV.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Vagitus Uterinus an mala prædicat?

VAgitus Uterinus raiò accidit; ſi verò obſervatur, Fœtus ille adoleſcens ùtplurimùm mala minatur aut toti regioni, aut ſuæ familiæ, aut ſaltem ſibi ipſi, juxta Experientiſſimum *Dan. Sennertum*, & alios. Magnus

 quidem

quidem *Thomas Bartholinus* contrarium ſtatuit, ideò quod vagitus ille fiat modô naturali; Verùm, quòd Pace tanti Viri dixero, tenuitati meæ magis arridet opinio *Sennerti*; Quamvis enim modô ille fiat naturali, minimè tamen eſt negandum, Omnipotentem Opificem non raró ad ominoſa nobis indicanda vel præſagienda uti rebus phyſicis; Do inſtantiam de Cometâ; hic itidem natales debet cauſis naturalibus, nunquam tamen impunè eſt viſus. Addo inſuper exemplum de ſimili vagitu: Novi virum, qui in Uterô maternô vagiverat; iſte ſanè poſtea in Aulâ, Curiâ, & alibi varias turbas Politicô Chriſtianô indignas ſæpiùs excitavit, & dum hæc ſcribo, adhuc excitat. Proinde in talia quidem non eſt ſuperſtitioſa & nimia fiducia ponenda; E contrà etiam neutiquam planè ſunt contemnenda.

OBSERVATIO CXCV.
D. GABRIELIS CLAUDERI,
Clyſter innoxiè vomitu rejectus.

Communis, isque minimè fruſtraneus eſt metus Medicus, utpote rationibus ſolidis innitens, atque multiplici experientiâ confirmatus, ſi clyſma pro alvô ſtimulandâ, pro cruditatibus revellendis, aliasque ob cauſas adplicitum rejiciatur, vomitu, inſtare miſerabilem illam paſſionem iliacam, miſerere mei ideò nominatam, ſcilicet ob ruptam valvulam inter ileon & colon reperibilem, à Naturâ providâ illuc obicis munere cautiſſimè locatam. Veluti autem nulla regula ſuâ careat exceptione, ita & contrarium exemplum Praxis mihi ſubminiſtravit, dum ſcilicet puello nobili, duorum annorum, contra vomitûs & alvi duritiem poſt alia tentata applicabatur clyſter revellens; ſed dictum factum, poſt horæ quadrantem vomitu ille integer rejiciebatur quidem; Puellô tamen, poſt continuata remedia interna,

terna, & externa, reconvaleſcente, & poſtea in vegetum adoleſcentem ſuccreſcente. Propterea in ancipiti ſtatu juniores Practici animum non dejiciant, ſed, ſub prognoſticô agnatis apertô, cautâ methodô quod ſui muneris eſt, proſequantur; dubium enim remedium certæ deſperationi anteponendum.

SCHOLIUM.

SImile quid à *Dn. Parente meo* An. 1672. M. Febr. in pictore quodam fuiſſe obſervatum, ſcio, qui licet iliacâ paſſione ad internecionem penè graviſſimè conflictatus fuiſſet, rejiciendo non ſolùm feces alvinas per os, ſed & enema, ut fuerat adplicatum, divinâ tamen gratiâ curam juvante, ab eodem feliciter priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus. Singulare etiam eſt, quod in *Matthæo de Gradibus* in *pract. cap. de vomit.* de quadam puella legitur, quæ ileo laborans, feces, clyſteres, & ſuppoſitoria per triduum vi magnâ rejiciens, tandem juſculis pinguioribus, acrimoniam temperantibus, curata fuit; nec non quod *Frider. Loſſius lib. 3. obſerv. med. 3.* de virgine toto vitæ tempore morbo nunquam correpta habet, quæ de ventriculi gravitate & nauſea querula, alvum adſtrictam clyſtere ex lacte ſaccharato lenitura, eundem per horam in inteſtinis retentum, ſine ullis fecibus, nihil prorſus immutatum, vomitu rejecit, à morbo ſimul liberata. Confer. *Dec. I. Ephem. harum Ann. III. Obſ. 46.* & *Ann. IX. Obſ. 94.*

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXCVI.

D. GABRIELIS CLAUDERI,

Severa animi adfectuum biga, Ira & Mœror, crudeli ingratitudine humanæ imperant valetudini; aliquando tamen eam huic quaſi invitam profuiſſe, obſervatum eſt.

FElix ter quaterque ille omninò eſt pronuntiandus, qui animi ſui adfectiones ad Ethicæ Chriſtianæ cynoſuram ita habet obedientes, ut in æquilibrio ſubſiſtant, quod quidem & *Horatius* aureis verbis inculcavit: *Sperat infeſtis, metuit ſecundis alteram ſortem benè præparatum pectus.* Verùm pauciſſimos æquus ita amavit Jupiter; ſed cogimur potiùs ob continuum peccati Adamitici fermentum de contrario conqueri. Duas præprimis in ſinubus fovemus & nutrimus viperas, iram ſcilicet & mœrorem. Pro evitanda prolixitate ſuperfluum cenſeo, producere modos, quibus ira præcipiti ſuô fervore Nobis noceat, cum tantus is ſit, ut jamdudum furor brevis audierit; igitur provoco ad teſtimonium ſingulorum ferè hominum quotidianum. De clandeſtinis ac furtivis ſanitati noſtræ à mœrore ſtructis inſidiis publicæ itidem vagantur querelæ. Nihilominùs ingratos hosce hoſpites, quaſi nolentes-volentes, prodeſſe aliquando debuiſſe conſtat. Iram quod attinet, tum alios, tum meipſum Praxis docuit, perſonis in ſeniô conſtitutis hâc mediante balſamum vitalem quodammodò reviviſcere & in actum reduci, cùm ita mucoſa phlegmatis viſciditas illum quaſi ſuffocans ventiletur; & calor innatus ſenilis ſit æquiparandus lapidi pyriti, ſcintillas igneas non, niſi ferrô fortiter percuſſus, ſpargenti & communicanti. Dicta autem incandeſcentia moderata & lenior, nec frequens eſſe debet, aliàs flammu-

flammulam lucis innatæ jamjam ſemimortuam ſubitò extingueret; Adhæc ſpiritûs cordis ac cerebri inſimul confortante aliquô ſunt juvandi. Non minùs obſervavi, Mœrorem contra genium ſuum adverſæ nonnullorum valetudini plus commodi quàm noxæ intuliſſe. Sic cujusdam complexio conſiſtebat in plethora impura, hoc eſt, ſanguis ipſi quantitate & qualitate peccabat; inde ſæpiùs experiebatur ebullientes maſſæ ſanguineæ tumultûs; Mixta autem ſimul ſanguini impuritas ſalſa varia procreabat mala, v. g. ſtomachus à ſero acri ſtimulatus plus appetebat, quàm concoquebat; inde à cruditatibus ſuperfluis ſomnus paucus, ſudor ſymptomaticus, & alia. Accidebat autem ipſi ob cauſas domeſticas mœror improviſus, isque violentus, qui aliquâ ſui parte ſpiritûs ſanguinis nimiùm ferocientes & ebullientes conſumebat, inde nec ſerum acido-ſalſum indebitè ſtomachum ſtimulabat, qui inſimul ob triſtes mœroris effectûs cibi antea frequentiùs appetiti quodammodò obliviſcebatur; ac modô magis naturali ſuô fungebatur officiô, ſomnus erat tranquillior, aliaque varia œconomiæ Microcoſmicæ adcreſcebant bona.

[Altenburgô 1687. d. 17. Januar. Auguſtam miſſa.]

OBSERVATIO CXCVII.

D. CHRISTIANI ERNESTI CLAUDERI,

De

Lapide magno inteſtinali lumbricis prægnante, per anum excretô, ſuperſtite manente muliere.


UXor Venatoris, uti videbatur, benè ſana, lotricem agens, elapſis abhinc novem annis, pro lævigandis linteaminibus, machinam lapidibus repletam, trahendo & retrahendo, violentè nimis & incautè corpus extendens, eô ipsô momentô dolorem acerbum, ruptorium quaſi;

in hypogaſtrio ſiniſtro ſentit, qui dolor indies auctus ipſam demum lecto penitùs alligat, tamque immaniſſimè dies noctesque per tres ſeptimanas ſævit, ut non ſolùm totam domum, ſed viciniam clamoribus & ejulationibus quoque impleret; Hoc tempore mulierculæ adſtantes ſexcenta, & plura remedia, uti appellant, domeſtica pro diſcutiendis, earum opinione, doloribus colico-hyſtericis, adhibuerunt, &, quod notandum, frictionibus & fomentationibus acrioribus, actuque calidiſſimis totum latus adeò aduſſerunt, ut veſtigia hodienum videnda præbeat; Verùm his omnibus fruſtrà tentatis, alvoque inſuper in ſextam diem occluſa, tamen, nullis etiam precibus ad uſum Clyſterum perſuaderi potuit, usque tandem, permanentibus & vix ampliùs ferendis cruciatibus, Suppoſitoria ex melle cocta admitteret. Horum applicitô alterô, dolorem ex ſede ſua, (dulcedine fortean allectis lumbricis) hactenus fixâ, moveri & transverſim per abdomen, verſus lumbos tendentem accuratè ſentiebat, moxque magna cum vehementia dolorisque exacerbatione mulier ſemimortua quaſi, lapidem hunc anô egeſſit; qui magnitudine pugnam ferè æquabat, oblongus, inſuper erat durus & ponderoſus, facie externâ læviſſimus, coloris cineritii, cum albicantibus ſtriis, in utraque extremitate foramen, digiti craſſitiei exhibens, per quod lumbrici numero 7. 8. calamum ſcriptorium craſſi, ad unius vel duorum digiti articulorum longitudinem, vivi propendebant, arctiorique nexu, internè in lapide ſeſe invicem complicantes, adeò firmiter hærebant, ut nec fortiter etiam tracti, extrahi tamen minùs potuerint. Hicce lapis cum tam duræ conſiſtentiæ, ut nec malleo, fortiter quamvis percuſſus confringendus, Maritus neſcio quo inani metu perculſus, & anili ſuperſtitione actus, admirandam dictam Microcoſmi progeniem, animatum hunc lapidem, ante Solis ortum in fluvium projecit, ſicque undis ac tenebris perpetuis ſubmerſit, quod luci meridianæ omniumque oculis exponi longè digniſſimum fuerat! Mulier poſthæc benè ſe habere, viresque ſenſim recolligere cœpit, vitam-

Lapis lumbricis prægnans per anum excretus superstite manente muliere.

Fig: 41.
p: 394.

Fig: 42.
p. 396.



Lapis per vesicam excretus, ℥xii ʒi. ponderans, superstite muliere.

tamque in hunc usque diem integrâ sanitate, miserè licet, cum paupercula Vidua nunc, dum hæc scribo, vivit, annum ætatis agens quinquagesimum septimum.

Fig. XLI.

OBSERVATIO CXCVIII.

D. CHRISTIANI ERNESTI CLAUDERI,

Lapis Vesicæ admirandæ magnitudinis excretus, superstite Muliere.

CUm præteritis annis Ronnenburgi, Physici munere fungerer, in pago Hirschfeld/ milliari uno à dictô Oppido distante, incolæ cujusdam, Andreæ Rollens/ Uxor, 48. annorum postquam crudelissimo dolore nephritico, per aliquot annos statis periodis miserrimè afficeretur, multaque à multis Dogmaticis, iisque excellentibus Medicis, æquè ac Empiricis medicamenta adhibuisset, plurimosque lapillos, quorum aliquot satis conspicuæ magnitudinis, excrevisset, in passionem iterum nephriticam, per plures dies vehementissimè urgentem, incidit, & cùm insuper in quintam diem jam jam omnimodam Urinæ suppressionem pateretur, miserabili spectaculô in terram prostrata, & præ dolore immanissimè furente, ubi se contineret, nescia, in extremô quasi vitæ, limine posita videbatur; Ejus Maritus ultimò meam opem Medicam vehementissimè ac lachrymis implorabat. Quare ejus petitis satisfaciendo ut debui, volui, & quidem sub prognosi, ordinavi Balneum ex emollientibus & antinephriticis; Pulverem ex operculis cochlearum calcinat. oculorum cancrorum, salis fimi columbini, addito grano uno vel altero opii cum sulphure præparati pro aliquot præbiis, It. Essentiam ex essent. lumbricorum terrestrium cum spiritu propriô, spiritu flor. acaciæ, salis armoniaci volatilis & Tinctura anodyna remixtam.

De his unâ vel alterâ dosi alternatim sumtâ, aliquatenus alleviata insequente die, inopinatò, maximô tamen Naturæ

 conatu,

conatu, æquè ac fœtum enixuræ, lapis prorumpit, ac vi quaſi quâdam magna adactus, per ſatis notabile ſpatium in pavimentum propellitur, ſequentibus ſimul largâ aquarum, ſtagnatione corruptarum profuſione, plurimaque mucilagine ac pituitâ viſcidâ putridâ in fruſtula majora & minora diſcerpta, intolerabili fœtore, ut adſtantes, præter morem hujus generis hominum pravum odorem vix, ac ne vix quidem magni æſtimantium, ex hypocauſtô feſtinare coacti fuerint. Lapis formæ erat rotundæ, optimè ſphæricæ, coloris ochrei, externè læviſſimus, ſubſtantia compactus, ac duriſſimus, adeò ut cultro difficillimè aliquid eo deradendum; magnitudo ovum Gallinaceum æquabat, pondus verò libram unam medicam, ℥xij. ſc. ʒj. & paulo plus.

Mulier hoc pondere levata, ex faucibus Orci quaſi erepta, recens nata ſibi videbatur, viribusque ſenſim recollectis, integrâ ſanitate gaudebat, hancque per reliquos vitæ annos ab omni inſultu nephritico liberam ſervavit, remanente ſaltim Affectu moleſtiſſimo, Urinæ incontinentiâ, mihique plus vice ſimplici lætâ fronte obvium facta gratam mentem ſemper conteſtata eſt.

Fig. XLII.

OBSERVATIO CXCIX.

D. CHRISTIANI ERNESTI CLAUDERI,

Abſcedens poſt morbum Epidermis.

VIr plurimùm reverendus Arthritide vagâ ſcorbuticâ per 11. hebdomadas graviſſimè afficiebatur, adeò ut morbo in ἀκμῇ exiſtente per 3. ſeptimanas, ne digitum, multò minùs aliud quoddam corporis membrum loco movere poterat, & planè immobilis jacere cogeretur, inſuper ab atrociſſimis doloribus, nunc hanc, nunc illam, nunc plures ſimul partes urendo, lancinando ac perterebrando adorientibus, ita, non ſine ſummâ adſtantium commiſeratione,

ne, toties enecabatur; Tandem per Dei gratiam, & methodicè adhibita generoſa remedia morbus ad declinationem venit, breviq;ue priſtinæ ſanitati reſtitutus; quô factô, en Epidermis integra & tota in manibus & pedibus dehiſcere incipiebat, poſteaque facillimè & ſpontè quaſi ſuâ à dictis partibus tota inſtar chirothecarum abſcedebat & detrahebatur.

[Cygneâ Altenburgum, & hinc 1687. 17. Januar. Auguſtam miſſæ.]

SCHOLIUM.

EXcell. *D. D. Georg. Segerus Ephem. noſtr. Decur. I. Ann. IV. Obſerv. 88.* univerſales totius corporis decorticationes, quia non ita ſunt vulgares, meritò ab Autoribus annotari ſcribit; quarum ipſe ex *Linſchottano*, *Salmutho*, *Höfero*, & propriâ obſervatione aliquot recenſet; quibus jungatur Socer *D. Thom. Bartholini*, *in Act. Med. Hafn. Vol. I. Obſerv. 37.* qui â deſperato maraſmo ſenili reconvaleſcens cuticulam exuit, quaſi reſumtâ juventute; & Nobilis ille apud *Petrum à Caſtro, de Febr. puncticul. malign. Sect. 9. Aphor. 58.* cui poſt morbum malignum tota epidermis in loca oblonga, quæ à toto dorſo uno tractu avellebantur, abſceſſit; ac denique Virgo, cui ab uſu lapidis bezoardici mineralis Siculi, itidem in febre maligna, tota cuticula fuit ſeparata, cujus hiſtoria & ætiologia *num. 26. ſuis obſervationibus naturalibus* fuit inſerta à *D. Paulo Boccone.*

[L. Schröck, L. F.]

OBSERVATIO CC.
Dn. ROSINI LENTILII,
Vegetabilia in pulverem comminuendi curiosa ratio.

NOn est hic mei cerebelli fetus, sed viri planè egregii, & Amici integerrimi, Domini *Johannis Röderi*, *Physici Hilperhusani;* quem dignum sanè duxi, ut *Curiosæ Societati* notum facerem, tametsi id nulla viri laudati venia fiat: Spero tamen fore, ut æquo animo meum hoc institutum ferat, & incitetur ad majora, pro indole, qua est laudabili, molienda. Sic autem Vir elegantissimus, in mellitissimis ad me datis: Ego, ferè ludenti, quid hac hieme notatum mihi, nî grave fuerit legere, aperiam. Cogitabam nempe tædiosas pulverum plerorumque è vegetabilibus, radicibus, herbis &c. pro dosi moles, quin multum virium in exsiccatione, quod odoris testatur fragrantia, evanescat frustra, pro faciliori pulverisatione cogitavi, inquam, annon, quod exspirat, capi possit, eoque, qualiscumque etiam formæ fuerit, pulverum pars imprægnari, quo hinc virtus odoris collecta, concisius administrari? tentavi cum radice *carlinæ*, *helenii*, *zedoariæ*, *rasura ligni rhodii* & aliis, exsiccavi in fornace, in vitris clausis, obtinui è quibusdam sal volatile, in aliis oleum, in aliis, v. g. *carlina* liquorem inter oleum, aquam & spiritum quasi ambigentem, seu horum neutrum, & *gummoso* affinem, sed longè penetrantissimum, ut etiam vitro nitidissimè purgato, & ad lixiva & alia acria adhibito, post aliquot hebdomadas odor *carlinæ* remanserit: insimul radices, v. g. sic exsiccatæ, ipsæ multis parasangis penetrantiores sunt, & acutiores vulgariter arefactis. Hucusque Amicus meus.

SCHO-

SCHOLIUM.

SAnè, quod hic vir in pulverisationis modo tentavit, meo quidem judicio dignum est ulteriori scrutamine. Tam est diffusus pulverum vegetabilium apparatus, ut ingenuè fatear, me, quum possum, libentissimè iis, in præscriptionibus formularum abstinere. Delicatiores etiam hodiè sunt ægri, quam, ut pulverum tanta dosi torqueri velint. Cum præscribuntur isti pulveres vel scrupulis, vel drachmis dimidiis, e. g. in pulvere quodam stomachali, integræ statim complentur scatulæ, nec ferè moderari quis eorum pondus potest. Et, si nil esset, cur pretiosum sal volatile frustrà vel in furnis vel umbra propellitur, farina multum viribus orbatas, restitante? Sic integræ nonnunquam domus, ejusmodi radices arefactas redolent. Quanto majoris æstimanda vis concentrata, in illis præmemorato modo exsiccatis, ubi non tantum præbii, sed & sumtuum fit compendium? Agedum, quæ heic mihi monenda occurrunt, aperiam. (1.) *Non omnes herbæ & radices huic negotio sunt aptæ, sed sicciores tantummodo, odoratæ & aromaticæ.* Sic in radicibus Valerianæ, helenii, galangæ, angelicæ, carlinæ, zedoariæ; item in herbis, rosmarino, majorana, tanaceto, cyparisso, matricaria, asaro & similibus; denique in floribus anthos, calendulæ, lavendulæ, liliorum convallium, sambuci; item seminibus anisi, fœniculi, cumini, carvi, & omnibus aromaticis oleosis, coriandri &c. optimè negotium successerit, velut ipse aliquorum feci periculum, bono cum successu. *Sed in aquosis, fatuis & mucilaginosis*, ut eas hoc more tractari necesse non est (siquidem horum efficacia non consistit in sale volatili, odorato, sed fixo, terrestri, item oleositate præpingui &c.) ita vix credidero, istam pulverisationem expectationi satisfacturam. Tales sunt radices altheæ, symphyti, sigilli Salomonis, iridis nostratis, satyrionis; herbæ endiviæ, lactucæ, fabariæ, sempervivi, atriplicis, portulacæ, acetosæ &c. flores liliorum alborum, nympheæ, rosarum rubrarum, malvæ, peri-

periclymeni, tapſi barbati; Semina frigida, pſyllii, cydoniorum, amygdalæ, pineæ, &c. eorum enim aliqua citius putreſcent, quàm optato fine fruare, ſiquidem phlegmate nimis abundant. Et quanquam aliquæ ſale volatili ſuo gaudeant, ut rad. ſigilli Salomonis, flor. roſar. &c. phlegma tamen prorſus exuberat, & exſiccationem impedit, quod mihi compertum. (2.) *Commodiſſima hæc exſiccandi ratio erit, ſi herbas, radices &c. minutim conciſas, phiolæ includas, aut Hermeticè ſigillandæ, aut optimè tamen & curioſiſſimè muniendæ, quæ collocetur in arena interdum agitando*: Vel, juxta præſcriptum *Nob. noſtri Theſei*, Patroni mei, Ovum vitreum confletur, aut urinalia duo vitra, quorum ſibi orificia reſpondeant, quærantur, quibus inditæ radices, herbæ, ſemina &c. vitris arctiſſimè, ne quid exhalet, commiſſis, arenæ, ſæpius invertenda, credantur, donec videas eſſe ſatis exſiccata, ut in pulverem redigi queant, contenta, qua ratione *C. C. bezoardicum* parare jubet *Excellentiſſimus Auctor*, ingenioſa planè encheireſi. *In Dec. II. Ann. III. Ephemeridum noſtrarum Obſ. 135.*

OBSERVATIO CCI.
Dn. ROSINI LENTILII,
Aquarum ſalubrium Examen Chimicum.

IN Noſocomio ad *S. Johannem*, ante urbem noſtram, ſcaturiunt *aquæ ſalubres*, olim famigeratæ. Sed, qui fructus eſſe belli ſolent, deſolato ſacello, & ædificio in commodum balneantium affabrè exſtructo, hactenus ipſe puteus, per tot annorum decurſus, viduatus, in deſuetudinem viſitationis abiit. Contigit haut ita pridem, ut Vir in urbe noſtra primarius me alloqueretur, & ſaluberrimæ ſcaturiginis diuturnas ferias quiritaretur, quam olim variis ægrotis opem tuliſſe recordabatur. Interrogabat, numquid non poſſet in uſum revocari? Ego, qui ad ejusmodi Naturæ Curioſa facilis eſſe ſoleo, meam ſtatim operam polliceor. Porrigitur hinc mihi faſciculus,

lus, qui variorum Medicorum de illo fonte cogitata docebat: Quos inter eminebat *Lauginganus* quondam *Æſculapius*, *Martinus Rulandus*, cujus ad *Nordlingenſis Reipublicæ* tum Conſulem, *Hieronymum Frickhingerum*, ſub 7. Aprilis 1588. datæ litteræ ſic ſonant: Ut petito veſtro velificarer, balneas noſodochiales veſtras ſtudioſè deſtillavi & calcinavi, & *Alumen*, *Sulphuriſq́. parum in ſinu fovere comperi*: Judico proinde eas calefacere & ſiccare, mederique, cæteris paribus, omnibus morbis è dyscraſia frigida & humida oriundis, catarrhis, debilitati ſtomachi, aſthmati, apoplexiæ, paralyſi, lethargo, vertigini, obſtructioni hepatis & lienis, colicæ, arthritidi, morbis uterinis, menſium ſuppreſſioni, ſterilitati muliebri, nephritidi, calculo renum & veſicæ, dyſuriæ, tinnitui aurium, obſurdeſcentiæ, oblivioni, tumoribus, hydropi, iſchiadi, omnibus cutis vitiis &c.

Hunc κατὰ πόδα ſecuti, *Nordlingenſis Reipublicæ* poſt 60. annos à datis illis litteris Medici, *D. D. Johannes Glottſeis*, & *Johannes Klein*, ſchedam evulgarunt, tum contenta ſuperius recenſita, tum balnearum ad eosdem memoratos morbos vires, tum etiam modum utendi recitantes, quod factum d. 20. Maji 1642. Satis erat, vel tertiam morborum partem ab harum balnearum uſu profligari, quorum ſupra catalogus exiſtit, ſiquidem non niſi à mixtione *Aluminis* & parci *Sulphuris* elicienda virtus: hinc Phyſici antiquiores, *Rulandi* qui tempore hic *Nordlingæ* vixerant, *D. D. P. Hechtlin*, & *D. D. Gutbertus Vajus* eodem Anno 1588. Sententiam ſuam à Nobiliſſ. Magiſtratu rogati, in eo conſentiebant ambo, ad cutanea quidem vitia cujusvis generis ſeſe proficuas expertos eſſe aquas; de viribus internis autem dubitabant ambo, quin ultimus ſe in multis ægris ſpem fallacem in hasce balneas collocaſſe, ob mineralium parcitatem confitebatur: imò è mineralibus virtutes balnearum ratiocinatione neminem eruere poſſe, ſed ſoli experientiæ id eſſe datum prudenter monebat, quod infra pluribus adducetur. Prior autem præter Alumen & Sulphur etiam Nitrum

(& quidem plus quam istorum) & *Smiritis* nonnihil se reperisse scribit. His equidem ego perlectis fontem adii, quem totum squalidum, & innumeris refertum quisquiliis reperi, ita, ut aqua pura haberi non posset, quæ tamen gustu vix ac ne vix quidem minerale quid sapiebat. Attamen, ne dona Dei, quæ multis regionibus non est largitus, utilitate sua & fine defraudarentur, utique auctor ipse fui, ut aquarum decens & curiosum examen institueretur, hinc in chartam, sequentem examinandi methodum, non has tantum, sed omnes aquas minerales alias, conjectam, tradidi. Sed hactenus res, ob quas, nescio, causas, in suspenso mansit.

Postquam puteus omninò est aqua sua exhaustus & à quisquiliis repurgatus, Medicus descendet scaturiginem lustraturus, num ea sit simplex, an duplex, an multiplex? Item, si plures adsunt scaturigines, num harum omnium una sit aqua, an mineris illæ differant? Porrò, an & scaturiat alicubi aqua, quam vocant, fera, cujus vena artificiose obturanda, ne mineralis aqua adulteretur, atque adeò pura & intemerata conservetur. Lutum indissolubili nexu semper scaturiginibus adsociatum eruatur, ejusque notabilis quantitas partim destilletur per retortam, partim exsiccata calcinetur: destillatum cum capite mortuo, itemque calx per omnes encheireses, mox nominandas, examinetur. Ipsas aquas salubres quod attinet, ad ejus examen Chimicum vix integra vehes suffecerit, siquidem ex voto res succedat. Hujus itaque contenta vel sunt volatilia vel fixa. Volatilia, ob summam subtilitatem, arte Chimica capi non possunt, certe sunt hactenus à nemine capta unquam, à quorum tamen vi penetrante, efficaciæ maximam partem in morborum curatione sitam esse, salvo aliorum judicio, censeo. Destilletur quævis aqua mineralis vel centies, nihil tamen, nisi aqua communis, tantillum empyreumatica, transscendet alembicum, relicta in fundo parca calce, Partes ideoque volatiles aquarum salubrium, non nisi à posteriori, suis scil. effectibus, facili puta evaporatione, sapore, odore &c. sunt demonstrabiles, nec à priori, manuductione sc. spagyrica, unquam

unquam hactenus ad oculum ſunt oſtenſæ. Quoad mineralia fixa, præter commune coloris, odoris, ſaporis, tangoris (an mollis aqua ſit, an aſperior, an lotione manus cutem quaſi adſtringat, quod indicium eſt Aluminis contenti) judicium, ſequenti modo procedendum arbitror: Filtretur aqua ante omnia, ne illapſum forte pulverem, aut alias impuritates poſt examen repertas, pro peculiaribus contentis habeamus, ut extranea omnia ſecedant. Impleantur ea pura & filtrata, vitra lati orificii, quorum quodlibet præterpropter menſuram capiat, minimum numero decem: Hinc explorentur ejus in genere vires, admixtione peculiaris ſpiritus mineralis, vel ſalis, in vitrum quodlibet. Uni v. g. inſtilletur *Spiritus Salis Armoniaci, alteri Spiritus Urinæ, tertio Aqua fortis, quarto Spiritus Nitri, quinto Spiritus Vitrioli* (*idem poteſt tentari cum Spiritu Salis, Tartari, Cornu Cervi &c.*) *ſexto Mercurius ſublimatus, ſeptimo Alumen, octavo Vitriolum, nono Sal Armoniacum, decimo Nitrum* (*vel etiam Sal commune*) & ſic vel exorta fortaſſis efferveſcentia, vel præcipitatione ad fundum, ejus vires, natura, & contenta mineralia, bonam partem cognoſci poſſunt. Recipiantur aquæ circiter menſuræ iiij. infundantur in vitrum magnum, lati orificii, apertum: exponatur aëri libero, ut videamus, quomodo ſe gerat in putrefactione, & quum computruit & fetet, pari ratione, atque filtrata recens, admixtis ſpiritibus & ſalibus exploranda. Conſimili modo ejus menſuræ circiter ij, in phiolam infundantur, quæ muniatur curioſiſſime, & æſtivo tempore Soli exponatur: Et alia phiola, eadem Aquæ quantitate prægnans & probe clauſa, in digeſtionem ignis, calori arenæ vel cinerum credatur, utrimque per aliquot ſeptimanas, & ex harum mutatione experimenta inſtituenda. Sit ad manus pulvis gallarum, admiſceatur aquæ, quæ, ſi vitriolo prægnans eſt, nigreſcet, ſi alumine, ad inſtar ſeri lactis albeſcet. Idem fit, cum Spiritum vini rectificatum infundis, aqua enim lacteſcens alumen prodit. Deſtillentur etiam aquæ menſuræ aliquot per alembicum, & videatur, num quid hunc ſpirituoſi

transſcendat, & quale caput mortuum in fundo remaneat. Maxima pars aquæ ad evaporationem requiritur, ubi propemodum per omnes horæ quadrantes aquæ mutatio, in colore, odore, ſapore, obſervanda: quin, quoties in ſuperficie pelliculam videris, ea prudenter tollenda, illiusque colligenda ſufficiens quantitas, rurſum ſolvenda, & in cellam pro cryſtalliſatione, collocanda, qui cryſtalli ſalis contenti naturam an v. gr. ſit nitroſum, an aliud, aperient. Ineſſe autem nitrum, alio modo probare licet, ſcilicet in ipſa evaporatione ſubinde recens aqua ſalubris affundenda, ad menſuras xvj. vel xx. & reſtans humor fuſcus & limoſus in hypogæum collocetur, &, ſi quid ineſt nitri, ſucceſſu temporis illud externis ollæ parietibus affigetur, aphronitri facie, cujus, quantum ſufficit, colligere licebit. Sedimenti vel terræ ſeu calcis poſt ſingulas evaporationes relictæ ℔j. vel ij. collige: quantum collegiſti, in 2. partes divide: alteram partem cum limo figulino aut bolo mixtam in globulos compinge, quod ſolemus in deſtillatione quorundam ſpirituum ſalinorum, & deſtilla per retortam igne aperto: ſpiritum, quem nanciſcere, per admixtos omnes ſupra memoratos ſpiritus, explora, qualis ne ſit? Alteram partem calcis in multas exiguas portiones disperti, & primum tenta, num in aliquo menſtruo ſolvi ſe patiantur, quod, ſi fit, evaporando, ut decet, ſal collige, eumque, an ſit de acidorum vel alkalium proſapia, ut noſti, examina. Per præcipitationem autem, an aliquid gummoſi vel reſinoſi inſit, adfuſis variis rurſum liquoribus, experire. Calcinatio deteget, num quid metalli, Martis, Veneris &c. in ſinu vehat; & fuſio denique in crucibulo, num quid antimoniale &c. inſit, monſtrabit. Sulphur autem in putrefactione quærendum. Aqua enim, cum putruit, quadamtenus ad aliquam craſſitiem evaporetur, hinc inſtilletur ſufficiens quantitas aceti deſtillati, tunc quidem ſulphur, ſi adeſt, ad fundum præcipitabitur. Hæc equidem fuit methodus, qua incedendum in examine aquarum ſalubrium cenſebam, tametſi forte aliqua ſint omiſſa; ſiquidem in ipſa operatione

ratione unum ex alio experimentum, nobis quasi aliud agentibus, obtruditur.

SCHOLIUM.

IN aquarum salubrium genesin penitius inquirere, non vacat, de qua *Giurius* & alii videantur. Aliqua tamen & heic mihi monenda obveniunt. Quorum esto (I.) Quod satis audacter, quicumque aquas minerales describunt, earum contenta mineralia, etiam ad pondus, uncias & drachmas definire soleant: Vid. inter alios *Tabernæm. Hydrothesaurum per totum.* Eleganter contra hos temerarios examinatores, noster quondam Collega, desideratissimus *D. D. Salomon Braunius* in descriptione, sanè quam curiosa, *Jordani Biberacensis part. 1. cap. 6.* (II.) Desidero in omnibus, qui hactenus aquas salubres oppido varias descripserunt, viam & methodum, qua sunt in examine istarum aquarum usi; cum enim de contentis, viribus & usu multa satis prolixè recensent, in encheiresi Chimica magis sunt muti, quàm pisces; sive ex ignorantia, sive invidia. Immò ipse *Excell.* quondam *Braunius l. c.* reticet normam & formam, qua in dicti *Jordani* examine usus est. Quanto igitur majori laude dignus est noster honoratissimus Collega, & Amicus meus insignis *D. D. Gründelius*, qui, pro laudabili, quo est, & summo candore, in egregia *Roitschocrene* sua, lucem nil quidquam fugit, sed candidè revelat, qua ratione suas acidulas examinarit, latè recensitis omnibus processibus, ex quo, (quid enim diffitear?) aliqua sum mutuatus. (III.) Cæterum, proventum fontium soteriorum in genere quod concernit, non possunt non arridere mihi verba *Beccheri*, quæ reperiuntur in ejus *Phys. subterr. Sect. 2. cap. 4. num. 1. & 7.* ubi, non existimandum est, inquit, ejusmodi minerales aquas tantum provenire, quod succi quidam minerales, per transfluentem aquam fontanam solvantur: Nam, ut experientia docet, si tale quidquam contingeret, brevissimo tempore, vastissima illa loca subterranea, mineralibus plena, tali continua solutione elixarentur & brevi de-

 ficerent,

ficerent, cum tamen à tot seculis acidulæ aliquæ fluant, nec opus sit timere, ut acidulæ denique exhauriantur: potior enim acidularum pars, NB *minima mineralium parte immixta, constat* ex *acido centrali* (centri terræ) *perpetuo & inexhaustili &c.* Certum ego profectò, & persuasissimum habeo, aquas minerales omnes minimum suæ virtutis exserere per ista contenta, quæ Chimia vulgari examine præbet: sed omninò esse arcessendam, aut ab incoërcibili hactenus earundem spirituositate & volatilitate, aut à caussa adhuc universaliori, captum humanum multum transscendente. Tametsi & hoc experientia docuit, aliquas minerales aquas, noviter & his nostris temporibus quæ scaturierunt, ab initio stupendos effectus, quo erant ortui suo propiores, in variorum morborum curatione edidisse, successu autem temporis, factas quasi fatuas, esse salutares omninò desiisse. Caussam *Theologi* rejiciunt in enormia delicta, luxus, scortationes, adulteria, fraudes pandocheorum, in tanta hominum frequentia, ad ejusmodi fontes patrari solita, quibus equidem haut ego refragabor, sciens, quod *justus Judex*, frequenter, ob ingratitudinem summam humanis usibus eripiat, quod *beneficus Pater* bono generis nostri largitus erat. Quis interim inficietur, posse quandoque subitaneam aliquam, ex improviso mineralium heterogeneorum cum aqua concursu, fermentationem sub terra oriri, quæ, per sui expansionem facto terræ hiatu, scaturiginem producat, dum primus ille ὀργασμὸς perdurat, satis equidem admirandarum virtutum, sed, quæ ob materiæ defectum, paullatim defervescente tumultu, denique reddatur elumbis, immò æque noxia, atque fuerat antea salutaris? (IV.) Vires proinde aquarum Soteriarum quod attinet, in Beati à longo tempore *Dn. Antecessoris mei D. Vaji* supra memorati sententiam nolens volens abeo. Ita autem ille in allegatis supra ad Nobilissimum nostrum Senatum litteris: Meo quidem judicio, non tantum è mineralibus, quæ continet aqua Soteria, de usu & efficacia decernendum, sed maximum est experientiæ tribuendum. Ita, uti cognoscitur è

fructibus


fructibus arbor, pari modo ex effectibus demum vires aquæ salubris cognoſcantur: Et quandoquidem, ex plurium Medicorum ſententia, ex influxu aſtrali maximam partem dependet inteſtina iſta aquarum cum mineralibus mixtio, ex hujus ignorantia quilibet videt, quam minimè deceat è contentis de aquarum ſalubrium viribus judicare. Quibus prudenter monitis & hoc addo: nimirum virtute & efficacia ejusmodi aquarum, ſæpe numero tolli omnis generis morbos, diuturnas contracturas, ſurditates propemodum nativas, & alia mala ſtupenda, morbos juxta calidos & frigidos, acidos & alkalicos, ſalinos, ſulpureos & Mercuriales, & quocumque demum nomine veniant, ſibi prorſus, ratione cauſſarum & phænomenorum oppidò & verè contrarios; ut inde appareat, aliud quoddam, & ipſum quidem Herculeum agens ſubeſſe, quod par ſit ejusmodi belluis conficiendis, quam iſta mineralia, per ſolutiones, præcipitationes, calcinationes &c. extorta. Scilicet, placent, quæ *Excell. Dn. D. Kalkchof diſput.* erudititiſſima *de Fontibus Soteriis, theſ. 10.* habet: *Aqua ſoteria, ratione primi entis, univerſalis Medicinæ apicem attingit, & omnibus omninò convenit morbis.* Quod non ita vult intelligi, quaſi omnem actu morbum abolere & extinguere, ac vitæ conclamatæ ſpem ubique erigere ejusmodi univerſales Medicinæ debeant; ſed, quod conveniant omnibus morbis, atque præ aliis, utique potenti manu, in affectus quosvis ita agant, ut omnium compleant indicationum paginam, nullaque ſuperſit, etiam leviſſimi, accidentis contradictio, ſicque ab omni antipraxias crimine abſolvantur: Id quod expediunt ſerenando, exanimando, hilarando, augendo, conturbatos, triſtes, imbelles, diminutos ſpiritûs: quod adeò planè verum eſt, ut nil ſit verius. Enim verò quis ajat: Cur tot homines, ab ejusmodi aquarum & balnearum uſu, non tantùm non reſtituuntur in integrum, ſed & gravem ſibi noxam, quin mortem, contrahant? Ejus rei quidem cauſſa, uti poteſt eſſe varia, ita cumprimis hæc eſt, quod illotis manibus multi has adeant, id eſt, non prius purgato

corpore.

corpore. Deinde, quod parùm diætæ ſint ſtudioſi, ſed impertinenter vivant, ſive potitando, vel in ipſo balneandi actu, ſive gulæ alio modo inſerviendo. Poſtea, quod invita Natura ſæpenumero, ex præſcripto ſchediaſmatum de hujusmodi balneis, curam & adgrediantur, & perpetuent, & finiant, ſcilicet, non ſequendo Naturæ ductum, ſed præcisè tot vel tot horas, in balneis, reluctante etiam Natura, ſedendo, tot vel tot cyathos exhauriendo &c. qui errores, uti ſunt vulgares, ita depretiare ſalubres aquas non poſſunt, quæ in ſeſe manent inſontes. Ut ſummatim rem complectar: *Firmiter perſuaſus ſum, virtutes omnium aquarum ſoteriarum, nos non niſi à poſteriori, nunquam à priori indagare poſſe & cognoſcere, ſcire nos quod agant, neſcire quomodo & quibus ex principiis*, illas ſeſe habere ad inſtar panaceæ, quin agere ejusmodi qualitatibus, quæ, hactenus ad minimum, ſint occultæ: In eandem ſententiam ſcripſi ad Excell. noſtrum *Cælium Aurelianum*, quam adſenſu ſuo in humaniſſimis reſponſoriis idem approbavit. (V.) Rebus ſic ſtantibus, per neceſſariam conſequentiam palam eſt, omnes vulgares aquarum quarumvis ſalubrium probas, ad virtutes earum expiſcandas, adeò non ſufficere, ut minimum nobis detegant, potiori parte in obſcuro manente: Quin eam, quæ fit per *inſpiſſationem*, eſſe planè incertam *Beccher. l. c. Sect. 3. c. 5. n. 6.* adſerit, cum inſpiſſatione ſpecies alterentur. Et, quamvis tentamen illud, quod per reagentia fit, (effervеſcentia ſcilicet & præcipitatione) tentamini per inſpiſſationem ſit certius, attamen nec ipſum eſt ſufficiens, cum ipſa ingredientia novam ſubinde reactionem inter ſemetipſa faciant, nullo modo præcipitabilem, vel præcipitatione cognoſcibilem. Quid dicamus de admixtione tot ſpirituum, tot ſalium? ſi quid inde præcipitatur, eſt illud Naturæ hermaphroditicæ, vel enixum quidpiam. Adde, quod lagena aquis acidis plena, ubi vel unus hauſtus depletur, ſepoſita per aliquot horas, omnem ſaporis aculeum amittat, & ab aqua ſimplici parùm diſtet, quin, magis noceat, quàm proſit, fixis illis mineralibus nihilominus in ea contentis & remanentibus.

nentibus. Balnearum quidem est aliquo modo diversa ratio, quam acidularum, ut, quarum efficacia bonam partem dependet à mineralibus fixis: hinc balneæ, quo diutius coquuntur, eo fiunt acriores & validiores, expulso nimio phlegmate, & facta quasi inspissatione quadam, hinc & colorem mutant & pelluciditatem amittunt, vid. *Braun. l.c.* Attamen, cum Terra, quæ fundo aheni, ceu capiti mortuo adglutinatur, salibus suis adhuc scateat, etiam in coctione acidularum, rursum videmus, esse præter istas mineras, quod in illis operetur, & proinde, qui potandi intentione vel acidulis utuntur, vel etiam balneis, vehementer peccare, qui eas calfaciunt, aut coquunt, cum partes volatiles, quarum est, præ fixis, in corpus humanum vis eximia, studio quasi propelluntur. Cum itaque verum sit, maximam virtutem vel latere omninò in universali quodam principio, vel tamen in parte volatili aquarum, lubet expiscari: *Anne nullo modo quis possit, etiam contentorum volucrium fieri particeps, ita, ut seorsim v.gr. quod est in acidulis volatile, queat intuentium oculis sisti?* Quod, quum supra ignis ministerio posse fieri negaverimus, attamen Excell. *Kalkchof l.c.* hæc habet verba: *Spiritum ex aquis Soteriis lentissimo igne destillatum magni facimus.* Fateor & me talem esse magni facturum, dummodo liceat eum per ignem adquirere. Certè, si id fit, oportet omninò lentissimum opus esse, nec ignem alium, quàm, qui requiritur ad opus Philosophicum, seu qui est incubantis ova Gallinæ, tametsi adhuc mihi spes eventûs dubia existat, nisi forte quis velit experimentum facere cum argilla probe usta & cribrata, eamque aqua soteria in modum pastæ impraegnatam, destillare. *Sed absque ignis ministerio tale quid obtineri posse, non desperaverim.* Occurrit Excell. noster *Hercules*, qui, sine ignis ullo ministerio, sal plantarum volatile colligere docuit, in *Experim. Chim. nov. de sal. plant. vol.* Pari methodo futurum confido, ut spiritus acidularum vel balnearum capi possit, effícto in istam rem vase idoneo, quod in puteorum concameratione suspendendum est, ita, ut ne

violentiam externam opus habeat sustinere. Fiat amplum vitrum & capax, collum sit, qualis est Cucurbitæ vitreæ, venter autem ad instar campanæ capacissimus, cujus fundus ipsum quasi vitrum subintret, ita ut sensim angustatus ad vitri collum protendatur, terminatus in foramen, quam potest esse, angustum; quale vitrum ostendit Lit. A, unà cum fundo aperto B. Huic aptetur alembicus concinne fabrefactus, cujus itidem rostrum satis longum exeat in mucronem, quoad fieri potest, angustum, sicut est C. Denique fiat excipulum rursum capacissimo ventre, sed perangusto collo, cui rostrum alembici satis equidem profunde immergatur, ut est apud D. Hæc tria instrumenta in eum sibi modum, quem adpictum Schema declarat, aptentur, commissuris usquequaque Emplastro diachylo simplici liquefacto, ne quidquam spiritus exhalare queat, curiosissimè obturatis: Hæc machina funi robusto duplici, E. non ex cannabi (qui dicto citius corroderetur) sed è libro (von Bast) contorto duobus locis circa collum scil. Cucurbitæ & vasis recipientis alligetur, ita, ut machina in æquilibrio pendens, perpendiculariter in puteum demitti, & horizontaliter aquæ quasi incumbere queat: Sint autem vitra robusta, ne vi effluviorum rumpantur. Demittatur sic machina in puteum (qualis e. gr. est *Bollensis*) ab externis violationibus tutum, sic, ut non lambat aquam, sed ab ea circiter 4. pedum altitudine distet, idque, pro collectione spiritus, per aliquod temporis spatium. Tunc spero fore, ut *Gas* illud exhalans è puteo (quale fumat odore gravissimo in balneis *Bollensibus*, ferrum brevi tempore, clathrosque ferreos satis crassos in crocum corrodens) per cavitatem seu orificium Cucurbitæ B. irrumpat, & per ejus angustiam illapsum, unde regressus non datur, ex natura levium sursum tendens, alembicum subintret, hincque colligatur in excipulo: Quod sine magno sumtu tentare licebit, tum quidem, ubi tempus balneandi, aut nondum appulit, aut exspiravit; quod Gas erit sine dubio spiritus volatilis pene-


Fig: 43.
p. 411.
A. Cucurbita.
B. Ejus orificium inferius.
C. Alembicus.
D. Vas recipiens.
E.E. Funes duo ex
fabricati, de
quibus
Suspenditur.
Fig: 44.
p. 411.

penetrantissimus. Modo non multum absimili *Paracelsus* in aurifodinis *Salisburgensibus*, ope trium instrumentorum, dicitur *Spiritum Mercurii Philosophorum*, colore ad instar solutionis auri fulgido, collegisse. Ingrediebatur nimirum fodinam, exacte dispiciens locum, exhalationibus metallicis (Berg-Witterung) oppositum, quo invento instrumentum A. Fig. II. orificio suo lato istis exhalationibus obvertebat, exacte commissum angusta sua extremitate, latiori orificio instrumenti B & hoc rursum, prout in Schemate vides, coire debebat, cum instrumento C. Hæc autem conjuncta machina, non perpendiculariter, sed horizontaliter, alligari scamno vel asseri debebat, omnibus commissuris exactissime lutatis. Sic, ait, hora dimidia elapsa, bullæ parvæ innumeræ, medii instrumenti B ventri affigebantur, quæ denique in excipulo C collectæ resolvebantur in *Spiritum Mercurii Philosophorum*, primam metallorum materiam. Cum itaque commune mineralium fixorum examen, nil quidquam sufficiat, ad demonstrandas aquarum salubrium vires, *ergo in vanum laborant, qui heic etiam sunt curiosi? Minime gentium!* Etenim manet examini Chimico sua laus, quo aquarum fixa contenta deteguntur, manet encomium: Sufficiat enim, si non ex toto, tamen ex parte, in ejusmodi aquarum intima penetrare, ut tamen quotidie nitamur *plus ultra.* Tantum igitur abest, ut curiosissimus nostri *Cœlii Aureliani* labos, pro frustraneo habeatur & inutili, ut potius elegans ejus *Roitschocrene*, sit illi fons & Scaturigo laudum eximiarum, quas ipsi & debet *Societas Imperialis*, & universus orbis litteratus.

Fig. XLIII. & XLIV.

OBSERVATIO CCII.
Dn. ROSINI LENTILII,
Liquor Arboris Juglandis polychreſtus.

PRoceſſum liquoris ex arbore juglande polychreſti, obtineo ex favore Illuſtriſſimi *Baronis de Steprode*, *Domini in Erkebrechtshuſæ*, *Conſiliarii Haſſiaci*, Domini mei gratioſi, viri ſupra omnem laudem poſiti, qui eruditioni inſigniſſimæ, prudentiæque civili, nexu planè amicabili ſociavit humanitatem ſummam, qua aptus eſt, ceu incantamento, bonorum omnium animos, in amorem & cultum ſui pellicere.

Is, inquam, pro ea, quâ apud ipſum, nil tale meritus, polleo gratia, hoc me ſecreto beatum fecit, quod *Illuſtri Societati* heic offero, vel adcuratiùs perpendendum, vel, ubi datur, ad ejus faciendum periculum. Ipſiſſima Domini *de Steprode* verba, in latinum translata, ſic ſonant: Quemadmodum ex animo lætor de inſigni fiducia, quam in candorem meum & inſerviendi promtitudinem collocaſti; Ita non poſſum, quin Tibi aperiam, quod *B. Dn. Crocius*, Vir in omni ſcibili verſatiſſimus, cujus olim ſum convictu perfructus, & qui, præ aliis, inſigni me favore complexus eſt, nobis aliquandò ſolis cœnantibus (bini enim Domini *de Meulen*, & Dn. *de Homberg* alibi cœnitabant) me latinis verbis interrogavit, *num eſſem longævitatis cupidus?* Tunc enim ſe mihi aperturum myſterium magnum: Se, cum ortas olim in *Pruſſia Regali & Ducali*, tum in Eccleſiaſticis, tum Politicis rebus, turbas compoſiturus, ibi moraretur, nacta iſta occaſione, favorem ſibi & amicitiam *Prælati Polonici* eruditiſſimi, ingenioſiſſimique, jam 94. ætate annos, fuſca tamen magis, quam incana cæſarie, numerantis, peperiſſe, qui hoc myſterium aperuerit. Tunc autem, inquiebat *Crocius*, ex incuria parum attentus, illud ſecretum ſurdis quaſi auribus hauſi, donec, jamjam demortuo Sene optimo, unicum

cum ipſius filium, nunc attentior, de ſecreto contarer. Is, poſtquam, inquit, B. Dn. Parens meus tanti Te fecit, nil equidem Te celabo: Eſt quippe liquor arboris juglandis annoſæ, verſus orientem Solem exaltatæ, ſequenti methodo colligendus: Terra circum arborem effodienda profundè ſatis & amplè, ſic tamen ut ne radices lædantur; quærantur poſtea radicum mediarum (der Stamm-und Hertz-Wurtzeln) ſucculentæ extremitates, & cultro circum circa præcidantur ad faciem turundæ (eines Zapfen) ſic, ut anguſtioris orificii lagenam vitream capere queant. His radicibus applicentur ejusmodi lagenæ, orificio cera probè obturato, qua parte cum radicis turunda coit: Hinc ſepeliantur radices cum vitris in equino fimo; huic autem fimo equino ſuperadde terram effoſſam, ut arboris truncus fimo equino & terra, ad altitudinem circiter quatuor pedum obtegatur & foveatur, ſupra horizontem. Relinquantur ita per 6.7. dies & noctes, poſt rurſum effodiantur omnia cautè, ſic, ut ne vitra lædantur: In his vitris collectus liquor pretioſiſſimus, illis optimè clauſis, pro uſu ſervetur. Recordor, pergit Filius, me à B. meo Dn. Parente frequenter accepiſſe, *hunc liquorem radicale humidum, ni augeat, in vigore tamen continuo ſervare, ſic, ut fatalem horam ſine morbis homo vegetus exſpectare queat.* Poſtea, pergit jam Illuſtriſſ. Dn. *de Steprode*, Illuſtriſſimus Heros, Generalis, *Comes de Caraffa, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius bellicus & Camerarius*, inter alia Secretiora Naturæ mihi aperta, jurato teſtatus eſt, ſuis ſeſe oculis eſſe conſpicatum officiarium quemdam bellicum, adeò lue Neapolitana fœdum, ut, relictus à Medicis prognoſtico, vivum cadaver circumferret; ſolum tamen hunc liquorem eum feliciſſimè, & ſic quidem reſtituiſſe, ut melius poſt ſeſe, quam unquam antea, habuerit. Notandum autem, collectionem iſtius modi liquoris eſſe cum arboris interitu conjunctam.

Alia quædam circa arbores curioſa ſunto ſequentia: In pomœriis *Crailshemianis* habetur malus, cujus poma ſpecioſè rubella, quum ſcinduntur, medullam atramenti ad inſtar, ſa-

pore nihilo deteriore, ostendunt. Caussa est, aquæductus subterraneus, è domo Tinctoris cujusdam nigros pannos tingentis, & mœniorum accolæ, pro derivanda nigri coloris eluvie, extra civitatem, per ista pomœria, productus, qui, sub arboris radice profluens, succum ejus nutritium isto colore imbuit.

In horto meis ædibus contiguo malus existit, fetura sua per singulos annos ita alternans, ut hoc, e. gr. anno, latus ejus dimidium & flores protrudat, & poma ferat, altero latere non nisi ferente folia: sequenti anno isto latere ferias agente, hoc fecundam sese matrem ostendat.

SCHOLIUM.

PRincipio monendum esse mihi duxi, ne forte incuser inscitiæ, quod liquorem ejusmod juglandinum pro re nova, & secreta quidem adducam, me jam scire, quod alii mentionem fecerint, liquoris, è radicibus juglandis, primo vere, vel mense Februario sauciatis, collecti. *Schröderus* nempe in *Pharmacopœa* sua talem recenset, atque ad podagricos dolores exterius usurpandum commendat. Et *Fr. Hofmannus Meth. med. l. 1. c. 19.* propinatum capitis doloribus, magno cum successu, adhiberi, eumque esse singulare in *Anglia* detectum experimentum, è *Bartholino Cent. 3. hist. 97.* adducit. Pensitatis autem omnibus circumstantiis, tum ratione collectionis, tum usus multiplicis, nostrum ab isto non parum differre, est in propatulo: quorsum accedit, à *Polonico Prælato* liquorem hunc ad *Crocium* transiisse, est enim *Polonia* juglandium feracissima, sic, ut etiam incolæ oleo juglandino expresso, loco olivarum olei, vulgariter utantur. Quod autem tantæ vires huic liquori adscribantur, nemo miretur. *Est enim juglans arbor eximia & polychresta, plures alias arbores longè post se relinquens.* Quis est ligni juglandini nitor ad varia artefacta? quæ est foliorum virtus, è gravi odore, quem spirant, cognoscibilis? quis fructuum usus tum maturorum, tum immaturorum? Juglans est arbor vivax & longæva, facit igitur ad hominis longævitatem & reju-

juvenescentiam, per ea, quæ commentatur *Tackius Phas. 2. p.118. seqq.* Dicant alii, sub juglande cubantes, à graveolentia lædi, quid tum? non propterea Zibetha culpanda, quod naribus propius admota vel sanguinem, è capite tentato, proliciat. Ego cum *Sim. Paulli Q. Bot. p. 97.* eam præstantissimarum virtutum arborem appellito, cujus ferè nulla pars est, quin sit ad Medicinam proficua, licet is non sim, qui singula recensere prolixius cupiam. Hinc arbor hæc *regia*, ejusque fructus *regius* non immeritò salutantur: Hinc ridiculi sunt illi Grammatici, qui *nucem à nocendo* dici volunt: Prudentiores sunt his, qui *basilicam hanc nucem à glande & juvando*, vel *Jovis* quasi *glandem*, Deorum scilicet Ambrosiam, appellari censent. Juglandes immaturæ conditæ, vel ipso *Paulli l.c. teste*, palmam præripiunt myrobalanis conditis. Aqua prophylactica ad pestem & morbos malignos, tum *D. Paulli Senioris*, tum etiam famigeratissimi *Sylvii*, in hujus *Praxi*, quin & à *Dekkero, meth. med.* & *Barbette tr. de peste* descripta, nobilitatur cumprimis nucum juglandium viridium consortio. Jam, si est hujus arboris tanta dignitas in Medicina, quæ, obsecro, dignitas erit liquoris illius nutritii, ad radices sauciatas encheiresi curiosa educti? nonne heic collectas habes omnes omnium juglandis partium vires, & sanguinis depuratorias, & alexipharmacas, & alias quaslibet? Certè liquor ille, ceu primum quasi ens juglandis, in sese potentia continens virtutes, quas singulis arboris partibus impertitur, concentrata vi, pretiosus ut sit, oportet, siquidem vera sit *Metaphysicorum* regula: *Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale.* Si tanti facimus mundi spiritum, architectum omnium crescentium in tribus regnis, non sanè multo minoris faciemus liquorem à mundi spiritu, seu universali fecunditatis omnigenæ parente, secundum in ordine, simplicem, balsamicum, nondum adeo specificatum, aut per varias fermentationes alteratum, charactere pancresto dotatum; quales consimiles ex arboribus & radici-

bus

Moschi

bus convenientibus, consimili methodo elicere, non minus jucundum fuerit, quam fructuosum.

Reliqua arborum curiosa, quæ supra memoravi, non opus habent alta meditatione, siquidem variæ sunt artes hortulanorum, quibus imprimere norunt varias & oppido diversas arboris unius fructibus facultates, qua de re videantur, de hortis qui scripserunt. Illud saltem mirum videatur, quod poma ista, medullitus nigra, nil una peregrini saporis, præter Tincturam, in se recipiant; it. cum una sit arboris ejusdem medulla, per quam liquor nutritius quaquaversum diditur, mirum accidit arborem eandem alternare fetificando secum latus alterutrum. Integras arbores certis annis, cumprimis ubi copioso fetu demum gravidæ pepererunt largiter, omnino feriari, quotidianum est, & facilis inventu ratio; Sed, nunc hoc, nunc illud latus alternatim nunc feriari nunc ferre, id quidem inter mirabilia naturæ non est sane minimum. Dixerit aliquis ramos & surculos se non habere pure passive in nutrimenti adsimilatione, sed insuper instructos esse fermento quodam domestico, quo mediante succus nutritius & radice propulsus debito modo alteratur ante, quam in flores, fructus &c. cedere aptus est: istud autem fermentum, à fertilitate prioris anni exhauriri nimium, ideo, quantumvis liquor nutritius æque in hos quam illos ramos dispergatur, vis tamen fermenti insiti tam sit debilis, ut succum ad producenda tantum folia, non autem flores & fructum, aptare valeat. Claudo hanc observationem commento *Rabbinico*: Scribunt enim isti, die 15. novilunii undecimi, Januario nostro valdè similis, arbores primum succum suum vulgo nancisci, quodque nuclei seu semina in pyris & pomis hac die semet invertant, quod verum deprehensurus sit, quisquis fructus illos dissecare non gravetur. *Buxtorf. Synagog. cap. 12. pag. 312.*

OBSER-

OBSERVATIO CCIII.
Dn. ROSINI LENTILII,
De
Patellis Iridis & Auro Parvajim.

p. 331.
A. III. Dec. II.
p. 33.

ANonymus quidam Scriptor in elegantissimo Schediasmate Manuscripto de *mysterio magno Chimico*, postquam de subjecto universali multa ingeniosè tradidisset, itemque viam ac methodum, queis mediantibus in cognitionem veræ materiæ penetrasset, apertè & candidè recensuisset, inter alia ponit: Sese, remotis omnibus aliis materiis, denique conclusisse, aut in meteoris aut mineralibus veram materiam esse quærendam; ubi inter alia hæc habet verba: *Ne meteora seponerem, magno mihi incitamento fuere, nummi isti meteorici, quos Iris è sinu suo projicit, quod mysterium, uti penetrarem, multum sanè summo studio meditatus sum, tametsi penitus meo fine non sim hucusq; potitus.* Non tantùm hæc *Anonymi* verba observationem isthanc scribendi ansam mihi dederunt, sed etiam, quæ in eam rem commentatus est alius quidam *Dn. Anonymus in Ephem. nostr. Dec. II. Ann. III. Obs. 7* cum Scholio pereleganti *Excell. nostri Celsi.* Recordabar me olim apud Illustrissimum Dominum *Baronem de Steprode*, cujus in antecedenti observatione est facta mentio, aliquot ejusmodi scutellas vidisse, uti est naturalium rerum curiosissimus, & rarithecio non vulgari suos oblectat hospites. Schemata proinde aliqua rudi calamo delineata transmisit, quæ hîc, ut ea olim his meis oculis conspexi, & nunc accepi depicta, communico, unà cum litteris comitibus, quarum hæc sunt verba huc quadrantia: Bubulcus noster adseveravit, se summo studio observasse, ubi nam loci semet Iris potarit (ita loquuntur in *Franconia* der Regenbogen tränckt sich / ibi scilicet ubi crura sua demittere putatur) idque se in hisce confinibus (prope arcem *Erkebrechtshusam* in *Franconia* sitam) tertium observasse, totiesque adcurrisse, &

ternis illis vicibus patellam reperisse. Idem *Dn. de Steprode* sub finem addit: Maxima Scutella, quam ego sum unquam conspicatus, pondere drachmas duas æquavit. Adparet inde, bubulcum fuisse in ea opinione, ut persuasum haberet, patellas istas ab Iride delapsas esse: Sed, quid hoc sit mirum de bubulco, quum eruditissimus *Anonymus*, cujus verba supra allegavimus, non dubitarit credere, ejusmodi patellas, (quas tamen nummos, & summo jure, vocat) in nubibus, ceu meteoricas gigni, & hinc argumentum ceperit statuendi, semen quoddam auri in meteoris latere, quod, uti pertinaciter ego non negaverim, cùm sine dubio panspermia corporum in utero quiescat aëreo, attamen ex patellarum istarum principio id ego minimè deduxerim. Præter ea, quæ Excell. noster *Celsus l. cit.* pereruditè monuit (nimirum in aëre istas patellas gigni non posse, sed esse numismata quædam fortassè *Gothica*) fidem huic aëreæ Chrysogoniæ maximè dubiam faciat, quòd istæ patellæ ferè in sola nostra *Germania* reperiantur, cùm tamen Irides in universo terrarum orbe appareant. Profectò, si quidquam tale unquam visum fuisset, in exteris regionibus, cur Plinius curiosissimus, cur antiqui Scriptores *Orientales, Græci & Latini*, harum patellarum ne γρῦ quidem litteris consignarunt? nam irides in nostris regionibus tantum esse auriparas, ne quidem cogitare licet. Persuasissimum ego jamdudum habui, has patellas nil aliud esse, quàm numismata populorum aut *Septentrionalium*, aut inter illos, *Germanicarum*. Suadet id, præter ea, quæ dicto loco Fautor noster, *Celsus*, adduxit, etiam pondus ipsarum: Cur enim pendant præcisè (aliquot enim grana haut raro & nostris aureis & scutatis desunt) vel duplicem, vel simplicem scutatum, vel aureum, nisi ex instituto id factum sit, non equidem Naturæ, sed Artificis? Nil aliud sunt, quam numismata. Vani proinde sunt, qui in his ad varios morborum insultus quærunt solatium, qualis & hic apud nos versatur Canidia, quæ difficulter parientibus ex ejusmodi scutella potum

tum præbere ſolet, non ſine multorum applauſu, uti ſunt homines affecti.

Occaſione harum ſcutellarum non inconveniens fuerit, pauca quædam diſſerere de *Auro Parvvaim* vel *Parvajim*, cujus ſit mentio *2. Paralip. 3. verſ. 5. 6. Domum autem magnam texit ligno abietum, quod texit auro optimo, & aſcendere fecit ſuper palmas & catenas. Texit idem domum lapide pretioſo ad gloriam: aurum autem erat aurum* Parvajim. Hoc *Aurum Parvvaim* Chimicus quidam illuſtris in Epiſtola ad *B. Dn. Stephanum Wexlerum*, Superintendentem olim *Nordlingenſem*, Anno 1628. ſcripta, haut obſcure videtur habere pro auro arte Chimica producto, cum inter alia ſic ſcribit: *Philoſophorum enim aurum recte* פַּרְוָיִם *in ſacris à bonitate dictum, non eſt aurum minerale & vulgare, Ophiriticum Salomoni à loco denominatum.* Sin igitur non eſt minerale, factitium erit, & per alchimiam productum; quod ſi hoc, *cenſebimus ne SALOMONEM Lapidis Philoſophici poſſeſſorem fuiſſe?* Reſp. in ea opinione ſunt plures, quam equidem non tantum probare ſatagunt è Summa iſtius Regis Sapientia, in rebus præcipuè naturalibus, qua, *Sacra Scriptura* teſte, omni exceptione majore, antecelluit ſuo tempore omnes univerſi terrarum orbis homines: Cur itaque Deus eum celaverit myſterium tantum? Verum etiam, quod per easdem *ſacras litteras* conſtat, eum tantum feciſſe argenti, atque lapidum in plateis, nec ullam fuiſſe tunc argenti curam, præ auri copia. Et, quamvis una planum exiſtat, non tantum per navigationem *Ophiriticam* immenſas divitias *Salomonem* adquiſiviſſe, ſed etiam per munera exterorum innumerabilia notabiliter fuiſſe ditatum, iſta tamen non videntur ſufficere, ad tantum argenti contemtum. Hinc, qui *Salomonem* Tincturæ univerſalis Poſſeſſorem fuiſſe nolunt, ad *locutionem hyperbolicam* fugere coguntur, quales in *Sacra Scriptura* plures adducunt. Ego, quid mihi videatur, ut dicam, ita cenſeo: Quod ſi datur Tinctura univerſalis, quam dari experientia creberrima certum fecit & indubitabile, (videatur

Excell. Theseus noster, Fautor meus, *in tr. de Tinct. universal.*) & *Salomo* fuit hominum sapientissimus (quippe, cui Sapientia non fuit habitus adquisitus, sed infusus) nil sanè prohibebit suspicari, eumdem *Salomonem* etiam fuisse *mysterii Chimici Adeptum*, qualis, nî fuisset, per ipsi sanè multum decessisset ἐν ἀκμῇ τῆς σοφίας. Attamen propterea *Parvvaim* aurum non fuisse naturale, sed factitium, apodictice probare non licet, de quo auro, cum mirum disceptent Auctores, jucundum pariter atque curiosum fuerit indagare, quænam Sententia sit maxime probabilis? Primo itaque *Parvvaim* illud vel *Parvajim*, aliqui arbitrantur esse *Nomen appellativum*, quasi etiam sit peculiaris auri species, inter illas septem species, quarum *Thalmudistæ in tract. Joma* mentionem faciunt, & quidem ex hac causa, eo quod colore simile fuerit *sanguini juvencorum*, illud enim vocabuli videtur à *juvencis* derivatum. Huc etiam *Guido Fabricius Boderianus in Dictionario Syro-Chaldaico* collimat, quum scribit: *Parvajim* est nomen auri, cujus septem species in *Zohare* numerantur, inter quas hæc reperitur. *Vid. etiam Anglum Robertum Scheringham in notis super librum Joma p. 91.* Aliis est *nomen proprium*, qui & ipsi inter se mirè dissentiunt. Nam aliqui numerum dualem *Ajim*, in *Parvajim* producunt, arbitrantes in loco isto *Paralipomenon utrasque Indias* intelligi, Ita *Ravanellus in Biblioth. Sacr. fol. 172.* Aurum hujus regionis volunt aliqui dici, Aurum *Parvajimorum 2. Chron. 3. 6.* quasi dicas Aurum *Perous*, id est, *ex utraque India Orientali & Occidentali.* Rursum alii tantum *Indiam Occidentalem*, & cumprimis ditissimam regionem *Peruvianam* heic intellectam volunt; Sic *Bened. Arias Montanus libr. Phaleg*, & quidem in præfatione: Hæc dictio, *Parvajim*, inquit, iis, qui vel tantum hebraicè sciunt legere, duas Regiones olim *Peru* dictas, clarè demonstrat: Unam quidem, quæ eodem vocabulo hodierno etiam die *Peru* dicitur; Altera verò, quæ *nova Hispania* à navigantibus est appellata, ejus autem regionis aurum purissimum, atque in maximo pretio, apud omnes gen-

tes

tes fuisse constat: Atque interpres quidem (vulgatæ versionis) vel ob ignotam sibi regionem, vel potius inscius, quod illa Regio exhibebat auri laudem, convertit: *Et aurum erat probatissimum.* Sed *Arias Montanus*, amore Patriæ in hanc sententiam pellectus, ab aliis hoc nomine, unà cum *Vatablo* (pro *Hispaniola* dimicante) irridetur, præcipuè à *Scaligero*, qui *lib. 3. Epist. 236.* ita: Stultissimum est de *Peru*, orbe novo, quod nomen ab Hispanis inditum puto, anilem *Ariæmontani* explicationem risi. Attamen ejusdem opinionis fuisse videtur *Dn. D. Glassius in Bibl. Vinariens.* quin & *D. D. Danhauerus, Colleg. Psycholog. disp. 7. p. 218.* Quos benevolus Lector videat. Allexit memoratos Auctores nominum harmonia, quum *Peru*, *Peruvia* & *Parvajim* idem ferè sonent. Sed, qui penitius rem intuentur, impossibile judicant, sine magnetis adminiculo *Salomonem* navigationem tam longinquam perficere potuisse: quin & præpostera naviga io iis; qui primoribus saltem labris Geographiam degustarunt, statim occurrit, quum opus fuisset *Indias Orientales*, *Chinam*, & totam *Africam* circumnavigare, cùm tamen Orientales Indiæ sint auri feracissimæ. Quin est hic omninò audiendus *Pineda Comment. in Job. cap. 28. part. 16. pag. 518.* cum ostendit (quæ est etiam *Scaligeri* opinio) Regionem *Peru* ante *Hispanorum* adventum, nunquam hoc nomine salutatam fuisse, idque se accepisse à nato ejus regionis, generis *Ingarum*. Nam, cum *Hispani* circa oras *Peru* oberrassent, post longam navigationem, indigenam quemdam piscationi intentum, capiebant, & sæpè rogabant, quod esset regioni nomen? Hic autem ratus, interrogari se, quomodo vocaretur ipse, sæpè respondit, *Peru*, *Peru*, quod est familiarissimum incolarum ejus regionis, cumprimis maris accolarum agnomen: Inde *Hispani*, vel responsione decepti, vel occasione sumta regionem istam *Peru* appellarunt: quod idem legere est, ap. *Jos. à Costa*, & *Jonston. de nat. const. p. 8. Cornel. à Lap. in Jerem. 10. Horn. de origin. Americ. l. 2. c. 3.* Sic allegante *M. Lipenio in navigat. Ophirit. cap. 6. Sect. 1. Buxtorfius* in *Lexico*, quin & *Junius* & *Tremellius* putant,

 quod

quod *Parvajim* ſit *Parbatia* ſeu *Barbatia*, oppidum ad *Euphratem* & *Arabiam* in *Characenorum* regno, corrupto nomine, dictum pro *Parvaim*, *ex Plin. l. 6. N. H. cap. 28.* ex quo *David* magnam auri molem reportavit, & ad uſus ſacros conſecravit. Sed obſtant huic ſententiæ, quod *Parvaim* in victoriis *Davidis* *2. Sam. 8. 3. ſeq.* & *1. Chron. 19. 3. ſeq.* nusquam reperiatur; quin & ex iisdem *Hadadeſeris* civitatibus, non aurum, ſed æs pretioſiſſimum reportaſſe dicitur *1. Paralip. 19. 8.* nec *Plinius* auri divitem *Barbatiam* prædicat. Eſt autem omninò ridiculus *Goropius Becanus l. 7. Hiſp. p. 112.* qui hanc vocem deducit ex dialecto & lingua *Teutonica* ſeu *Atlantica*, quam vocat, Pherhu heim/ quod nos trajectum & ſtationem navalem vocamus, ubi dicit: Inde eſt, ut aurum è *Pherhuheim* in *Paralip. libro* allatum, non aliud ſit, quàm aurum *Opher*, ſeu aurum apportatum ex arce orbis Atlantici, facta ad navigationis & mercatus ſecuritatem, ex his igitur *Peru* & *Perueim* rejectis aſpirationibus habemus. Nam, tametſi aurum *Parvaim* & *Ophir* idem eſſe próbabile ſit, quod infra audiemus, attamen, tam eſt abſurda derivatio *Pherhuheim*, quam eſt illa à *Mandelsloh* (nî fallor) *in Præfat. Itin. Ind.* adducta, ubi quosdam ſtatuere ſcribit, arborem vetitam Paradiſi fuiſſe *Ficum*, quæ inde nomen accepërit, quod *Primi Parentes*, guſtato fructu, quaſi erroris ſui memores, eum abjecerint, dicentes lingua ſcilicet *Teutonica*, Phy gy (Germ. Pfuy euch) quaſi fructum deteſtantes, unde *ficus*. Quis autem has abſurditates toleret? Si conjecturis agendum, & ex nominum cognatione aliquid colligendum, ego, inquit *M. Lipenius l. c.* ſentirem cum *Barrada* & *Pineda*, *Parvaim* eſſe *Aſſyriæ* quandam provinciam, aut vicinam aliquam regionem (ab *Aſſyriis* tamen devictam) quæ ſæpius in *Sacra Scriptura 2. Reg. 17. 24. & 31. it. 18. 24.* dicitur *Sepharvaim*. *Scaliger. l. c. de veſtigatione Ophir & Parvajim* planè deſperat, dum inquit: Quæ Regio fuerit *Parvajim* & *Ophir*, fruſtra quæritur, quamdiu vivent litteræ. Probabilius ſentientium opinio & interpretatio hæc eſt, quod per *Parvaim Ophir*, per *Ophir* autem Regnum *Pegu*, aliæque

Indiæ

Indiæ Orientalis regiones confines intelligantur, ſive jam ſit *Taprobana*, ſeu *Havila Gen.* 2. *v.* 11. ubi reperitur aurum, vel fines *Peguſiæ*, *Malacca* & *Sumatra* dictæ, Geographi diremerint. *Malaccæ* calculum addit *Gaſp. Varrerius Hiſpanus*, in principio hujus ſeculi 1600. qui vixit, in *pecul. Tract. de regione Ophir*, *p.* 290. *Taprobanæ Bochardus Anglus in Phaleg l.* 2. *c.* 27. *p.* 157. *Ceilanæ Mandelsloh Itin. Ind. f.* 148. *Hevilæ*, *ſeu Indiæ intra Gangem Glaſſ. Grammat. Sanct. l.* 4. *tr.* 3. *obſ.* 15. *p. m.* 788. cui adſtipulatur *Lipenius l. c.* & plures; ita, ut *Parvajim* ſit nomen proprium loci, ubi præſtantiſſimi auri copia fuit. Perpendatur nomen *Parvaim*, & conferatur ſub-intellecta aphæreſi, cum *Ophir* & radice *Pharah*, *fertilis fuit*, *fructificavit*, & facilè apparebit, *Parvajim* & *Ophir* eſſe unum idemque. Et hæc de Auro *Parvajim* vel *Parvvaim*, quod malè interpretari aliquos de auro Chimico vel factitio, hac deductione planum fecimus, manuducente cumprimis Viro Excellentiſſimo & plurimum Reverendo, Domino *Michaële Theodoſio Seldtio*, *Diœceſeos Crailshemianæ Superintendente Speciali*, Theologo eximio, perſpicaci, & linguarum cumprimis Orientalium peritiſſimo, Fautore meo.

Fig. XLV. p. 426

OBSERVATIO CCIV.
Dn. ROSINI LENTILII,
Uterinæ procidentiæ præpoſtera Cura.

NUper Amicus *Crailshemio* mihi ſcripſit, factam in pago propè ſito cadaveris muliebris aperturam. Cùm autem ſatis cognitum haberem, ejusmodi aperturas illic locorum ægerrimè concedi, per ea, quæ notavi ad *Ephem. noſtr. Dec. II. Ann. II. Obſ.* 151. illico ſubodoratus ſum, caſum aliquem ſingularem hanc è demortuæ neceſſariis extorſiſſe.

ſiſſe. Petii proinde per litteras rei geſtæ circumſtantias ab Excell. Succeſſore meo *Dn. D. Chriſtiano Wilhelmo Förſtero, Phyſico Crailshemenſi* percelebri, Fautore meo, qui, pro ea, qua eſt animi promtitudine, ſequentia transmiſit, quæ in Latinum verſa, digna, ut exhiberem *Illuſtri Societati*, judicavi.

Litteræ Tuæ certiorem me fecerunt de petito, cui, uti non poſſum non velificari, ita peroptarem notatu me digniora obſervaſſe: Cum autem, partim temporis brevitate impeditus (ſerius enim eſt mihi res demandata) partim ab horrido & exſucco cadavere abſtractus, penitiùs omnia rimari non potuerim, vix credo, curioſitati Tuæ, per ea, quæ ſum prolaturus, ex aſſe ſatisfactum iri: ut tamen deſiderium Tuum quadamtenus expleam, en Tibi dictæ aperturæ circumſtantias! Poſtquam ſexaginta & aliquot annorum anus à multo jam tempore ex lumborum regione acerbiſſimè doluiſſet, inſimul autem aliquam uteri procidentiam certis temporibus pateretur, dolores illos utcumque tolerans, huic procidentiæ remedium quæritabat. Accidit autem jam ante ſemeſtre, ùt obſtetrix quædam vicina *globum, qualis caput crepundiorum puerilium conſtituit* (den Kopff von einem Kinder-Klöpperlein) *cera obveſtitum, in pudenda mulieris, jam ætate coarctata & anguſtata, violenter intruderet & impingeret, ſperans fore, ut hoc modo uterus in ſede ſua detineretur.* Quo equidem voto, uti eſt compos facta medicatrix, ita malum priori longè pejus, inconſiderata pilæ ſeu globi intruſione, miſeræ anui concitavit. Ardor enim continuus partes obſcœnas, cum teneſmo & urinandi difficultate, ab eo tempore excarnificavit. Petunt igitur à me auxilium, poſtquam fraudulentas omnis generis medicaſtrorum manus ante, ut fieri ſolet, experti eſſent. Ponderatis ego circumſtantiis omnibus, ita denique pronuncio: Adeſſe calculum in veſica, eoque cumprimis eſſe totis viribus adnitendum, ut infelix globus, qui dolores augeret, ſimul cum urinæ tum ſabuli excretionem ſufflaminaret, è vagina rurſum eliminaretur, alioqui nullam fore dolorum pauſam. Id verò, uti non factum, ita partes obſcœnæ

ſcœnæ de die in diem magis intumuerunt, detrectante cumprimis anu globi per ſpeculum uterinum, ceu remedium extremum, præmiſſis præmittendis, extractionem, quæ dolores illos cauſticos ad mortem usque, & inenarrabiles cruciatus eſt perpeſſa. Defuncti cadaveris, prægnantibus permoti rationibus agnati (cauſſabantur enim mulierem eſſe faſcinatam) aperturam à me petierunt, ut origo vera tantarum cruciatuum detegeretur, quam ipſe ego d. 15. Januarii ineuntis Anni 1687. præſentibus 2. Cheirurgis, aliisque Spectatoribus, ceu teſtibus, peregi. Reperi autem veſicam urinariam totam flaccidam & contractam (zuſammengeſchnüret) & in ea lotii ne guttam, calculum autem præſentem ℥j. pondere, interiori veſicæ membranæ ſic adglutinatum, ut vi ſeparandus eſſet, quin pituita limoque ceu tunica circumveſtitum: Interna veſicæ εὐρυχωρία fetidiſſimo & limoſo ſabulo cum acerrimo juxta atque teterrimo fetore, quaſi incruſtata: Non minus referti ſabulo diverſæ magnitudinis renes. Globus autem ſæpe memoratus ad inſertionem urethræ in vaginam cubavit, cera ſua prorſus denudatus, ejusque loco ſabuloſo limo inveſtitus, & intus calculis minutioribus repletus, quem è labiis uterinis non, niſi violenter, extraximus. Per hoc examen anatomicum incantationis omnis ſuſpicio penitùs eſt ſublata, præſertim, quod in aperto cadavere nil cætera inſolitum fuerit inventum, quod ex bonæ conſcientiæ dictamine atteſtor. In fidem rei geſtæ & calculum Tibi & globum viſendos mitto, atque, ut remittantur utrique, percupio. Calculus fuit aliquantò major, ſed in exciſione & abſterſione à limo, non-nihil ipſi deceſſit.

[Nordlingâ 1687. d. 28. Jan. Auguſtam miſſa.]

OBSERVATIO CCV.
D. CHRISTIANI MENTZELII,
De
Iride prope Solem visa.

CLariss. *Dn. J. F. Scholzius*, verbi divini apud Ecclesiam Potsdamensem fidelis Præco, datis die 7. Jan. hujus 1687. anni ad me Berolinum literis, indicabat, se pridie, 6. nempe Jan. horâ inter nonam & decimam matutinam mediâ, Potsdami, (sub elevat. Poli Arctici 50° grad. cum dimidio) vidisse in cælo à latere Solis orti sinistro Iridem imperfectam vel potiùs trabem Iridis longiorem in nube rara & subobscura, quæ distabat à Sole unam ferè de duodecimis ejus loci Hemisphærii partibus. Sol, inquit, hærebat in nube nigra & oblonga, sed itidem rara. Color Iridis erat usitatus, puniceus & subflavus mixtô paulisper cæruleo. Disparuit Phænomenon hoc post horæ quadrantem & post dimidiam horam rediit, quo tempore testem phænomeni habuit Rever. & Doctiss. *Dn. Antonium Brunsenium*, Serenissimi Electoris Brandenb. Aulæ Concionatorem. Adumbravit phænomenon hoc laudatus vir in Schedula literis adjuncta, cujus figuram vid. XLVI. ubi A Sol sub nube latens: B Iridis pars: C verò oculus humanus. Hemisphærium in 12. partes æquales divisum horas diei 12. simul ostendit, & Solem tunc diei temporis horâ octava surgentem & quartâ pomeridianâ occidentem indicat, Solemque sic inter nonam & decimam versari & Iridem unam 12. partem à Sole versus sinistrum latus remotam exhibet. Petiit igitur à me laudatus vir causas Iridis tam propinquas Soli, cùm ordinariè Iris ex adverso, Soli & oculo nostro opponatur. Ego in mathesios palæstra non multùm exercitatus, salvis sapientiorum judiciis, pro tenui in physices captu meo, sequenti ferè modo respondi. Irides, si quæ in nubibus aptis contingunt,

gunt, ſemper eſſe Soli adverſas & oppoſitas, licet oculus noſter inter Solem & Iridem in linea recta diametrali non ſemper ſit medius, & Iridem eô tempore integram intueatur, ut hoc loco, ubi A Sol & B Iris ſibi quidem ſed lineâ brevi opponuntur, C oculus humanus verò extra illam Oppoſitionis lineam in Horizontis ejus loci Meridiana à latere exiſtit & à latere etiam Speculum hoc Solis, Iridem nempe in nube rara & roſcida intuetur. Si enim Sol in tertia parte Hemiſphærii vel horâ octavâ in oriente ſurrexiſſet & nubes roſcida extitiſſet in 10. parte Hemiſphærii illius Horizontis ſive in occidente, Iris in nube illa integra vel Arcus cæleſtis integer ambobus ſuis cruribus ab oculo in meridiana poſito fuiſſet perceptus: Et hæc eſt etiam ratio, quare Iridis ſaltem pars inſtar lineæ rectæ vel trabis hoc loco fuerit obſervata, quoniam prope Solem, juxta apparentiam, Iris vel ejus pars extitit. Uti enim phaſes Lunæ ſe habent ad oculum juxta Solis cum Lunæ vel oppoſitionem vel conjunctionem: ita quoque Iris intuenti apparet. Si luna prope Solem eſt, falcem tenuem oſtendit: Si remotior à Sole eſt, pleniorem lucem; ſi verò è diametro ei opponatur, pleniſſimum vultum. Eodem modo Iris prope Solem non integra ſed ex parte tantùm inſtar trabis ſeſe oſtendere poteſt. Pareliorum ratio etſi ab Iridibus differat, ob diverſam nubium diſpoſitionem; tamen quia à lateribus Solis contingunt, cum Iridibus noſtris lateralibus in tantum convenire videntur. Inſuper Halones Solares, integri nempe circuli quandoque interdiu Solem ambire viſuntur tanquam Irides coloratæ juxta conſtitutionem nubium ad id phœnomenon aptam, ut annotavit Cl. *D. D. Gottofredus Schulzius Ephemerid. noſtrarum anni VI. & VII. p. 353. Obſ. 240.* & ego Berolini Anno 1677. d. 9. Maji ſt. v. hora 1. pomerid. talem Halonem intuitus ſum. Et Excellentiſſ. *Præſes noſter Argonauta* Svvinfurti Anno 1676. d. 12. Maji colore quidem brunnô Svvinfurti vidit. Tales halones quocunque modo colorati poſſunt nubibus in ſereno exiſtentibus nunc integris ſuis circulis ſe nobis præſentare, nunc iisdem nubibus à ventorum impetu disruptis

per partes sese instar trabis, lineæ vel rectæ vel parùm incurvatæ nobis exhibere. Quoniam tamen rarò curiosis oculis se ostendunt talia phœnomena, operæ pretium duxi hoc juxta methodum observationum nostrarum, habito Autoris respectu (cùm is eruditas suas literas cum meis responsoriis imprimi renueret) erudito orbi proponere, quò aliquando uberius de Iridium materia tractandi, forsan & hoc phœnomenon aliquid conferre & conducere posset.

Fig. XLVI.

OBSERVATIO CCVI.
D. JOH. MAURITII HOFFMANNI,
De
Vulnere Capitis per cranium & duram menyngem penetrante, atque singulari ibidem notato arteriarum pulsu.

Juvenis XXII. annorum, Mense Martio Anni suprà millesimum, sexcentesimum, octuagesimi quinti, tempore nocturno, à milite ebrio, cui fores pulsanti aditum pandere paratus erat, ex improviso acinace graviter petebatur, vulnere suprà sinistrum sincipitis os & vicinam ossis frontis partem, versus ejusdem lateris oculum, ad manus transversæ longitudinem inflicto, quod sanguinis subita largaque profusio insequebatur, cui sistendæ unicè intentus Chirurgus Castrensis forte obvius, an profundum esset nec ne inductum vulnus, haud attendit.

Enimverò cùm horâ post deligationem elapsâ vulneratus animo frequenter exsolvi cœpisset, parentes & adstantes soliciti me accersere jubent: Advenio, & in vulneris conditionem inquiro; refert Chirurgus, se suspicari, illud, præter integumenta capitis, ultra laminam cranii exteriorem non pertigisse; aliud tamen ægri symptomata innuere videbantur, quare cer-

A. Sol sub nube.
B. Arcus Iridis, in nube ad instar columellæ directè oculo obversus.
C. Oculus.




Fig: 46
fol. 428.

Scutellæ Iridum, è rarithecio Steprodiano.

Facies interior.

Facies exterior.



Ponderat Aureum, minus Albo Francofurtensi.





Ponderat Ducatum, minus Albo Francofurtensi.





Ponderat Aureum.



Fig: 45. p. 423.



Ducatum tantillum præponderat.



re certior fieri cupiens vulnus mox religari curâssem, nisi nox, summa patientis prostratio virium, & parentum, sanguinis denuò emanaturos largiores rivulos metuentium, preces obstitissent. Solùm igitur præscripsi Aquam corroborantem temperatam, cum pulvere Marchionis, Ocul. Cancr. & magisterio margaritarum solubili.

Altero die vulneri, conspectui meo à Chirurgo exposito, oculos advertens, inter ejusdem labia sanguinem in θρόμβον condensatum reperio, profunditatem vulneris occupantem & occultantem, tenaciterque inhærentem; quapropter ut terminum interiùs perspicere possem, Chirurgum volui oleo rosaceo tepido cruorem primùm emollire, ac dein filamentis concerptis stilo obvolutis abstergere: successit negocium ex voto, atque demum exactè patuit, vulnus per tegmen cranii osseum duramque menyngem ad piam usque subjectam, illæsam tamen, penetrâsse, cerebro ipso æquabili arteriarum pulsu vibrato visum nostrum subeunte.

Adhibebantur tunc ea remedia, quæ medendi methodus sibi postulabat; Nempe enim Decoctum & Essentia travmatica vulnerato subinde propinabatur; vulneri indebatur telâ exceptum teneriori Digestivum, ex Ol. Rosac. ℥j. Vitell. ovi num. 1. Terebinth. in Aq. betonic. & salv. lot. ʒiij. Gum. elemi in Ol. Rosac. suprà ignem lentum dissol. & colat. ʒiß. Thur. & Croci āā ℈ß. paratum; exteriùs confinia defensionis loco ol. rosac. ac violaceo inungebantur; Læso capiti Empl. de betonic. applicabatur, sacculus denique betonic. veronic. salv. chærefol. plantag. fl. chamamel. melilot. sambuc. ros. rubr. hyperici, summit. rorismarini &c. repletus, vino rubello oligophoro calido immersus ac expressus, pro fomento blando superimponebatur.

Atque sic vulneratus triduum sat commodè exigebat, quarto autem die conquerebatur de vehementiori in cerebro, vulneri proximo, pulsatione, eratque ista arteriarum, paulatim ita increbrescens, ut etiam in hypocausto è longinquo ad-

ſtantium aures feriret, veluti ictus obtuſus malleoli ad aſſerem impulſi; ſuccedebant vigiliæ, nec non quædam inflammationis indicia ſeſe prodebant, quibus cùm per remedia idonea externa & interna, moderatamque in manu celebratam, Venæſectionem, obviam itum eſſet, vulneratus quidem meliùs ſe habuit, revertente nihilominus per intervalla motu iſthoc pulſatorio vehemente, deligato licet vulnere, medicamentisque cooperto ad notabile ſpatium perceptibili. Ex quo autem poſteà per poros ſubſtantiæ cranii ſolutionem continui perpeſſæ ac inprimis meditullium ros nutricius ſubinde extillans calli deſignavit primordia, dicta arteriarum pulſatio paulatim ceſſavit, prorſusque evanuit, & tandem unguento de betonica admoto, ac pulv. ex rad. ariſtoloch. rot. veræ, Irid. florent. atque tantillo myrrhæ oſſibus diviſis callo conglutinandis inſperſo, vulnus, divinâ favente gratiâ, feliciter conſolidatum eſt.

OBSERVATIO CCVII.

D. JOH. MAURITII HOFFMANNI,

De

Ovarii fœminei hydatidibus.

TEſtes muliebres nec teſtium cadavera nec ſigni tantùm gratiâ conditos eſſe, uti nonnulli quondam voluerunt, oculatæ modernorum Anatomicorum manus credunt, ex quo viderunt, eosdem ovulorum ſeminalem materiam continentium fœcundum conſtituere domicilium: Præter ovula autem anno abhinc ſuperiore in cadavere infanticidæ ſolertiſſimis noſtris philiatris demonſtravi hydatides, ſive veſiculas orbiculares humore limpidiſſimo repletas, numero tres, magnitudine ovula ſeminalia vera ſuperantes, magis pellucidas, & à membranâ exteriori teſticulum ſive ovarium dextrum, quâ parte uteri fundum recipiebat, involvente erumpentes, proximèque ſibi invicem accumbentes, quos cùm dein

aquæ

aquæ fervidæ immersissem, humorem inclusum non adeò promtè, quemadmodum seminalem ovulorum liquorem, concretum deprehendi, sed aliquantum saltem turbidum factum. Originem dictarum vesicularum si quis ex me quærat, quantum eam mentis conjectura assequitur, existimo vesiculas tales evenisse, aut propter ruptas aliquas tunicæ ovarium investientis fibrillas, & lympham hinc guttatim effusam nutriciam in vesicularum formam deinde concretam, aut propter lympham interceptam tunicamque ovarii distendendo in vesiculas attollentem, non absimili modo, ac à sero quod cutis poros permeavit, sub cuticula coërcito, hancce in vesiculas elevari sæpius cernimus.

OBSERVATIO CCVIII.
D. JOH. MAURITII HOFFMANNI,
De
Tumore seroso lymphatico ad vertebrarum lumbalium secundam enato.

ENixa est ante hos sedecim circiter menses, Lucinâ ob difficilem partum diu in vota vocatâ, mulier rustica puerum primùm ceteroquin salvum, cui mox post aliquot dierum intervallum suprà vertebrarum lumbalium secundam tumor enasci visus est mollis, tenuique cutis distentæ amiculo cinctus, quotidiè incrementum sumens, donec spatio sex septimanarum elapso in molem pomi aurantii majoris assurrexerit, supinumque decubitum prorsus impedierit. Anxia mater Chirurgi opem imploravit, qui cùm tumorem istum nec mediante ligaturâ averruncari, nec sectione tutò tolli posse animadverteret, in consilii partem me assumsit: Ego ex mollitie, pelluciditate aliisque sensuum indiciis lympham intrà tumorem coërceri, hancque ob violentam trunci illo in loco factam contorsionem, (corpore enim convoluto, ac natibus exitum

exitum in diâs has luminis oras molitus est puer, ac summo adjuvante matris nisu demum consecutus) & rupta ibidem ligamenta vertebrarum corpora devincientia effusam esse conjiciens, lenem suasi per puncturam cum lancetta apertionem tumoris in parte laterali decliviori, quâ factâ serum lymphaticum emanavit limpidissimum, (post institutam dein suprà carbones evaporationem, in substantiam cocto ovorum albumini simillimam concretum) exiguâ primùm quantitate emissum, foramine turundâ mox obturato, deinceps autem hac remotâ, per vices omne paulatim eductum. Subsedit itaque tumor, ac exteriùs imposito Emplastro, ex diapalma & stictico Crollii cum Oleo hyperici malaxatis, confecto, prorsus evanuit, cute tantùm in rugas contractâ ibidem remanente.

Fig. XLVII.

OBSERVATIO CCIX.
D. JOH. MAURITII HOFFMANNI,
De
Umbilici Exulceratione suctionem impediente feliciter curatâ.

INter pessimos obstetricum nutricumque nostratum mores & ille non immeritò recensendus erit, quòd puellis recens natis, ne eburneæ abdominis testudini umbilici prominentia deformitatem pariat, aut ipsæ futuro tempore in partu exomphalon tàm promptè patiantur, umbilicum introrsum deprimere soleant, pollice imposito ac in gyrum circumducto: Ut enim nunc non dicam, id absque notabili doloris sensu haud fieri posse, sæpius propter dilaceratas simul umbilici, nedum firmitudinem nacti, fibras inflammatio & exulceratio supervenire solet, sicuti filiolæ Nobil. cujusdam Viri ante biennium, & quod excurrit, obtigit; quam cùm mater proprio nutrivisset


a. Tumor serosus lymphaticus.
b. Locus apertionis factæ.
Fig: 47.
p. 432.
a
b


Fig: 48.
p. 434.
a.a.a.a. Integumenta capitis, cum folliculo resecta, ac dimota.
b. Meliceridis materia.
c. Fasciculus pilorum.

ſet lacte, evenit, ut alterâ à partu ſeptimanâ recens nata, papillis licet ori ipſius inditis, ſugere nollet, ſed ſuctionem attentans, in clamorem vehementem ac ejulatum verteretur: Muliereculæ prout omnes fermè medicaſtræ eſſe aut videri volunt, varias ejus rei accuſaverunt cauſas, illa quidem tormina ventris, altera frænulum ſub lingua arctius, tertia matris papillas exiliores; avtopſiâ demum anguem in herba latitantem monſtrante. Nempe enim remoto plumaceolo, quo tectus erat umbilicus, idem rubens & ſuppuratus apparebat, infauſto pollicis artificio ſæpius miſerè contortus & intruſus, hinc quoties puella iſthæc pro ſuctione obeundâ, cum thorace abdomen diſtendebat, doloris ſimul excitatâ vehementiâ papillas relinquere cogebatur. Parentes eapropter commiſeratione permoti, tabellario celeri miſſo opem meam expetierunt, quam ut ferrem, ad præcavendos jamdum imminentes inſultus epilepticas puellæ exhibui pulverem antepilepticum abſorbentem, exteriùs autem umbilico pus ſtillanti applicare juſſi ſeq. Unguentum:

℞. Unguent. albi de ceruſſ.
diapompholyg. āā ʒij
Ol. ovorum ʒjß.
Mſ. dr. ad uſum.

Et benedicente remediis Archiatro Supremo, umbilicus conſolidatus puellam ſanam ac ſuctioni denuò aptam reliquit.

OBSERVATIO CCX.
D. JOH. MAURITII HOFFMANNI,
De
Meliceride pilorum faſciculum intus ſimul continente.

JUvenis XXIV. annorum, vitæ ſedentariæ deditus, & alienæ dextra vicaria pennæ, ſuprà autem dextram in capite ante biennium hîc correptus eſt tumore molli & absque dolore

contactui cedente, qui à Chirurgo apertus meliceris visus est, materiam siquidem folliculo membranaceo inclusam concreto melli similem continuit, à lymphæ portionibus salinis volatilibus cum oleosis quibusdam ac pituitosis particulis in coagulum redactis procul dubio ortam. Singulare autem, & cujus gratiâ me post apertum tumorem præsentem volebat æger, erat fasciculus pilorum, magis, quàm capilli capiti circumfusi, nigricantium, ex imo tumoris & proximi ossis temporalis summitate assurgens, & per materiam inclusam ad ejusdem fermè altitudinem usque sese exporrigens, ab omni tamen cum integumentis capitis exterioribus cohæsione liber. Veneficium æger & adstantes accusabant, pilorum intrà dictum tumorem proventum neutiquam naturalem rati, quibus tamen ego pollicem haud pressi, quin potiùs eorundem pilorum ortum monstravi naturalem esse ex bulbis quibusdam radicalibus sive rotundis ac mucosis capitulis ovali suo involucro implantatis, à cute hîc quidem ob intercedentem tumoris materiam separatis, & ossi subjecto connexis, unde etiam aliquot diebus factâ repetitâ tractione demum avelli potuerunt.

An verò nervus, sicuti Anatomicorum nostri seculi Argus Clariss. *Malpighius* aliàs observavit, ad involucrum ovale horum etiam pilorum propagatus fuerit, visus acies assequi minimè potuit, id tamen notatum, quòd fasciculo eorundem manibus apprehenso & attracto doloris exquisiti sensus ægrum habuerit.

Fig. XLVIII.

OBSER-

OBSERVATIO CCXI.

D. JOANNIS BENEDICTI GRÜNDELII,

De

Gallo Gallinaceo Oviparo.

OVa cum Gallis Gallinaceis jam aliquoties curioso orbi exhibita fuisse, attestantur nostræ Ephemerides. Miratus ego sum inter alias observationes, præsertim illam miratu satis dignam, quam Nobiliss. Noster Collega *D. Ledelius*, *observat. 145. Anni I. Decur. II. Misc. Curios.* de simili Gallo Grunbergæ Silesiorum Anno 1682. mactato profert, in quo tanta exstitit malignitas, ut non solùm illa fœmina, quæ occisionem peregerat, subitaneis animi deliquiis, & vertigine fuerit correpta, sed etiam gallinæ ipsæ sanguinem ejus gustantes altero die expiraverint, imò & canis, qui has plumas in fimeto degustâsset, in rabiem protinus fuerit redactus. Contrarium tamen ego hic Marpurgi, elapso Anno 1686. in simili ovo à gallo die 10. Aprilis in domo Jesuitica genito expertus sum: Erat autem hoc ovum, ratione quantitatis, minus ordinario gallinaceo, paulò tamen majus columbino, de cætero utcunque pellucidum, quamvis in superficie testæ advertere-tur aliqua inæqualitas, & scabrities; Statueram ego Gallum ipsum exenterationi committere, ac curiosiùs indagare, utrùm ovarium aliquod juxta Clarissimum *Regnerum de Graff* descriptum adesset, verùm subitò ad Illustrissimum quendam patientem aliquot milliaribus distantem vocatus, aliquamdiu emanere coactus fui, tandem domum redux, dum propositum meum cum Chirurgo in actum reducere vellem, inveni gallum istum jam è vivis sublatum, narravit enim mihi inquilinus in domo Jesuitica, quòd iterum die 16. Aprilis novum ovum, præcedenti haud dissimile ab eo fuerit exclusum, hinc timens, ne successu temporis basiliscos generaret, prouti à mu-

lierculis non nullis audiverat, ſubitò illum mactavit, & cum oryza coctum die 21. ejusdem, quæ erat Dominica in albis, totum quantum cum uxore absque omni ſcrupulo comedit, neque ullam exinde noxam poſtmodum animadvertit. Ulterius de circumſtantiis perſcrutando intellexi, Illum fuiſſe 7. annorum, & tria ova jam poſuiſſe: primum ante medium circiter annum, quod à gallinis fractum fuerat: ſecundum die 10. Aprilis, de quo hic mentionem feci, ac poſtea Magnifico & Perilluſtri *Domino Doctori Illmero*, Archiatro, & Conſiliario Cæſareo Viennam miſi: tertium paulò ante mortem, quod quidam civis in præſentia aliorum aperuit, ac ſolum albumen omni vitello deſtitutum deprehendit. Audivi præterea illum, dum viveret, tam in cantando, quàm in Venere exercenda ſemper fuiſſe alacrem, poſt mortem autem nec ovi, nec ovarii ullum apparuiſſe indicium, prouti hic Inquilinus cum ſua uxore aſſeruit. Utrùm hic cum Hermaphroditis quidam analogiſmus, & ubi proprius locus ovorum generatorum fuerit? me latet, accuratioribus Naturæ perſcrutatoribus relinquo examinandum.

OBSERVATIO CCXII.

D. JOANNIS BENEDICTI GRÜNDELII,

De

Alio Gallo Oviparo.

ALiud exemplum exhibet fœcunda volatilium mater noſtra Styria: Pagus eſt in ſuperioribus partibus penes Muræpontium, ad S. Dionyſium dictus, ubi ruſtici cujusdam gallus Anno 1685. die 28. Julii ſimile ovum peperit, quod poſtmodum, utpote munus valde rarum, loci Parocho, Domino Joanni Adamo Mandl fuit oblatum, ad indagandum, quidnam natura in hoc ſubjecto haberet abſconditum; Dum autem poſt 14. dies præfatus Parochus in præſentia ſui Sacellani, & R. P. Julii Ord. S. Franciſci Minor. aperiret,

& cultello

& cultello ſcriptorio in orbe ligneo divideret, invenit liquorem, etiam vitello deſtitutum, in viſcoſitate albumini ordinario non multùm diſſimilem, eo tamen paulò obſcuriorem: in centro ovi apparuit vermis quadrupes, coloris nigri, & quoad figuram lacerto parvo ſimilis, cum cauda inter pedes incluſa, quam poſtea adſtantes ope cultelli ſeparârunt, & ad poſticam partem transtulerunt. Poſteà cum hoc ovum unà cum orbe ligneo in culina Vulcano conſecraretur, flamma varios colores induens, abominabilem excitavit fœtorem, gallus demum etiam, qui ſeptimum jam agebat annum, è vivis juſſu Parochi ablatus eſt, ne pariendo alia ova, alia pareret incommoda. Hæc ex relatione prædicti D. Parochi, viri fide digni, & amici mei refero.

SCHOLIUM.

QUam multis dubiis & obſcuritatibus relationes de ovis gallorum gallinaceorum ſint involutæ, Exc. noſter *Oribaſius* in ſua *Cologia curioſa* aliquando exponet; cum quo, occaſione ovi, quod in pago Walpen, non procul Günsburgo ſito, An. 1683. anſer maſculus ferè rotundum peperiſſe, in quo vitellus nullus, parvulus tamen vermis fuerit repertus, Nob. noſter *Solon* mihi indicaverat, amicam tum disceptationem habui. Ut autem voluntati Clariſſ. noſtri *Cœlii Aureliani* ſatisfaciam, mentemque meam huic obſervationi ſubjungam, non quidem propriè ſic dictum ovum, oviforme tamen aliquod corpus à gallo gallinaceo poſſe excludi, haud incredibile mihi videtur; dum variis in partibus hydatides, quæ tunicâ ſuâ & liquore ei incluſo ovula, teſtâ nondum obducta, mentiuntur, generari perpendo; quale exemplum in ventriculo repertarum hydatidum, in *Ephemeridibus noſtris Ann. præced. II. Obſerv. 18.* & *Append.* proſtat, quas ideò veſiculas, membranâ validâ liquorem aqueum continentes, corpuſcula oviformia, & ſubventanea quaſi ova vocare libuit Nobil. *D. Cleyero.* Porrò cùm urinæ avium ſedimentum quoddam album inhæreat, &

cum ea ex renibus in cloacam alvinam descendat, quo de videatur *Guil. Harvæus exerc. 11. de generat. animal.* illud vesiculæ hujusmodi, pariter in cloacam illam delatæ, adglutinari, sicque obduci crustâ posset. Cùm itaque in gallorum intestinis tum pituitæ viscidæ, cumprimis in annosis majorem lentorem, ob spirituum aliquam penuriam, qua debita ejus rarefactio & attenuatio retardatur, induentis, præsentia adsit, ex qua spumescente quasi dictæ oriri possunt vesiculæ, tum & serosus ille & tartareus non desit renalis humor, globulorum oviformium in masculino gallinaceo genere concretionem non planè pro impossibili habere possum.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CCXIII.

D. JOANNIS BENEDICTI GRüNDELII,

Constipatio alvi à melonibus comestis & à limacibus soluta.

MElones aliàs alvum laxare, & diarrhœas excitare, sæpè nos docuit experientia, imò aliquot Monachas exinde in dysenterias lethales incidisse, referunt Historici. Nihilominus notus mihi est quidam Capucinus P. E. curæ meæ ante annum commissus, qui toties per 3. aut 4. dies constipatus manet, quotiescunque melones in magna quantitate comedit, & è contrà à comestis limacibus adeò lubricam acquirit alvum, ut octies & sæpiùs de die purgetur, acsi verum sumpsisset catharticum. Perversa hæc operatio Ideosyncrasiæ alicui ordinariò adscribitur, existimo ego tamen, quòd penes eam etiam multum adjuvare possit prædicti Patris obesus habitus, & copiosa humoris serosi saburra, ob quam ad hydropem parentibus & consanguineis hactenus familiarem, & ut plurimùm fatalem valde inclinat; dum enim melonum pulpa in ventriculo copiosos humores aquosos suppeditat,

tat, facilè exinde potest fieri, quòd humores serosi, antea in corpore stagnantes, per hoc adhuc magis aucti, vasa etiam magis distendant, unde eorum tonus, & excretio læditur, quemadmodum vesica urinaria muneris sui excretorii obliviscitur, si nimia lotii quantitate onusta, & distensa fuerit.

OBSERVATIO CCXIV.
D. JOHANNIS BENEDICTI GRÜNDELII,
A fragis comestis varia inducta Symptomata.

ELapso anno 1686. 23. Junii ad arcem aliquot milliaribus distantem vocatus, inveni Magnatis cujusdam ministrum nephritide satis inveteratâ laborantem, dum itaque præscriptis jam remediis pharmaceuticis etiam de diæta instituenda me adstantes consulerent, & de fragis, utrùm in hoc affectu concedenda essent, mentionem facerent, retulit Dominus patiens, se quidem nullum horrorem habere â fragis, imò ea bono adhuc cum appetitu posse sumere, iis tamen in notabili quantitate comestis, sequentia symptomata semper, & immediatè expertum fuisse: nimirum exoriuntur anxietates, angustiæ pectoris, leves calores, & universum corpus rubedine valde intensâ tingitur, acsi erysipelate universali laboraret, superveniente tamen levi sudore, & rubedo, & calor, aliaque symptomata sponte evanescunt, ità ut post duas â comestione horas nec ullum appareat vestigium; solummodò debilitate quadam corporis remanente. Si verò ea sumantur in pauca quantitate, putà unius cochlearis, cutis quidem non rubescit, interim tamen anxietates, & debilitates aliquales sese insinuant, ità ut omnimodè sint vitanda. Alius mihi Illustrissimus Vir notus est, qui aliquoties jam ab iisdem comestis in febres tertianas incidit, ut æque ab illis cogatur abstinere.

SCHO-

SCHOLIUM.

Similiter *Andr. Libavius de antipath.* cujusdam commilitonis sui mentionem facit, qui quoties fraga comedisset, subito tumore, rubore, prurituque totius cutis, perinde ac si scabie sicca laboraret, incidit, quæ cutis defœdatio paucis diebus rursus evanuit; & beatus noster *Sachsius* feminam noverat, quæ comestis fragis rubris in facie maculis statim se prodentibus defœdabatur, ceu refert *Gammarol. lib. 2. sect. 1. cap. 4.* pariter *D. Thom. Bartholinus cent. 3. hist. anat. 57.* in viro, juxta cum sudore largo, rubentia exanthemata per universum corpus erumpentia observavit, atque *D. Hermann. Grube de simpl. medicam. facult. pag. 113.* tumoris brachii cum maculis purpureis, aliisque symptomatibus in Studioso, à sudore prolecto iterum convalescente, notavit. Cujus eventus causam laudatissimus *Bartholinus* in vim fragorum sudoriferam reponit, præcipuè cùm fraga diureticam vim possideant, diaphoretica autem & diuretica inter se commercium exercere soleant, quæ utraque in expellendo sero occupantur. Quæ conjectura satis probabilis videtur, ita ut fraga, ceu fructus, si fuerit maturus, brevi putrescens, ideoque etiam promtè in ventriculo resolubilis, atque hinc etiam facilè corruptibilis, ab individuis aliquibus, quorum sanguis excrementitiis fermentescibilibus particulis inquinatus est, comesta, volatili suo sale ac sulphure, quorum sapor vinosus & odor gratus indicium præbent, hasce resolvendo, separando & agitando ad corporis peripheriam, non sine molestiæ sensu, expellat; ut ita ad venenum serpentinum, bufoninum &c. extrinsecus fragis adhærens, nec priùs aquâ ablutum, confugere haud opus fortè habeamus, majora procul dubio symptomata, si in culpa illud foret, producturum, nec tam facilè è corpore recessurum. Interea tamen, quia rara admodum est sanguinis ista effervescentia, nec in quibusvis individuis, licet fraga copiosè comederint, stomachumque non adeò ritè digerendis iis adcommodatum habuerint, excitetur,

singu-

singularem, & tali orgasmo aptam sanguinis dispositionem, cujus tamen naturam determinare, meum superat captum, & ita sano sensu antipathiam non omninò excluderem, quam fortè matris prægnantis imaginationi in fœtum agenti ortum aliquando debere, cum *Libavio* non absonum esset statuere. Prout verò cum multis aliis rebus, sic inprimis etiam cum fragis comparatum est, ut à quibusdam, ob peculiarem idiosyncrasiam, ferri nequeant; qualia exempla tum à *Joh. Udalr. Rumlero* in *Obs. med. 69.* tum in *Dec. I. Ephem. harum Ann. III. Obs. 201.* à Nobil. *D. D. Garmanno* notata fuerunt.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSERVATIO CCXV.

D. JOANNIS BENEDICTI GRÜNDELII,

De

Usu acidularum Roitschensium in febribus intermittentibus.

VArio morborum generi subjecta fuit elapso anno 1686. nostra Styria, plurimum tamen passa à febribus intermittentibus, uti & à dysenteriis in æstate, & autumno epidemicis; observavi sæpè in praxi, quòd tales febres per febrifuga, & dysenteriæ per opiata intempestivè ab Empyricis adhibita satis citò quidem fuerint curatæ, interim tamen eas paulò post colicæ gravissimæ, tandem in paræsim degenerantes, utplurimùm consecutæ sunt. In paræsi hac jam actu inducta purgationes per epicrasim institutæ, ac ultimò Thermæ nostrates methodicè adhibitæ multum præstiterunt: In præcavenda verò, (nimirum illa, quæ febres consequi solet) acidulis Roitschensibus in inferiori Styria scaturientibus, nihil utilius reperi, has enim, præmissis scilicet præmittendis, in declinatione paroxysmi, die intermissionis, tandemque cessante jam febri biben das sæpiùs porrexi, quibus saburra cacochymica

evacuata eſt, ac viſcera adeò contemperata, ut poſtmodum paralyticam hanc ſobolem, tunc temporis ordinariam febrium pediſſequam, & curatu valde difficilem, nunquam amplius viderim: Conſtant autem laureatæ iſtæ, & plurimorum morborum victrices aquæ, acido bene contemperato, & proportionato alkali, unde maſſa ſanguinea abundè corrigitur, & à ſalibus ſylveſtribus totam microcoſmi œconomiam perturbantibus rurſum liberatur.

[Marpurgo Styriæ Anno 1687. die 9. Januarii Noribergam miſſæ.]

OBSERVATIO CCXVI.
D. BENEDICTI HERMANNI,
Hæmorrhoidum fluxus Vomitorio curatus.

PUrgantia omnia, cùm ob acres ſuas & volatiles Salino-Sulphureas particulas, humores corporis, & inter hos Sanguinem quoque, turbent, fundant, & Naturam ad excretionem irritent, hisque effectibus Vomitoria violentum adhuc motum & totius corporis concuſſionem ſuperaddant, facilè concludendum videtur, minùs commodè hæc in quavis Sanguinis excretione p. n. propinari; ut quæ promoveretur hinc magis quàm ſiſteretur: Dari tamen caſus, in quibus præſentanei ſint usûs Vomitoria, ſequens docet Hiſtoriola Medica. Vir honeſtus quadraginta & aliquot annos natus, hæmorrhoidum fluxui non rarò, ſed tum inprimis & copioſiori & diuturniori obnoxius, cùm ex officii civilis ratione Baccho vel plus vel ſæpius ſolito litare tenetur; tali enim prægreſsâ causâ non dies duntaxat aliquot, ſed integras ſeptimanas nonnunquam duravit, cum inappetentiâ, virium lapſu, colore faciei decolore, &c. Sumtâ itaque aliquando à dictâ causâ occaſionali & appetitu proſtrato indicatione, Tartari Emet.

gr. iiij.

gr. iiij, sat aliàs robusto exhibui, & en! vix dum cessante vomitu hisce concitato, omnis illicò fluxus, qui à 14. diebus jam continuaverat, cum euphoriâ cessavit: Quo successu permotus, aliquot posteà vicibus in simili casu simili usus remedio, simili quoque semper, id est, optato gavisus est successu. Nimirum Salinæ Vini particulæ nimiâ copiâ in Ventriculo congestæ, & fermentum ejus corruperunt, & cum chylo quoque sanguini atque bili sua spicula communicarunt, unde humores hi & fluidiores & acriores redditi, facilem sibi per vasa hæmorrhoidalia viam pararunt; Salinâ verò hac tàm Ventriculi quàm vesicæ felleæ saburrâ partim vomitu rejectâ, partim eâ, quæ Massæ Sanguineæ jam tùm permixta erat, per Colatoria forsan in evacuatæ locum resorptâ vel repositâ, Sanguis suæ restitutus crasi & consistentiæ, jam multò pacatior, suis se spontè continuit alveolis.

[1687. d. 8. Febr. Memmingâ Augustam missa.]

OBSERVATIO CCXVII.
D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
De
Inflammatione Renum.

INter ea, quæ observatione digna sunt, non solùm numeranda videntur rarius contingentia alia, sed & morbi, qui non ita frequenter occurrunt; quorum theoria quidem certa est, non minus ac curatio, phænomena tamen historiis certius emicant. Exemplo sit renum inflammatio, quam, lethalem licet, in Studioso Ann. MDCLXXXV. vidimus. Erat hic gracilis & biliosus, sed sui paulo negligentior, siquidem tribus primis diebus, ut fit, morbum minus curaverat. Aderat dolor lumborum maximus & tantum non convulsivus, cum vomitu, & ardore inter urinandum. Calor & pulsus febrilis urgentissimum dolorem comitabantur, cum summâ sanguinis efferatione: vesperi malum augebatur.

Adhibita bezoardica, diaphoretica, venæsectio, clysteres, potiones & emulsiones alterantes, acidula, præcipitantia, nervina, anodyna, linimenta, sacculi, nihil non, sed omnia frustra. Die quinto faces illæ in corpore reliquo accendebantur magis, inflammabantur oculi, nihil remittente dolore priori, rubebat totum corpus & velut petechiis pingebatur undique. Septimo moriebatur. Occasio fuerat potus & motus largior, fama etiam quædam de hausto philtro, sed incerta. Confirmare hæc possunt à *Sennerto in praxi* de hoc affectu tradita.

OBSERVATIO CCXVIII.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

De

Aloe largius assumptâ.

ALoes & absinthii non est tanti sentire auxilium, quàm ut amaritudinem sentias, inquit *Musa*. Verùm id est sine dubio, si dosin majorem, prout olim in usu erat, quis assumpserit. Cum itaque ob amarorem illum eximium vix hodiè nisi minori præbio in usum cedat, & hoc quidem pacto, (quod paradoxum videri posset,) plus operetur, quàm majori, positâ sufficienti lymphæ glandosæ in primis viis quantitate, desierunt ferè experimenta, quid in majori dosi præstet aloe. Neque enim iisdem opus erat, quandoquidem quod per pauca fieri potest, non opus erat, ut pluribus peragatur, prostantibus inprimis succedaneis melioribus, largo proventu. Illustrare nihilominus eadem possunt aloes operandi vires. Novimus Studiosum Westphalum pro ordinariâ purgatione, nescio unde traditâ, hausisse Aloes Socoterinæ ℥ß. seu unciam semis, cum Spiritu Vini loco vehiculi. Alius ab eodem edoctus amicus tantundem assumens, quanto cum tædio, facilè concipi à gnaris potest, inde sex sedibus saltim circa vesperam purgatus est.

Beni-

Benignior nempe est aloe, & inter Benedicta laxativa numerata, plus operans in humidioribus, saltim quoad intestina, & tenerioris texturæ subjectis. In ficcioribus parum vel nihil laxat, imò non rarò magis obstruere alvum videtur, quod aliàs extrinsecus ob balsamico-terream qualitatem ipsi proprium est.

Et benedicta hæc medicina homini, brutis non paucis, communi cum aliis amaricantibus quibusdam virtute, est venenum, quod ut hujus loci non est, ita fieri inter alia putari potest, quod exhauriat nimis & coire faciat lympham in siccioribus illis; Quod exacuet bilem & in spasmos cieat villos nerveos in peristromate intestinorum ipsiusque ventriculi; quod massam sanguineam reddat vitali illorum principio improportionatam.

OBSERVATIO CCXIX.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

De

Lordosi.

NOn una spinæ dorsalis in figurâ suâ mutatæ, (gibberem latiori sed improprio paulo sensu vocare liceat,) sunt species. Fundamentum verò præcipuum & norma quasi omnis hujus irregularitatis optimè traditur ab *Hippocrate*, quando *l. de oss. nat. c. 2. t. 6. seqq.* spinam quatuor modis secundum naturam variantem & ex αὐτοψίας quidem seu anatomes ductu, deprehendi asserit. Est enim vel videtur esse partim κυφὴ *gibbosa*, quoad inferiorem plagam, partim λορδὴ, *repanda*, quoad cervicem, seu superius clima. Inter hæc duo extrema est iterum modò ἰθύλορδος, *è directo repanda*, modò ἰθυκυφὴς, *è directo gibbosa*; illud inferius, hoc superius obtinet.

Hâc alternatione positâ & conceptâ facilè inordinationes circa vertebras dorsales seu spinæ hujus clarent & dijudicari queunt. Sufficit nobis inter alias elegantes explanationes,

oppoſita eſſe vitia κύφωσιν, *gibboſitatem*, & λόρδωσιν, ſeu ſpinæ inflexionem prorſum concedentem, εἰς τὰ πρόσω, ut loquitur *Galenus*; ſeu ἔμπροσθεν, ut *Interpres Theocriti*. Prior ſpecies, (neque enim alias jam attingere attinet,) communiſſima & nemini non nota eſt, altera λόρδωσις rarior.

Vidimus hanc in puellâ nobili quinque annorum circiter, ante annum, quæ dorſum λορδὸν, ſeu verſus anteriora repandum, einwarts gebogen/ exhibebat, abdomen verò conſequenter prominens & velut turgidulum. Unde verò inter eundum & moleſtiam & deformitatem oboriri neceſſum erat, centro gravitatis & flexionis, quod ex naturali illâ figurâ accuratè reſultat, mutato. Succurrere huic vitio admodum difficile eſt, cum moles ſuperioris corporis inferiori ſpinæ baſi ſuſtinenda ſit. Suadere tamen, ut quantum fieri licet opem feramus, conſultum eſt tum emplaſtra roborantia, tum ferulas æneas, aliasque ſimiles machinas, quæ inferiorem illam centralem regionem firmant, ut ferundo ſit impoſito oneri, non omiſſis ſpleniis & faſciis debitis.

OBSERVATIO CCXX.

D. MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI,

Incubus lethalis.

EPhialten nocturnum illud malum è caſto Verbi *Inſilire* Utero prodeuntem, prodromum Apoplexiæ, Epilepſiæ, Maniæ, cæterarumque Furiarum morboſarum unanimis hactenus Medicorum Chorus credidit; lethalem verò obſervare mihi licuit, cujus obſervationis ſuſurro anſer tot curioſis interſtrepere volui Oloribus.

Juvenem 18. annorum quoties placidus clauſiſſet lumina ſomnus, in quocunque latere decumbentem, cordolium tangit & angit, comprimit pectus

Monſtrum horrendum informe ingens cui lumen ademptum;

hac-

hacque compreſſione Microcoſmi Æoliam coarctat, indeque reſpirationi inviam viam reddit; ejulare, vociferari, incumbentem Dæmonem conviciis petere, pugnos cum illo conſerere, brachia brachiis inſerere, falsò ſe credit; cum immoto reverà Linguæ artuumque motu mortui ad inſtar in lecto procumbat. Tandem movendo nihil promovens expergiſcitur, vires dejectæ, ut neque pes neque manus ſuo fungi poſſit officio; oculi (ut in præjudicio eſt) quaſi fracti, palpitans Lingua, Reſpiratio adhucdum difficilis, unico verbo, nil niſi Mortis imago. Inſomnem Juvenem per totum ferè diem dirum hoc ſomnium reddidit; quo ſpatio ſpiritum vix ac ne vix trahens adſtantibus, invidorum Fatorum vices retulit. Moriente jam die lethi rurſus fratre & quidem placidiſſimè per ſemihorulam corripitur, ſuccedunt ronchi ex intimis viſceribus hauſti, ſuſpiria concatenata, irritæ iræ, vana conamina, inſana ferocientis incubi præſagia. Vellicat dormientis aures adſtantium murmur, tangunt artuum extremitates ſetarum cuſpides, nares graveolentium exhalationes feriunt, alvum denique ſuppoſitorium acre ſollicitat, ſed in caſſum omnia. Integras tres ſomni horas concomitabantur decumbentem hæ anxietates; Luci tandem redditus Latonæ facie plenâ reſplendentis imaginem præ ſe fert, tumida facies oculorum cavitates ferè implet, ut maximè diſtaret ab illo olim Juvene quem nitidula facies Cypariſſi de gente comptulis nepotibus adſcripſerat. Prædixi rebus ſic ſtantibus triſtia auguria, nec fefellére præſagientis animum. Immerſo enim iterum ſomno, placida licet breviſſima quies effœtum incubi Fœtum rurſus progenuit. Varia adhibita, ſed irritus Labor ubi Parca non decrevit parcere. Per horam integram rurſus incumbente & deſæviente malo, tota facies quanta quanta erat nil niſi veſicula, limpidiſſimo liquore acidum ſpirante repleta; Deformis ſanè Forma. Inde

Obſtupui, ſteteruntq; comæ, vox faucibus hæſit,

cum moribundus ter Salvatoris *JESUS* nomen ingeminans, incubum alta voce increparet, adſtantes Amicos ſalutaret, ultimum

mum ſcil. Vale dicturus. Et ſic in momento cum ejus Vita lethalis incubus, gemitus, ejulatus, & hæc mea obſervatio ceſſat.

OBSERVATIO CCXXI.
D. GEORGII FRANCI,
Vermes Cucurbitini in Infante.

VErmium quædam ſpecies eſt latorum, qui aliis κειρίαι, item ταινίαι ſeu *Faſciæ* audiunt. Hos ob figuræ, cum ſemine cucurbitæ ſimilitudinem communiter *Cucurbitinos* vocant, qui interdum longitudine adeò excedunt, ut excretum aliquem longitudine *quinque* circiter ulnarum Norimbergenſium notaverit Excell. *D. D. Bruno* in utilisſimo *Lexic. Medic. voce Helminthes p. m. 656.* ubi addit per tota inteſtina extendi, illisque arctiſſimè cohærere. Ego CIↃ IↃC XXCVI. d. 2. Maji ſt. n. ejusmodi vidi in infante *Schonavienſi*, duobus abhinc lapidibus, unius anni cum tribus menſibus, cetera benè valente & εὐσάρκῳ ac adhuc lactente, qui tamen nihilominus & aquam & cereviſiam ſubinde bibere ſolebat, à vino autem, & quidem rectiſſimè, abhorrebat. Ille poſtquam & ἄνω & κάτω aſcarides plurimos rejecerat, tandem ipſis Kalend. Majis excrevit ad ulnarum noſtratium trium, & credo plurium, niſi meticuloſæ anus manu fuiſſet abrupta, catenam ejusmodi cucurbitinorum vermium, quorum quilibet & unguis longitudinem atque latitudinem referebat, & cum in aqua maceraſſent, albidum præ ſe ferebant colorem. Præſcripſi internè Decoctum Aquæ communis cum Mercurio crudo pro potu, quod egregiè unà cum Celeberrimis Practicis jam olim mihi commendavit Excell. *Dn. D. Luberius Erbenius*, Archiater meritiſſimus, Fautor & Amicus cariſſimus. Umbilico autem atque epigaſtrio & hypogaſtrio curavi illini linimentum ex Unguent. de Artanita, fell. tauri, Oleo deſtillat menth. abſinth. abrotan. it. oleo Chamæmelin. laurin. it. Troch. Alttand. &c. Ejusmodi,

ſed

ſed minores paullò tænias nuper in femina quoque obſervavi, ſed fuſci coloris, easque viventes adhuc.

OBSERVATIO CCXXII.
D. GEORGII FRANCI,
Ex terrore Lochiorum Subpreſſio, & inde Phrenitis, Convulſio, ac tantum ferè non Mors.

TError, graviſſimus affectuum graviſſima ſæpè adducit mala, nec ſolum ſitim auget, quod affirmat *Franciſc. de le boe Sylvius lib. 1. Prax. Med. cap. 1. §. 7.* ſed pueris ſæpenumerò Epilepſiam, gravidis abortum, aliisque Syncopen parere ſolet, ceu hæc & alia mala eleganter exponit Cl. *Mœbius Inſtit. Med. lib. 2. part. 2. cap. 7.* Sic ſervam Bataviæ ex terrore in furorem prolapſam meminit *Herm. Buſchoff. in Append. tr.* vom *Podagra* und der *Moxa p. m. 142.* Aliumque ex terrore incendii primò in dyspnoeam & catarrhum ſuffocativum, tandem in Hydropem totius incidiſſe animadvertit Doctiſſ. *Conr. Vict. Schneider. lib. V. de Catarrh. cap. 4. p. m. 301.* Conf. aliud exemplum ap. *Thom. Bartholin. Cent. III. hiſt. 41.* Adde ex *Sennert. l. 3. Prax. W. Höferum in Herc. Med. lib. 2. cap. 1. p. m. 92.* Immò Potollos vel Pocollos Idolum olim Boruſſorum, noctu homines adeò terrebat, ut aliqui morerentur, ceu ſcribit *Caſp. Hennenberger* in Beſchreibung des Landes zu Preuſſen *pag. mihi 10. b.* Notabile eſt, quod ſequitur, exemplum. Generoſi Dn. V. A. de B. Conjux delicatæ corporis texturæ annorum circiter XXIII. jam poſt 3. filiolas edebat filiolum Menſ. Aprili CIƆ IƆC XXCVI. & quidem laborioſè primum, deinceps verò ſatis benè ſe habebat, donec ſeptimo à puerperio die ſubito terrore tironis cujusdam, qui à Magiſtro vapulabat, horrendum clamantis in vicinia, ita percelleretur, ut per totum tremeret corpus, ſubitoque ſubſtiterint lochia. Accedit ſenſim calor in-

gens cum siti, sudore & alvi constipatione, anxietate circa præcordia, lactisque subpressione: Caput dolebat, rugitus & murmura in ventre audiebantur, ruunt omnia in deterius, ut sequente mox nocte morituram crederent adstantes ob lipothymias & imbecillitatem longè maximam. Vocor 29. April. statim præscribo Clysterem ἐκκοπρωτικὸν & carminantem, qui cum profuisset, per illum diem ter repetebatur. Internè singulo trihorio dedi pulverem meum Catholicum cum aqua flor. tiliæ, jaceæ tricol. Card. mar. tarax. & Cinnam. bugloss. quia hanc amabat: Externè naribus confortantia & quodammodo graveolentia adhibui: Mulierculæ verò ipsi utero pessum ex melanthio, croco aliisque. Die 30. Aprilis malum augebatur, adduntur epicarpia & epompholia ex Orvietano cum Castoreo, immò cum omnia symptomata augerentur, adessetque febris acuta, tantaque phrenitis cum ejulatu fortissimo atque furore, ita ut à sex hominibns vix potuerit retineri, oculi micarent, sitis esset immodica &c. imminebant tandem Convulsiones, ac vertici capitis Columbus pullus vivus dissectus imponebatur; naribus affricabantur Spiritus Corn. Cerv. & Salis ammoniac. cum Oleo ligni Heraclini, fiebant suffitus ex plumis perdicum, corio, nuce moschata, immo & vulgo dictis antimagicis. Post noctis meridiem circa hor. 2. matut. d. 1. Maj. visa tranquillior & quasi somnolenta. Mane assumsit jusculum, videbaturq; cum ratione redire in gratiam. Continuantur enemata & pulvis Catholicus, item præcipitantia cum aquis aptis, sensimque symptomata remittebant, incepitque fluxus lochiorum redire. Die 2. Maji materia albicans summeque fœtens ex utero effluxit, eaque satis copiosa, inde melius se habuit. Accessit vero melancholia quædam & metus lipothymiæ, quare aperientia, & inter illa Spiritum Salis Ammoniaci Martiatum acidum ad gtt. IX. ter de die dedimus cum fructu, atque ita intra XII. dies per Dei gratiam bene convaluit.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXIII.
D. GEORGII FRANCI,
Scrofulæ in fetu ex Imaginatione Matris.

QUid imaginatio matris fetui possit imprimere jàm olim fuse persecuti sunt *Fienus tr. de Viribus Imaginat. Septalius l. de Nævis J. M. Marci, Digby* aliiq; Viri Clariss. Generosa quædam Domina tempore gestationis multoties cum aversatione adspexit servam Scrofulis in collo satis deformem: Edidit tandem filiolum, qui in dextra colli parte, maxime vero in sinistra Scrofulas in lucem una protulit, harum quæ in sinistra, ubi clamaret infans, aut collum nimis moveret, nimium intumescebant, immo videbantur & suctionem & pultis deglutitionem impedire. Tentavimus hactenus varia, tum interna, tum topica, sed frustra, moles enim indies augetur, & metus est, ut non nisi Chirurgia curetur.

OBSERVATIO CCXXIV.
D. GEORGII FRANCI,
Convulsio & Mors è Scabie capitis evanescente.

MUltoties in praxi observavimus Scabiem Capitis in infantibus vel sua sponte evanescentem subito, vel remediis imprudenter à matribus aut vetulis medicastris adhibitis pro exsiccatione & propulsione Scabiei curatam gravissima adtulisse symptomata, catarrhos, dolores capitis & dentium, ophthalmiam, ulcera aurium, aphthas, tussim violentam, tabem, catarrhum suffocativum, delirium; febres, immo epilepsiam, convulsionem ac tandem ipsam mortem, ceu ex sequenti patebit exemplo: Puer X. annos natus Pedelli nostratis unicus filiolus hactenus Scabie capitis, ut

pueri solent, ex ingluvie & pomis comestis detentus, abscissis capillis Scabiem amisit, nihilominus circa collum glandulas vitiosa turgentes lympha sensit, & coloris erat cachectici. Die 3. Octobr. CIƆ IƆC XXCVI. mane surgens sine ulla molestia notabili hactenusque incolumis reputatus subito clamore, dum ad sacra ire se accingit, corripitur, concidit & convulsionibus exercitatus linguam admordet, ut copiosus inde profluxerit sanguis. Advocor statim in vicinia cum Excell. Dn. D. *Brunnero* Collega suavissimo, video pallentem, convulsum, nec mente constantem (quod ad extremam usque perduravit halitum) sese in lecto hinc inde volutabat, è quibus jectigationibus aliqui tormina adesse præsumebant. Dabatur clyster fortis, abdomen fovebatur calidis, exhibentur antispastica, præcipitantia, confortantia, naribus admovetur Spiritus Salis Ammoniaci, capilli iterum resecantur, columbæ vivæ dissectæ per medium vertici imponuntur, vesicatoria pone aures suadentur, intra XXXV. horas fatis concessit, sine ullo sensu vero convulsus.

OBSERVATIO CCXXV.
D. GEORGII FRANCI,
A mensibus diu subpressis maxima Cordis palpitatio, tandem Cachexia, Apoplexia & Mors.

FEmina XXXVII. annorum, temperamenti cholerici, lanionis vidua Argentorati auf dem Gerber Graben A. C. CIƆ IƆC LXVIII. conquerebatur de mensiũ subpressione ultra duos annos cum dimidio, atq; inde oriunda molestissima Cordis palpitatione, ut cordis vibrationes & foris interdum audiri ab adstantibus potuerint, hæcque miseram ob summam anxietatem præcordiorum, tantum non in desperationem adigeret. Utebatur V. S. scarificatione, balneis, suffitibus, aliisque, qua internis, qua externis remediis, sed omnibus frustra. Tandem meo

meo suasu abiit ad acidulas Grisbacenses, quas per quatuor septimanas integras largissime bibit; ita ut malum mitesceret; per vices tamen redire minabatur. Paupercula per hyemem & parciore & minus salubri utebatur victu, verno vero tempore catarrhis vexata, & cachexia imminente tandem Apoplectica obiit.

OBSERVATIO CCXXVI.
D. GEORGII FRANCI,
De
Sectione Tumoris glandulosi in Sexagenariæ collo dextro.

FEmina Helvetia plus quam LX. annos nata ab octo annis ad dextrum colli latus sub mento sensit tumorem instar avellanæ, qui indies indiesque grandior evasit, donec tandem ad tumorem instar cucurbitulæ mediocris perveniret, qui sub & pone aurem dextram toti colli dextri lateri adhæsit, & sub cute poterat fere quaquaversum propelli, & quotidiè fere major evadebat. Non rubebat, non dolebat, si vel durus etiam comprimeres, sola mole molestus erat, petebatque anus illam auferri. Convenimus Excell. *Dn. D. Brunnerus* egoque cum aliis Medicinæ mancipatis, Chirurgis & Pastoribus, exploravimus tumoris statum, vetula erat cordatissima. Tentavit præmissis precibus & votis sectionem *Joh. Simon Eichenberg*, Operator Chirurgicus, in cacumine tumoris per medium ab anteriore parte cervicem versus cutim dividens; effluxit non adeò multum sanguinis; dein quaquaversum cute à contento tumore separata sine notabili ægrè dolore, quæ sine ulla lipothymia, sine ullis lacrymis ad finem usque sectionem sustinuit. Tandem vena jugularis fermè lædebatur, qua ligata & remota parùm, tandem feliciter tota moles resecabatur, quæ ad ℔ij. facilè pependit, absque notabili hæmorrhagia, utut post excoriationem tumoris, ac resecta cute propter exten-

 sionem

ſionem ſuperflua, conſpici poterat larynx cum aſpera arteria. Abſterſo cruore, affuſo liquore meo ſtyptico & inſperſo pulvere ſanguinem ſiſtente, vulnus obligabatur debitè; ægraque intra 3. ſeptimanas optimè convaluit Menſ. Febr. CIƆ IƆC XXCVI.

OBSERVATIO CCXXVII.
D. GEORGII FRANCI,
Tumor Umbilici in infante.

ANno Chriſti CIƆ IƆC XXCV. d. 30. Sept. Lanifici Heidelbergenſis, Phil. Nicol. Weinlin uxor peperit filiolum, ſed admodum parvum & macilentum, qui loco umbilici tumorem magnum, exteriùs membranoſum & è cœruleo fuſcum, intùs carnoſa quaſi mole præditum, ad ovi anſerini magnitudinem habebat: Circumferentia in abdomine ultra thaleri latitudinem erat, ipſaque abdominis cutis ad digiti transverſi altitudinem ex abdomine ad tumorem adſcendebat, dein deſinebat in ſupra dictum membranoſum tumorem, cui in medio adhuc adhærebat portio funiculi umbilicalis ad ſpithamæ ferè longitudinem. Tumor hic ſemper ad motum reſpirationis movebatur, ita ut in inſpiratione manifeſtè ſurſum moveretur & quaſi aſcenderet, deſcenderet in exſpiratione; ſine dolore, ſiquidem infans probè comedit, & lac è matre ſuxit, atque urinam cum fecibus liberè reddebat, nec multum vagiebat, dormiebatque ſatis benè. Ego d. 6. Octobr. advocatus inſpicio tumorem & cùm abdominis cutim in peripheria elevatam viderem, ac inteſtina etiam ex parte in tumore iſto recubare ſentirem, feci prognoſticon curationis irritæ. Nihilominus advocant Chirurgum, ſatis cetera exercitatum, qui aliquid tentandum cenſuit, & unguentis ſuis atque linimentis membranas exteriores detraxit, dein portiones quasdam carnis putridæ ſine infantis vagitu per aliquot dies; donec tandem undecimo poſt die naturæ debitum exſolveret. Mater paullò pòſt in melancholiam hypochondriacam incidit, & firmiter

ter sibi persuasit circa aures volitare aliquid lucidi cum bombo & strepitu, adeò ut sæpissimè manu illud conaretur abigere præsentibus omnibus domesticis, quos mirabatur, ubi affirmabant se nihil videre vel audire, sed esse merum phantasma. Dedi purgans fortius bono cum effectu, dein administravi largam venæsectionem, paullò pòst aperientia, & exteriùs suffitum quendam ex ingredientibus vulgò antimagicis dictis. DEI ergo clementia intra tres hebdomadas plenè & planè reconvaluit.

[Heidelbergâ 1687. d. 15. Febr. Augustam Vind. missæ.]

OBSERVATIO CCXXVIII.

D. JOH. DANIELIS GEYERI,

De

Membrana per urinam excreta.

CHirurgus Alzejensis, nomine Philippus Fack, cum duplici tertiana laborasset atque præ æstu ferè defecisset, urinam reddidit inflammatam, in aqua natabat membrana alba primum, postea verò pellucida, quæ extensa quadrantis ulnæ longitudinem æquabat, in latitudine tres ferè digitos excedebat.

OBSERVATIO CCXXIX.

D. JOH. DANIELIS GEYERI,

De

Mira Sympathia, patris & filioli in paroxysmo febris tertianæ.

LEvioris armaturæ eques nomine Pfriem per multos menses febre tertianâ laborabat, intraque hoc tempus progenuit filium, qui per quatuor septimanas jam luce gaudens communi, eodem die, eâdem horâ, eôdem

momentô

momentô cum patre hujus febris paroxyſmum patiebatur. Hujus rei cauſſam latentem in ſpiritibus animalibus ſemini veram materiam largientibus inveniri poſſe credo.

OBSERVATIO CCXXX.
D. JOH. DANIELIS GEYERI,
De
Omento mirabili hydropici.

MIliti hydropico in tantum excrevit abdomen, ut circumferentia appictam lineam decies octies, poſtquam per quadriennium geſtaſſet hoc pondus, ſuperaret. Cumque tandem ſummum obiret diem, ſectioni ſubjeci, ubi aperto abdomine circa umbilicum, ſtatim exiliit aqua ſubflava ad 40. menſuras Rhenanas, h.e. 160. librarum medicinalium pondus, adeo ut omnia viſcera licet ſalva aquæ innatarent, excepto omento, quod multa millena millia glandularum diverſæ magnitudinis, ſevi ad inſtar in ſe continebat, ita etiam ut racematim nonnullæ prominerent inſtar botryos.

OBSERVATIO CCXXXI.
D. JOH. DANIELIS GEYERI,
De
Calculo veſicæ.

PUer Grisheimenſis 12. ferè annorum ab utero materno laborabat calculo veſicæ, cumque ulterius dolores ſat atroces perferre nequiret, ſectioni ſeſe ſubmiſit, operante lithotomo aliàs ſatis experto Andr. Chriſtoph. Bezio, facta in perinæo inciſione ipſius veſicæ, non aliter ſenſiſſes, ſi digitum intruſiſſes ac ſi in lapicidina eſſes, calculusque adhæſit veſicæ ad ovi magnitudinem gallinæ Indicæ ſimilem, adeo ut fruſtulatim extrahi debuerit, cujus mater erat inſtar olivæ,

mun-

mundata autem frustula ad decem uncias pendebant, quod revera mirandum in juvene paucorum annorum, qui vero tertio die iliacus interiit.

OBSERVATIO CCXXXII.

D. JOH. DANIELIS GEYERI,

De

Aqua petrificante & musco petrefacto.

IN tractu Eppelsheimensi prope Alzej; inter exspatiandum inveni in radice montis scaturiginem, quæ in parvum rivulum sese extendebat, & ad 12. pedum longitudinem rursus se abscondebat, hoc in rivulo muscus egregie virens quasi saccharo obductus conspiciebatur, qui sensim tandem planè obdurescebat, & instar corallii albescebat, intus singuli ramuli foramine sunt prædici, odore sulfureo nitroso, aqua verò insipida & sat ponderosa est. Feci periculum per præcipitationem sed sine effectu, cum ol. tart. spirit. vitriol. gallis &c. ubi solum colore phœniceo fuit tincta, ope evaporationis verò remansit materia tartarea, calci similis, insipida; Aquam ipsam ad longum tempus asservavi sine putredine, injeci porro stramen, claves, lignum, sed planè nihil adhæsit. Credo hac in re aliquid tribuendum esse convenientiæ terrestris materiæ cum poris musci.

OBSERVATIO CCXXXIII.

D. JOH. DANIELIS GEYERI

De

Abortu inque hujus placenta uterina incluso embryone cum propria secundina.

HOnesta femina Manhemii rediit ex thermis Wisbadensibus, quibus ob singularem & inconsuetum ventris tumorem usa erat, atque tunc demum se gravidam sentiebat. Domum reversa læta, circa medium no-

ctis ingentes patiebatur nisus & dolores, adeò ut nil juvantibus cordialibus, confortantibus aliisque, lochia ante partum profluerent, ipso fetu cum sua placenta subsequente, qui vivus perfectusque in omnibus erat primo, sed, accepto prius sacro fonte, exspirabat. Quum verò penitius secundinam inspicerem, quæ non uti ferè plerumque oblonga, sed plana & rotunda erat, inveni eam circumdatam tenaci membrana, inque hac inclusum alterum filiolum ad spithamæ longitudinem, cujus funiculus umbilicalis insertus erat propriæ placentæ, quæ alteri fortissimè connexa erat; Hic embryo in omnibus erat perfectus, nisi quod ungues deficerent, internè cerebrum & hepar erant putrida, cor verò instar cordis alaudæ, renes instar phaseoli, funiculus umbilicalis instar pennæ insertus hepati & vesicæ, pudenda, aures, oculi glauci, palpebræ, omnia salva. Hic inter obstetricem & mulieres adstantes orta erat quæstio, an uno eodemque tempore hæc conceptio facta fuerit an contra? Dubio procul per superfetationem.

OBSERVATIO CCXXXIV.
D. JOH. DANIELIS GEYERI,
De
Mira Antipathia & exinde animi Deliquio orto.

JAm antiquum est leones aversari colorem rubrum, id quod & videmus in gallis Indicis aliisque animantibus, verum in homine id aliquid novum est. Sic observavi in ancilla, cui nomen est Christina Roeselin, quæ, statim ac colorem rubrum conspiciebat, gravissimo animi deliquio afficiebatur, ac in terram prona concidebat omnibus sensibus orbata.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXXV.
D. JOH. DANIELIS GEYERI,
De
Variis Nævis.

IN pago Eſſelborn prope Alzej, erat femina quæ in brachio ex imaginatione matris prægnantis & occurſum Serpentis exhorreſcentis adeò accuratè cum omnibus coloribus depictam Serpentem geſtavit, ut vel naturaliter ibi latitantem arbitrareris. Sic heic Manhemii duas vidi filiolas, quarum altera in gena dextra ficum, altera in dextra mammilla hepatis parenchyma habuit, quod utrumque ab appetitu imaginario dependebat.

[Heidelbergâ 1687. 15. Febr. Auguſtam Vind. miſſæ.]

OBSERVATIO CCXXXVI.
D. JOHANNIS FRANCI,
Omnis ſubita mutatio etiam in pejoribus periculoſa.

MIles noſtras ob rubedinem & inflammationem oculorum contumaciſſimam & dolorificam auxilii gratia me conveniebat, ab olfactu vero tabaco-bibulum eſſe judicavi, hinc quot fiſtulas per diem noctemque efumet quærenti mihi, triginta vel quadraginta ſincere reſpondebat: en dixi ſequentibus diligentiſſime utere & ſanaberis, modo ceſſabis ab ejus uſu, alias amittes brevi ambos oculos.

℞. Aquæ Consol. reg.
euphrag.
rosl. alb.
cyan. ā ℥ß.
Vitrioli alb. gr. ij.
Camphor. gr. j. M. d. ad vitrum.
S. Augen-Wässerlein Morgens und Abends die Augen darmit zu waschen.

℞. Unguenti de ceruss. cum camph. ℥ß.
Sacch. Saturni.
Tutiæ præparat. ā ℈ß.
Olei nymph. q. s. M. d. ad fict.
S. Kühlendes Augen-Sälblein deß Nachts auf zu legen.

Bene sese ostendebat, ast exactis diebus 4. incidit in plenariam cæcitatem, vocor, re altius pensitata suasi, ut suffitu illo pergeret, quid fit, horis 12. post, totidemque fistulis absolutis videre iterum cœpit, deinde rite applicatis remediis recuperavit sanitatem. *O! miram tabacomaniam! O! spurcas delicias à genio meo alienas, qui semel assuevit illius usum, continuare cogitur vel usq; ad extremum fati diem, exclamat meus Thonnerus.*

OBSERVATIO CCXXXVII.

D. JOHANNIS FRANCI,

Dysenteria Cerevisia Naumburgensi curata.

OBservationi, quam Clarissimimus Vir *Joh. Jacobus Waldschmidius* de dysenteria acidulis Schvvalbacensibus curata *Miscellaneis Curiosis* subtexit *Acad. Nat. Cur. Germ. Dec. I. Ann. II. n. 212.* hanc de Cerevisia Naumburgensi parilem opem ferente addere placet. Dum studiorum gratia Jenæ morarer, novi Studiosum dysenteria periculosissima singultu & tenesmo fidis comitibus laborantem, hic in ultimis jam & euporistorum digressu petiit à contubernali

suo

ſuo hauſtulum Cereviſiæ Naumburgenſis, ille ob prohibitionem Ordinarii recuſat, dedit verò ob aſſiduas ægri preces implevit illius votum, æger indulſit cereviſiæ, & tanto ſucceſſu ut è veſtigio reſtitutus evaſiſſet.

OBSERVATIO CCXXXVIII.
D. JOHANNIS FRANCI,
Mercurius vivus in Hernia lethalis.

UXor militis à partu violento hernioſa tempore pluvioſo multis negotiis implicata, tota die in urbe concurſabat, prolapſo inteſtino dolor intenditur, ut circa veſperam lectum petere coacta. Mulierculæ vicinæ incenſis variis & applicatis ſexcentis aliis domeſticis dolorem uterinum propellere volentes ſed incaſſum laborarunt, vocatur à marito Medicus, Vir, praxin medicam exercens antequam ego natus, rem ſuperficiarie deliberans conſuluit ut ℥iiij, vel ℥v de Mercurio vivo aſſumat, miſera obtemperat, primum materia ob gravitatem deorſum quidem tendebat aſt prolapſum inteſtinum non modo ceu Medicus præter rationem in votis habebat, non retraxit, quin in id ceu in loculum incurrens magis magisque protruderet effectu miſerrimo. Deſertæ à Medico ſtatum Chirurgus omnibus viribus aggreditur, herbis emollientibus cataplaſmatis & balneis ſed irrito conatu, præterlapſis 4. diebus ego circa mediam noctem miſſu perſonæ magni nominis illuc veni, aſt eam offendi miſerrimam ultra vires clamitantem: *Ah Domine me lubentiſſime ſubjiciam cultro tuo, modo dolor parum leniatur aut è vivis diſcedam;* ex anhelitu fœdi odoris inteſtinum putreſcere & animæ defectiones imminere ſuſpicionem duxi, hinc clamitando defatigatam & aſthmaticam meo mulſi alloquio, ut bono ſiet ânimo, craſtina luce bono cum Deo, modo Medicus ordinarius adduceretur, cultro periculum eſſe faciendum, aſt horis quatuor vel quinque poſt animam cum vita miſera efflavit, ceu adſtantibus prædixi. Hinc Mercurius

vivus joci impatiens & externè adplicatus ſæpenumero fallaciam ſtruit, quale funeſtum annotavit exemplum Nob. *Dn. D. Borrichius* de Mercurio vivo carpis adplicato in *Act. Hafn. Vol. V. Num. 52.*

OBSERVATIO CCXXXIX.
D. JOHANNIS FRANCI,
Triticum arte multiplicatum.

PRæterito autumno Pharmacopola heic loci Vir ſingularis ingenii Dn. Wolfg. Wilh. Mayerus mihi fortè prætereunti ſcatulam calamorum tritici repletam novitatis ergò monſtravit, ſubriſi calamos eſſe ariſtis inanibus, prætereaque nihil eſſe dixi: re autem exquiſitius luſtrata inveni, unicum granum culmum trigecuplum, ſexagecuplum, quin & centuplum feciſſe, verumque triticum à vulgari non differens eſſe. Res ſanè admiratione digniſſima, & imprimis admiranda præparatio. Liquet enim Auctorem liquorem habere, in quem grana, antequam terræ committuntur, aliquandiu infundit. Quis autem vel qualisnam ſiet, an de Spiritu mundi participet, vel virtus liquoris etiam in granis latitet, longè latèque deliberans incertus tamen Curioſorum reſponſum & tempus expecto vernum.

OBSERVATIO CCXL.
D. JOHANNIS FRANCI,
Prodromus Arachnolithographiæ.

HEic non plenam araneæ hiſtoriam texere, ſed quæ aliquandiu tanquam aliud agendo obſervavi, in lucem proferre, atque doctiorum cogitationibus ſubjicere, animus erit. Scio quidem Arachnolithum doctos ſemper habuiſſe pro fabula; Fateor me quoque, an talismodi fuerit, ſubdubitaſſe, quid verò Antiquitas hac fabula voluerit

nun-

nunquam penetrare potui. Hinc, quemadmodum nihil credo, quicquid experientia evidens & invicta ratio non persuadet, ita simpliciter nihil rejicio, quicquid Antiquitas absque specimine reliquit, sed medio tutissimus eo, indubitata spe fretus, progressu temporis dubitationem hanc retectum iri. Hæc dum molior fortè civis hinc meus Tobias Rinningerus talismodi lapidem relictis pedibus monstrat, qualemque usum habeat, ex me sciscitatur, miratus me nescire, doctosque pro nugis habere dixi. Paucis post septimanis Henricus Sebastianus Ströhlinus Sartor alium superiore minorem in medium protulit, & jurejurando se firmaturum, hunc ab aranea à se ante octiduum inclusa esse. Lapilli hi erant magnitudine fabæ, coloris ex cœruleo viridique misti, non admodum obscuri & opaci, sed ad Solis & candelæ lumen transparentes, in ultimo hoc jucundissimum visu occurrebat ac si pedes lineis tenuissimis pulcerrimè depicti fuerint; dignum profectò argumentum ulteriore inquisitione. Inclusi plurimos cum Sale communi quemadmodum edoctus fui, & ecce ex decem inclusis spacio 15. dierum unicum lapillum coloris cinerei punctulis nigricantibus distinctum omninò obscurum reperiebam, & scio, multos frustra tempore fortean incommodo mensium laborem sumsisse, hinc utplurimum in auctumni initio vel æstate exspirante in plerisque reperiri judico. Cum verò à nullo in Musæis & Spanothecis, quod scio, memoratus inveniatur neque à quopiam excepto *Antonio Brelochio Physico Hallensi Suevorum* in *Manuscripto* aliud quasi agendo descriptus, Dominis Curiosis ad indagationem ulteriorem naturæ scilicet differentiæ, usus varii imprimis medici proponere ratus sum. Laudatus *Brelochius* sequentia habet verba: *Lapis aranearum* in fluxu sanguinis quocunque vulgo adhibetur, cujus ad *febres*, imo ad *pestem* efficacia quoque celebratur, atque interdum *internis immiscetur.* Feci periculum & filo alligatum de collo febricitantis, nullis ceremoniis superstitionem sapientibus observatis, suspendi curavi, cum paroxysmi notabili remissione. Hoc lapide etiã restituimus

juvenem

juvenem hæmorrhagiâ narium periculosè laborantem, quomodo verò internè operetur vel an pistillum ferat, nunquam experiri licuit, ne vel quopiam damnum inferam vel experiendi gratia lapillum amittam meum. Quasnam autem præter has possideat vires, aliis relinquam, quamvis data experiendi occasione indagare non desistam, imo si vixero nisi mihi curiosior aliquis naturæ Consultus præcedat, accuratius descriptum exhibebo.

[*Ulmâ Suev. ad Exc. D. D. Francum Heidelbergam 1687. missa.*]

OBSERVATIO CCXLI.

D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI,

Novarum Glandularum intestinalium Descriptio.

TUnicam ventriculi intimam hominis à subjecta nervea separanti, sub initium intestinorum, in principio, *duodeni* occurrerunt glandulæ innumeræ lentis primo magnitudine sub limbo pylori, miliares abhinc & usque minores, donec ad eam tandem devenerint exiguitatem, ut visum pene subterfugerint. Non incurrunt autem in oculos nisi separatâ tunicâ crustaceâ (quam verius glandulosam dixerim) tunc nempe parte ejus convexâ apparebant corpuscula sphærica separatim numerosissima, dense stipata in superioribus hiris, quæ in inferioribus visum fugiunt. Differunt à nuper inventis intestinorum glandulis frequentiâ, quæ pene infinitæ; siquidem ex majusculis superioribus & inde minoribus sensim, ceu per transennam conspici possunt mentis acie, quæ oculorum lateat, adeò ut, nî me computus fallat tota interior intestinorum tunica non nisi congeries minutissimarum glandularum videatur, unde humor intestinalis ubertim exstillat, & in cavum intestinorum depluit. Totum insuper intestino-

rum

rum ambitum obsident, quorum illæ nonnisi areolas stipant circulo conclusæ.

Frequentiores denique & insigniores sunt ab initio intestinorum ubi maximè viget solutio, & hinc sensim minores circa eorundem finem, ordine planè contrario, quam cancellatæ, quæ circa principium rariores, circa finem autem & præsertim extremitatem Ilei frequentiores visuntur, & quasi in aciem concurrunt & exercitum. Collocantur in subtegmine fibrillarum tunicæ nerveæ, intercurrentibus vasorum sanguiferorum ramusculis & capillamentis frequentibus. Idem in tribus consecutivè cadaveribus humanis, & hinc canibus quoque constanter observavi phænomenon prorsus novum, nec unquam mihi ante cognitum. Usum harum libandum præbebit Disputatio Academica propediem hisce succenturianda.

[Heidelbergâ 1687. d. 15. Febr. Augustam Vind. missa.]

OBSERVATIO CCXLII.
D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,
De
Strepitûs Ossium Curatione.

HOnestissima Femina, aliquot liberorum Mater, 30. circiter annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, aliàs sic satis bonâ corporis constitutione prædita, præterquam quod scorbuto, hincque oriundis defluxionibus acribus, odontalgiæ, gingivarum cruentationi & genarum intumescentiæ crebriùs obnoxia esse soleat, dum vel interdiu in scamnum se demittit, vel se inclinat, vel in genua procumbit, vel noctu lecto se volutat, in plerisque articulationibus sive ossium compagibus, sed & potissimùm in vertebris dorsi strepitum sive fragorem quendam sentit, non aliter, ac si siccum os ossi allideret aut tenax baculus confringeretur, idque adeò manifestè, ut non solùm ipsa, sed & ejus Maritus no-

ctu satis clarè sonitum illum percipere soleat. Cætera neque pejùs se habet, neque doloris inde quicquam sentit; quia tamen veretur, ne gravius tempore succedat malum, consilium auxiliumque à Medico petiit.

De natura atque causa Affectûs hujus nihil ego addam, ne crambem bis coctam apponam. Eadem enim materia jam suprà *Ephemerid. Med. Phys. Germ. Ann. III. Obs. 275.* itemque *Ann. IX. & X. Observ. 129.* doctè simul ac nervosè ex Acutissimo *Thom. Willisio* enucleata est.

Duo autem singularia in specie hîc annotanda veniunt; primum est, quòd hic ossium strepitus eo maximè tempore contigerit, quo utero Femina gessit; alterum, quòd Feminam hanc, postquam integrum penè triennium prædicto affectu laborasset, solis antiscorbuticis cùm internis vinis scilicet medicatis, imprimis verò essent. pini sylvestr. cum spir. cochlear. parat. & spir. trifol. fibrin. mixtâ, nec non electuar. antiscorbutic. Guldenklei, tum externis, & quidem præcipuè Balneo ex aqua dulci parato, similibusque herbis, nempe beccabung. nasturt. fumar. cochlear. acetos. numular. &c. alterato integræ sanitati per Dei gratiam restituerim, adhuc salvam atq; sospitem & ab hac labe penitùs liberam; non obscuro indicio, ossium strepitum revera nihil aliud, quàm scorbuti sobolem esse, quo etiam ipse prælaudatus *Willisius* refert.

OBSERVATIO CCXLIII.

D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,

De

Miro & inaudito symptomate ex Mensibus.

LEctissima Virgo hodie 28. circiter annorum, temperamenti sanguineo-phlegmatici, alioquin optimè valens, quando lunare reddere incipit tributum, bihorio, nonnunquam etiam trihorio pòst, in extremam virium de-

labitur proſtrationem, quam mox excipit tanta omnium membrorum refrigeratio, ut gelu obrigeſcere videantur. Jam quid agitur hoc in caſu? Adſtantes calidis pulvillis decumbentem cooperiunt, & ſtudiosè cavent, ne qua frigidiuſcula admiſſa eam fortè offendat aura; aquiſque calidioribus, uti hyſtericâ, vitæ mul. & ſimilibus, jam velut exſpiraturam reficiunt. Ipſa autem Ægra interea videt, audit, & loquitur quidem, ſed ſubmiſſiſſimâ voce, neque doloris aut aliûs mali quicquam ulli bi ſentit, præterquam, quòd ſibi velut exanimi videatur Cor ſuum levi tantùm pendere filo propediem abrupturo. Sed quis tandem hujus actûs exitus? poſt 12. aut 16. horarum ſpatium, (tamdiu enim paroxyſmus plerunque durat) ſymptomata remittunt, & Virgo morti proxima viſa, reſurgit valens benèque habens. Atque idem lamentabili pene ſpectaculo ſingulis contingit menſibus, jamque ab his octo continuis annis.

OBSERVATIO CCXLIV.
D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,
De
Pertinaci abſtinentia à vino & cereviſia poſt febrem tertianam.

PUella 13. annorum poſtquam ante hoc circiter triennium febre tertianâ intermittente per aliquot ſeptimanas laboraſſet, poſtea valetudini reſtituta id potûs genus tantâ nauſeâ abominabatur, ut ne odorare quidem, multo minus bibere amplius valeret, quo tamen antea cupidè delectabatur, id quod inde fortaſſis evenit, quia Puella per totum illum temporis decurſum, quo cum febre conflictabatur, potus loco, nil niſi Julapia & Limonata aquoſa bibit; unde guſtus organa aquoſo pôtui aſſuefacta, poſtea is ſolam aquam appetiit, præterque illam omnia alia potulenta, cumprimis verò omnis generis vina & cereviſias nauſeoſa reſpuit. Solâ namque

que limpidâ aquâ per continuum hoc triennium ſitim explere hactenus cogitur; ſed quo factum, ut cachexiâ inde forte contractâ ad hydropem proclivis jam videatur.

OBSERVATIO CCXLV.

D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. Fil.

De

Gemino Rhinocerotis cornu.

ERuditam de Rhinocerotis cornu diſceptationem, præter alios, inprimis Celeberr. *Thom. Bartholinus Obſerv. de Unicorn. cap. 21.* & Excell. noſter *D. Joh. Conr. Peyerus lib. 1. Merycolog. cap. 5.* inſtituerunt: utrùm nempe unicum vel geminum illud ſuper naſum animalis iſtius exſiſtat? Et quamvis unicum id eſſe, qui contendunt, non tantùm ex antiquis, præter *Dionem*, *Plinium*, *Strabonem*, *Solinum*, haud ſpernendâ *Æliani* authoritate, ſed inprimis recentiori *Jacobi Bontii* fide nitantur, qui vel centies animal illud caveæ incluſum, ut & in ſylvis vagans vidit; revera tamen Rhinocerotem dari, qui geminum in naſo oſtendat cornu, fidem facit αὐτόπτης *Pauſanias* in *Bæotic.* ſcribens: *Vidi etiam Æthiopicos tauros, quos ex re ipſa Rhinocerotas nominant, quod illis è nare extrema cornu prominet; & paulò ſuperiùs alterum, non ſanè magnum: in capite nullum prorſus habent.* Simile geminum cornu etiam Auguſtæ Vindelicorum curioſis oculis luſtrandum exhibet inſtructiſſimum pharmacopolium *Dn. Joh. Georg. Michelii;* quorum majus trium circiter ſpithamarum longitudine ſpectabile, nonnihil verſus frontem & qua cornu minus ſpectat, intortum atque mucronem acutum abiens, ex notiori illo, quæ paſſim conſpiciuntur, cornuum genere eſt; cui mediante cutis craſſæ admodum particulâ, unciali circiter diſtantiâ, connectitur alterum, craſſitie quidem in baſi, priori illi æquale, longitudine verò duos ſaltem palmos vel ſpithamam circiter accedens, extremitate itidem in mucronem acutum, latiorem tamen non-

nihil

nihil desinens, cæterùm rectum & ejusdem cum altero coloris, gilvi nimirum, nec non substantiæ, corneæ videlicet & durissimæ in superficie, (quæ in pocula &c. artificum manu effingi solent,) interiùs autem spongiosæ & porosæ (non secus ac cervinum quoque cornu poros, ampliores quidem, vel laxiorem medullam possidet,) externâ autem formâ scabrum & impolitum. Ut ita certum aliquod Rhinocerotis genus bicorne in locis quibusdam dari, ac ita *Martialis* de Rhinocerote versum, tot aliàs Interpretum ingenia torquentem, *lib.1. epigram.22.*

Namq; gravem gemino cornu sic extulit ursum,

emendatione haud egere, neque pro *urso* urum, gemino cornu præditum, esse legendum, concludam. Utrùm verò tale cornu monstrosorum ordini sit inserendum, meritò dubito; quale tamen fuisse, arbitror, quod in Technicotheca Florentina vidit *Bartholinus*, uti *l.c.* refert, exiguum videlicet, sed duabus eminentiis velut tumulis distinctum. Cæterùm illa corii adhærens particula, & cornuum radices serrâ, si oculorum conjecturâ niti liceat, à duriori reliquo corpore avulsæ, in utroque cornu firmiorem connexionem cum ossibus capitis innuunt, quàm ut, quòd nonnullis placuit, pro lubitu animalis illud moveri queat; quin & cornea natura extensionem & flaccenscentiam, ab *Ol. Wormio in Thom. Bartholini cent.1. epist. med. 90.* negatam, in utroque cornu haud admittit. Prout verò majus illud alexipharmacis viribus pollere, plures memorant: ita & de minori easdem esse exspectandas, similis omnino ejus substantia credibile facit.

OBSERVATIO CCXLVI.

D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. Fil.

Anatome amaurosi laborantis.

NUper A. 1686. d. 19. Novembr. Virgo 26. annorum, E. D. phlegmaticæ, uti vocant, complexionis, cæterùm integrâ sanitate gaudens, cùm arboreorum cor-

ticum ſiccatorum & contritorum, à coriariis Lohe vocatorum, maſſa in ejusdem ſiniſtram capitis partem fortuitò, vehementiori tamen niſu, projecta fuiſſet, in terrorem & indignationem acta, mox de intenſo capitis dolore, ſuccedente horripilatione & calore præternaturali conqueſta fuit; cùm verò æſtui febrili, vires admodum proſternenti, ſegnius obviam iretur, oculi non tantùm largiori ſeri defluxu, ſed etiam ſenſim omnimodâ cæcitate laborare ceperunt; quo in ſtatu dum quinto morbi die rogatus eam inveni, præter motus partium muſculoſarum in brachiis convulſivos, deliria nocturno inprimis tempore, ex Parentum relatione, infeſta, aliaque ſymptomata, oculos externâ formâ ſanis non multùm abſimiles, pupillis quidem nigredine opacis & dilatatis, nullum tamen omninò, neque etiam candelæ lumen proximè admotum ſentientes, & ita graviter guttâ ſerenâ laborantes deprehendi; quibus licet veſicatoriis retro aures admotis, & ſerum flaveſcens odore acri nares feriens ſufficienter fundentibus, præter alia internè & externè capiti ac calori febrili, viribusque deſtinata medicamenta, ſuccurrere laboraſſem, remittente quidem oculorum moleſto fluxu, & doloris ac caloris vehementiâ, viribus tamen ſenſim deficientibus, nec vel minimâ oculis luce redeunte, undecimo morbi die placidè exſpiravit. In qua quarto poſt obitum die inquiſitioni medicæ, juſſu Ampliſſimi Magiſtratus, ſubjecta, partes caput incingentes nullâ planè labe ab ictu infectas, quin & remoto cranio, omnia primo aſpectu naturaliter ſe habentia, niſi quòd vaſa ſanguifera per meninges ſparſa cruore admodum diſtenta comparuerint, invenimus; in cerebri tamen ventriculis, mirum, quantum! ampliatis, ingens limpidiſſimæ lymphæ copia, & facilè libram civilis ponderis excedens, inprimis qua ſinciput ſpectant, fluctuavit, quæ mole ſuâ nervos opticos, omnino flaccidos, compreſſiſſe, & ita liberum ſpiritibus animalibus tranſitum ad oculos denegaſſe

gasse judicabatur; cerebro ipso satis vegeto persistente. Prout verò hinc, non tam infelicem ictum, quàm febrem à vehementiori animi commotione obortam, segniusque tractatam, atque ob sanguinem à roscidæ illius extravasatæ lymphæ penuria, quæ etiam ad motum per venas ideo distentas segniorem sanguinem reddidit, magis æstuantem, contumaciorem, mortem intulisse, concludere licet: ita cerebri quandam commotionem violentam vel concussionem ab ictu contigisse, verisimile est; qua fieri facilè potuit, ut subtilissimorum, quæ circa illud occurrunt, (vid. Excell. *D. D. Joh. Bohnii circul. anatomico-physiol. progymn. 20.*) vasorum lymphaticorum aliquod disruptum fuerit, lymphæque exitum concesserit. Prout eandem etiam Amaurosin ab aliis causis, quæ cerebrum concutere & humores commovere nimiùm potuerunt, fuisse excitatam, legimus. Sic ab alapa obortam, præter *Zacutum Lusit. lib. 1. prax. admir. observ. 52.* etiam *Amatus Lusit. cent. 7. observ. med. 44.* recenset, causam lectori judicandam relinquens; quam cerebri concussionem & inde factam nervi optici vel obstructionem vel compressionem &c. esse potuisse, in *Disput. med. de alap.* Nobil. noster *D. D. Georgius Francus*, §. 17. arbitratur. Eundem adfectum à decocti guajaci potu, non purgato priùs satis corpore, inductum *Henricus ab Heer obs. med. 4.* & *Joh. Rhodius* in corpore phlegmatico, itidem ab intempestivo sudoriferorum usu, *observ. med. cent. 1. hist. 47.* describit. Pariter longiorem inspectionem lunæ, liquatâ sic pituitâ, præfatus *Heer;* nimiam sternutationem in adolescente phlegmatico *Guil. Fabricius Hildanus centur. 1. obs. chir. 24.* emeticum *idem cent. 5. obs. 19.* & cerebri per casum commotionem, vel maximam humorum in cerebro agitationem, *cent. 5. obs. 8.* cæcitatem induxisse, referunt.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLVII.
D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. Fil.
Amaurosis curata.

Liceat aliud quoque guttæ serenæ exemplum, ab alia tamen causa productum adducere, quod An. 1683. observavi, in quodam Augustano, viro 30. circiter annos nato, D. G. L. qui cum & antea, & in itinere, quod ex Palatinatu inferiore in patriam susceperat, inordinatâ diætâ admodum peccasset, in gravia ventris tormina, cum pertinaci alvi obstructione, & visus deperditione incidit, frustra à pharmacopola, clysteres aliaque internè & externè adhibente medicamenta, auxilium sperans; cui cum post aliquot dierum perpessa tormenta, d. 15. Octobr. me in consilium vocasset, & alvi inprimis solutionem anxiè expetiisset, potiunculam ex resinæ jalapp. gr. vj. pulv. Cornach. gr. xij. & Infus. laxat. D. Mannag. ℥j. præscripsi, abdominique tenso pariter unguento emolliente prospexi; unde bihorio post, copiosissimam materiæ fœtidissimæ excretionem obtinuit; quam tamen confestim lipothymia, & aliquot post horis gravissimus insultus epilepticus, post adhibita tamen convenientia remedia brevi cessantes, nec postea ampliùs invadentes, exceperunt; cùm interim oculi pristinis tenebris torquerentur, nullâ tamen extrinsecus labe in iis comparente, nisi quòd pupilla nigrior & solito amplior videretur. Cum verò flatus abdomini molesti essent, altero die enemate iisdem obviam ire, calori gliscenti resistere, aliisque remediis morbo prospicere institui; nec sine optato successu, d. 17. Octobr. vesperi oculis aliquali luce redeunte, & d. 19. cum integra sanitate, omnimodâ etiam visus restitutione subsecutâ. Ubi ex retentis diutius scybalis halitus impuro sulphure inquinatos vasa lactea vel etiam sanguinea penetrasse, particulisque suis minimis subtilissimos nervorum opticorum tubulos occupasse, aditumque liberum spiritibus

visoriis

visoriis ita præcludisse, credibile est. Uti verò commota ista in intestinis per medicamentum purgans camarina eò copiosiores fœtidissimas atomos in vasa emisit, atque nervosum genus impetu suo hostili vellicavit: ita epilepticos motus per has ipsas concitasse videtur; quin & halitus hi inimici spiritus vitales obtenebrando: imò & largissima scybalorum excretio, eorundem spirituum non exiguam copiam unà abripiendo, lipothymiam inducere potuerunt.

SCHOLIUM.

GUttam serenam vix aptum curandi remedium occurrit, quia nulla suppetit indicatio, causam illius obstructionis ex nervis opticis, propè eorum in osse sphenoide Conjugium removendi, sit illa vel limosa, viscosa aut opaca quædam materia, vel eandem retro trahendi.

Opificis urbis nostræ conjugi, venustæ quæ fuit formæ, acies oculorum hebescere cœpit, oculis ipsis in suo fulgore nil delinquentibus, sed ab omni labe immunibus: obstructionem nervorum opticorum subodorari cœpi. Melioris proinde notæ Calamitam transverso digito latam in eo, quo ferrum trahit, latere nuchæ alligari, & duos minores sacculos ramentis ferri repletos binis imponi oculis, nocturno præcipuè tempore curavi, spe radiorum ex Magnete ad ferrum oculis impositum directorum talem obstructionis causam fore retroactam. Multùm se fœmina illa adjutam illius lapidis ope credidit, cum per multos annos tamen, quibus supervixit, debiliore visu fuerit prædita.

[*Amico Celso Helianthus I. Febr. 19. 1687.*]

ADDENDA

Ad Decadis hujus Anni II. Observ. XLIII. & XCIX.

De

Lactis abundantia.

NOta est mihi juvencula 24. annorum primipara, quæ toto gravidationis tempore quotidie est vomere coacta, immo, cum in ipso partu laboraret, vomitus quasi valedicturus, adhuc semel semet ostendit: hinc ita fuit emaciata mulier, ut vivum sceleton appareret. Post puerperium adeo lac exuberavit, & etiamnum (sunt autem menses quasi octo) exuberat, ut singulis diebus à ℔iß. ad ℔ij. illud emulgere cogatur, manantibus nihilominus istis siphunculis, & filiola nil præter lac, fastidita pulte, sugente: Ipsa autem Mater satis est vegeta, sed *monogramma*; ut vel inde pateat, non abs re esse, quod Rustici ajunt, nimirum, vaccas macilentas copiosissimum lac ministrare, cujus rei caussa in promtu esse videtur.

[Rosinus Lentilius.]

Ad Decad. hujus Anni III. Observat. XLVI.

De

Arsenico Antipyreto.

CUm & nuper in discursu fuerit pulveris antifebrilis ex arsenico injecta mentio, binas communico descriptiones, ea fide, qua illas accepi: ℞. Tartari crudi ʒj. arsen. crystall. ʒß. piper. long. ʒß. lap. prunell. ʒiß. Spec. Febrifug. Crollii ʒiij. M. dos. gr. v. vij. ad ℈ß. Formula secunda talis est: ℞. Arsen. alb. gr. v. lap. prunell. vel nitri depur. gr. xv. M. pro una dosi. Quæ ultima formula rationi mihi valde conformis videtur, cum arsenici correctivum ab omnibus, quod

quod sciam, habeatur nitrum. Hactenus Excell. *D. Laibius.* Ego adhuc sum in ea opinione, quam in allegata mea observatione fovi, nimirum, tutiora nobis esse antipyreta, nec me talibus delectari. Venenum est venenum, cujus vis deleteria non tam ab additamentis (sine ulteriori præparatione) corrigitur, quam obnubilatur. Prudens Medicus, & conscientiæ suæ studiosus, ab his sibi cavebit.

[Ex litteris D. D. Joh. Georgii Laibii, Physici Dinckelsbühlani 3. Augusti 1686. ad Oribasium.]

Ad Decad. hujus Anni III. Observ. LVI.
De
Ebore.

LOco auctarii ad hanc observationem meam adjicio locum ex *Varrone*, qui putat quod Ebur sit corneæ naturæ, quæ & mea adhuc est sententia. Locus sic sonat: *Quos dentes multi dicunt, cornua sunt, ex temporibus enim nascuntur, & ex superiore mandibula per os resupinata, sese efferunt. Elephanti ea decimo quoque anno abjiciunt & defodiunt. l. 3. de L. L.* Locum hunc citat Excell. *D. D. Gottfried Meisnerus* in suis erudit. *annotat. in Canticum Salomon. cap. V. vers. 14. p. 132.* Celeb. *Vossius lib. 3. de idol.* magnum errorem committit circa cervorum cornua, sic scribens: *Sed si anno quolibet primi sexennii aliquid accedit ramis, quomodo decidunt & renascuntur quotannis? Si id pro comperto habent venatores, ut audio, equidem cum iis pedem struere non ausim, ponamq; inter naturæ admiranda, breviculo adeo tempore, tam solida duraq; tantæ molis cornua enasci. Alioqui magis eo inclinat animus, ut credam cornua, quæ reperiuntur, non sponte, & natura decidisse, sed à venatoribus vi avulsa, eoq; esse conjecta: illa verò ramosa, quæ in priorem locum successerunt, non nisi aliquot annorum intervallo, ad eam*

magnitudinem & duritiem perveniſſe. Sed hoc in caſu *Voſſium*, quanti quantus fuerit ingenii Vir, fallere & falli, certum eſt. Dico, fallere, ſcilicet Lectorem ſuum, qui ejus eruditionis & autoritatis tyrannide occœcatus, tanto Viro fidem eſſe adhibendam ſibi perſuadet; & hæc illa peſtis eſt, quæ tot jam ſecula homines occœcavit, ut nimium tribuerint autoritatibus, ſicque ſpreto naturæ libro, aberraverint, & falſis dogmatibus philoſophiam conſpurcaverint. Dico ſecundo, falli, quoniam nimium tribuit ratiocinio ſuo, quum his in rebus experientiæ credendum. Tradunt quippe venatores unanimi conſenſu, cervos quotannis ſua deponere cornua. Docuit & hoc *Voſſium Ariſtoteles lib. IX. hiſt. animal. c. 5. Amittunt*, ait, *ſingulis annis cornua menſe Aprili, quæ cum amiſerint, occultant ſeſe interdiu, ut ſuperius dixi, idq́ opacis faciunt locis, ut muſcarum tædio vacent. Paſcuntur per id tempus noctu, donec recipiant cornua, quæ primum quaſi cute veſtita, & hirtiuſcula emittunt: ſed cum creverint, ſoli exponunt, ut excoquantur & ſicceſcant.* Nec minor error eſt *Voſſii*, quo ſtatuit, hæc cervorum cornua, pelli tantum, non oſſibus capitis eſſe affixa: conſtat quippe, ſi capita cervorum intuemur, cornua tam firmiter oſſibus eſſe annata, ut etiam ab iis citra fracturam cranii avelli non queant, ſed ſerra aliqua vel inſtrumento acuto ab iis ſeparentur. Hinc etiam claret, non poſſibile eſſe, quod Venatores cornua à cervorum capitibus violentis ictibus diſcutiant; facilius cranium confringerent, & animal interficerent. Mirum itaque eſt, eruditos Viros de iis judicium ferre, quæ duntaxat experientiæ fide, non rationis acumine innituntur. Ego malo in naturalibus venatori experto credere, quam mille *Voſſiis* & *Scaligeris*, qui ſolum in Muſæis muſcas venantur. Quare hoc morale capiamus: ne nos decipiat magni Viri autoritas in iis, quæ fluunt ex naturæ libro & experientiæ oraculo. De eadem materia diſcurri *chiliad. 1. cent. 5. decur. 5. epiſt. 10. noſtr. miſcell. epiſtol.* nimirum dubium adhuc ſupereſt, an cervis cum ſerpentibus quædam antipathia? ad hoc quæſitum reſpondet *Godofredus Müller* in ſua *hiſtoria*

historia bibl. de quadruped. in S. literis c. 15. §. 6. p. 271. cervos scil. serpentum adire cavernas, nariumque spiritu serpentes etiam invitos & renitentes extrahere, extractos pedibus comminuere, & in multa frusta lacerare, tandemque comminutos devorare, ex quo serpentum esse (pergunt fabulando) fieri cervum siticulosum, ut glocitans ad fontes properet aquarum, aquam tamen ante serpentum concoctionem non gustet, ne fortè pereat veneno, vid. *Panciroll. p. 2. tit. 3.* plura cumulare nolo, (ait prælaudatus *Müller*) cum hæc & alia sublestæ sint fidei. Ultimo quæritur, an cervus mas quotannis membrum virile, æquè ac cornua deponat, & hoc unà cum cornibus regeneretur? Resp. hoc dubium solvit negando *Thomas Brovvn* in *pseudodoxia epidem. lib. 3. c. 9. p. 595. &c.*

[Joh. Ludov. Hannemannus.]

AMica hæc concertatio quamvis magni momenti haud sit, brevissimis tamen tangi meretur. Itaque authoritatibus si pugnare vellemus, *Varroni* celebrem illum Philosophorum, uti quibusdam vocatur, principem, *Aristotelem*, ut *Plinium* huc denuo non advocem, opponerem, qui *lib. 2. hist. anim. cap. 5.* hunc in modum scribit: *Elephanto dentes utrinq; quatuor, quibus conficit cibum, atq; in farinæ speciem molit, duo præterea prominent grandes, quos mares grandiores resimatosq; habent, fœminæ minores & contra quàm mares: vergunt enim deorsum proniq; deviant; porrò: statim cum natus est elephantus, dentes habet: quanquam grandes illos non illico perspicuos obtinet.* Maximum, quod mihi videtur, dubium esse potest, quod *Varro* ex temporibus nasci tradiderit, cum dentes ex mandibula prodire constet; id quod tamen quia ab aliis negatur, & mandibulæ superiori ebur inhærere traditur, veluti etiam nuper *Historia anatomica Elephantis Dublini casu incendio peremti, Londini 1682. edita*, id confirmavit, dentesque illos maximos (sicut celeberr. *D. D. Joh. Bohnius* ex libro isto, quem hucusque videre mihi haud licuit, benevole me edocuit,)

anterius ex maxilla ſuperiore prodire, huicque per articulationem cohærere ſive infigi demonſtravit, Ebur rectius dentium, quàm cornuum cenſum ingredi, ſalvo aliorum judicio, exiſtimo.

[L. Schröck, L. F.]

In Decad. hujus Anni IV. Obſerv. XXV.

Errore bis Excell. D. D. Francus nominatur, cum Excell. D. D. Joh. Matth. Faber, primarius & Celeberrimus Heilbronnenſium Poliater poni debuerit.



APPEN-

APPENDIX
AD
ANNUM QUINTUM
DECURIÆ II.
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
NATURÆ CURIOSORUM,
In Germania.

NORIMBERGÆ,
ANNO M DC LXXXVII.

CONTENTA APPENDICIS

Anni V. Dec. II.

CHRISTIA-

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI
Curiosorum Arionis
OBSERVATIONES MEDICO-PHYSICÆ SELECTÆ ET CURIOSÆ,
Cum Ejusdem
annexa Dissertatione
de
CORVO EXCOMMUNICATO.

VIRIS
VIRTUTE, DOCTRINA, ET GLORIA
EMINENTISSIMIS,
VITÆ MORTISQUE
IMPERATORIBUS,
DOMINO

D. GEORG. WOLFGANG. WEDELIO,

In Florentiſſima Acad. Salana Theoret. P.P. ejusdemq; hodie RECTORI MAGNIFICO, Conſiliario & Archiatro Saxonico ſplendidiſſimo, Ampliſſimi Collegii Nat. Curioſorum Adjuncto & HERCULI &c.

DOMINO

D. JOH. JACOBO Waldſchmied/

In Illuſtri Acad. Marburgenſi P.P. Conſiliario & Archiatro Haſſo-Caſſellano graviſſimo, Curioſorum PRIAMO &c.

DOMINO

D. JOHANNI DOLÆO,

Conſiliario & Archiatro Haſſo-Caſſellano celebratisſimo, Curioſorum ANDROMACHO &c.

Dominis, Fautoribus, & Collegis ſuis,
Vel priſcô Solduriorum decretô,
ad aram & urnam,
ſincerè & conſtanter,
venerandis,
in bonæ mentis obſidem,
nugas hasce
offert

ARION.


Riſtippo, ô *Mei*, referente *Laërtio in vit. Philoſoph. lib. 1. c. 8.* à *Dionyſio* Siculorum Rege, *tres* parili formæ elegantiâ contendentes *Virgines* olim offerebantur, datâ optione, quam ſibi vellet, eligendi. Ipſe omnes apprehendens: *ne Paridi quidem*, ajebat, *tutum fuiſſe novimus, unam ceteris prætuliſſe.* Circumſpicienti mihi, cui Amicorum Principi ſchedas haſce offerrem, diu hæſi, nec ſatis exputare quivi, an vel *Magno Tuo Nomini*, & aſtra pulſanti, *Magnifice* WEDELI, ſeu *Tibi* potius *Excellentiſſime* WALDSCHMIDI, quem Hygéa vetat mori, quemque cœlô beat, vel rectiùs *Tibi*, *Celeberrime* DOLÆE, qui poſterâ laude creſces recens, ob tot & tanta humanitatis officia, mihi immerentiſſimò, ſincerè & crebriùs præſtita, in gratiæ obſequiique plenæ mentis teſſeram, devotô corde, manuque ſubmiſsâ inſcriberem. Tandem omnes ſingulosque cordatè apprehendens: *non tutum fuiſſe mihi*, clamo, *unum ceteris prætuliſſe*. Adeò *hoc trinum* perfectum & unum eſt! Audax quidem facinus (eccur diffitear?) me, ſterilis Praxeos mancipium, & Ampliſſimi Collegii fecem, fertiliſſimo ſeculo, & Viris ſuper æthera notis, *nugas* meas voluiſſe obtrudere. At cùm *multæ paſſim* tales proſtent (dixerim cum *Scaligero*) *multa temeritas, multæ ineptiæ*,

 quidnî

quidnî has inter & meæ? Nôſtis, VIRI CELEBERRIMI, nonam Acad. noſtræ legem, quæ me utique ligat, & hanc cùm non neſciatis, vix calcabitis in tenui laborem. Aurum qui non habet, *pilos caprinos* offert. Et hi Deo Sacrificium ſunt. *Exod. xxv. 4.* Teſſera noſtra: NUNQUAM OTIOSUS. Malo igitur lachrymas inter & ſuſpiria languentium aliquid, quàm nihil, moliri; cùm nihil agendo nunquam non malè agere diſcamus. Accipite ergo, DELICIÆ MEÆ, quô velitis vultû, hoc munuſculum meum *Hiſtoricum*; res mihi eadem erit. Tollitis amœnâ ſerenâque fronte? eja! ſic calcar dediſtis ad majora & fortè venuſtiora. Tantis quippe placuiſſe Viris, mihi ſanè non infima laus erit. Temnitis? at vix poteritis, niſi ut ſimul me inſtruatis. Et quid demum mihi glorioſius, quàm à VOBIS damnari? Captivi iſti *Sogdiani* cùm per interpretem audirent, juſsû Regis, eos ad ſupplicium trahi, carmen, *lætantium more*, canere, tripudiiſque gaudium quoddam animi oſtentare cœperunt. Admiratus Rex, tantâ magnitudine animi oppetere mortem, revocari eos juſſit, cauſam tam *effuſæ lætitiæ*, cùm ſupplicium ante oculos haberent, requirens. Illi: ſi ab alio occiderentur, *triſtes* morituros, nunc verò à *Tanto* Rege, utique mortem ſuam *carminibus lætitiâque* celebrare. *Curt. VII. 10.* Eadem mihi indoles. Pudet me ſanè laudari ab his, quorum laus eſt *criminatio*: at nec culpari vereor à VOBIS, cùm Veſtra Criminatio mihi *laus* ſit. Date igitur, quos Vultis, atros niveoſvè lapillos,

pillos, & gratias à me merebitis ac hymnos. Stabo cadamque Vobis. Deus Te servet! *Magnifice* WEDELI; Dominus Te custodiat! *Excellentissime* WALDSCHMIDI; Deus de meis, *Celeberrime* DOLÆE, Tuos augeat annos! Ævum maneat hic dies, VOS qui nobis dedit, FAUTORES sincerissimi! Sic ὁλοκαρδίως precatur

Virtutis, Doctrinæ, & Gloriæ Vestræ

Isenaci d. XIII.
Jan. Anno
1687.

Cultor sincerè & intimè devotus

C. F. Paullini.

OBSERVATIONES MEDICO-PHYSICÆ.

I.

Semen Viri verminosum.

Semen Viri verminosum.

HOnesta femina, mihi bene nota, conquesta olim Excell. *D. D. Justo Cortnummio*, Reg. Prof. in Equestri Danorum *Sorana*, ejusdemque Decano, Doctori & Hospiti olim meo honoratissimo, se toties, quoties, ex debito conjugali, maritum admitteret, sentire *insignem colli uterini pruritum*, subsequente mox crebriori mictione. Urinam in vitro aliquando collectam ipsa examinatura, varios cernit *vermiculos candidissimos, rubris tamen rostellis*, partim natantes in ea, partim lateribus vitri adhærentes. Excepit aliô die ipsum Conjugis sui semen, & ecce! eosdem in eo longè copiosiores, quos etiam *Cortnummio* ostendit. Adhibitis autem, quæ methodus dictabat & ratio, aptis remediis, expulsisque innumeris *Vermiculis* cum urina viri, omnis sublatus est questus. Confirmat hoc *Myssenbrucchii* experientiam, in *semine humano* multorum generum animalcula qui vidit, ut *Vollerus* dixit Excell. D. *Thom. Bartholino*, Juniori, & P. P. in Reg. Acad. Hafniensi. Vid. *Vol. V. Act. Med. Hafn. observ. 7.* Imò Excell. *D. Anton. Levvenhœck, Illustris Societ. Anglic. Collega, in semine variorum animalium masculino* diversos invenit *vermes. Act. Lips. ann. 1682. pag. 321.*

II.

Epilepsia Catochetica.

Epilepsia Catochetica.

PUer Norvvagus, quoties insultu *epilepticô* infestabatur, oculis clausis ad XXX. ferè passus rectà procurrebat, &, quamvis interea caderet, resurgens subitò cursum istum, seu metam, impigrè

impigrè continuabat. Quâ emensâ, vel ad parietem se reclinans, vel etiam in medio campo, vel platea, stans erectus, in unico quasi momento stipitis instar obrigebat, totus quasi congelatus: oculi aperti, sed prorsus immoti, totum corpus sine omni sensu & motu, statuæ instar marmoreæ. Tandem post horam, ductô è præcordiis altô gemitu, lachrymæ cadebant misero, ipseque in terram prolapsus, nisi detineretur ab alio, & plerunque in somnum, sequente largissimô Sudore, à quo integrè sibi redditus, hilaris tunc, vegetus, adque omnia promtus, miseriæ suæ planè ignarus, notante *Cortnummio*.

III.

Teterrimus allii Sudor.

Judæus *Hildesiæ* anno 1675. prodromum malignæ febris, tunc per viciniam grassantis, catè sentiens, meam efflagitabat opem. Subitò propinavi sudoriferum ex *Diascord. Fracast. pulv. pannon. rub. bez. Senn. &c.* confectum. Facit: sudatque largiter. At sudor adeò graveolentiam *allii* spirabat, ut non solùm tota ejus domus, sed etiam proximè habitantes Christiani de viroso & fracido *allii* halitu, omnibus molesto, conquererentur, rogantes judæam: quodnam ferculum *allio* adeò conditum in foco ebulliret? tribus abhinc horis, abstersô sudore, conclavique aliquoties optimô suffitu correctô, ingressus, statim obsecrabar adstantes, ut *allium* amoverent. Me enim non posse virosum & teterrimum istum nidorem perferre. Subridens mulier, eja! dixit, Domine, hôc odore sudor mariti, à potiuncula tua exantlatus, ædes replevit nostras, protractôque ex alio, in quod conjectum erat, conclavi indusio, tam graveolens *allii* odor nares feriebat meas, ut, nisi ocyssimè me subduxissem, *syncope* forsan correptus essem. Judæus postea pancraticè vixit. Teterrimus allii Sudor.

IV. *Struma*

D.II.A.IV. Ob. XIII. p. 40

IV.

Struma Verminosa.

Struma Verminosa.

PEdiculos in Struma notavit *Forest. l. 8. Obs. 58. in Schol. bufonem* D. Sorbait, Collega Curiosus, *Tom. II. Ephem. Germ. Cur: Obs. 103.* Parens meus *Mosbachii* in Thuringia vidit feminam rusticam, prægrandi *strumâ* deformem, quæ è fœnili in rastrum, dentibus ferreis munitum, inque area fortè jacens, prona delapsa, sic ut collum *strumosum* variis in locis perforaretur. Effluxêre cum copiosa materia purulenta, vel centum *vermiculi*, plerunque *subruffi* & *pilosi*, nec non *multipedes*. Rustica autem benè restituta.

V

Pica Picæ.

Pica Picæ.

PIcam, seu *malaciam*, morbum, ideò ab ave denominatam, quòd hæc consimili affectu laborare deprênsa fuerit, jamdudum *Paul. Ægineta L. I. c. 1.* prodidit, cui tamen *Sennert. L. III. Prax. P. I. Sect. 2. c. 5.* contradicit, cùm nulli *picæ* appetitus sit cognitus, quod nos jam in medio relinquimus, dicentes tantùm, quid *Soræ Danorum* olim notaverimus. Pharmacopæus istius loci, *Dn. Burserus*, cicurem alebat *picam* femellam, quæ non tanùm araneis, minutis pisciculis, quos fundulos dicimus, caseo, sed etiam majusculis aliquando lapillis, friabilibus tamen, imò cicutæ semine, citra noxam, cupidè vescebatur; voratô tandem foliolô (quod domestici notârunt) *asari*, faustè purgabatur, inordinatô istô appetitu ad duos ferè menses cessante, queîs verò elapsis, rediit. Conf. quæ de *pica* canum, porcorumque in *Actis Anglic.* consignata *Volum. I. pag. 742.*

VI.

Vomitus Hæmoptoico Salutaris.

Vomitus hæmoptoico salutaris.

REverend. Pat. *Casp. Sevenstern*, è Societate Jesu, Theol. Polem. in Gymn. Hildesiensi Prof. multis abhinc annis *hæmoptoicus*

moptoicus, nihil magis aversabatur quàm *emetica*, & nemo sanioris mentis ei talia vel suasisset, seu dedisset unquam. Sed audi, quid acciderit An. 1675. Mense Majo postulat à me pulv. purgantem. Præscribo talem:

℞. *Rad. Jalapp.* ℈j. *Crem. Tart.* ʒß. *Rhab.* ℈ß. *M. F. P.*

Qui, robustioris licèt complexionis & staturæ Viro, octo sedes, citra molestiam, peperit. Vix autem cum jusculo hauserat pulverem, ecce! quater terribiles *Vomitus maximè glutinosos*. Perterritus subitò me vocari jubet. Miror inversum Naturæ ordinem, & quietem tantùm impero. Incidit in somnum, quem facilè permisi, rens, pulvisculum meum vomitui pituitoso permixtum & rejectum. Elapsâ horulâ surgit, quærit secessum, & virtutem pulveris mei ex voto sufficientem deprêndit. Monstrat schedulam, uti par erat, aliis Medicis, qui ad unum omnes sanctè affirmârunt, nihil *emetici* adspersum, esse igitur solius Naturæ opus. Ego autem alia suspicans, abeo ad pharmacopœum, rei veritatem catius indagaturus. Subitò fassus mihi puer, in eodem mortario eâpse horâ & contritum fuisse *Tart. emet.* & *Scammon. sulphurat.* cujus atomi aliquot, seu pusilli pulvisculi, nostro admixti, saburram istam ἄνω eliminârant. Dici autem non potest, quàm speciosè postea mihi deprædicârit salutarem hunc *Vomitum*, seriò addens: Se nunquam melius valuisse, quàm tunc, nec ab illo die passum esse *hæmoptysin*, quod quinque ante excessum mensibus hilariter repetiit. Conf. quæ de *rhabarbaro* in mortario tuso, in quo *cantharides* contriti fuerant, ex *Brasavol.* narrat *Schenck. l.7. obs.124.*

VII.

Sudor violaceus.

Puella trium annorum, à variolis redemta, sed *asthmatica* adhuc, curabatur abs avia sua solo *Syrupô viol. mart.* quem quotidie, tantùm non singulis horis, lambebat. Aliquando noctu, plantis pedum, ad arcendum frigus hyemale, suppositô sacculô, nucleis cerasorum repletô, inque fornace calefactô, Sudor violaceus.

 cœpit

cœpit ſudare. Avia abſtergit, manè autem induſiolum infantis colore planè *violaceo* eleganter tinctum deprehendit, quod curioſitatis gratiâ mihi monſtrabat.

VIII.

Chorea S. Viti lunatica à vermibus.

Chorea S. Viti lunatica à vermibus.

PUella ruſtica octo annorum (notante Avo meo materno, *D. Franciſco* Himmeln / Theologo,) quolibet *novilunio* per integrum ferè diem noctemque indeſinenter ſaltabat, ſudore è toto corpore promanante. Choreâ finitâ, leves ſupervenêre Convulſiones epilepticæ, queîs ceſſantibus, inſecutus eſt ſuavis ſomnus, puellâ ſibi redditâ. Tandem vetula quædam dedit ei decoctum ex *floribus centaur. minor. & tanaceti*, à cujus uſu multi expulſi *vermes*, ipſaque deinceps pancraticè valuit. Mirabile, *Lunaticum* fuiſſe hunc ſaltum. At vide, quæ de *iſchuria menſtruata* habet Ampliſſimus *Tulpius l.2. obſ.43.*

IX.

Plica vulvæ muliebris.

Plica vulvæ muliebris.

AUdaciſſima mulier, ſexum celans, multis annis militis ſtipendia meruerat. Vulnere tandem *in inguine* accepto, dolus à Chirurgo detectus eſt. Ad incitas poſtea redacta ſtipem colligebat per urbem. Ad me etiam veniens, rarum iſtum affectum non tantùm verboſius expoſuit, ſed etiam ultrò oſtendit. Tota pubes *ſubflavis* luxuriabat *pilis*, à dextra verò parte *plica* dependebat *ſemicubitum longa*. Conf. ſi vacat, *T. 3. Eph. Cur. obſerv. 220.*

X.

Univerſalis Contractura à ſudore cohibito.

Univerſalis contractura à ſudore cohibito.

J*Eremias Zeiſing*, Sutor, perfectè *ſcorbuticus*, ad leviſſimam corporis commotionem, etiam hyeme, ſub ſolo induſio, totus *ſudore* diffluebat, cum inſigni corporis æſtu ac pruritu, ita, ut ad quamcunque obambulationem & negotium tandem fieret

ret ineptus. Suaſu barbitonſoris ſuccô *ſempervivi* totum inunxit corpus manè ſeròque; Sudor quidem cohibitus, ſubſequente tamen *univerſali contracturâ*, ſummè dolorificâ, quam non diu ſuſtinuit maturioris fati ſui faber. Viden', quàm incautè *ſudores* coërceantur, monente id jamdudum *Panarolo Pent. III. Obſerv. 16.* & Excellentiſſimo *D. D. Simon. Paulli*, trium Dan. ac Norvvag. Reg. Archiatro, Prælato *Aarhuſienſi*, inque Reg. Acad. *Hafnienſ.* Nutrice mea benigniſſima, primo Anat. Botan. & Chirurg. P. P. Fautore meo, dum viveret, ſingulari, *Tract. de febrib. malign. §. 62. p. 80. ſeq.* & in *Botan. Quadrip. Claſſ. III. pag. m. 196. ſeqq.* Felix, quem faciunt aliena pericula cautum!

XI.

Scabies Mammarum à retentis menſibus.

Vidi Virginem *Batavam* XVIII. annorum, cui, *menſibus* retentis, utraque *mamma* tota fiebat *ſcabioſa*, cruſtâ ſatis durâ obducta, omnibus aliis membris planè intactis. Stupens rem inſolitam parens, meum implorat auxilium. Digeſtis expulſiſque humoribus peccantibus, *menſes* facilè provocavi, & omnis ceſſavit querela. In Inſula *Chœna* alia mihi occurrit XXIV annorum, ex *ſuppreſſione menſium* fœtidiſſimâ *faciei ſcabie* deformis, quæ tamen unico, eôque domeſticô, paſſimque obviô, remediô, fauſtè à me reſtituta. Scabies mammarum à retentis menſibus.

XII.

Mania ab urina murium.

Miles *Scoticus* Amſtelodami bene ebrius & reſupinus in ſtramine, ore apertô, dormiens, excipit noctû *urinam* fœtidiſſimam *murium majorum*, quos Ratten-Mäuſe dicimus, per hiantes ſuperioris contignationis aſſeres in os ejus deſtillantem, à qua altero die fit *maniacus*, eôque miſerè perit. Mania ab urina murium.

XIII.

Vacca sine pulmone.

Vacca sine pulmone.

PL. Rev. & Cl. Dn. M. *Franciscus* Himmel / Past. & Adj. *Crucisburg*, Avus meus maternus, vidit in præfato oppido *vaccam* vicini sui, quæ ad decimum duodecimumvè passum semper substitit, oreque aperto, auram hausit, causâ omnibus ignotâ. Mactatur tandem, & ecce! *omnimodum pulmonis defectum*, cujus vices tamen suppleverat *ampla, rugosa & membranosa vesica, flatibus turgida, exiguis venulis conspicua, ipsiq; asperæ arteriæ annexa.* Cum vesica ista ab *arteria aspera* vel originem duxerit, seu eidem annexa fuerit, utique pro refrigerio cordis externum aërem ad tempus saltem recipere potuit. Postea verò aut venulis intertextis ex parte obstructis, aut ipsâ vesica à calidis cordis fuliginibus magis magisque rugosa reddita, non amplius sufficientem aërem cordi subministravit, nec satis liberè aut commodè cor ab exhalationibus expurgavit, ut, nisi ocyùs à lanio fuisset occisa *vacca*, brevî tamen, occlusô spiritu, periisset. Adde, sís, alia, de visceris hujus defectu, exempla apud *Nicol. Fontan.* in puero IV. annorum, *Respons. & Curat. exempl. 7. & 18.* ac *Fabrit. Bartholett. method. in dyspn. l. 4. c. 3. p. 291.* Sic & homines sine *ventriculo, Decad. 2. Ann. 3. Eph. nostr. Curios. observ. 44.* sine *vesica, Rhod. in mantiss. anatom. num. 52.* sine *corde, capite, epate, liene*, & aliis visceribus omninò necessariis, vixisse, Curiosus noster ARGUS, D. D. *Francus*, Acad. Heydelberg. Ornamentum perpetuum, Fautor & Collega magni æstimandus, in *Sat. Med. Contin. 6.* ex variis Autoribus insigniter probavit.

XIV.

Vulva marsupiô quasi carnosô contecta & obvoluta.

Vulva marsupiô quasi carnosô contecta & obvoluta.

HOnesta Virgo pudendum quidem habebat naturaliter conformatum, sed à *membrana carnosa* & undiquaque *rugosa*, firmiter ei annata, unà cum crinibus, totum contectum, & quasi *marsupio*, seu sacculô, obvolutum. Id pro lubitu, & citra

p.13. app:




Fig: 1.
p.13. app:



Fig: 2.
p.22. app:



Fig: 4.
p.38. app:

citra molestiam, amplissimè dilatare, iterumque, sufflaminatô halitû, constringere & retrahere poterat. Quod tam arctè constrictum ne guttulam exsudantem emisit. Sola mater, præmaturè defuncta, unà cum obstetrice, etiam è vivis sublata, noverat, nec ipsi quidem patri, ut sanctè fassus est, innotuerat unquam. Nupsit tandem Cl. Viro, qui in copula conjugali rem insolitam cum stupore animadvertens, fusiùs exponit socero. Hic autem, se omninò nescivisse, constanter asseruit, enixè rogitans generum, ne divulgaret. Tacuit: donec, post excessum optimæ conjugis, *Cortnummio* nostro aliquando recenseret, addens: eam nihil difficultatis, nihil molestiæ, nihil etiam periculi, vel in partu, vel extra eum, sensisse unquâm, venustissimæ prolis fœcundam matrem. Figuram, ipsâ mariti manu, post mortem, adumbratam, & *Cortnummio* traditam, hîc subnecto. Similem ferè historiam, tristioris tamen fati, dabit ὁ θαυμάσιος *Bartholinus C. 5. hist. anat. 9.* Vide Fig. I.

XV.

Menses verminosi.

Rustica femina Præfecturæ *Gerbershagianæ* in Ducatu *Wolffenbyttelensi*, modesta & honesta, annorum XXIX. quoties menses instabant ordinariè, uteri vulvæque pruritum, aliquando molestum, tribus abhinc annis sentiebat, cetera ex voto sana. Excepit tandem tributum suum lunare, speculatura, quidnam in eo lateret. Et ecce! multos *longiores*, planeque *niveos*, offendit *vermiculos*. Re ad me delatâ, dubitavi primò de fide mulieris. Mandavi igitur, sanguinem sequenti mense rejiciendum bonâ fide afferri. Attulit *floridum* sanè, & sine notabili peccantium humorum colluvie, in quo *vermiculos* istos non tantùm *natantes* & *reptantes*, sed etiam *salientes* vidi, quos convenientibus remediis, Dei adjutoriô, feliciter expuli. Sic *Panarol. Pent. IV. Obs. 12* narrat, feminam quandam quôlibet mense sine ullo labore quàm plurimos *vermes*, *mensium locô*, excrevisse.

Menses Verminosi.

XVI.
Menses nigerrimi.

Menses nigerrimi.

FEmina annorum XXVII. è Præfectura *Schlademensi*, Dioeces. Hildes. perfectè *hypochondriaca*, in lethalem *icterum nigrum* propendens, omnia excrementa, *sputum* putà, *urinam*, *feces*, & *menstrua* notavit *nigerrima*, quæ postrema in matula collecta his oculis vidi. De urina *nigra* latè *Schenk. III. Obs. 330. seq.* & *Bonet. L. III. Med. Sept. Sect. XXIX. c. 23.* Add. *Barthol. C. V. hist. 90. Actuar. L. I. de judic. urin. c. 20. Eph. Cur. Germ. Ann. VIII. Obs. 87. Höchstett. Decad. II. cas. 5.* De *vomitu* hypochondriaci *nigerrimo* vid. *Binninger. C. 50. Obs. 91.* de *sudore nigro Hodgesius in lib. de peste Londinensi*, *Zacut. L. III. prax. admir. Obs. 73.* & Excell. *D. D. Olaus Borrichius*, Professor Regius in Acad. Hafniensi, Præceptor olim meus fidelissimus, *Vol. I. Act. Hafn. Obs. 80.* & *Eph. Germ. Curios. T. VI. Obs. 10.* De *lacte* planè *nigro* legi meretur *Alexander*, Comes de *Insula*, Monachus Corbeiæ Saxonicæ, in *Breviar. rer. memorabil.* nuper à me edit. num. 43. In Ponto, infit *Plinius l. 2. c. 106.* fluvius *Astaces* irrigat campos, in quibus oves *nigro lacte* gentes alunt. At hoc non facile creditu est, addit *Libav. in disp. de lacte §. 23.* licet navigationes orientales in *Mosambique* Insula narrent esse gallinas *nigræ carnis*, quarum decoctum sit instar *atramenti*.

XVII.
Sudor porraceus.

Sudor porraceus.

HUjusmodi ab axillis Philiatri manantem in linteis deprehendit *Borell. c. 2. obs. 56. bilis porraceæ*, ut retur, sobolem. Canonicus quidam insignis Collegiatæ Ecclesiæ, ex humoribus biliosis quasi compactus, & inordinatæ diætæ studiosus, oleribus, inprimis *porro sectili*, tantùm non quotidiè vescebatur, semper tamen ὀρθοστάδιος mansit, usque in autumnum, quô febri correptus erraticâ, principiis subitò obstans, ipsemet sibi parat pulv. purgant. ex solo rhabarbaro, expulsis κάτω humoribus

pror-

prorsus viridibus, execrand. fœtoris. Aliô die sudoriferum sibi propinat ex antimonio diaphoretico, à quo tam violentus subsecutus sudor, ut fidem vix meream longiùs veritatem recensens. Omnes per lectos substratos transudabant humores, tota ferè cutis cum linteaminibus *porraceô* tincta erat colore, superveniente crebriori syncope, quam tamen Dei gratiâ profligavimus.

XVIII.

Sudor lacteus.

Illustris quidam Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, & Consiliarius Electoralis, curationem nodosæ podagræ, quâ terribiliter vexabatur, tentârat *lactis usu continuo*, singulaque, juxta leges medentium, accuratè observârat, quamvis sine ullo levamine. Tandem inter atrocissima tormenta, Naturâ moliente opus, in sudorem satis copiosum incidebat, eumque *prorsus lacteum*, adeò, ut, quod seriò mihi dixit, *colorem*, *odorem*, *saporemq; lactis* totus spirârat, cum manifesta allevatione sui. Puerpera *Hamelienſis* ad Visurgim, insigni lactis copiâ abundans, sacculis *fol. menth. crisp.* & *flor. sambuci* refertis, utrique mammæ impositis, ex voto sibi eliciebat sudorem, adeò, ut non tantùm è mammis *lac* stillaret, sed etiam copiosè deflueret per scapulas, citra omnem molestiam. Aliam in *Cimbria* quondam vidi, pro augmento, quô carebat, lactis, crebriùs, & tantùm non quotidiè, usurpantem herb. *fœnic.* cum *flor. samb.* in lacte vaccino blandè coctam. A quo simplici remedio tanta *lactis* copia, ut singulis ferè noctibus, nisi utramque mammam emulgeret, in *lacteo* cubaret *sudore*, quod ex ore mariti ejus refero. Vidit parens meus *Vacchæ* in Hassia alium è cachexia in febrem malignam detrusum, qui *album* excrevit *sudorem*, & *lacti* ferè similem, at fœtidum. Eô die decessit. Sudor lacteus.

XIX.

Paralysis à Vermibus.

Puella rustica *Werdenæ* ad Visurgim, sex annorum, tota *paralytica*, à vetulis, barbitonsoribus, circumforaneis, Medico Paralysis à Vermibus.

dico etiam, qui malebat videri, quàm esse, diu, at frustrà, curata, tandem ad me defertur. Re altiùs expensâ, commodè occurrit observ. *Salmuthiana c. 1. 44.* Concludo igitur: malum hoc à *vermibus*. Nec me fefellit conjectura. Ex haustô enim vinô, è *rad. gramin. filic. gent. angelic. cich. fol. scord. fl. salv. hyper. cent. min. sem. tanacet. bacc. junip. fol. senn. rhab. &c.* confectô, expulsi sunt, juxta Parentum calculum, LXXVII. diversi coloris, magnitudinis & figuræ. Deducta deinde in balneum, & inuncta *unguent. nervino August.* intra XIV. dies integram & hilarem, Solius Dei misericordiâ, parentibus reddidi, cui laus & gloria nunc & in secula seculorum. Etenim

Non hæc humanis opibus, *non* Arte magistrâ
Proveniunt, neque Te, Ænea, *mea* dextera *servat:*
Major *agit* Deus, *atque opera* ad majora *remittit*,

infit longævus *Japis*, redditâ *Æneæ* salute, apud *Virg. lib. 12. æneid. vers. 427. seqq.*

XX.

Pica inaudita.

Pica inaudita.

VIdi *Hasfordii* ad Mœnum, in diœces. *Herbipolensi*, rusticam quandam mulierem gravidam, quæ maritum ad nundinas anniversarias comitans, de vario suo appetitu mira referebat. Quorum colonus pertæsus, dixit fortè: Ey Aenle/ friß einen Dreck. Paulò post hic, solutis braccis, cumulum in gramine fumantem fecit & discessit. Mulier, idem simulans, sordidissimas Viri *feces adhuc calidas* (de exsiccatis enim exemplum habet *Borell. C. 4. obs. 2.*) summo cum delectamento ingerit, Virumque insequitur. Qui tandem retrospiciens, odoremque planè *stercoreum* admirans, reliquias jentaculi adhuc aliquas in facie conjugis deprêndit, dicens: Aenle/ was ist das? fatetur: increpat ille fœtidum appetitum. Placatus demum à muliere conticuit.

XXI.

Quartana ab halece curata.

Quartana ab halece curata.

CAtè, nî fallor, Belgæ: *Ut à Sole*, ajunt, *nebulæ, sic ab halecibus dissipantur morbi. Imò nunquam magis sterilis Medico-*

rum

rum messis, quàm sub horum adventum, notante Amplissimo *Tulpio l.2. obs. 24.* Femina Gothana à *quartana* fere consumta, tandem ante paroxysmum *tres integros, recentes, salitosq; haleces* summo cum appetitu devorat, febre eâpse horâ feliciter depulsa. Adeò *harengus* Thuringorum, *nectar & ambrosia*, dicente Excell. *Rolfincio de part. aff. l.3. c.2. p.192.* Tanto in pretio apud antiquos Boreales, ut etiam *Christian. I.* Daniæ Rex, *Sixto IV.* Pont. Romano, Anno 1474. raritatis ergò, ex tribus suis Imperiis, Dan. Suec. & Norvvag. miserit (1) *asellum siccum*, (2) *halecem*, & (3) *mustelam albam*.

XXII.
Quartana à Vermibus.

DOmini Michaëlis Krummbügels / Consil. Cameræ Gvelferbytanæ, famulus XVI. annorum, ipsis diebus canicularibus, *quartanâ* exquisitâ correptus, obtinet à me pulv. ex *Rad. Jalapp.* ℈i. *crem. tart.* ℈ß. *Sp. diat. c. rhab. gr. xii. Mag. Jalapp. gr. j.* Quô ingens saburra phlegmatica, unâ cum multis *Vermibus* expulsa est, puerô ex votô restitutô, omnique insultu febrili penitus sublatô. Quartana à Vermibus.

XXIII.
Figura Gammari in Mamma.

PRimaria quædam femina audiens, à marito honestum quendam Virum ad prandium esse invitatum, varia in foro coemit, quæ inter & *gammari*. Quibus verò acceptis, fortè supervenit famulus, nuncians: Herum suum hâc vice abs alio detineri, velle tamen cœnæ interesse. Sic femina *gammaros* in ollam conjectos, & urticâ recenti contectos, interim, aliud tunc actura, in proximum cubiculum defert, ibique sub lecto suo reponit. Prandiô finitô, & marito ad publica negotia redeunte, ipsa, more suetô, quieti se tradit, obque liberiorem respirationem, & intensum caniculæ æstum, tunc ἐν γαστρὶ ἔχουσα, à pectoris regione omnia vestimenta submovet, *mammis* partim Figura Gammari in Mamma.

nudis prominentibus. Interea aliquis *gammarus* chelis suis librum, orificio ollæ superimpositum, protrudit, lectum conscendit, & usque ad *dextram* feminæ *mammam* lentius progreditur, cui firmiter adhæsit. Expergefacta illa, & valdè attonita, insanùm vociferatur. Advolat famula, & tollit *gammarum*. Ipsa tandem peperit puellam, veram & accuratam *gammari* figuram in eadem *mamma* perpetuò gestantem, omnesque *cancros*, vivos pariter ac coctos, angue pejus & cane devitantem.

XXIV.

Mira Sectio Calculi.

Mira Sectio Calculi.

AUdax sanè *Lethæi* istius *Amstelodamensis* facinus in præcidendo, sibi ipsi *calculo* apud *Tulp. l. 4. obs. 30.* Sistemus ei socium, sed in aliena cute audaciorem. Henning. Kleinschmid/ Barbitonsor Höxariensis, vocatus aliquando ad Judæum, *calculis vesica* miserrimè excruciatum; siquidem domesticis remediis in *penem* usque protrusi tenacissimè adhærebant, cum exigua spe salutis, eo saltem in loco. Vocatus ille, *totô pene ad scrotum usq;* apertô, & dissectô novaculâ, omnes exemit *lapillos*, quos vidi, manibus suis, vulnusque ex voto conglutinavit, diu adhuc superstite Hebræo.

XXV.

Sudor verè melleus.

Sudor verè melleus.

MAter mea gravida, in cellam aliquando descendens, reperit ingentem ollam *mellis* plenam, eôpse die à patre meo, ipsâ quidem insciâ, emtam, quo de cupidè ultra libram cum dimidia, ponderis civilis, ingerit. Pater fortè superveniens, blandè increpat eam. Quæ pudore & terrore perculsa, digitos mucciniô, è cingulo muliebri dependente, inflexô corpore, absterfura, ipsa genua tangit, vestibus tamen contecta, sicque è cella iterum ascendit. Istâ nocte incidit in *sudorem* verè *melleum*, ut pater, dulcia hujusmodi aversans, surgere, aliumque

que lectum ibi quærere coactus fuerit. Nihil aliàs inde detrimenti cepit genitrix. Me cùm postea pareret, aviaque latam maculam supra dextrum genu meum planèque *flavam*, adhuc conspicuam, animadverteret, recordabatur Parens historiæ antè gestæ. Conf. *Rhod. c. 3. obs. 68.* ubi similem ferè offendes narrationem de *melleo sudore.*

XXVI.

Urina à verberibus provocata.

PUella triennis *dysuriâ* molestè vexata queritando ejulandoque miseriam doloresque suos contestans, à moroso vitrico, affectûs nescio, sæpius castigabatur ferulis, fletu quidem auctô, subsequente autem largô urinæ profluviô. Cognitô errore malum emendavimus. Ita *Th. Campanella*, Ord. Prædicat. Monach. *l. 3. Medicin. c. 5. art. 12.* de Principe Venusinæ refert, quòd nunquam alvum deposuerit, nisi *verberatus* à servo ad id ascito. Urina à verberibus provocata.

XXVII.

Purgatio ab ovis induratis.

LUdovicus ab Hegern/ quoties ventrem purgare vult, *ova ad duritiem cocta* ad saturitatem comedit, & ita sibi medetur. Similem historiam vide apud *Alex. Bened. l. 19. c. 33.* Planè tamen contrarium, morte etiam subsequente, ex *Brasavola* notat Cl. *Mœbius l. 4. Instit. Med. Part. 2. c. 5. p. 496.* Purgatio ab ovis induratis.

XXVIII.

Terribilis catalepsis.

ERuditus Artis nostræ Studiosus, jam inclytæ civitatis Med. Ordinarius G. S. T. Amicus adhuc conjunctissimus, in celebri quadam Academia nuncio è patria sua inter lucubrationes matutinas, de Parentis excessu, accepto, subito, dextrâ tenens calamum, lævâ libellum, oculis in mensam fixis, immotus Terribilis catalepsis.

 tus

tus obriguit, trunci instar. Erat totalis congelatio spirituum animalium, menti ac imaginationi inservientium, adeò omnia rigida & immobilia. Ita sedit XIX. hor. eandem figuram retinens. Tandem ex vicino oppidulo supervenit contubernalis ejus, tunc ebrius, & horum planè inscius, rens, fortè in terrorem sui, hanc instituisse tragœdiam; Eja, dicebat, *Georgi*, tu equidem larva me non terrebis. Arreptô igitur vitrô, in quo *Spiritum vini adusti* servabant in cubiculo, propinat socio suo. Cùm non responderet, adhuc, quid actum foret, ignarus, detentâ super vertice ejus ampullâ: *Si non responderis*, ait, *te baptizabo*. Queîs dictis capiti aliquid, joci causâ, instillat. Interim ex ebrietate fortè, vacillantibus pedibus, labitur in terram, subversô *Georgii* sedili, fractôque vitrô, omni, quem continebat, Spiritu vini super eum effusô. Ex quo casû, terrore & *baptizatione* (ut sic loquar) sibi redditus, de lassitudine & gravitate totius corporis diu conquestus, in integrum tamen restitutus.

XXIX.

Quartana ab epilepsia curata, & contra.

Quartana ab epilepsia curata & contra.

PUella rustica in quintum usque mensem à *quartana* malè cruciata, in *mensium suppressionem* incidit, quam tertiô die sequuntur convulsiones epilepticæ, singulis postea diebus, circa vesperam plerunque, repetitæ, febri autem penitus cessante. Subsequitur tandem *quotidiana*, quæ denuò sustulit omnem convulsionem, puellâ adhuc valente. Adeò *convulsio* febri superveniens salutaris erat, & contrà *febris* convulsionis remedium.

XXX.

Secundina retenta manu tutò extracta.

Secundina retenta manu tutò extracta.

PUblicæ ventilationi in Reg. Acad. *Hafniensi* hoc argumentum olim exposuit ὁ θαυμάσιος καὶ χαριέστατος *D. Thomas Bartholinus*, Arctôi Orbis decus perpetuum, Præceptor desideratissimus;

tissimus, idque repetiit fusiùs *Cent. 5. hist. anat. 39.* Cujus experientiâ & ratione fretus, in difficili puerperio *Joannæ* Gronefeldin / *Joh. Burcardi Schofii* Conjugis, infante tandem, licèt mortuô, expulsô, suasi, ut *retentas secundinas* (medicamentis incassùm adhibitis) peritâ mulieris manû extrahi curaret. Illa confidens dexteritati meæ, totum negotium committit carnificis *Höxariensis* viduæ, mulieri prudenti, & in hujusmodi casibus expertæ, quæ cuncta peregit feliciter citra dolorem, citra omne, quod alii prædixerant, periculum. Bellè enim optima *Joanna* diu post valuit, plurium liberorum mater.

XXXI.

Odontalgia, visô medicamentô, sedata.

HOnestissima Virgo annorum XVII. *dentium dolore* ultrà biduum excruciata, ut lachrymas & gemitus inter sederet, me tandem vocari jubet. Accedens compono pilulas, cavitati dentium saltem immittendas. Queîs visis, totum contremuit corpus, subsequente *vomitu*, à nausea concitato, & eâpse horâ omnis desiit dolor, pilulis à puella in fimetum conjectis.

Odontalgia, visô medicamentô, sedata.

XXXII.

Tertiana frigidô & largiori potu perfectè curata.

INter summa acutarum febrium remedia *potum frigidæ* tempestivè adhibitum ponit *Pergamenus IX. M. M. 5.* inquiens: *Potio* frigidæ *extinguit* febrem, *Naturam* robustam *reddit*, *ut deinceps per* alvum & sudorem *expellat*, *quæcunq; noxia sunt*. Idem testatur *IV. de rat. vict. in acut. t. 12.* Adde sis *Schenck. VI. obs. 10. Kerger. de Ferment. Sect. 3. c. 3. p. 244. Willis de Febribus c. 8. p. 163.* qui nervosas dabit rationes. Cùm in Reg. ac Equestri Danorum *Sorana*, in ædibus Excellentissimi Domini *M. Hieronymi Weizii* Eloqu. P. P. Civis & Hospitis mei honoratissimi, studiorum gratiâ, commorarer; *tertianâ* circa caniculares correptus, temtis omnibus medicamentis, spretâ Venæ sectione, nec ullis diætæ legibus observatis, adolescens, quid ponderis

Tertiana frigidô & largiori potu perfectè curata.

haberet hæc doctrina Veterum, in meipso experturus, unâ vel alterâ horâ ante paroxysmum, descendo in cellam frigidissimam, considens in arena, togâ abjectâ, prægrandemque cantharum *tenuioris cerevisiæ* plenum, (puram enim aquam aversabar,) inque frigidam ab ipsa aurora collocatum, hilariter vicibus aliquot exhaurio, & jamjam instante paroxysmô in horto, ædibus vicino, variis commotionibus, exercitiis & cursitationibus tamdiu me defatigato, donec sudore totus perfusus conciderem, inque molli gramine sub umbra arborum suaviter obdormirem, nullô subsequente paroxysmô. Tribus vicibus id repetivi, & ultra *decennium* ab omni febre securus vixi. Quod cùm audiret *Weizius* meus, ingenuè fassus est, se olim *Gedani* eâdem febri detentum, in accessu paroxysmi altum conscendisse montem, &, capite mitrâ palliôque benè ob- & involuto, ex vertice ad radicem ejus conglomatum se devolvisse aliquoties, febre penitus cessante.

XXXIII.

Penna anserina cum urina rejecta.

Penna anserina cum urina rejecta.

F*istulam* octo digitos transversos longam, deglutitam, & tertiô die per alvum excretam depinxit Magnus *Bartholinus c. 1. hist. 59. ossicula* per urinam rejecta, idem *Tom. 2. Eph. Germ. Cur. obs. 3.* & *Borell. c. 2. obs. 5.* ac alii complures. Dederam juveni XXVI. annorum vomitorium è *Sale Vitrioli* & *rad. asari*, monens, ut futurum Naturæ conatum ipsemet adjuvaret. Intrudit *pennam anserinam*. At ecce! vespa fortè prætervolans dextræ infigit Vulnusculum; quam incautiùs retrahens, *pennam* digitis elapsam, improvisò deglutiit. Hinc maximè consternatus me accedit. Ictui vespæ imposui *theriac.* immistis foliis recentibus *salv. acut.* cetera commisimus Naturæ. Non vomuit quidem, verùm quinquies alvum cum εὐφορίᾳ deposuit. Quartô abhinc die manè urinam summo cum dolore guttatim excernit, mox, sufflaminato halitu, membrôque *salivâ suâ* illitô

lito, cum insigni strepitu profluxit rubicunda, inque ea *penna* hæc *anserina*.

Fig. II. p. 12.

XXXIV.

Paralysis solâ irâ curatâ.

JAcob. Rosenbusch / opulentus in Holsatia colonus, diu decumbens *paralyticus*, tandem à filiis ad vehementiorem irritatus iram, ut totus in fermento jaceret. Cùm omnes sinistri quid sperarent, faustissimè tamen ei cessit. Accensô enim calore naturali, & spiritibus fervidioribus & igneis quasi factis, utiq; roborati sunt nervi, absumtis humoribus crassis impactis, lentâque pituita liquefactâ, & à calore p. n. consumtâ, ut immunis evaserit æger. Adde sis *Valleriol. l. 2. obs. 4.* Adeò salutaris aliquando *phlegmaticis* ira. Paralysis solâ irâ curata.

XXXV.

Diarrhœa picea.

VIr XLVI. annorum, modestus, eruditus, sincerus, & excellens *hypochondriacus*, post usum *acidularum Pyrmontanarum*, tertiô statim die circa vesperum *diarrhœâ*, licèt saluberrimâ, correptus, materiam planè *atram* & *liquidam*, *picis instar*, per alvum excrevit citra molestiam, quôlibet ferè die octies, ut ab acidulis, suasu aliorum, abstinuerit. Verùm pejus inde habens, me monente, ad eas regressus, *piceâ* istâ materiâ semper excretâ. Usus interim aliis deoppilantibus, tandem visceribus robur addidit, nunc quasi modò genitus pancraticè vivit. Diarrhœa picea.

XXXVI.

Epilepsia à melle.

HAbuit Parens meus *cattum*, mellis cupidissimum. At quoties id lambebat, seu vorabat, toties fiebat *epilepticus*. Sic de *cholera* ab esu mellis *lethali* vide Cl. *Binninger. Cent. IV. obs. 15.* Epilepsia à melle.

XXXVII.

XXXVII.
Aselli cum lochiis rejecti.

Aselli cum lochiis rejecti.

VOmitu eos à *cachectico* rejectos narrat Cl. *Binninger. c. 4. obs. 3.* & *Ambros. Paraeus l. 19. c. 3.* scribit: Ludovicum Duretum post longum morbum excrevisse cum urina animal vivum, colore rubrum, cetera *millepedi* simile. Nos *Ephem. Curios. Ann. 5. Observ. 234.* diximus de femina puerpera variis & insolitis symptomatibus excruciata, quæ tandem vel *mille erucas*, & diversi coloris vermiculos, evomuit. Aliam novi, quæ cum lochiis, ritè à partu fluentibus, ferè centuriam *asellorum* vivorum (Keller-Würm) excrevit, à quibus tamen nunquam, quod scivit, tormina ventris senserat. De *scarabæis solaribus* per alvum excretis vid. *Timæus à* Güldenklee *l. 3. cas. 10.*

XXXVIII.
Venereus phtiriasi consumtus.

Venereus phtiriasi consumtus.

DE *lue Venerea* verè *verminosa* latiùs egimus in *Cynograph. nostr. Sect. 4. c. 9.* Quam cùm perlegeret Eximius quidam Naturæ Artisque Consultus, Dn. E. Q. M. D. sequentes literas ultrò mihi transmisit. Anni, nî fallor, nunc sunt XXVII. quòd gradu & insignibus Doctoralibus ornatus ex Latio in patriam redierim, ab illo die perpetuæ praxi addictus. Quid notârim, seu effecerim, judicent alii, qui me nôrunt familiariùs. Ego quippe simplex modestiæ cultor vana hominum elogia nec capto, nec cupio. Deus & proba conscientia mihi omnia. Interim ne nescias velim, me ab omnibus, quotquot excussi, scriptoribus in indaganda vera *luis Venereæ* causa nondum solidè esse instructum, sed potius dubium ex dubio enatum. Lectâ autem dissertatione tuâ de hac materia, dexter mihi saliit oculus, & vix me continui, quin εὕρηκα exclamârim. Equidem nova videntur primâ fronte, quæ eruditâ crenâ delineâsti, videntur ἄπιστα καὶ παράδοξα, at si quis ea ad sobriæ rationis & oculatæ experientiæ lancem expenderit, victas utique dabit manus. Ceterùm in

in obsidem bonæ mentis ecce! observationes aliquot à me olim collectas, & Tibi forsan utiles.

Nobilis Gallus, quem ipsemet *Lugduni* vidi, à continua & immodica Venere adeò omnia viscera, humores, totamque massàm sanguinis corruperat, ut *sceleti* instar, seu larvæ, quò deportabatur, jaceret; ire enim amplius tunc non poterat. Erumpunt tandem ex corruptissimo sanguine per universa cutis spiracula minutissimi & vix sensibiles *pediculi ruffi*, qui dies noctesque horrendis eum excruciabant tormentis, pungendo, lancinando, rodendo &c. Ex oculis in nares, è naribus in os & palatum reptabant pusilli hi carnifices, & nullus ferè porus ab iis immunis. Lachrymæ, sputum, urina, feces, & omnia excrementa animalculorum plena. Inde tandem mors miserrima. Et ô utinam mortuo saltem pepercissent! Alium *Neopoli* offendimus, qui in eâdem navi navigans, corpore bene prius, quantum licuit, repurgatô, eôque aqua aloetica ablutô, *ferreæ cistæ se* inclusit, rens, ibi latere tutum. Sed spes eum egregiè fefellit, eôdem fatô crudeliter extinctus. Nemesin accessisse divinam, eamque specialem, non equidem inficiabimur, interim causas ipsa dictitat Natura. Adeò Veridicus, quem citâsti, *Syracides* XIX. 3. ubi in Scholio suo marginali *Luth.* catè addidit Läuse/ quod probè notandum.

XXXIX.

Pertinax cephalæa cum tumore verminoso in venereo.

Pertinax cephalæa cum tumore verminoso in Venereo.

ALius famosissimus *Venereus*, quem in Academia *Dolana* vidi, tam horrendâ & pertinaci *cephalæâ* postea *correptus* est, ut in rabiem quasi actus, caput ad parietes & saxa alliserit. Tandem ab agyrta, cui se commiserat, dantur X. gran. laud. opiat. à quibus quietior factus obdormivit. Sumsit deinde errhinon, à quo crebriùs sternutavit, excretis semper (ast summo immanique cum dolore, & lethali fere animi deliquio,) per nares *vermiculis*, minutis quidem, sed planè *cruentis*, *duobus nigris punctulis*, *oculorum loco*, *in capitulo notatis*, *quadrupedibus & villosis*,

villosis, furcellam hamatam acutissimam, caudæ locó, trahentibus. Sic quievêre aliquandiu tormenta. Interim insignis tumor, ovi gallini magnitudine, cum summa inflammatione & dolore pungitivo, ad sinistrum prominet testiculum, qui solô illitu *olei mercurial.* potuit sopiri. Ad maturitatem demum perductus & ruptus adhuc 57. effudit *vermiculos;* Ita quidem hac vice sibi quadantenus redditus ille, ut citrà dolores vixerit, quô fatô tandem extinctus sit, nescio.

XL.

Caries dentium, tibiarum, ossis nasi &c. in Venereo.

Caries dentium, tibiarum, ossis nasi &c. in Venereo.

SEctum olim *Monspelii* Juvenis, fœdissimâ hâc lue extincti, putidum cadaver, cujus, præter corrupta viscera omnia, ossa brachii, tibiarum, palati, nasi, ipsumque cranium maximè cariosa erant, ut in pulverem fere sponte collaberentur. Ex motibus intestinis vivi quid subesse facilè animadverti potuit, non secus ac in carie casei cernimus. Hic pulvis, curiositatis gratiâ, à Chirurgo in Scatula collectus, domique asservatus, eô olim absente, à conjuge ejus vicinæ puellulæ datur pro exsiccanda inguinis excoriatione, rente, esse cariem, seu farinam teredinis. At puella eâdem lue infecta miserè periit.

XLI.

Lue Venereâ infectus totus Verminosus.

Lue Venereâ infectus totus Verminosus.

TErribile & ἄπιςον fere, quod recitabo, verum tamen *Bononiensis* quidam adolescens XVIII. annorum, ocyùs ad hunc ignem accedens, miserè consumtus eôdem. Totus enim factus est *Verminosus*. Rejecti *Vermiculi minutissimi, & visum fere*, etiam acutissimum, *effugientes cum urina*, qui continuum vesicæ pruritum, & assiduum mingendi desiderium excitabant: Rejecti iidem cum *semine*, ut ipse fassus est. Hinc continuum libidinis œstrum, & pruritus perpetuus. Exclusi aliquando tales cum *sudore fœtidissimo*. Nec *sputa* (nocturna inprimis & matutina) iis carebant. Tandem calore nativô, & humido radicali, ab

æstu

æſtu hoc penitus extinctô & abſumtô, eôpſe, quô deceſſit, die innumeri prorepsêre, totumque fere implevêre feretrum. Conf. quæ de *Scorbutici* cadavere *pediculis* ſcatente refert *Möllenbroccius* de Varis *p. 14*.

XLII.
Penis cum ſcroto à pediculis corroſus & conſumtus.

FLorentiæ habuimus *Siculum*, hominem vagâ libidine inexplebilem, cujus hircus, ſupercilia, & penis *pediculis* iſtis, quos gallicè *Morpions* dicimus, adeò plena, ut paucas intra horas totam ſcatulam eorum plenam collegerit. Pruritus & morſus in partibus iſtis continuus. Hinc fricationibus crebrioribus humores magis magisque allecti, dolores auxêre inſigniter, donec tandem membrum genitale totum molle, flaccidum & putridum, unà cum *pediculis*, fruſtatim decideret, reliquâ parte Arte demtâ, ægrô autem gemitus inter & cruciatus miſerè pereunte.

Penis cum ſcroto à pediculis corroſus & conſumtus.

XLIII.
Lues Venerea citra contagium contracta.

REctiſſimè hoc aſſeruiſti, idque hâc confirmatur hiſtoriâ. Eruditus quidam Juvenis *Auſtriacus*, laudabilis alioquin (ſaltem inculpatæ) vitæ, morumque elegantiâ conſpicuus, qui nunquam cum ſexu ſequiori rem, ſeu commercium, habuerat, ſomniis plerunque *Venereis* ſubinde divexatus, crebriores patiebatur *pollutiones nocturnas*. Has declinaturus, impreſsâ ſibi fortiori phantaſiâ, quaſi Succubam hanc vel iſtam, per quietem ſibi viſam, tunc haberet, ſemen frequentiùs & copioſiùs effudit in lodices. Quô exercitio poſtea tantùm non omni nocte, interdiu etiam, acriùs repetitô, cœpit totus contabeſcere & pellucere, tanquam lucerna punica, totâ ejus temperie notabiliter labefactatâ, appetitûque penitus proſtratô, quem vino generoſiori denuò excitare ſtuduit, cum inſigni Veneris augmento. Denique deteſtanda hâc libidine nocturnâ & ſolitariâ publicè ſibi contraxit *noctis illam torturam*, ut *Helmont.* luem hanc

Lues Venerea citrà contagium contracta.

 vocitat.

vocitat. Citiùs tamen, quod notavi, quàm alii infecti, curatus, cautiùs mercari didicit.

XLIV.

Quartana Infantis in utero.

Quartana Infantis in utero.

INfantes, citra ullum vitæ errorem, à matribus contraxisse *quartanam*, asserit quidem *Fernel. 4. Pathol. 14.* sed sine exemplo. Unicum, quod nobis obvenit, Tibi dabimus *Annam Dorotheam* Meisenthurm / militis cujusdam sub Nobilissimo Chiliarcha Monasteriensi ab Erberfeld / conjugem, tertiâ vice tunc gravidam, alterô statim mense pertinax invaserat *quartana*. Ultimis mensibus in & ante paroxysmum embryonem maximè inquietum, tremulum, & ab uno in aliud latus sese volutantem manifestè sensit, ut tristem sibimetipsa prædiceret eventum. Tandem, superatô eôdem die terribili paroxysmô, circa decimam vespertinam peperit *filiolam*, quæ unâ eâdemque horâ, unà cum matre, febri ista miserè affligebatur. Vidi miserrimam puellulam, stupens sanè, quî tenerrimum corpusculum, septimam usque in septimanam, tàm graves sustinuerit insultus. Mater tandem, Dei misericordiâ, convaluit.

XLV.

Inaudita colicæ curatio.

Inaudita colicæ curatio.

VArios eorum historias, qui *solô purgantium auditu*, *visu*, *gustu*, *odoratu*, *retentione in manibus*, *inunctione, &c.* feliciter evacuati fuêre, collegit Curiosissimus noster ARGUS, D. D. *Francus*, Amicus Venerandus, *in Sat. Med. Cont. 2.* Vidit Pater meus *Hirschfeldiæ* Equitum Magistrum, qui ex pertinaci alvi suppressione, quâ crebrius vexabatur, terribiles *dolores colicos* sustinens, omnia prorsus medicamenta, etiam clysmata, angue pejus & cane fugiebat. Assidebat lecto ejus conjux, ulnis gestans puellam unius anni, quæ fortè in sinum genitricis *sordes* rejiciens, ingratum (saluberrimum verò) nauseanti patri

afflabat

afflabat odorem. Ocyùs enim ille ſurgens ἄνω καὶ κάτω purgebatur, exploſis ſimul *multis flatibus*, omni doloreiſtô die ſublatô.

XLVI.
Mammæ cancroſæ verminantes.

HOneſtiſſima conjux Optimi mei *Cortnummii* è mamma ſua pluſculos eruebat. Alia *Hafnienſis* maximè etiam conqueſta de *vermiculis*, quibus interdum extractis, pruritus quaſi pauſam faciebat. Ex Nobiliſſimæ cujusdam Matronæ dextra mamma *perfectè cancroſa* non ſemel hâc manu longiores & *candidos* exſculpſi. Ante biennium in utraque ruſticæ feminæ mamma *quinq;* inveni *ſubruffos* & *piloſos*. Duo etiam hujus rei exempla mihi olim retulit Brunſvigæ *D. D. Laur. Giſeler*, Phyſ. ibid. Ordin. Carioſ. *Hippocrat. I.* Amicus & Collega, dum viveret, fideliſſimus, præter id, quod habet *in Eph. noſtr. Cur. Ann. 1. Obſerv. 148*. Adde, ſi placet, obſerv. *Iſibordi ab Amelunxen de Eufemia* in *Breviar. rer. memorabil.* nuper Norinbergæ à me edito. Mammæ cancroſæ verminantes.

XLVII.
Stupenda vis veneni bufonii.

COmmunicavit nuper mecum *D. D. Joh. Adam.* Zapff/ Archiater olim Saxo-Meyningenſis, nunc Med. Vinar. Amicus honorandus, caſum rariorem, quem ſi ocyùs obtinuiſſem, utique ſchediaſmati meo *de Bufone* commodè innecti potuiſſet. Nunc igitur, A. L. accipe. Stupenda vis veneni bufonii.

Thuringus quidam in ſylvam aliquando excurſurus, offendit in agro inuſitatæ magnitudinis *bufonem*, quem lapide petens, eundèm à corpore beſtiolæ reſilientem, & jam (ut faſſus eſt) venenô ejus madidum, eâdem reaſſumſit manu, jactu repetitô. Succedit inflammatio dextræ valdè dolorifica, efflore- ſcentibus in ea puſtulis veſicisque viridibus, lutei planè ichoris plenis. Mox tota manus cum dimidio brachio immensùm intumeſcens, ad XIV. dies horrendos peperit cruciatus. Adeò difficulter hoc virus expelli poterat. Alterô, imò tertiô annô,

circa idem tempus, quo cum *bufone* duellum habuerat, malum cum omnibus ſymptomatibus recruduit, Dei tamen gratiâ, & expertâ Medici manu fauſtè profligatum. Quartô annô idem metuens bonus Thyrigeta, conſuluit laudatum *D. D. Zapfium*, qui catè reſpondit: Subeſſe adhuc fermentum aliquod venenatum, radicaliter eliminandum. Commodè huic tunc incidebat hiſtoria Principis cujusdam, qui, arreptâ forſan ex errore *viperâ*, (rens, vulgarem eſſe ſerpentem, quos aliàs captare erat ſolitus,) eine Kupfer-Schlange/ ſeu dipſas quæ dicitur, & quatuor in ore habet dentes caninos, ſeu hamulos, in digito abs eadem morſus eſt. Subitò intumuit totum brachium planè jam fuſcum, & verberibus quaſi, ſeu lineis, rubicundis pictum, vel diſtinctum, cum immenſâ ſiti, & crebriori, eâque maximè terribili, ſyncope, omnibus bezoardicis fruſtrà in auxilium vocatis. Tandem de ipſius, quæ momorderat, viperæ, in ollam conjectæ & calcinatæ, pulv. (quantum cultri cuſpis capere poterat,) internè ei datum. Reliquus cinis, vinô ſuperinfuſô, paululum ebulliit, deque hoc ægrotus calidè bibebat, ſubſecuto largiſſimo & fœtidiſſimo ſudore, lodices & linteamina *croceo* quodam colore tingente, ceſſantibus deliquiis, ſiti, aliisque ſymptomatibus, & Principe tandem feliciter reſtituto. Hanc hiſtoriam *Zapfius* noſter ruminans, ſimiliter tres *bufones* calcinavit, & Thuringo ſuo per triduum ſequentem pulv. bezoard. propinavit.

℞. Rad. anthor.
contrayerv. ãã gr. vj.
Oſſ. bufon. ad gryſ. color. calcin.
Spin. viper. ad nigred. calcin. ãã gr. xij.
bez. Solis gr. v.
lap. bez. or. gr. iij. M. S. Schwitz-Pulver auf einmal.

Inſtante nunc tempore, quô malum iſtud *bufonium* olim recrudeſcere ſueverat, nihil omninò ſenſit ille, præter intolerabilem dextræ pruritum. Quintô annô, ſumtis antè duabus doſibus pulveris

pulveris jamdicti, nullam prorsus sensit molestiam, bellè postea valens.

Sic ubi virus, ibi etiam Virtus. Sanè in sævissima ista peste, quæ XX. abhinc annis, & quod ultrà labitur, totam vastabat *Angliam*, nil magis profuit, quàm sequens pulvis, cujus descriptionem idem *Zapfius* ab Amico quodam Anglo bonâ fide accepit, ego verò, ob salutem publicam, ultrò communicabo.

℞. Flor. sulphuris ℥ß.
lact. sulphuris ʒij.
sulph. antimonii aurat. ℈ij.
bufon. ad color. ciner. calcin. ʒiij.
(vel eor. loco Sal. fix. bufon. (ne terreat te, quæso, dosis,) ʒij.)
CC. philos. calcin. ʒvj.
corall. rub.
terr. lemn.
sigill. āā ʒiß.
ambr. grys. ℈j.
Rad. zedoar.
Zingib albiss. āā ʒiß.
Ol. cinam. ℈j.
Sal. succin. volatil. ℈ij.
M. F. l. a. pulv. S. in Vitro.

XLVIII.

Mutitas à febre ardente sublata.

CAnutus Olsen/ Norvvagus, adolescens XVI. annorum, valdè phlegmaticus, ideoque catarrhis subinde obnoxius, ab ipsa infantia *Sermonis usu* destitutus, incidit tandem in *febrem ardentem*, quâ, copiosâ humiditate & phlegmate circa vocis instrumenta fortè tenaciter impacto, tandem exustô & consumtô, organisque vocalibus ad munus suum aptioribus redditis, subitò, indistinctè licèt, fari cœpit, promtè postea & expeditè, ut bonâ fide mihi retulit *D. Ambros. Rhodius*, Med. & Mathemat. insignis,

Mutitas à febre ardente sublata.

insignis, inque Gymnasio Christianæo apud Norvvagos Prof. Regius, Amicus, dum viveret, exoptatissimus. Sic *Ægles*, Samius athleta mutus, cùm ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus & prœmium eriperetur, indignatione accensus *vocalis* evasit. *Val. Max. L. 1. c. 8. ext. num. 4.* Adde *Crœsi* filium apud eundem *L. 5. c. 4. ext. num. 6.* Conf. *Vol. 1. Act. Med. Hafn. observ. 71.* De muto à percussione curato vid. *D. Desgrands Prez. Med. Gratiopolitan.* in *obs. Riverio communicat. num. 2.* Tantum aliquando valet sola animi Vehemens incitatio, quâ calor naturalis, à frigida humiditate obrutus, accenditur & ventilatur, ut, spiritibus fervidioribus factis, sicque nervis roboratis, crassisque humoribus conflagratis, vel absumtis, claustra & impedimenta vocis solvantur & rumpantur.

XLIX.

Vacca pulchrè monstrosa.

Vacca pulchrè monstrosa.

VIdit parens meus *Francofurti* ad Mœnum *vaccam ruffam*, in qua singularia hæc cum stupore annotavit: (I) Tota eleganter *ruffa* erat, exceptâ fronte, & benè conformata, *caudam* verò habebat *equinam*, *albam* & *crispulam*. (II) Ubera VI. singula *atris niveisq; maculis* perbellè distincta. (III) In alba fronte *subflavam crucem*. (IV) Cornua *caprinis* ferè similia, ut ex annexa figura venustiùs videbis.

Fig. III.

L.

Quartana ventriculo suillo citò tutòq; curata.

Quartana Ventriculô suillô citò tutòque curata.

HEnning. Kleinschmied/ quo de suprà, ingenuè mihi fassus est, se aliquando à *quartana* ad tantam pervenisse maciem, ut vix pedibus amplius insistere quivisset, appetitu adeò prostratô, ut non perferre potuerit odorem ciborum coctorum, sine aliquali *lipothymia*. Tandem mirâ dulcedine, & suavissimô odore, *tosti ventriculi suilli*, in ædibus Vicini, captus, tribus ante paroxysmum horis, integrum eum, ex liberalitate hospitis,


Fig: 3. p. 32. app:


Fig: 8. p. 55. app:

tis, avidiſſimè vóravit, febri ab illa hora, usque ad exceſſum penitùs ceſſante. Sic ab *oſtreis comeſtis* phthiſica ferè deplorata paucos intra dies ſanata, nupſit poſtea, & peperit feliciter ac frequenter. *Lindan. Med. Phyſiol. c. 15. art. §. 33. p. 698.* Adde, *Tulp. L. 2. obſerv. 8.*

LI.

Mictio nunquam ſine alvi dejectione.

Ventrem haud poſſe ſolvi, niſi inſimul libertas veſicæ accedat, ex lepida Cl. *Olearii* hiſt. Perſica, ab Excell. *Langio* allegata in *Miſcell. Curioſ. Med. num. 6.* fuſiùs videre eſt. At urinam *ſine alvi dejectione* non emiſiſſe, ſingulare quid. *Juſtus Caſpar.* Sichelmann / indefeſſus Jurisprudentiæ ſtudioſus, Amicus meus in Belgio, ſanctè mihi affirmabat, ſe nunquam ab ipſa pueritia, imò infantia, *minxiſſe*, niſi ſimul *alvum depoſuisſet*; & ipſemet ego hujus rei teſtem me ſiſto. Quoties enim *veſica* erat levanda, toties quoque quærebat *ſeceſſum*.

Mictio nunquam ſine alvi dejectione.

LII.

Vermes in ſura Infantis.

Puella *Beverenſis*, annorum forte IIX. cœperat claudicare, tumore in *ſura*, cum inflammatione levi, prominente. Succeſsêre dolores aliquando terribiles, cum crebris convulſionibus, & extrema macie. Morbus credebatur à Veneficio inductus. Tandem verò rumpitur abſceſſus, ex quo *multi Vermiculi nigri*, *ſcarabæis*, ſeu cervis volantibus, haud abſimiles, prorepsêre. Confer, ſi vacat & placet quæ in *Cynograph. noſtr. Sect. 4. c. 6. §. 3.* diximus.

Vermes in ſura Infantis.

LIII.

Papilla dextræ mammæ nigra & crinita.

Ruſtica mulier monſtravit *Cortnummio* noſtro *mammam dextram* benè conformatam, niſi quòd tota *papilla* ab ipſa nativitate *nigerrima* fuerit, & *venuſtè crinita.* Abraſis aliquando

Papilla dextræ mammæ nigra & crinita.

do à circumforaneo novaculâ pilis, omnimodam fere *cæcitatem* ſibi accerſiviſſet, nî docta Medici manus ocyùs obſtitiſſet. Poſtea maritus in ſomno ei aliquoties forcipe præſciderat, inque eundem lapſa affectum, cum pertinaci *cephalæa*. Cùm nihil inde moleſtiæ unquam ſenſiſſet, & bellè aliàs valeret, ſuſpicionem cancri exemit *Cortnummius*. De *Odontalgia* à raſura barbæ *Iſib. ab Amlunxen in Brev. rer. memorab. n. 30.* & de *cæcitate* à barba raſâ. *Th. Barthol. C. 3. epiſt. n. 67. p. 275.*

LIV.

Pulli gallinacei in Ventriculo & vulva hominis nati.

Pulli gallinacei in Ventriculo & vulva hominis nati.

VIdi morionem Principis alicujus, qui, me præſente, aliquando *integrum* & *recens*, non coctum, *ovum* unà cum putaminibus, promtè deglutiit, & hanc artem crebriùs exercuiſſe dicebatur. Quid verò tandem fit? elapſis aliquot diebus tormina Ventris ſentit. Datur ei *infuſum tabaci*. Vomit inſigniter, ejectô ſimul *pullô gallinaceô*, *implumi*, & *mortuô*, omni tamen numero perfectô. Fortè ovo huic, è nido protracto, jam tunc incubuerat gallina, (erat enim tempus vernale,) ut delineamenta pulli in eo fuerint, quæ demum in Ventriculo conſummata, ut tandem, ruptô ovô, animalculum hoc excluſum ſit. Virgini *Weſtphalæ*, è bilioſis & mordicantibus menſibus, impetuoſiùs aliquando manantibus, ulcera in pudendo plurima enaſcebantur, quæ longiùs ſerpentia cutim maximè erodebant, cum perpetuo pruritu. Juſsû vetulæ, totam vulvam obtegit emplaſtrô *de lapide calaminari*, quod ulcuſcula quidem exſiccavit, ſed labia pudendi ſimul conglutinari cœpit. Puellâ, ejusdem anûs conſiliô, dilatatis genitalibus recens *ovum gallinaceum*, linteolo involutum, diu noctuque aliquot ſeptimanis indidit, & ita, ob vitam, quam agebat, ſedentariam, continuò in ventre geſtavit. Tandem *mollius* deprẽndit *ovum*, ut rupturam metueret. Promit, & ecce rimulam in eo, mox *pipientem* manifeſtè audit *pullum*. Quæ novitate rei perterrita ſtatim ſurgit, fœtum ſuum in ſterquilinium abjectura. Detenta autem à ſocia ſua, fortiùs dum premeret, *abſolutus* prorepſit

pullus

pullus gallinaceus. Sic *Livia* Imperatrix fertur *ovum* tamdiu *gremio* fovisse, donec ex eo fœtus exclusus. De *ovis à cane* in Thuringia, & *fele* in Westfalia exclusis vid. *Cynogr. meæ Curios. Sect. 2. Membr. 3. c. 2.* & *Brev. rer. memorab. Isib. ab Amlunxen num. 21.* Imò de *ovis crocodili* & *serpentum*, sine ullo incubatu, à calore tantùm solari & fornacis, tandem ruptis, & animalcula effusis vid. *D. D. Borrich. tr. de Hermet. Ægypt. sapient. c. 10. p. 270. & nos infrà num. 71.* Adde sis *Casp. Schott. in Append. ad l. 12. Phys. Curios. c. 6. p. 1377.*

LV.

Ascites solâ potûs abstinentiâ perfectè curata.

CÆcilia, Jacobi filia, *Ringstadii* in Danorum Insula Seelandia, confirmatâ *ascite* miserè & diu laborans, ab omni medicamentorum usu abhorrens, suasu *Cortnummianô*, per quinque septimanas ferè *omnia* aversabatur *liquida*, & optimè restituebatur sibi. Simile exemplum consignavit *Hildan. C. 4. obs. 41.*

Ascites solâ potûs, abstinentiâ perfectè curata.

LVI.

Pisciculus vivus cum urina excretus.

DE variis insolitis *Vermibus*, *dracone alato*, animalculo *picæ* simili, *scorpio* &c. unà cum urina excretis lege *Schenck. L. 3. obs. 33. Sect. post.* & alios. Hermanni Schmaltzens uxor, *Margaretha Maria*, emerat aliquando *Hamburgi* minutissimos istos pisciculos, quos in patria Gründling & Elritzen vocamus. Dumque pecuniam numeraret, ollam, in quam conjecerat ferculum suum, unà cum infante puella, in terram deponit. Pusio arripit unum valdè exiguum in aqua salientem, oríque admovet, qui ultrò per gulam descendit. Alterô die patitur aliqualem urinæ difficultatem, quâ tandem excretâ, simul *pisciculus* heri devoratus, *vivus* adhuc, elapsus est.

Pisciculus vivus cum urina excretus.

LVII.

Stercoris humani usus in dysenteria.

Stercoris humani usus in dysenteria.

DE usu *stercoris humani* in re Medica latè *Becker. L. 1. Med. Microcosm. c. 10. p. 62.* seq. in cancro ulcerato *D. Giseler,* Phys. Brunsvicens. *Ann. 2. Eph. Germ. Curios. obs. 148.* in peste *River. obs. à Formio communicat. num. 38. p. 364.* aliisque venenis *Zac. Lusit. L. 3. obs. 89.* Rusticus ad Visurgim à grassante *dysenteria* suos præservaturus, *anserinam* in butyro tostam cum pane butyraceo aliquot diebus dedit, pro potu autem ordinario decoct. *fl. acac. sylv.* Interim filioli sui sexennis *feces κάτω* rejectas studiosè collegit, easque in Sole exsiccatas in pulverem redegit, quo de manè seròque singulis (insciis tamen) in jusculo propinavit ʒij. Quô remediô, expulsis anteà humoribus corruptis, omnes, & plures alios in vicinia, servavit. Rogatus à me, unde hauserit secretum hoc? à Sene quodam Venatore Westphalo respondit.

LVIII.

Quartana levißimis remediis feliciter curata.

Quartana levissimis remediis feliciter curata.

NUnquam me puduit, consiliô *Barthohinianô,* etiam ab *aniculis* & *barbitonsoribus* viliora experimenta expiscari, modò probata & sæpè cum successu usurpata sint; Miles præsidii *Guelferbytani* à *quartana* totus emaciatus, ut vix ossibus amplius hæreret, accipit à vetula haustulum, quem ante paroxysmum intrepidè exhaurit, inque lectum se conjicit, ut præstoletur sudorem. Incidit in somnum: & ecce! febris miraculi instar cessat. Dedit istud poculum aliis *quartanariis,* nunquam sine successu. Præmiô tandem oblatô, secretum suum mihi revelavit. Erat cochlear. 1. recent. *stercor. canin. masculin.* in vino, aut spiritu ejus dilutum. Ipsemet volentibus aliquot plebejis, queîs dixeram, concessi, & næ! in integrum restituti sunt. *D. Godofredus Blankenberg.* Ecclesiastes Guelferbytanus religiosissimus, Amicus conjunctissimus, pro se & familia sua parârat acetum quoddam alexipharmacum ex *salv. card. bened.*

cent.

cent. min. scord. angelic. bacc. junip. & aliis simplicibus, quo de cùm honestissima Virgo, ultra IX. ferè menses *quartanaria*, unum alterumve cochlear sumsisset, ab illa hora ab omni insultu febrili immunis vixit, ut ex ore ejus habeo. Dedit *Blanckenbergius* meus idem acetum aliis pauperculis in eodem affectu, optimo cum eventu, quod certò scio. Adolescens XVII. annorum, à *quartana* diu cruciatus, sumit tandem ante accessionem *Spirit. vin. rhen. adust.* cum *acet. vin. rhen. ãã p. aequ.* & subitò faustèque liberatur. *Henrici Diterici*, Civis Guelferbyt. filius X. annorum, post quintum paroxysmum, ipsô accessionis die, obtinet à me jusculum, cui pulv. ex crem. Tart. Rad. Jalapp. &c. inspersus erat. Quô sumtô, largiter, citra molestiam tamen, evacuatus, febri eôpse die penitus cessante.

LIX.

Pilulæ integræ, ægrô restitutô, rejectæ.

DEdi olim Religioso Viro *pilulas* auro obductas, quas verò alterâ statim horâ omnes singulasque, integras, & adhuc eleganter *inauratas*, *κάτω* rejecit, subsequente tamen largâ evacuatione, à qua optimè convaluit. Similem historiam recenset Cl. *Binninger C. 4. obs. 10.* Pilulæ integræ, ægrô restitutô, rejectæ.

LX.

Phtiriasis.

PUella rustica contra *icterum flavum*, consiliô matris, utebatur *pediculis vivis*, quos in capite suo captos, & cerâ virgineâ obvolutos securè devorabat. Verùm bestiolæ in corpore sese multiplicantes perniciosam peperêre *phtiriasin*, à qua ægrè redimi poterat puella. Phtiriasis.

LXI.

Scarabæi & Cochleæ ἄνω καὶ κάτω rejecti.

DN. D. *David Kellner*, Archiater Saxo-Rômhildensis, nunc Practicus Gothanus, Vir meliori fatô dignus, Amicus Scarabæi & Cochleæ ἄνω καὶ

κάτω rejecti.

meus sincerus, An. 1667. in Illustri Acad. Julia vidit adolescentem rusticum XXI. ferè annorum, de *lancinatione* & *rosione cordis* molestè & constanter conquerentem. Physicus urbis ordinarius *Lt. Rosse* dedit ei purgans ex gummi gutt. &c. quod ἄνω καὶ κάτω multos *scarabæos, tàm vivos, quàm mortuos, ex fusco nigricantes*, hujus magnitudinis, ut vides, expulit. Idem amicissimus *Kellnerus*, Vir antiquâ fide, *Römhöldiæ* habuit feminam curæ suæ commissam, quam omnes cum eo hactenus pro *hydropica* habuerant, selectis hunc in finem remediis, frustrà licèt, adhibitis. Tandem spontè excrevit per alvum, unà cum excrementis, multas *cochleas molliores*, easque minores, quales in *foliis brassicæ* deprehendimus. Sed alterô die decessit. Putabant alii, esse morbum à fascino inductum, quod ipsa fassa est vetula quædam torturæ subjecta.

Fig. IV. p. 33

LXII.

Usus aranearum internus in tertiana.

Usus aranearum internus in tertiana.

GEnerosissimus Dominus *Johannes à Bibra*, Hæreditarius in *Irmelshausen*, Ord. Equestris in *Röhn* & *Werra* Præfectus quondam, tunc Consiliar. intimus Saxo-Römhildensis, Aulæque & Cameræ Director, &c. bonâ fide retulit *Kellnero* jam laudato, famulo Patruelis sui tertianâ, ultra IX. menses, miserrimè excruciato & emaciato, omnibus incassùm adhibitis, tandem, consiliô Apellæ, duas tresve *araneas* justæ magnitudinis, cum pane butyraceo, insciô tamen ægrô, datas fuisse, mox jusculum calidum & pingue. Quô sumtô, ad sudorem compositus ille, exque voto in integrum restitutus. Multoties postea hoc *antifebrile*, in nobilibus æquè ac plebejis, fausto cum successu usurpatum, Idem asseruit Generosissimus Dominus.

LXIII.

Abscessus in gibbo erucis plenus.

Abscessus in gibbo

DE puellæ gibbosæ *abscessu*, pediculis referto, notabilem narrat historiam *Forest. l. 8. obs. 15.* in *Schol.* & ex eo *Schenck.*

l. 5.

l. 5. obs. 47. Jul. Alb. Roßmüllers/ Not. Cæs. Publ. filiolus novennis monstrosè *gibbosus* diu in dorso *vagum dolorificum* senserat *pruritum*, supervenientibus *tandem* vigiliis continuis, etiam aliquando convulsionibus epilepticis. Tumor indies crescens, emplastrô emolliente à Chirurgo superimpositô, pauciores & leviores exclusit cruciatus. Apertus denique ferrô aliquot evomuit *erucas planè virides*, puerô adhuc valente.

LXIV.

Febris menstrua & hebdomadaria.

PArens meus, anno ætatis suæ XXIX singulis mensibus, (à Mense Martio usque in Septemb.) & quidem in *novilunio*, febre corripiebatur, unum saltem diem durante. Confer sis *Schenck. l. 6. obs. 64.* Alium novi, qui singulis septimanis, ipsô *die Veneris*, manè circa *tertiam & quartam*, insultum toleravit febrilem ultrà duos menses.

Febris menstrua & hebdomadaria.

LXV.

Sanguis piceus.

TEstatur *Galenus Comm. 3. Epid. 6. text. 29. p. 675. T. 3.* se extenuatissimæ mulierculæ, post octo mensium menstruorum suppressionem, venam curâsse secandam, cui ex rescisso vasculo *liquidæ picis instar*, & colore & crassitie similis, emanârit sanguis. *Cortnummius* meus quondam *Lammershagæ* in Holsatia Johannis Kochs / Nobilissimi Domini *Bartrami* Reuentlow Hortulani, sanguinem V. S. emissum *planè atrum*, & *verè piceum* quoque *deprêndit*, egoque nuper in consummata *hypochondriaca* eundem notavi. Talis autem fit, judiciô *Lindenii*, ardore non subitò, sed *paulatim* depascente, quicquid est chymosi in massa. *Piceus*, infit, *non fit nisi cùm igne uritur occultô quasi cineris dolosi. Tunc verò nigrorem concipit ex ustione biliosi, lentorem verò exsiccatione fibrosi, quod est in sanguine.* Vid. *Select. ejus Med. & ad ea exercit. in Mantiss. Oeniad. §. 129. & 132.* quod pluribus demonstrat in erudito suo de *febr. malign. tract.* Candidissimus noster *Paulli*, Magnum Septentrionis decus.

Sanguis piceus.

LXVI.

Furor uterinus à Vermibus.

Furor uterinus à Vermibus.

PUella Batava XIX. annorum, ἐνσαρκα & fusci coloris, in iram, mox in risum, semper verò in fœdos lascivosque sermones maximè soluta, pudenda crebriùs fricabat, sublatis vestibus, ultrò sese prostituens, tandem honesto includebatur loco, ubi bene & providè curabatur. Variis autem tentatis, & nihil, seu parùm, proficientibus, menses tandem diu suppressi, operâ medicamentorum, reclusi quàmplurimos *pilosos, versicolores, cornutosq; Vermes*, *oblongos*, *crassos* & *multipedes* simul effudêre, *furore* sensim *declinante*. Dantur porrò specifica: expulsi plures, puellâ optimè restitutâ.

LXVII.

Tres papillæ triangulares in utraque mamma.

Tres papillæ triangulares in utraque mamma.

REtulit mihi *Lugduni Batavorum* Excellens Artis nostræ Candidatus, Amicus Sincerissimus, *Athanas. Georg. Prakelius*, se vidisse in *Scotia* mulierem, in utraque mamma *tres papillas triangulares* (ut ex figura vides,) eleganter distinctas, & lacte plenas, habentem, quæque aliquoties pepererat gemellos. Singulæ quidem papillæ lac fundebant, sed non unô eôdemque tempore, verùm *alternatim*, quod notabile. *Mane* siquidem usque ad meridiem *dextra mamma* sufficiens alumnis suis largiebatur alimentum, *post pastum* verò *usque ad crepusculum sinistra.* Licèt enim horis antemeridianis è sinistra, vel contrà, aliquid elicere vellet, præter exstillantem *aqueam humiditatem* vix vidisset aliud; quod singulare divinæ Naturæ miraculum sanè est.

Fig. V.

LXVIII.

Pleuritis Verminosa.

Pleuritis verminosa.

RUsticus *Immendorfensis*, verâ *pleuritide* decumbens, ut alii à me curatur, adhibitis tàm internis quàm externis remediis,



Dec: II.

diis, morbô interim auctô. Oritur suspicio de *vermibus* in corpore nidulantibus, qui malignos acresque suos vapores sursum exhalantes, virulentâ suâ acrimoniâ pleuram inflammant, aliaque parturiunt mala. Do igitur pulverem ipsis inimicum. Expulsi varii, rustico altero die in ædibus hilariter ambulante. Sic scribit *Gesner. l. 2. epistol. scarabæi* genus omne *cornutum* per alvum excretum fuisse à *pleuritica* anu.

LXIX.

Mensium suppressio à sternutatione reserata.

FEmina XXXV. annorum ultrà quatuor menses fluxum suum habuerat suppressum, vagâ subinde *cephalalgiâ* & *odontalgiâ* miserè excruciata. Aliquando *caryophylla, cinamom. & nuc. mosch.* simul in usum culinarem in mortario tundit, quorum aromatum fragrantiâ ultra *sexagies* sternutavit, eôpse die fluxu Lunari ex voto manante. Mensium suppressio à sternutatione reserata.

LXX.

Menses ex læva papilla fluentes.

PUella XVIII. annorũ singulis *noviluniis* tumorẽ *lævæ* mammillæ, cum levi inflammatione, omnis doloris tamen experte, sentiebat, sanguine postea, *fonticuli* instar, ad *biduũ* plerunq;, è *sinistra* papilla scaturiente. Aliquando, rariùs tamen, ob crassitiem, à diæta contractam, lentiùs exstillabat, semper tamen eleganter *rubicundus*, & quem solâ, eâque leviori, mammæ compressione facilè & feliciter emulgebat, bellè aliàs valens. Paulò ante nuptias, ipsa menstruata tunc, à Matre ad *Cortnummium* adducta, præsente eâ, elegans Naturæ miraculum ostendit. Re verò habitâ cum marito, menses nunc ordinariè & naturaliter fluunt. Non simpliciter igitur verus *Coi aph. 40. lib. 5.* Menses ex læva papilla fluentes.

LXXI.

Ova Serpentum sine ullo incubatu exclusa.

INvenerat vernô tempore rusticus *Westfalus ova serpentum*, quæ, tanquam rem novam, conjugi suæ monstraturus, do- Ova Serpentum sine ullo in-

cubatu exclusa. mum portat, visaque in vitrum retrò fornacem reponit. Cùmque aura adhuc aspera spiraret, ipsaque rustici conjux puerpera tunc esset, diû noctûque Vulcano suum dabatur pabulum. Omnibus tandem à continuo calore in vitro ruptis, prorepsêre *serpentuli*, qui hinc inde se moventes cum vitro in pavimentum deciderunt, mirosque fecêre gyros, quos verò, ceu ingratos hospites, ocyùs oppressit colonus, pœnitens, se tamdiu *angues* fovisse in sinu. Adde Autores, quos citavimus in fine *observat. 54.*

LXXII.

Totus penis cum testiculis à cane morsu ablatus.

Totus penis cum testiculis à cane morsu ablatus.

MAgna *canis* rustici catulos suos ad fornacem lactans, permingitur cum ipsis à puello vix trienni. Insurgit rabida bestia, *totumq; membrum* pueri, unà cum *testiculis*, *unicò morsu* aufert; Ipse tamen puer aptis remediis servabatur, ut Parens meus αὐτόπτης consignavit. Similem fere historiam narrat ex *Horstio D. Mœbius in Fund. Medic. Physiol. c. 19. p. 250.*

LXXIII.

Integræ hepatis particulæ per os & alvum rejectæ.

Integræ hepatis particulæ per os & alvum rejectæ.

A*Mbrosius* Bierwirth de doloribus *sinistri hypochondrii*, & æstu quasi inflammatorio, cum tussi sicca, diu conquestus erat, subsequente extremâ macie & summâ virium imbecillitate. Alii pro *phthisico*, alii pro *splenetico*, sed frustra, hactenus habuerant. Vocatus *Kellnerus* noster ratus primò, subesse apostema, ad extinguendum æstum, dedit pulv. ex *hepat. rub. Dresdens. & nitr. antimonial.* confectum cum jusculo, eôpse die sumendum. A meridie ἄνω καὶ κάτω rejecit multa *fusca* frustula, (wie ein Lungen-Mus aussehende/) auctô æstu, cum languore virium, ac tussi cum stertore. Dedit Medicus porrò pectoralia cum antifebrilibus mixta, à quibus istô die ad vesperamusque bellè quievit, & melius habuit, ut omninò convaluisse sibi videretur. Finitâ cœnâ suborti demum dolores & anxietates

f. 43. app.





Annus V.

tates cum vomitu viſcidæ pituitæ, mox ſequebatur purpureus cruor & tandem *integræ hepatis particulæ* excretæ, unà cum *filamentis ſuis, multâ nodosâ & albicante materia inſpersâ diſtinctæ*, (Fig. VI. Lit. A) *noduloq́; purulento exſiccato, magnitudine ovi columbini, colorem vitelli ovi indurati repræſentare, cum exiguis venulis intertextis*, (Lit. B) dolore in ſiniſtro hypochondrio ceſſante. Hujusmodi excretio ſanguinis *fruſtulorumq́; hepatis* per os & alvum intra octiduum *quater* repetita, non ſine variis graviſſimisque ſymptomatibus. Datæ porrò, unà cum confortantibus variæ potiones vulnerariæ, & remedia balſamica, nec ſine aliquali ſucceſſu, licèt mirabilia ſymptomata crebriùs ſupervenerint. Menſe exactô, cùm jamjam in portu navigare videretur, magna abdominis inflatiò cum inſigni duritie orta, quam verò *Eſſent. carminat. D. Mich. cum. Spir. nitr. dulc. extract.* feliciter pepulit. Tandem acceſſit tumor pedum & abdominis, ſequente mox perfectò hydrope. Adhibita quidem methodicè generoſa remedia. At ſemel calcanda erat via lethi. Lis inde nata: utrum rejecta materia *hepatis particulæ*, ſeu *ſanguis coagulatus*, ſeu *fruſtula pulmonis*, fuerint? Verùm, apertô cadavere à *Johanne* Scheiben / Chirurgo Gothano, Idem *Kellnerus hepar* multis inſperſis hujusmodi *duris*, & partim *lapideis, albicantibus nodulis*, (faſt wie Schweins-Finnen) tam internè, quàm externè, (Lit. A & B Fig. VII.) refertum vidit, quales etiam in materia rejecta notaverat. Veſica fellea (Lit. C) inuſitatæ erat magnitudinis, denſiori quâdam materiâ, ſucci inſtar inſpiſſati, ex *atro viridi* repleta. Inteſtina cum ventriculo gracilia & pellucida, membranæ inſtar. Per quas autem vias excretæ *particulæ hepatis* in & per ventriculum deſcenderint, inveſtigari haud potuit. Tam artificiosè labia vulneris, ſeu aperturæ in Ventriculo, à Natura erant occluſæ, & *hepar* in parte læſa (Lit. B) ſubtili quadam membranulâ erat obductum. Cetera viſcera, cor, pulmones, renes, integra quidem erant, ſed admodum gracilia & flaccida, præter lienem, qui valdè craſſus, ater & tenaciſſimâ tunicâ, ſeu membranâ, veſtitus erat. Cetera

tera silentio involvimus. Sufficiat probâsse, rejecta corpuscula *hepatis*, non alterius visceris, seu congrumati sanguinis, frustula fuisse, & consequenter: integras visceris alicujus particulas ἄνω καὶ κάτω rejici posse. Quod ut certiùs credas, ecce! aliam *Kellnerianam* observationem, asteriscô dignam. Vidua Dn. *Wenckii*, Poligraphi Gothani, quæ adhuc mortales inter ambulat, sub *hypochondrio dextro* sensit dolorem primò obtusum, mox acutiorem, tandem acutissimum, cum insigni corporis æstu, viriumque languore. Sequitur vomitus *sanguineo-purulentus*, denique *integræ hepatis particulæ*, unà cum venulis suis, quas oculis suis vidit & manibus suis palpavit Dn. *Lt. Rose*, Phys. tunc Gothæ ordinarius. Successêre bini vomitus cruenti simplices. Ipsa demum feliciter restituta, ultra XXVI. annos in hunc usque diem ὀρθοστάδια vivit. Similem ferè casum Idem notavit laudatissimus *Kellnerus* An. 1672. Mosbachii in Ducatu *Isnacensi*, ubi Pastor loci, Dn. *Joh. Andr.* Müller / civis meus, *ascite* cum *ictero* laborans, proximâ ante excessum nocte, *ipsam hepatis substantiam* evomuit. Dixerim cum Cl. *Mœbio in fund. Med. Physiol. c. 14. p. 348. Natura in statu p. n. ab interitu se liberatura sæpè mirabiles quærit vias, ac meatus, & abutitur viis ordinariis.* Sic *Salmuth. C. 1. obs.* abscessum *jecoris*, cum *particulis parenchymatis* corruptis, per *alvum*, & *vomitum*, in aliis per *urinam*, sed morte subsequente, vidit.

Fig. VI. & VII. p. 42

LXXIV.

Variolæ in Senio.

Variolæ in senio.

CIvis quidam honestus J. L. annum agens LXI. filiolam triennem *variolis* tunc decumbentem, matre absente, reponit in lectum suum, exque amore paterno dormituram pectori propiùs admovet. Paucis inde diebus in toto isto latere, cui accubuerat puella, *fœdæ* effloruêre *variolæ*. Vocatus in auxilium alexipharmacô reliquas expuli, ægrô in integrum restitutô.

LXXV.

LXXV.

Sternutatio in δυστοκία *saluberrima.*

DOcet hoc *Cous V. aph. 35.* & *l. 2. Epid. S. 5. t. 43.* Πταρμὸς ſiquidem partum movet, quatit, & provocat. Compreſſis enim magna vi muſculis epigaſtrii, & ſpiritu à ſuperis ad inferna violentiùs depulsô, facilius fœtus excluditur, quod inſigni obſervatione confirmat Incomparabilis Artis noſtræ Stator *Harveus Exercit. de Partu p. 367.* quæ aureô aſteriſcô meretur notari. Ego aliquando ad pauperculam gregarii militis conjugem, in ſumma δυστοκία conſtitutam, propter Deum vocatus, cui, cùm omnia vulgaria remedia ſpem noſtram eluderent, & cariora res anguſta domi invideret, ſubitò *ptarmicum* dedi, quô naribus attractô, crebriores promotæ ſunt ſternutationes. Ipſa quidem in animi deliquium lapſa, infantem tamen peperit vegetum & ſanum. Et hôc exclusô, facilè ad ſe rediit. Sternutatio in δυστοκία ſaluberrima.

LXXVI.

Falſæ ingravidationis methodica curatio.

NE neſcias, Amice Lector, quondam inter me, alioſque, at longè ſeniores, celebriores, & Excellentiores Medicos ortam eſſe litem de Illuſtri Matrona (*falsâ*) *ingravidatione* laborante. Hi, *oculatiſſimi* aliàs & *Exercitatiſſimi*, eam verè gravidam pronunciabant, idque credebant omnes, quotquot nôrant, aut viderant feminam, me ſolùm modeſtè contradicente. Motus ſentiebatur in utero è dextro in ſiniſtrum latus, & contrà: lac in mammis manifeſtum, tumor ventris ordinarius. Summa: cuncta apparenter vera. Decimô tandem menſe, manente nihilominus obſcurô quôdam motû in utero, ſe videbat deceptam, licèt Venter interdum elevaretur, mox deprimeretur. Suſpicio mihi ſuborta de *inflatione uteri*, datus ergo per aliquot dies *Syrup. de artemiſ.* Fernel. Sextô demum purgata crem. tart. diagr. acuat. Repeti- Falſæ ingravidationis methodica curatio.

tus iterum Syrup. cum pulv. per totidem dies. Tunc ad ipsum uterum remedia directa, & primùm quidem *pessaria*.

℞ Spec. hier. picr.
ben. laxat. āā ℥j.
Pulp. colocynth.
Asar. troch. āā ʒß.
Spic. nard.
Sem. nigell. rom.
Salv.
f. Sabin. āā ʒj.
incorporent. cum melle anthos. & f. pessar. inclus.
Panno serico Num. X.

Unô hor. XI. vespertinâ applicato, & post septem horas remotô, *crocea* quædam *colluvies* indusium hinc inde tinxit. Ideoque in hoc deducta est balneum.

℞ Rad. helen.
arist.
levist.
pimpinell. āā ℥iv.
Fol. artemis.
origan.
meliss. āā Miiij.
beton.
majoran.
menth.
Salv. āā Mij.
bacc. junip.
laur. āā ℥j.
coq. pro semicup.

In quo omni vespere sedit umbilicotenus per horam. In exitu lectum repetiit, injectis ℥iij. hujus clyst. in uterum.

℞ Fol.

℞ Fol. abſinth.
ſalv.
artemiſ.
branc. urſin.
rut. ãã Miß.
Sp. hier. picr.
agar. albiſſ.
troch. de myrrh. ãã ʒß.
Zingib.
myrrh. el. ãã ℈j.
coq. in vin. alb. & aq. font. ãã ℔iß. ad ℔ij.
in Colat. diſſolv.
elect. diacathol. ʒij. f. clyſt.

Quô etiam interdum utebatur mane. Quoties autem *clyſma* rejectum, aut *peſſarium* remotum, ſimul *grandis veſica* exploſa eſt, *flatusq; cum murmure & ſibilo* erumpentes. Propter ſupinum decubitum, ob clyſteris uſum, ſenſit *cephalalgiam*, quæ ſeq. *oxyrrhodino* feliciter ſedata

℞ Aq. ſpermat. ran. ℥iv.
roſ. ℥ij.
ol. cham.
acet. roſ. ãã ℥ß.
camph. gr. ij.

Camph. teratur cum ol. chamom. M. applic. fronti colloque. Interea temporis ad dies aliquot pauſam fecimus. Tum, repetitis ſuprà enarratis remediis, & menſibus jam inſtantibus, quievimus. Interim à purgatione aut clyſtere ſemper *veſica*, aut *materia purulenta* rejecta. Semicupium ſuprà dictum in inſeſſum mutatum, retentis iisdem ſpeciebus. Sudavit egregiè; madore abſtersô, repetiit lectum, hunque ſacculum per hor. calid. retinuit.

℞ Sum-

℞ Summit. artemiſ.
menth. ãã Miij.
meliſſ.
origan.
ſaturei ãã Mj.
bacc. laur.
junip. ãã ʒiij.
fl. ſalv. P.ij.
ſem. carv.
fœnic. ãã ℥ß.
F. ſaccul. in vino calefaciend.

Interdum mane ℥iiij. hujus *vini* ſumſit.

℞ H. abſinth. vulg. Mj.
fol. card. bened.
hyſſop.
ſalv. ãã Mß.
ſenn. alex. ℥j.
ſoldanell. ℥ß.
rhab. opt.
agar. alb.
cinam.
zingib. ãã ʒj.
f. ſacculus in ſ. q. vin. rhen. ſuſpendendus.

Veſica interim & *materia limoſa* non amplius apparebant. Poſt menſtruam purgationem *hoc clyſt.* uterum roboravimus.

℞ Rad. ariſt. rot. ℥ß.
lign. aloës ʒiij.
nuc. cupreſſ.
Rad. cyperi ãã ʒij.
cal. aromat. ʒj.
fol. dict. cret.
ſaturei.
myrt. ãã Mj.
ſalv. P. j.

Myrrh.

Myrrh. el.
ſtyr. calam.
benzoin. ãã ʒiiß.
Fl. anth.
major.
ſtæch. arab. ãã P. j.
coq. in ſp. vin. alb. generoſ.
In colat. ℔iß. diſſolv. troch. de alipt. moſch. ʒij.
ambr. grys.
moſch. ãã gr. vij.
Zibeth. gr. v.
F. injectio in uterum ſingulis vicibus ℥iij.

Poſt hujus uſum ſuffumigebatur hoc *ſuffitû*:

℞ Myrrh. opt.
thur. maſcul.
lign. aloês.
ſtyr. calam.
cinam.
caryoph. ãã ℥ß. F. ſuffimig.

Deinde regionem uteri tàm in antica, quàm poſtica parte inunxit hoc *linimentô*:

℞ Ol cheirin. ℥ß.
ſtill. majoran. ℈j.
caryoph.
ſalv. ãã gr. v.
N. moſch. expr. ʒj.
ſtyr. liquid. ʒij.
moſch.
Zibeth. ãã gr. vj.
f. c. ſ. q. cer. Linim.

Superimpoſitô hôc *Empl.*

℞ Empl. matrical. ℥j.
ſtyr. liquid.
gumm. caran. ãã ʒij.

gall. moſch. ℨß.
ol. ſtill. ſalv.
caryoph. ãã gt. vj.
nuc. moſch. expr. ℨj.
c. ol. cheir. F. empl. duo,
alterum *rotundum*, alterum *quadratum*, illud *pectini*, hoc *coxæ* admovendum.

Dum hæc fiebant, quotidie aſſumebat caſtan. magnit. de *Elect. diaſatyr.*

℞ Rad. eryng. cond.
ſatyrion. ãã ℥j.
Zingib. in chin. cond. ℥ß.
conſ. fl. ſalv. ʒvj.
nucl. pin.
avell.
piſt. ãã. ʒv.
N. moſch. ſacch. condit. num. ii.
ſem. eruc.
ammeos,
paſt. ſylv. ãã ʒij.
Matr. lepor. præp.
raſ. ebor. ãã ℨj.
conſ. alcherm. ʒiij.
Sp. diambr.
diam. dulc. ãã ʒiß.
ambr. gr. ℨß.
c. ſyr. de cond. cort. citr. q. ſ. f. opiat.

Hauriebat inſuper ij. cochl. ſeq. aquæ contra *ſterilitatem*.

℞ Caryoph.
cinam.
cubeb. ãã ℥j.
galang.
macis.

N. moſch.

N. mosch.
piper. long. ãã ℥j.
fl. salv. Mj.
sem. amm.
sesel.
zedoar. ãã Mß.
gran. junip. ʒij.
vin. rhen.
aqua meliss. ãã q. s.
stent in digestion. vj noct. Tunc destill.

Tandem, cùm *Ventriculus* viscidâ adhuc materiâ scateret, Vomitorio è *Sale Vitriol. alb.* feliciter fuit eliminata, in sequente blandâ purgatione κάτω. Corroboratus postea stomachus *Sale absinth. pulv. Stomach. Mynsicht.* & *elect. de bacc. junip.* Sic dimissa, & Viro iterum conjuncta est. Πάντα καλῶς. Hæc, volente & petente Generosissima Domina, publicæ luci sistere volui, ob certas, easque satis prægnantes, causas. Tu, mi Lector, qui potes, & vis, CENSE. Sapiens nunquàm me reprehendit, nisi ut instruat.

LXXVII.
Mentula monstrosa.

VIdit Parens meus in Diœcesi *Spirensi* Juvenem rusticum, XXVI. annorum, ob summam libidinem, & *mentulam* verè *monstrosam*, valdè famosum. Scrotum ejus nullum: testes intùs latebant: *mentula* duas robusti Viri spithamas longa, & tota *villosa*, & circa præputium circulô quôdam membranosô latiori munita, è quo pro lubitu prominebat *Pater multarum gentium*, ut nequam partem hanc vocabat. Mentula monstrosa.

LXXIII.
Mictio involuntaria à tussicula.

HAbebat *Cortnummius* noster, Medicus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Nobiliss. Matronam, curæ suæ subjectam, quæ etiam à *tussicula* Mictio involuntaria à tussicula.

tussicula levissima irritata, subitò minxit. Hinc *pudendo* semper annexam habebat *Vesicam* singulari artificiô, ne vel in templo, vel alibi se risui & scandalo aliorum exponeret. Curata autem feliciter remediô, σὺν Θεῷ, in *tract. meo de Salvia* revelando.

LXXIX.

Kutubuth, seu Melancholia errabunda.

Kutubuth.

NOmen habet apud Arabes ab *animali*, quod in superficie aquarum stagnantium perpetuò hinc inde cursitat. Hujus rei exemplum notavimus in Saxonia inferiori. Puella siquidem XI. annorum valdè melancholica à die XXVI. Januar. usque ad XXII. Febr. vix horulam in uno eodemque, licèt commodissimo, loco aut stare, seu cubare, vel sedere, seu ullô modô quiescere poterat, sed ex hypocausto in *aream*, ex hac in *hortum*, ex hoc in *campum*, in *sylvam*, & iterum in *pagum*, continuò dies noctesque vagabatur, nesciens tamen, quò vaderet, aut ubi fuerit. Quando aura pluviosa, seu *austrina*, erat, magis infestabatur hôc malô, quàm sub *aquilonari*, sicca, & gelida. Tandem Februario ad exodum properante, sensim ad se rediit. Semel tamen aut bis denuò, ipso *Martiô* Mense, recruduit hæc *melancholia*, & circa finem *Octobris*, sed per intervalla tunc, non continuò.

LXXX.

Mensium & hæmorrhoidum fluxus alternatim factus.

Mensium & hæmorrhoidum fluxus alternatim factus.

UXor *Gregorii* Rautenbachs / militis, annorum XXVIII. intra *Novi-* & *plenilunium*, tres quatuorve dies *fluxum* habebat *menstruum* ordinariè & satis copiosè. Intra *plenilunium* postea, usque ad *novilunium*, continuò ferè (at non semper) fluxêre *hæmorrhoides*, & sic alternatim ad *septimum usq; mensem*, viribus adhuc robustis. Lapsa deinde casu in *Visurgim*, ex terrore menses sensit suppressos, fluxû *hæmorrhoidum* verò sequente largiori. Qui tandem sponte suâ, ut dixit, substitit. Simi-

lem

lem ferè hiſtoriam refert ex *Kentmanni* literis *Schenck l. 4. obſerv. 273.*

LXXXI.

Gemelli, canum inſtar, in utero cohærentes.

Nobilis femina in *Finmarchia*, notante Excell. *D. Ambroſ. Rhodio*, Viro cordatiſſimo, ex ſuperiori hypocauſto in culinam deſcendens, ſub ſcala fortè reperit *canes venaticos* à *coitu cohærentes*. Quô fœdô ſpectaculô perterrita, non deſtitit quidem, clauſis foribus, utrumque baculô tamdiu delumbare, donec ſejungerentur. Peperit poſtea gemellos diverſi ſexûs mortuos, at *pudendis, canum inſtar, monſtroſè cohærentes*. Qui ocyùs & clanculùm tumulati rumorem effugêre publicum.

Gemelli, canum inſtar, in utero cohærentes.

LXXXII.

Vulva puellæ intus hirſuta.

IDem Subtiliſſimus & Curioſiſſimus Medicus ac Mathematicus ingenuè mihi faſſus eſt, ſe in *Laplandia* vidiſſe puellam, lepidam ac venuſtam, cujus *vulva* verò *intus* erat *piloſa*. Cauſam conjecit in phantaſiam matris, quæ fortè crebrius contrectârat membrum mariti, pilis valdè luxurians, & dormiens digitum intruſerat in genitalia ſua.

Vulva puellæ intus hirſuta.

LXXXIII.

A clyſtere frigido Mors.

EX *clyſtere actu calido* injecto mortem notavit *Zac. l. 3. prax. admir. obſ. 141.* egoque anno 1667. Hafniæ eruditum quendam Virum ſimili fato exſtinctum vidi. Ex *frigido D. Thom. Bartholinus*, ὁ πάνυ, *C. I. hiſt. 76.* Accerſiverat ancilla è pharmacopolio *clyſterem* cum veſica, jamjam heræ ſuæ applicandum. In platea verò ad rivum occurrit fortè miles ebrius. Siſtit hæc gradum confabulatura cum eodem. Ille rem ſibi inſolitam contemplans, projicit in aquam. Puella cum conviciis extrahit,

A clyſtere frigido mors.

nectit moras, totique viciniæ, more hujus sexûs, facinus nebulonis prolixiùs narrat. Interim omnis exhalat calor. Domum tandem reversa, Dominæ, in summis doloribus colicis constitutæ applicat, infunditque *frigidum*, rens, ejusdem fore efficaciæ, seu frigidus sit, vel tepidus. Eâpse horâ terribiles insultus *epileptici*, cum notabili augmento tormenti *colici*, superveniunt. Tandem mors miserrima.

LXXXIV.
Morbilli verminosi.

Morbilli verminosi.

DE *sudore Verminoso* in variolis, raram olim diximus historiam in *Anno 6. Eph. nostr. Curios. obs. 3.* fideliter annotatam, de eodem in morbillis, vid. *Isib. ab Amlunx. Breviar. rer. memorab. num. 4. pag. 12.* Paucis abhinc septimanis pauperculum puellum, trium ferè annorum, & *morbillis* periculosissimè decumbentem, maximè *verminosum* vidimus. Expulit eos benignissima Natura, Deo sic volente, per *spiracula cutis*, κάτω, etiam aliquot per *urinam*, *pusillos* equidem, & *visum ferè effugientes*, *vivos* tamen plerunque, seseq; moventes, *coloris nivei*. Et næ! miracula inter, seu singularia divinæ Providentiæ exempla habeo, quòd miserrimus hic pusio tandem convaluerit, adhibitis paucis, & tantùm domesticis, remediis. Quàm verè *Plin. l. 22. c. 13. In domesticis*, infit, *remediis* (i. e. in simplicibus) *apparet Natura, in exoticis* (i. e. compositis, aut vulgò jactatis Chymicis) *autem Conjectura sæpè fallax.* Ne mireris igitur, Candide Lector, me adhuc cum Sagacissimo *Langio*, & *Kirchero*, verè *Athanasio*, Fautore meo, dum viveret, Maximo, aliisque modestis *Pathologiæ animatæ* Scrutatoribus, sententiam de *Putredine animata* orthodoxè defendère.

LXXXV.
Sudor arenosus albissimus.

Sudor arenosus albissimus.

PArens meus, Arthriticorum ferè Princeps, aliquoties, declinante affectu, in *sudorem* criticum lapsus verè *tartareum*, qui

qui in indusio, maximè verò digitis pedum manuumque, eleganter *crystallisatus* & *coagulatus*, ut aliquando, si dolores permitterent, ipse eum cultellô abraderet. Non erat certius Vincentis Naturæ Signum, quod nunquam Eum fefellerat. *Tartarum* verò istum *candidissimum*, at valdè *salinum*, aliis *nodosæ podagræ* Candidatis exhibuit ipse, nec sine successu. Facillimum enim & validum diaphoreticum erat.

LXXXVI.

Capræ ubera intra pedes priores dependentes.

CApræ Libycæ figuram dabit nobis Cl. *Jonston. l. 1. de quadruped. p. 80.* Huic ferè similem vidit Parens meus, *rerum naturalium curiosus indagator, professione licèt mercator*, cornibus maximis conspicuam, & prolixissimâ barbâ, pelleque insigniter pilosâ, cujus *ubera intra pedes priores natæ*, ferè ad terram usque, lacte turgidæ, dependebant, ut ex figura adjecta accuratiùs videbis. Capræ ubera intra pedes priores dependentes.

Fig. VIII. p32.

LXXXVII.

Lupi sagax fidelitas.

VIdit D. D. *Hieron.* Weißbrot / Livonus, meus quondam in Belgio confœderato Amicus conjunctissimus, in patria sua *lupum*, ab opilione statim à nativitate captum, & *lacte ovinô* nutritum, adeò cicurem, ut jam adultior non solùm *fidus gregis custos* foret, sed etiam singulis ferè septimanis jentaculum, lardum puta, caseum, panem, cum jusculo, fictili incluso, è villa in campum domino efferret, infantes in cunis adhuc vagientes, & integram aliquando domum cum omni pecore fideliter custodiret. Hyeme cauponam publicam, canis instar, intrabat, nulli molestus, omnibus carus. Similem historiam dabit *Schott. l. 8. Phys. Curios. c. 48. p. 904.* & de *leone*, catuli instar, Joanni II. Lusit. Regi, assidente, *Idem p. 896. Suidrigellus*, Lithuaniæ Princeps, habuit *ursum* matutinis horis à nemore discedentem, qui palatio appropinquans, pedibus anteriori- Lupi sagax fidelitas.

bus

bus fores percutiebat, &, cibô sumtô, remeabat in sylvam. Cl. *Jonston. l. 3. de Quadrup. c. 5. p. 128. b.* Adeò *consuetudo* potentior *Naturâ*. *Curt. l. 5. c. 5.*

LXXXIIX.
Cœcitas à coitu.

Cœcitas à coitu.

QUantus *testium* consensus cum toto, in specie oculis, sit, Cl. *Mœb.* in *fund. Med. Physiol. c. XIX. p. 495. seqq.* eruditè delineat, nec nesciunt istud omnes venusti Artis filii. *Amentiam* ab excessu Veneris in erudito quodam hypochondriaco: in alio *cerebrum* adeò exsiccatum notavit *Salmut. C. 1. obs. 61.* ut etiam intra cranium hinc inde ferri audiret. Virum novi eximiè doctum, at tenuioris texturæ, & valdè phlegmaticum, qui anno ætatis 59. juvenculam, & summè lascivam, ducens, *tertiâ* à nuptiis *septimanâ* ab immoderato coitu in *repentinam* & *omnimodam* incidit *cæcitatem*, *quartò* demum *mense* calcabat viam universæ carnis.

LXXXIV.
Avellanæ nunquam verminosæ.

Avellanæ nunquam verminosæ.

IN Insula *Huena* (Ween) integra reperitur sylvula è corylis consita, cujus *avellanæ* nunquam à *vermibus* arrodi dicuntur, teste etiam *M. Zeiler.* in *descript. Dan. ac Norvvag. p. m. 250.* *Olaus Olai*, Nidrosiensis, Amicus dilectus, attulit mihi olim tres integros amplosque pileos, talium *avellanarum* plenos, quas omnes & singulas, curiositatis gratiâ, meâ manu aperui, at in nulla, (certa dico,) *vermiculum* deprêndi, ut rumor publicus aliquid ponderis habere videatur.

XC.
Urtica Veneris irritamentum.

Urtica Veneris irritamentum.

DE *usu flagrorum* in re Venerea aureolum planè & curiosissimum libellum edidit Vir Cl. *D. Joh. Henr. Meibomius*, omnibus elegantioris ingenii Viris meritò commendandum.

Nos

Nos novimus olim hortulanum Senem, facetum & valdè adhuc libidinoſum, qui ſemper, ante exercitia Venerea, membrum & teſtes *viridi urticæ faſce* fricabat & cædebat, ſicq́ue rem ſuam agebat ànimosè ac feliciter.

XCI.

Flatus ex pudendo.

IN amœna Inſula *Mœna* vidi pauperculam vetulam extremè ſcorbuticam, de *continuis* ferè & *grandibus flatibus*, cumprimis ex *pudendo*, cum notabili ſibilo, & ſubſequente fragore, exploſis ſeriò conquerentem. Opem poſcenti dedi *oleum carvi*, mane & veſperi ad guttas VIII. in juſculo calido ſumendum, ſingulis verò horis vel *bacc. laur.* vel *gran. Junip.* alternatim ut maſticaret, ſuaſi, eaq́ue ſenſim deglutiret. A quorum Simplicium uſu (quæ tunc ſaltem ad manus erant,) longè commodiùs, ſaltem citra notabilem moleſtiam, vixit, ut à nautis poſtea *Lubecenſibus* intellexi. Flatus ex pudendo.

XCII.

Alvi dejectio irâ provocata.

DE *muſtela ſylveſtri*, ſeu *viverra*, aſſerunt Autores, eam ad iram provocatam *feces alvinas*, at *odoratas*, rejicere. Notus mihi honeſtus Vir & Ludi moderator, ſummè bilioſus. Hic quamprimùm à diſcipulis, vel domeſticis, irritatur, ſubitò *excrementa alvi* egerit. Scilicet bilis, in ventriculo & inteſtinis perpetuò ſtagnans, animi excandeſcentiâ commota, magis magiſq́ue ebullit, & ſcybalis ſtimulum addit calcarq́ue, ut ocyſſimè egerantur. Alvi dejectio irâ provocata.

XCIII.

Naſati non ſemper bene vaſati.

CRedunt mulierculæ, longum craſſumq́ue *naſum* eſſe ſignum ſimilis *mutonis*, ait *Porta de hum. Phyſiogn. l. 2. c. 10.* Hinc *Cœl. Rhodigin. l. 27. L. A. c. 27. viriliores à Lampridio naſatos* dici ſcribit. Libri habent *Vaſatos*. Idem de *Heliogabalo*, monſtro iſto Imperiali, teſtatur, Romæ nihil egiſſe aliud, quàm ut emiſ- Naſati non ſemper bene vaſati.

sarios haberet, qui ei *benè vasatos* perquirerent. *Quid agis? facio, quod manifestò mœchi haud ferme solent. Quid id est? refero* vasa salva. *Plaut. Pœn. act. 4. Sc. 2. v. 40. seq. Vasa* hîc *testes* significant, seu eam partem, quæ honestè interque res serias nominari non potest, quamque Dea *Bona* à sacello suo exulare voluit. Plerumque autem accidebat, ut mœchis ἐπαυτοφώρῳ deprênsis virilia amputarentur. *Lips. l. 1. A. L. c. 8.* Inde *bene vasati* sunt *probè mutonati*, seu *bene peculiati*, ut *Ægyptii*, quorum caro erat *instar carnis asinorum*, & fluxus *instar fluxus equorum. Ezech. 16. 26. & c. 23. 20.* fortè propter optimam ejus regionis constitutionem, ab *Hippocrate agnitam, l de aër. aq. & loc. text. 33.* & à *Strabone* passim commendatam *l. 17.* Novi ego aliquot honestos & eruditos, etiam religiosos, Viros, *optimè* quidem *nasatos*, sed *parciùs vasatos*. Segniores quippe ad Venerem, & unus ferè impotens. Nobilissima ac Venustissima puella, sed valde petulca, duos simul habebat procos, alterum bonæ vitæ fortunæque hominem, sed macilentum; alterum quadratum, & *insigni nasô* conspicuum, lurconem, & fruges consumere natum. Illa, temtô istô, hunc sibi elegit, ob *peculium*, quod sperabat, sibi magnum, & conditionem strenuam. Sed egregiè decepta est. Hinc domi jurgia, foris rixæ, & summa Viri aversatio, ob *sterilitatem*, quæ thorum perpetuò comitatur.

XCIV.
Vermis umbilicaris.

Vermis umbilicaris.

PRudenter *Vossius l. 4. Idol. c. 59. Quod multi*, ait, *non viderunt, cernunt subinde vulgares animæ, rustici, piscatores, quibuscum si sermonem serere haud gravaremur, plura sciremus Naturæ arcana.* Et ita sanè est. Plurimi equidem *vermem in umbilico* genitum, vulgò den Geitz-Nabel- oder Veix-Wurm pro mera fabula habent, licèt *Cl. D. Brenggerus*, Phys. Kaufbyrensis, cum *D. Rupert. Sulzberger*, Prof. olim Lipsiensi, in *disp. quadam de Vermibus in homine*, cujus historiam, hûc quadrantem, citat *Sennert. l. 3. Prax. p. 10. c. 4. p. 985. a.* aliisque, quos allegavi in

Cyno-

Cynograph. meæ Curiof. Sect. 6. c. 4. §. 2. p. 178. αὐτοψίαν suam in lit. ad *D. Höchstetter.* Med. August. *Dec. 6. Obs. Med.* annex. bonâ fide opponat. Defertur olim ad me puellus rusticus, quinque fortè annorum, à vigiliis continuis, summa inquietudine, doloribus lancinantibus, pungentibus & morsicantibus, fletuque perpetuô totus emaciatus, labiis lividis, capite jam ad lævam, mox ad sinistram, & iterum ab hac ad illam miserè & continuò jactatô: alvi dejectiones erant phlegmaticæ, aliquando ex flavo virides, etiam cineritiæ, accedebant subinde terribiles convulsiones epilepticæ. Statim orta suspicio *de vermibus*. Cùmque ipsa mater de *umbilicari* narraret, placuit experiri vulgi remedium. Alligatus ergò circà vesperam umbilico infantis *fundulus vivus*, sed cum insigni, & vix tolerabili, dolorum augmento, qui tamen brevi cessârunt. Illâ nocte quietior erat pusio; Alterô mane totâ illâ parte, quâ cutim infantis contigerat, omnis ferè consumtus erat *pisciculus*. Applicatur alius recens, à quo intra xxx. horas, præter ossicula, nihil invenêre domestici, ut sanctè affirmârunt. Dantur internè specifica, expulsis multis *vermibus* aliis, diversæ magnitudinis, coloris & figuræ, quos inter unus (quem vidi) *pisi majoris crassitie, coloris lutei, cornibus duobus, veluti scarabæus, seu cervus volans, in capite armatus*, quæ arctissimè contrahere & pro lubitu dilatare poterat. Ab isto die cuncta sensim remisêre symptomata. Miranda de hoc *vermium* genere mihi narrârunt mulierculæ, at minimè temnenda, sed probè notanda, quicquid etiam nasutuli, qui malunt videri, quàm esse, oggenniant. *Olitor* etiam interdum opportunè loquitur, & à *vetulis* aliquando Sapiens discit.

XCV.
Surditas ab Alapa.

CAntor quidam, *invisum pueris virginibusq; caput, Mart. 9. ep. 70.* puerum XIII. annorum & vegeti ingenii, *colaphô* inflictô, omni privavit auditu. Fatebatur puer, se, *alapâ* acceptâ, super scamnum in terram lapsum, sensisse aërem frigidiuscu- Surditas ab Alapa.

lum, haud sine dolore, ad interiora usque cerebri fortiùs & subitò intrudi, mox ponderosum quid à capite decidere, sequente vertigine, audituque planè abolitô, quem ægrè tandem restituit Excellens Medicus. *Cæcitatem & surditatem* ab alapa ortam habet *Amat. Lusit. Cent. 7. curat. 44. epilepsiam Joh. Lang.* quinque Electorum Palatinorum Archiater, *T. 1. epist. 10. apoplexiam Fabric. Hild. C. 6. obs. 11.* & alios morbos, quos curiosè collegit D. D. *Francus* in elegantissima *de colaphis* disput. habit. *Heidelbergæ Anno 1674.*

XCVI.
Sexagenarius lactans.

Sexagenarius lactans.

JOh. Wien / Mercator olim *Isnaci* ferè primarius, Vir dexterrimus, crebriùs dixit Patri meo, se novisse parochum paganum, Virum devotum, sexagenarium, tunc viduum ἔυσαρκον, qui ex nundinis hebdomadariis aliquando domum rediturus, propè pagum suum, sub crepusculo, retrò dumetum audiit vagitum infantis. Accessit propiùs, &, Christianâ misericordiâ tactus, expositum pusionem tollit, rens, fortè à puellis, quarum curæ commissus, ludos inter, ex negligentia derelictum esse. Famâ ocyùs omnes casas pervolitante, mater desiderabatur. Alterô die de cathedra publicè annunciat suis, monens, ut vicinos interrogent, quò suæ redderetur matri. Bonus interim senex de alimento puellæ piè sollicitus, obtestatur quasdam lactantes in villa feminas, ut & misellæ huic & famelicæ ubera caritatis alternatim præberent. Volentes nequibant. Quæ poterant, nolebant. Sic ipse, ut potest, *lacte caprinô* nutrit alumnam suam, & aliquando noctu in lectum suum reponit, flentemque, more mulierum, pectori admovet. Infans *papillas* Senis sentiens, sugit, omni vagitu cessante. Subridens ille crebriùs hôc stratagemate vagientem permulcet. Tandem creberrimô suctu *lac satis copiosum* provocatur, non sine singulari Dei providentia, quæ cuncta gubernat. Adde similes historias apud *Alex. Bened. l. 3. Anat. c. 4. Salmut. C. 1. obs. 92. T. 3. Eph. nostr. Cur. obs. 10.*

XCVII.

XCVII.
Hydrops ex ictero.

BArthol. Kahle / Pistor *Helmstadiensis*, *ictero* diu afflictus, tandem, consiliô anûs, circa vesperum *vivam tineam* regioni hepatis applicat, eamque altero mane, totum nunc *croceum*, & maximè *fœtidum*, omni *flavedine* totius corporis eâdem nocte abstersâ, in silentio & superstitione in fluvium conjicit. Sequente verò annô pedes, crura, femora, denique abdomen valde intumuêre, & perfectus inde natus hydrops ascites. Infudit *Kellnerus* noster 4. gran. Mercurii vit. in vin. cujus liquorem colatum manè eum jusserat bibere. Sed moras ille trahens, tertiô demum die unà cum vino ipsum Mercurium exhaurit, à quo ἄνω καὶ κάτω magna quantitas seri cum bile æruginosâ excreta, non sine notabili virium languore. Eôpse tamen die venter pedesque adeo detumuêre, ut sequenti die ad labores suos promtè redierit, eosque in *quartum* usque mensem sustinuerit. Tunc verò ex erroribus diætæ recidivam passus, omnibus frustrà tentatis, decessit. Viden', Doctissime ac Celeberrime *Sylvi, tract. de hydrope §.154.* etiam collectas in abdominis cavitate aquas *per vomitum ac secessum*, operantibus medicamentis, posse educi. Hydrops ex ictero.

XCVIII.
Hydrops unius tantùm lateris in paralytico.

VIr Pl. Rev. Dn. *Joh. Michael* Höber / Concionator Aulicus Saxo-Römhildensis, ibidemque Archi-Diaconus, sexagenarius, & obesi corporis, *paralyticus* in *sinistro* latere, bibebat propriô motu *acidulas Kissingenses*, locô potûs ordinarii. Ortus inde *singultus* molestissimus & frequentissimus ad *novem* dies durans, nullisque remediis tantillum cedens, nisi *fermento opii* more *Langelottiano*, cum succo cydoniorum confecto, dosique paulô largiori dato. Hunc, elapsis duabus septimanis, excepit *sextidua totalis urinæ suppressio*, ita, ut renes planè nihil seri urinosi emulgerent. Hinc sensim totum latus paralyticum intumuit, adeò prudenter & accuratè limites *dimidii* Hydrops unius tantùm lateris in paralytico.

 corporis

corporis obſervando, ut omnes, quotquot videbant ægrum, in admirationem rapuerit. Oppoſita generoſiſſima remedia, tàm interna quàm externa, ſed ſine effectu, donec tandem cum *eſſent. baccar. alkekengi liquor calcis vivæ* ægroto propinaretur à *Kellnero* aliquoties, unde unicâ nocte ad minimum XII. libras ſeri per veſicam excrevit, pluresque ſequenti die; & ſic *tumor* ille *hydropicus* ceſſabat, ægerque tandem à *paralyſi* liberatus.

XCIX.

Hydrops viliſſimô remediô perfectè curatus.

Hydrops viliſſimô remediô perfectè curatus.

RETulit *Caſpar.* Rudolf/ civis & ſartor *Iſnacenſis*, optimo *Kellnero* noſtro, perfectè *hydropicum* Hôrſelgauæ, prope *Waltershuſium*, in tantam conjectum fuiſſe miſeriam, ut, fulcris ſuffultus ſubalaribus, quò vellet, ægrè gradus promovere potuerit. Cùm verò, conſiliô Excellentiſſimi *D. D. Balthaſar. Glaſſii*, Archiatri quondam Saxo-Gothani longè latèque celeberrimi, ex *fermento*, *aceto* & *Sale* cataplaſma feciſſet, idque plantis pedum quotidiè recens impoſuiſſet, ac, locô potûs ordinarii, *decoctum ſeri lactis* bibiſſet, etiam aliquando *crudas rapas* comediſſet, inprimis verò ex *baccis cynosbati, unà cum arillis*, contuſis decoctum ſibi paràſſet, idque frequentiùs uſurpâſſet, intra ſex ſeptimanas eum integrè convaluiſſe.

C.

Clitoridis prominentia inſignis.

Clitoridis prominentia inſignis.

QUæritur Apoſtolus *Rom. 1. 26.* fœdas gentilium ſcrofas uſum naturalem mutâſſe in eum, qui παρὰ φύσιν; Dixerim: ob *clitoridem*, ſeu *mentulam muliebrem inſigniter prominentem* petulcas ſeſe commiſcuiſſe. Ad eam deformitatem enim aliquando excrevit, ut *collum anſerinum* craſſitie & longitudine æquârit, *Schenck. l. 4. obſ. 92.* & *Plater. l. 3. obſ. p. m. 626.* Dicas: gentilium feminas tantùm non omnes in illicitam hanc raptas libidinem, quî ergò in omnibus potuerit prominere *clitoris?* reſpondeo: majorem fuiſſe illis, atque noſtratibus mulieribus, ut itaque, accedente ſummô Veneris œſtrô, facilè excreverit.

creverit. Et etiamnum ob insignem magnitudinem orientales urunt, ne amplius crescat, conductis ad id provectioris ætatis feminis, quam operationem impropriè *circumcisionem* vocant. *Th. Bartholin. l. 1. Anatom. reform. c. 34. p. m. 188.* Adde *Bellon. l. 3. obs. 28. Ursula Catharina* Bluhmentau / Virago, ex observatione Parentis mei, *mentulam* suam extra pudendum adeò interdum prominentem habuit, ut etiam ausa fuerit aliquando cum puellis libidinosiùs κλιτοϱίζειν, easque τρίφειν. Pœnas tandem promeritas verita, ex patria aufugiebat. Similem historiam de *Henrica Schuria* refert Ampliss. *Tulp. l. 3. obs. 35. & Plemp. l. 2. Fund. Med. Sect. 5. c. 9.* & Cl. *Helvvigius obs. 138.* Adde doctissimum Scholion Excell. *Schröckii*, Collegæ & Amici honoratissimi.

CI.

Inveterata Cephalæa à vermibus.

VIrgo XXV. annorum, pertinacissimâ *cephalæa* per *quinquennium* miserè cruciata, & tantùm non in rabiem acta, multorumque consiliis usa, meum tandem poposcit, dicens: animalculum aliquod (*musculum* vocabat) in capite hinc inde cursitare, & esse morbum *à fascino* inductum, quod firmiter credebat, speciosis probans rationibus. Expensis expendendis, ut catum decet Medicum, dedi primò Vinum digerens, bono cum successu. De hoc sumsit quotidiè bis unc. quatuor, instillando semper ℈ß. sp. sal. armoniac. Tunc, Lunâ decrescente, præscripsi purgans, quod repetitum. Dedi sudorifera, & alia, quæ methodus postulabat. Tandem quinque expuli *vermes, rubicundos* & *pilosos*, sicque castissimam Virginem, adhuc bellè valentem, à suspicione fascini, omnique dolore feliciter liberavi. Soli Deo gloria!

Inveterata cephalæa à Vermibus.

CII.

Memoria abolita ex terrore & frigore.

VIr ferè sexagenarius, & summè melancholicus, tempore vernali per fluvium equitaturus, labitur in eundem. Ex

Memoria abolita ex terrore & frigore.

quo *terrore* & *frigore* graviſſimam ſibi contraxit febrim, cum tanta memoriæ læſione, ut etiam conjugis liberorumque ſuorum *nomina* obliviſceretur, & nihil omninò, quod vellet, ſuô nomine vocare poſſet. Reſtitutus tamen, Dei gratiâ, ſic, ut ſpartâ ſuâ denuò fungeretur. At diætæ, quam imperâram, immemor, ſequente annô *apoplexiâ* extinctus.

CIII.
Ψῶρα *Scorbutica.*

Ψῶρα Scorbutica.

VIr quidam Nobilis, & Illuſtris Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, fœdiſſimâ *ſcabie cruſtosâ*, eâque *niveâ*, ſiccâ tamen, per totum ferè corpus (in capite præſertim & dorſo,) quaſi obductus, cum intolerabili & perpetuo pruritu, ſummâ cachexiâ, doloribus per intervalla (noctu inprimis) moleſtiſſimis, deturpato faciei colore, pedibus valdè tumidis, notabili fœtore, & gravi halitu, à nonnullis pro *leproſo* & *elephantiaco*, ab aliis pro *luis Venereæ Candidato* diu, fruſtrà tamen, curatus, meum tandem, licèt ſeriùs, extorſit judicium. Omnibus, ut par erat, ſobriè ponderatis, Domine, ajebam, nec *Græcus*, nec *Arabs* es, nec *Gallus*, nec *Neapolitanus*. Si, priſcâ Germanorum fide, obſequium mihi ſpoponderis & patientiam, ego viciſſim Tibi, divinâ grâtiâ, ſanitatem pollicebor. Apage *lepram* cum *pudendagra*, *Scorbuticus* es. Rem igitur aggreſſus, præſcripſi vinum digerens ex

Rad. helen.
pol. querc.
raph. ruſt.
angelic.
cich. āā ℥ij.
Fol. agrimon.
trifol. fibr.
cochl.
fumar.
rut. mur.

cuſcut.

cuſcut.
ſalv.
chelidon. m. ãã Mß.
Sem. naſt. hort.
aniſ.
cochlear. ãã ʒiß.
Summit. cent. min.
abſinth. noſtr. ãã P.ij.
Fl. bugloſſ. P.ij.
Bacc. junip. ʒvj.
N. moſch.
Gal. m. ãã. ℥j.
Inciſ. & contuſ. D. ad chart.

Doſis quotidiè bis ℥iiij. inſtillando cuilibet gutt. xij. ſpir. ſal. armon.

Poſtea expuli humores per ἐπίκρασιν potionibus, pilulis, ἄνω καὶ κάτω, etiam diaphoreticis, inprimis decoct. lign. guajac. Tandem in balneum deductus, confectum ex

Rad. lapath. acut. bryon. helen. Herb. ſcabioſ. fumar. Veron. ſalv. chelid. m. pariet. malv. Fl. cham. melilot. tartar. crud. &c.

Exeuntem unximus ſeq. unguentô.

℞. Pulv. ariſt. long.
rad. alth. ãã ʒj.
lapath. acut. ʒß.
Fl. Sulph. ℈j.
Terebinth. ʒß.
Litharg. acet. roſac. prius benè dilut. ʒß.
Ol. roſ. ʒiij.
ſalv. ʒß.
caryoph. ℈ß.
Aq. roſar. & cer. ãã q. ſ. f. unguent.

Dato denique confortante in forma *Electuar.* cum regimine

diætæ Generosissimum Virum dimisimus, adhuc pulchrè valentem.

CIV.

Chlorosis deplorata.

Chlorosis deplorata.

HOnestissima Virgo, *Clara Margaretha*, Amplissimi & Consultissimi Dn. *Joh. Henr. Cösteri*, U. J. D. & Electoralis Judicii Aulici *Hildesiæ* Assessoris gravissimi, filia, XVI. tunc annorum, per *integrum triennium* ferè *consummatâ* & *verè deploratâ chlorosi* miserrimè divexatâ, omnibusque, etiam à Celeberrimis Medicis, frustrà tentatis, meæ tandem fidei & industriæ committitur, quam etiam, binos intra menses, Dei adstante gratiâ, restitui, in hunc usque diem superstitem & ὀρθοστάδιαν, ringentibus licèt aliis, qui ex natali emortualem fecerant. Digestis & benè præparatis humoribus viscidis, & acido-pituitosis, vinô medicatô, statim pedum tumor remisit, appetitus rediit, respiratio fiebat facilior, color faciei magis floridus. Verbô: Magna spes sanitatis. Interposui purgantia, per vices repetita, sub forma pilul. pulv. potiuncul. Diaphoretica minimè admisit. Corpore demum rectè evacuatô, menses provocavi balneo, in quo umbilicotenus sedebat tribus diebus, ante consuetum mensium fluxum, manè, jejunô stomachô, per horulam.

℞. Rad. bryon. lil. alb. ath. āā ℥j. arist. rot. ℥ß.
Herb. sabin. artemis. salv. origan. puleg. matricar. mercurial. āā Mß.
Fl. cheiri, chamom. āā Mj.
Bacc. laur. junip. āā ℥j. Sem. lin. fœn. gr. āā ℥ß. anis. ʒvj.

A balneo inunxit ventrem seq. unguentô:

℞. Ol. cham. lil. alb. amygd. d. āā ʒiij. pulv. sabin. arist. rot. āā ℈ij. styr. calam. ʒj. cer. q. s. pro unguent.

Quô factô, tribus simul auroris ante fluxum ordinarium devorabat ferment. vet. & acerrim. ad quantit. nucis avellan. cui aliquid pulv. myrrh. & fol. dictamn. alb. cum sacch. admixt. optato cum successu. Menses enim, ob corpus maximè exhaustum,

haustum, & summam sanguinis penuriam primò guttatim stillârunt. Quos denique, servatâ diætâ, largiùs provocavimus.

CV.
Mammæ sine papillis in lactante.

BInas *papillas* in *una* mamma vidit *Borell. I. 49.* ego in *utraq;* nullam. Primipara enim XVI. annorum, honesta femella, ne vestigium *papillæ* in mammis habebat. Quæro, quî infans ergò sugeret? commodè, ajebat, & citra molestiam. Si placet, ecce! Hôc dictô lepidum pusiunculum admovet, & pressâ digitis mammâ, lac primùm in os ejus emulgens, locô deinde, in quo naturaliter *papilla* esse debebat, manu arctiùs constrictô, alumnoque suo præbito, qui, apprensa labiis eâ, ut poterat, parte eleganter & sine ullo impedimento promtè suxit, ut ipsemet vidi. Mammæ sine papillis in lactante.

CVI.
Menses lactei.

PUella XIX. annorum, optimæ constitutionis & vitæ immaculatæ, mammas suas intra mensem nimis turgidas, & insigniter prominentes admirans, fasciâ primùm constrinxit. Surgens deinde aliquando, digitis eas fortiùs compressit, *purô puto lacte* exstillante. Imponit, consiliô anus, *Emplastr. de sperm. cet. Mynsichti*, detumentibus mammis. Quintô abhinc die *menses* manant *purè lactei*, seu *odorem, coloremvè*, vel *totam* consideres *substantiam*, quod αὐτόπτης scribo. Menses lactei.

CVII.
Sterilitas ab asparagis.

NObilis femina XXII. annorum, sana, & laudabilis temperamenti, in maximis, & tantùm non quotidianis, delitiis habebat *turiones asparagi* delicatè præparatos. Mansit interea in splendido conjugio ad *triennium* usque sterilis. Variis usa consiliis, sed frustrà. Aliquando ad prandium ab ea dedu- Sterilitas ab asparagis.

ctus, miratus sum, quàm avidè vorârit *asparagos*. Causam sterilitatis interim à me quærenti dixi, quod olim in *Instit. Mœbian. l. 4. part. 2. c. 3. p. 463.* legeram, quòd sc. usus eorum crebrior & largior feminas *steriles* reddat. Illa quasi attonita, omnes omninò æternùm ejurans, unicè querebatur, se neminem unquam mortalium monuisse, nunc verò cautiùs mercari velle, uti quoque fecit. Facta tandem venustæ filiolæ Mater.

CVIII.

Mirabilis uteri figura.

Mirabilis uteri figura.

MAcilenta rustica *Haynæ* in Franconia in *difficili partu* constituta, ad orificium uteri sentiebat durum aliquid & crassum, etiam tactui obstetricis manifestum, quod fœtui exeunti ad triduum usque obicem posuerat. Tandem aptis remediis hic *mortuus* expulsus, remanente nihilominus notabili tumore, præsertim in dextro abdominis latere, ut omnes ferè crederent, adhuc in utero superesse infantem, quem omni modô propellere conabantur adstantes. Sed alterô die moritur mulier. Cadavere apertô, præsentibus testibus fidei plenis, Dn. *Joh. Andrea* Lentzern / Pastore loci, marito, obstetrice, *Joh. Conrado Mylio*, Chirurgo Aulico Rômhildensi, vidit *Kellnerus* noster uterum bicipitem (Lit. A B) & circa orificium ejus internum aliquod *longiùs propendens corpus*, seu *molem rotundam*, (Lit. C & D) magnitudine caput infantis æquans, quod superiori uteri parti ligamentô quôdam firmiter annatum erat, & nutrimentum suum ab eo acceperat. Mobile erat, & sursum deorsumque, ut vides, (Lit. D) tolli moverique poterat. Intra binos uteri protuberantes *tumulos*, seu *colles*, vel *capita*, erat cavitas, fœtûs domicilium, (A B) rursus, ut à partu fit, à corrugatione uteri contracta & angustior facta: Prominentes verò *colles*, seu *capita*, in dorso uteri externè *ex rubro albicabant*, intus autem dissecta lardiceam ferè substantiam habere videbantur, albam, densam & crassam, ut & propendens illud de utero corpus rotundum. Prominebant quoque in dorso uteri

plura

plura corpuſcula, at minora, (Lit. F) ceteris ſubſtantiâ ſimillima. Nihil detrimenti ceperat mulier tempore geſtationis, niſi quòd de *menſibus imminutis* interdum conqueſta fuerit.

Fig. IX. & X.

CIX.

Vermes Mammarum.

Vermes Mammarum.

ELiſabetha Winterſaat/ militis cujusdam ſub Chiliarcha L. B. à *Wedel* conjux, in ipſo puerperio *ſævis* & *diuturnis doloribus mammarum lancinantibus* afflicta, fotu ex fol. *ſcord. abſinth. cent. min. card. ben.* fl *hyper. & tanacet. nec non hyoſcyam. &c.* confecto, exque iisdem ſimplicibus *cataplaſmate* parato tormenta compeſcuit, emulſis poſtea cum lacte *minutiſſimis & candidiſſimis vermiculis*, quos ipſemet vidi. Corpore demum benè repurgatô, omnis ceſſavit querela.

CX.

Variolæ tantùm in pudendo.

Variolæ tantùm in pudendo.

M. *Conrad.* Heſſens/ Eccleſiaſtis filiolus, *Joh. Bernhart*, tunc ſexennis, graſſantibus in vicinia *variolis*, etiam decumbere cœpit. Vocatus dedi *Scob. Unicorn. marin.* Alterô die circa pudendum ſex effloruêre *variolæ*, ſingulæ *minutis*, *rubicundis* & *prurientibus puſtulis* quaſi circumſeptæ. Puer doloris, ardoris & pruritûs impatiens, omnem iſtum locum unguibus laniat ſauciatque, donec ichor emanans totam inficeret viciniam, ſcabie tandem cruſtoſâ obductam. Dedi ſanguinem purificantia & alia, quæ faciebant ad rem. Memorabile, nuſpiam in corpore aliâs erupiſſe *variolas*, nulla ſuperveniſſe ſymptomata, præter *biduanam*, ſaluberrimam verò, *diarrhœam*, puerô adhuc valente.

CXI.

Urina per oculos excreta.

Urina per oculos excreta.

UT *Joh. Fernel. l.6. de part. morb. & ſympt. c.13.* obſtructâ veſicæ cervice urinam affatim *ex umbilico* manantem notavit, citra ullum ſanitatis diſpendium, & *Felix Plater. l.3. obſ.*

p.735. in puella XIII. annorum ex *aure dextra*, & quidem unâ vice *ad duas* ſæpè *menſuras*, idque per dies aliquot. Sic ſincerus Artisque ſuæ egregiè gnarus Dominus Chriſtoph. Heerfort / Senior, Pharmacopœus Regius Hafniæ Danorum, Amicus, dum viveret, fideliſſimus, laticem iſtum *ex oculis* verè profluentem vidit. Adoleſcentulus enim XVI. annorum, in *Laalandia, Laurent. Andreæ*, urinæ ſuppreſſione, ob conglutinatam à viſcida pituita veſicæ cervicem frequentiùs vexatus, manibus ventrem fortiter premens, ad ſudorem ſummo præ dolore curſitationibus ſe defatigabat, donec feſſus in lectum, ſtramen, ſcamna &c. concideret. Tunc ad horulam ferè acerbiùs flens notabile ſenſit levamen. Lachrymæ verò quoad *colorem & odorem* planè erant *urinaceæ*, ut ipſemet poſtea vidi.

CXII.

Sudor oleoſus.

Sudor oleoſus.

MOnachus, à Natura *oleum olivarum* faſtidiens, neſcio ob quem lapſum, à Priore, Cœnobio nuper Præfato, jubetur; pœnitentiæ loco, tempore quadrageſimali, pane, *oleo* intincto, per biduum tantùm veſci, ut hoc ſtratagemate ad frugem reduceretur. Bonus iſte frater, cœcæ obedientiæ tenax, obſequitur, reluctante licèt Naturâ. Noctu verò exhalant ructus *oleoſi*, ſequitur nauſea, horror, tremorque totius corporis, tandem largus ſudor, *odore & ſapore verè oleoſus;* quô exantlatô in gravem conjectus febrim, à qua ægrè redimi poterat. Adde quæ de *lacte oleoſo* dixerit *Alex. Inſulanus in Brev. rer. memorabil. num. 35.*

CXIII.

Ruta è capite carpionis nata.

Ruta è capite carpionis nata.

CEpit aliquando *Avus* meus maternus veterem *carpionem* XI. ferè librarum, è cujus capite *ruta* nata erat. Quam hiſtoriam cùm referret Doctori quondam ſuo in Illuſtri *Salana*, M. *Thom. Sagittario*, Poët. Laur. & Phyſ. P. P. reſcripſit: Anno 1600. *Jenæ* magnum gammarum eſſe captum, in cujus *dorſo*

anagallis

anagallis flore cæruleo floruerit, radiculis altè infixis; & *Salfeldiæ* se vidisse *lucium* satis ponderosum, cujus *cauda* annata erat *fumaria:* imò habuisse *ranam*, cujus corpus à *pilosella* innata totum fere obumbratum; inque *capite ovino* verum *absinthium montanum* cum *semine* alium Virum curiosum vidisse & gustâsse. Et ego Anno 1664. *Hamburgi* vidi *lucium* è cujus capite nata erat *anserina*. Adde *Chamomillam* in capite *cervi* crescentem *in Brev. Insulan. num. 42.* & *Sect. 4. Cynograph. meæ Curios. c. 5. §. 1.*

CXIV.

Dolor Ventriculi triennis à caseo.

Puella XVI. annorum ore aliquando tenebat *minutum* aliquem *caseolum*, è vaccino lacte confectum. Accessit à tergo frater ejus, manuque puellæ in fauces fortiùs intrusâ, ipsa consternata *integrum caseum*, licèt non sine difficultate, deglutiit. Ab illo die *ultrà triennium* acerbos, & tantùm non perpetuos, passa *dolores Ventriculi*, donec tandem vetula *caseum*, jam planè *lapideum*, ἄνω καὶ κάτω frustillatim expelleret. Dolor ventriculi triennis à caseo.

CXV.

Apoplexia à retentis mensibus.

Honesta fœmina, tertiùm tunc puerpera, XXVII. annorum, in ipso partu à domesticis perterrita, fætu exclusô, *lochia* habuit retenta. Hinc eâdem nocte fit *apoplectica*. Vocatus subitò, præmissô acriori clystere, circa primam noctis *saphenam* jussi incidi, mane circa nonam *cephalicam*, non neglectis aliis, quæ in hoc rerum statu commoda & tuta videbantur, & adhuc, Dei gratiâ, vivit feliciter. Apoplexia à retentis mensibus.

CXVI.

Penis osseus.

Clitoridem osseam satis prolixam vidit *Th. Bartholin.* Senior *C. 3. epist. 94. p. 407.* Parens autem meus in bubulco Hasso *penem planè osseum*, ideoque semper rigidum, à quo uxori in copula maritali acerrimi suborti dolores, quod ultrò fassa est. Penis osseus.

CXVII. *Ca-*

CXVII.

Caput infanti in partu ablatum.

Caput infanti in partu ablatum.

TRiduo quidem mater *Cardani* laboravit in partu, *capite* infantis *prominente*, qui vi tandem extractus matrem redemit. *Schenck. 4. obs. 165*. Novi in Borea honestam feminam, rarioris texturæ, quæ in difficili partu, ob absentiam ordinariæ obstetricis, aliam è proxima villa vocabat. Quæ verò cùm animadverteret, embryonem esse extinctum, parùm modestè, nec christianè, cum optima femina egit. Truncô enim *caput*, è genitalibus locis *propendens*, non subsequente, à læva ad dextram, ab hac ad illam id contorquet, & tamdiu invertit, donec â reliquo corpore violenter sejungeretur, quod in patinam conjectum ipsemet vidi. Datô tamen â mulierculis largiori haustu decocti *sem. lini & fl. chamom.* iisque ventre puerperæ crebriùs calide fotô, & truncus tandem protrusus est, ipsâ adhuc superstite.

CXVIII.

Simplex Medicina aliquando optima.

Simplex Medicina aliquando optima.

ITa: *Simplex* Medicina, *optima* aliquando Medicina. Quàm amabilis enim & admirabilis Deus in omni opere suo! Quid namus ad Indos? quid commercii nobis cum *Afro* aut *Arabe?* quasi tanto pretio sanitas constaret. Nulla regio Naturam nacta est novercam. Ubi morbi, ibi etiam nascuntur remedia. In campis nostris, sylvis, pratis, agris, stabulis, imò fimetis amplissimum pharmacopolium. Beatus, qui intelligit bona sua domi nata! Quod exemplis illustrabimus. Puella *Isenacensis* XIX annorum diu in dorso gestârat *crassum*, *nodosum*, *carnosumq; tumorem*, magnitudine *duorum pugnorum*, multis frustrà adhibitis medicamentis. Tandem ex *semine graminis*, (quod Heusaamen vocant,) & *flor. chamomill.* parat cataplasma, quod imposuit calidum, sæpius repetendo, & omnis evanuit tumor. Feminæ *Isenacensis* primariæ, cujus nomini parcimus, filia natu maxima, tunc *biennis*, adhuc superstes, & mihi optimè nota,

totali

totali pedum contracturâ laborans, adeò, ut minimè eos movere amplius potuerit, in *balneum vaporosum* ex eôdem *semine* confectum crebriùs descendit, exq; Semine postea exsiccato suffitum paravit,ac perfectè convaluit. Vir primarius *Wannefridæ* ad Vierram etiam *omninò contractus*, cunctis incaſsùm tentatis,eôdem remediô faustè & integrè restitutus est. Civis *Isnaci* honestissimus *dolores nephriticos* & *stranguriam* sacculis eôdem *semine* repletis, inque aqua coctis, iterumque expressis, ac calidè renibus pubique aliquoties impositis, ex voto pepulit, notante *Kellnero.* Et ego in variis *contracturis* hoc remedium bono cum successu deprehendi, ideòque plebejis & pauperculis ultrò commendavi. Testatur *Epiph. Ferdin. hist.27.* per Deum, *singultum* in febribus malignis *tanquam characterem summè exitialem* sibi semper observatum, ego tamen (soli Deo honor!) vilissimis remediis, omnibus generosioribus frustrà adhibitis, haud semel eum feliciter compescui. Testem sisto *Melch. Süthoff*, aulæ Gvelferbytanæ coquum, adhuc superstitem,qui in adulto autumno, ante biennium, *febri maligna* cum gravissimis symptomatibus lethaliter correptus, suasu mulierum, ad extinguendum æstum, hauserat succum è *fol. sempervivi major.* expressum, à quo *continuus* postea *singultus ultrà quinq; dies*, nullis sanè remediis cedens. Tandem in casu verè dubio implevi sacculum *fol. card. ben. menth. crisp. absinth. fl. cent. min. salv. bacc. junip. &c.* & coct. in aqua imposui ventriculo calidè, optatissimo cum successu. Eôdem simplicissimô remediô, superiori annô *Susannam* Völckerin/ extra portam *Georgianam* habitantem, cui ad funus omnia erant parata, (*sudores* quippe *frigidi ad quartum usq; diem* manantes, vires prorsus attritæ, vigiliæ perpetuæ, & molestissimus *singultus triduanus* vix salutis indicium amplius spondebant,) Dei interveniente gratiâ, feliciter servavi, ut ipsa cum aliis testabitur fusiùs. Indignor sanè nostratibus hominibus, si *quartanam* scandala inter Medicorum reponant, quasi tamen atrox & formidolosus hic affectus foret, & *quarta furiarum.* Bono potius animo meticulosos esse jubet *Cl. Lang. in Miscell. Med.*

Curios. n. 11. cùm hanc febrim sanandi *omninò Chymiater potis sit.* Sed, ô Bone, crebriùs etiam devicimus, & brevî devicimus sine *Chemiæ* adjutoriô, simplici & vili aliquô remediô, quod cùm pauci sciant, jure *arcanum* nominare possum. Vin' testes? agè, producam è vicinia fide dignissimos. Nobilissimus & Maximè Strenuus Dominus *Adolfus ab Utterodt*, Eques Thuringus, & Centurio, Vir ob Candorem & humanitatem magni à me æstimandus, unà cum Conjuge sua, *septimô* Mense tunc gravida, unô eôdemq; die lue hâc in autumno decumbens, multos consuluerat Medicos, & varia sine levamine usurpârat. Tandem ego vocor. Blandè & per ἐπίκρασιν evacuatô corpore, sine *Venæsectione*, sine *emeticis*, brevî & facilè ipsum restitui. Hanc verò paulò seriùs, ob alia, quæ accesserant, symptomata, inprimis continuam molestissimamque *tussim*, quæ mihi multum facessit negotii. Tribus tamen, nî fallor, ante partum septimanis, *quartana* (quæ duplex erat) Nobilissimam feminam reliquit, ut demum facilè & feliciter venustum filiolum pepererit. Plures hâc methodo, hôcque remedio in integrum restitui, ut alibi, σὺν Θεῷ, latiùs narrabo. Sufficiat bina hæc, & novissima, & omnibus hîc nota allegâsse exempla. Addo *cerevisiam antinephritico-podagricam*, quâ (referente Nob. Domino *Francisco Guilielmo à Steinhaus*, Amico, dum viveret, sincero,) Eques *Westphalus*, qui omnem ferè substantiam suam, recuperandæ sanitatis gratiâ, decoxerat, Parochi sui consiliô, felicissimè usus est. Injecit saltem cerevisiæ recens coctæ *rad. bardanæ & summit. absinth.* Ab usu hujus potûs continuô singulis septimanis non tantùm ingentem *saburram tartaream*, sed etiam plures *lapillos*, majores, minores, citra notabilem molestiam, promtè exclusit Næ *cerevisia bene defecata*, infit *Bartholin.* noster *Dissert. 1. Med. Danor. domest. p. 11. & vetustior alit & nutrit, ventriculum roborat*, podagram ab articulis avertit, calculos expellit, *inprimis si absinthio vel lupulô condiatur, affectionibus deniq; internis externisq;, balsami instar, medetur.* Sanè, *ob cerevisiæ potum, Olaus Magn. l. 13. c. 27.* olim in obsidione Regiæ Suecorum *Holmensis lapillos* sine

læsione,

læsione, aut passione, singulo mane in matula vidit expulsos, & instar granorum *milii*, *ciceris & piperis*, magnitudine nucis similes ejecit, nunquam exinde *calculo*, seu aliô morbô, afflictus est. De usu *bardanæ* verò retulit *Vastelius Foresto l. 29. obs. 7.* se, cùm in lecto decumberet ex *doloribus articulorum*, ut membra non movere posset, bibisse decoctum *cerevisiæ*, in qua rad. *lappæ* incoctæ erant. Quô epotô, cùm nullis remediis curari posset, plurimum minxit *lotium album instar lactis*, & à doloribus curatus fuit. Plura *de simplici*, tanquam *optima*, Medicina dicturi sumus, Bono cum Deo, aliô die, & locô.

CXIX.

Mirabilis Vomitus.

Puer *Isenacensis* XIII. annorum in *foro Saturnino* rosiones & anxietates circa præcordia diu sentiens, defertur ad juniorem quendam Practicum, *Tilemannum*, qui, quod potuit, fecit. Suasu tandem *Kellnerianô*, propinat *emeticum* cum largo vehiculo, à quo sequentia, ut vides, rejecta magno cum levamine. *Erucam* scilicet ex *atro flavam*, (Lit. A) & XII. *minores* ejusdem coloris, unà cum *nido* earum, (Lit. B) *folium viride ribes*. (Lit. C) *particulam scoparum*, (Lit. D) *aciculam*, (Lit. E) *particulam straminei culminis*, (Lit. F) *pennam albissimam*, (Lit. G) *frustulum corii*, (Lit. H) & *bina stercoris columbini frustula*. (Lit. I) Historia hæc civibus nostris adhuc notissima, ut de fide ejus nemo dubitare debeat. Mirabilis Vomitus.

Fig. XI. p. 40

CXX.

Tuberculi in palpebra curatio magnetica.

DN. D. Franck / Aulæ Saxo-Gothanæ Consiliarius, in juventute sua *durum tuberculum*, in superiori palpebra, oculis & visui valdè molestum, habuerat, magnitudine avellanæ, idque nec Medicus, nec Chirurgus, ob loci incommoditatem, & curationis dubium eventum, tangere voluit. Tandem, consiliô vetulæ, tuberculum istud affricuit, manui cadaveris humani, eousque, donec paululum illa incalesceret. Intra Tuberculi in palpebra curatio magnetica.

triduum, non ſine omnium ſtupore, omnis excreſcentia evanuit, ut *Kellnero* noſtro ſanctè retulit.

CXXI.

Feces alvi ſine fœtore lethales.

Feces alvi ſine fœtore lethales.

STephan. Lerchenfeld / Phil. & Theol. Stud. Holſatus, *à febre maligna*, ut videbatur redemtus, gratulantium voces cum gaudio excipiebat. Sed cùm dejectiones alvi *ſine fœtore* animadverterem, *Stephanumq;* inter loquendum *multùm ſalivare* cernerem, mortem ocyùs prædixi. Risêre adſtantes, quaſi inſipidus forem vates. Et ô utinam! Aber/dicebat unus ex illis, er gieng aus/ wie des Cantors Fackel zu Lützen.

CXXII.

Cœcitas à ſtercore columbino.

Cœcitas à ſtercore columbino.

ELiſabetha Fiſcherin è nundinis aliquando domum reverſa, infantem famelicum ſubitò lactatura, juxta parietem in veſtibulo ædium ſuarum conſidet, & feſſa interim ab itinere parumper obdormire cœpit. Puſio in ulnis maternis ita ſupinus jacens excipit fortè dextrô oculô *ſtercus* à *columba* ſupra caput ejus in angulo parietis nidulante, à quo graviſſima inflammatio, ſubſequente demum omni *viſûs* abolitione. In ea Myſia, quæ Aſiæ pars eſt, domum aliquando à *ſtercore columbino* conflagrâſſe, autor eſt *Galenus l. 3. de Temper. c. 4.* Erat, inquit, projectum columbinum ſtercus, cui jam putri & excalfacto, ac vaporem edenti, & tangentibus admodum calido, in propinquo feneſtra fuerat ita, ut jam contingeret ejus ligna, quæ largè nuper illita reſinâ fuerant. Mediâ igitur æſtate, cùm Sol plurimus incidiſſet, accendit tùm reſinam, tùm ligna. Hinc autem & fores quædam aliæ, quæ propè fuerant, & feneſtræ, nuper etiam reſinâ illitæ facilè ignem conceperant, atque ad tectum usque ſubmiſerant. Ubi autem excepta ſemel à tecto eſt flamma, celeriter in totam domum eſt graſſata. Quid mirum ergò, quòd ſtercus columbæ, ſeu potius ſal & ſulfur in eo contenta, actuque calida, tenellum infantis oculum, factâ inordina-

tâ

tâ & p. n. fermentatione, humores exuſſerint, & viſum tandem extinxerint. Scimus enim ex Sacris, quid contigerit Tobiæ *c.2.* à fimo hirundinis, quo de legi merentur *Hier. Bardus in Medic. Cathol. c.4. §.1. ſeq.* & *Franc. Valleſ. Phil. Sacr. c.42.*

CXXIII.

Mania à Vermibus.

L*Acones* olim, notante *Heſychio*, lignis à *vermibus* corroſis, variisq; notis inſignitis, utenſilia & alia obſignabant, eaq; ſignacula θριπήδεστα vocabant. *Urſin. Theol. ſymbol. c. 140. p. 165.* Quàm bellè *vermibus* obſignatur, quod à *vermibus* cœptum & ortum eſt. Ruſticus quidam à ſomno ſub arbore expergefactus per medium annum *maniacus* factus eſt, ſed acceptâ tabaci unciâ, & concitatô vehementiſſimô ſternutamentô, prodiit *eruca nigra, longa atq; piloſa*, & ſtatim convaluit. *T. IV. Eph. Cur. obſervat. 37.* Juvenis XXVIII. annorum perfectè *maniacus*, pro *faſcinato* vulgò habitus, ſibi ipſi tandem omnes abſcindit capillos & ecce! in cervice *magnum tumorem*, ſacculi inſtar, *rubicundisſimis vermibus* plenum. Quibus ejectis, ſenſim ad ſe rediit. Non ita pridem mulier *horrendis doloribus ventris, ſummâ cordis anxietate, & mentis alienatione, extremâq; macie* ultra annum cruciata, tandem (vera dico) *trecentos*, & plures, *oblongos, eruciformes*, ac *multipedes per os & alvum* rejecit *vermes*. Singuli *acutè* erant *dentati*, inque *caudis prolixus aculeus*. Quàm verè *Jobus 25. 6. Adam* putredo (prima *vermium* mortisque origo) & filius *hominis*, (i. e. *Adami*, ſeu *putredinis*,) *vermis*. Ein Menſch die Made / und ein Menſchen-Kind der Wurm. Mania à vermibus.

DEO GRATIAS!

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI
DISSERTATIO CURIOSA
de
CORVO EXCOMMUNICATO.
Q. D. B. V.

§. 1.

NIhil quidem efficaciùs regit multitudinem quàm ſuperſtitio. Magna igitur ſapientiæ gloria haud temerè credere, at nimis etiam moroſa diffidensque ἀπιςία ea, quæ vel non vidimus, ſeu palpavimus ipſi, pertinaciter negare. Medium tenebunt beati. Diu igitur hæſi, an hiſtorias inter reponerem hanc de CORVO EXCOMMUNICATO relationem, ſeu num potius pro otioſi cerebelli fœtu, & deliramento monaſtico haberem, donec à fide dignis, exque documentis minimè temnendis, intelligerem, eſſe narrationem rei ſic geſtæ. Agè igitur κατὰ τάξιν recenſebimus omnes, quotquot hiſtoriæ hujus meminerunt unquam. Tuum tamen erit, Amice Lector, *albas atrasvé* mihi dediſſe *fabas*. Vid. *Beroald. Comm. in l.6. Met. Apulej. p. 505.*

Hiſt. de Corvo excommunicato

confirmatur.

Teſtimoniô Alex. de Inſula.

§. 2. *Alexander*, Comes ab *Inſula*, Monachus Corbeienſis, in *Breviario ſuo rerum memorabilium* (quod cum *Iſibordiano* conjunctim dedimus) *num. 29.* ita:

Abbas noſter Counradus (qui ſedere cœpit An. 1174. præfuitque ſeptem annis, & ſub quo ipſe vixit *Alexander*,) *manus olim loturus, annulum ſuum deponit. Advolat* corvus, *contubernalis ejus, & furatur illicò. Quæritur* annulus *in omnibus angulis, at reperitur nuſpiam. Rogat famulos omnesq; inquilinos, utrum quis invenerit? negant univerſi. Sic iratus Archimandrita ignotum ſibi furem ſacro fulmine ſtrinxit. Ab illa hora* corvus, *anteà hilaris & facetus, omnem ſubitò indolem exuit, nec nido egreditur, nec eſcam cupit. Narratur Prælato. Hem! dicit unus è famulis, diſperеam ego, ſi non ater iſte nebulo* annulum *furatus ſit.*

Viſitant

Visitant nidum, repertó annulô. *Absolvitur ab excommunicatione. Ita antiquum suum obtinet hilaris sanusq́.*

§. 3. Plurimùm Reverendus & Amplissimus Dominus, *Heribertus Rudolfi*, Abbas *Amelsbornensis*, Vir eleganter doctus, & Amicus, dum viveret sincerus, monstrabat mihi Anno 1681. carmen satis prolixum, in cœnobio suo, ut puto, repertum, & abs *Ambrosio Kuhlemann*, Monacho *Amelsbornensi*, Ordinis Cistertiensis, in Festum *S. Viti* quondam scriptum, ex quo hæc decerpere volui. Ambros. Kuhlemann.

Annulus *aufertur* Conrado, *relligioso*
Abbati, *à* corvo, *cùm lavat ille manus.*
Portat is in nidum subitò, rens, rem bene gestam,
Abbas at sacrô fulmine stringit avem,
Ignotum furem: corvus *quasi plane leprosus,*
in nido nudus mœstus & usque jacet.
Sentit & in toto prægrandia tormina ventre,
longaque vicinæ fabula plebis erat.
Alvi subsequitur fluxus, mirabile visû!
& ferè nunc corvus *triste cadaver erat.*
Inveniunt aurum *tandem: sacra ira facessit,*
quilibet & miseræ valde misertus avis.
At priscæ redeunt gelida in præcordia vires,
vita redit, redeunt & color atque calor.
Quisquis es, à brutis anathemata disce vereri,
vox nunquam incassum relligiosa ferit.
Verba Sacerdotis læsi sunt fulmina, crede,
si sapis, hæc certè fulmina sancta cave!

§. 4. Dn. *Fridericus Henkhusius*, Sub-Prior in Imperiale *Corbeia* ad Visurgim, Vir sincerus, doctus, & Antiquitatum monasticarum insigniter gnarus, fassus mihi est, se, cùm quondam *Osnabrugi* historiam hanc in concione audiisset, eâpse horâ Deo votum nuncupâsse vitæ religiosæ, & quidem, si Dominus ita vellet, *Corbeiæ*. Ex variis porrò schedis hæc amicè mecum communicabat.

Vetus

Anonymi. Vetus & vera traditio, seu potius historia, est; Conradum nostrum corvum, annuli sui pretiosi, & à Conrado Rege donati furem, inscium licèt, excommunicâsse. Qui subitò in maciem, mœrorem, multasq; miserias conjectus, omnium conspectui se subduxit, donec tandem, annulô casu in nido avis repertò, sublatôque fulmine, omnis pristinus nitor vigorq; ei restitueretur. I nunc homo, & floccipende Religiosorum minas, justô zelô expressas. Si non effugere potuit maledictionem bestia, quantò minus tu eam de-

Steph. de Schnaken-borg. vitabis. In alia membranula hæc erant scripta manu Stephani de Schnakhgaborgh, Monachi Corbeiensis, quem sub ipso Conrado etiam vixisse rebatur Henkhusius.

Dolendum sanè, eò processisse mortalium temeritatem, ut, Dei Salutisq; suæ obliti, nec sacra quidem maledicta amplius reformident, quasi inania forent tintinnabula, ad terrorem plebis, ab otiosis Monachis conficta. Audite posteri, at obstupescite. Facta enim narro, non ficta. Furabatur corvus Conrado nostro annulum aureum, à Conrado Rege donatum, cùm custos reliquiarum Patroni nostri constitueretur. Ille cùm diu anxiè quæsitum annulum nusquam reperiret, quendam tamen è famulis suis suspectum haberet, piô zelô excommunicat, quisquis etiam fuerit, furem rei sacræ. Corvus, Conrado valdè familiaris, subitò omnium hominum conspectum fugiens, mœstus & languidus in nido suo jacebat, omnem aversans cibum, nemine adhuc id animadvertente. Quærit tandem Conradus, ubinam nigellus suus foret? sic enim appellare solebat. Visitatò nidô, ecce! agonisans ferè nigellus rapto incubuit auro, doloris mœrorisq; plenus. Gavisus Abbas de annulo reperto, admiratus est mirabilem Dei vindictam. Subitò igitur relaxat iram Ecclesiæ, & corvus, sensim tamen, plumas, vires & sanitatem omnimodè recuperavit.

S. P. Q. Hüxar. §. 5 Quid? quod producemus publicum S. P. Q. Hüxariensis testimonium, fidâ & amicâ manu communicatum.

NOS Lambertus de Lüchtringen & Ludolf Cerdo Consules, unà cum tota Universitate Urbis nostræ Hüxoriensis recognoscimus hisce & notum facimus, quòd cum Rev. & Nobil. Dominus

nus Luchovvigus de Vanslebhe *certitudinem historiæ, quondam sub* Conrado *Abbate factæ*, de Corvo, *propter* annulum, *excommunicationem passo, à Nobis exprimeret, respondemus, celebrem & inveteratam jam esse traditionem illam pleniùs* à Joanne de Dessel, *Presbytero, parvô libellô descriptam, & apud Nos pro vera acceptam.*

Servatur iste annulus *adhuc* Corbeigæ *in Camera Domini Abbatis* Roberti de Horohuse, *quem multi è nostratibus viderunt. Ipsam avem* Kunrad *directè aut præcisè non excommunicârat, sed generaliter tantùm furem, quem nesciebat esse* corvum. *Hoc ita esse, Sigillô Civitatis nostræ muniri & corroborari fecimus. Dat. Hüxoriæ Anno 1330. in octava S. Benedicti.*

(L. S.)

§. 6. *Bodo II.* Abbas Monasterii Bergensis ad Albim XXX. è *Wanslebiis* fuit, cujus parens *Ericus*, quem testem laudat *Burcardus*, Archi-Episcopus Magdeburgicus Anno 1309. Frater verò *Ludovicus*, Archi-Diaconus & Canonicus Summi templi Halberstad. cujus meminit *Albert. II.* Episcopus, Dux Brunsvicens. & Lyneburg. Annô 1334. Fortè in hunc digitum intendunt Consules nostri. *Conradus* autem, sub quo historia contigit, erat XXIX. Abbas Corbeiæ. *Rupertus* verò, penes quem *annulum* tunc superfuisse ajunt, fuit hujus nominis II. Abbas XXXVI. Nobilis ab *Horohusen*. Wanslebii. Conrad. & Rupert.

§. 7. Ecce autem, mi Lector, parvum *Desselii* codicillum, eâ fide, quâ in fragmentis historiæ Saxonicæ *Georgii Zolkii*, Monachi Reinhusani, Ordinis Benedictini, reperi. *Ad futuram rei memoriam.* Joh. de Dessel *indignus Canonicus insignis Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri intra* Hôxariam *& Presbyter, omnibus salutem ab & in Eo, qui est nostra Salus. Lege, obstupesce, resipisce quisquis malus es, Lector, ac lege, mirare & prædica, quisquis bonus fueris. Quàm mirabilia enim fecit dextra Domini. Africa olim semper aliquid boni, insoliti & monstrosi peperit. Verùm* Corbeja, *fundatrix & Benefactrix nostra, nunquam non vera, nova & admiranda promit, in quibus digitum Domini stupemus,* libellus Desselii.

mus, ejusq; singularem Providentiam, meritò adorandam. Tædet me heic repetere mirabilissima ista miracula, quæ Meinart à Lüchtringen, *Nobilis, at humilis tamen* Corbeiæ *nostræ Monachus, diligenter compilavit, & nostratibus benè nota sunt. De solo* corvo *hîc loquar, fulmine sacrô, ob furtum, tactô. Scilicet* Counradus, *Abbas Corbeiensis; Optimi* Wiboldi *Successor, Princeps devotissimus & zelosissimus Dominus, qui multa prudenter & ex usu Ecclesiæ peregit, jure hereditario acceperat* annulum grandem, aureum & valdè pretiosum, ob inclusam in palo gemmam, *quô* Wiboldum *olim beaverat Serenissimus* Counradus *Rex, cùm dilectum* sibi custodem Lipsanorum S. Viti Martyris, *tactis antè Ejus reliquiis, in præsentia multorum Procerum, Clericorum atq; Laicorum, solenniter faceret & declararet. Hunc* annulum *in festo cujusdam Patroni* Counradus *Abbas digito indiderat, cùm Missam in Pontificalibus celebraret. Postea ad prandium cum Nobilibus Viris accedens, deponit* annulum, *ut, consuetô more, manus lavaret suas. Precibus finitis unà cum convivis & Ministerialibus mensæ assidet, interq; fabulandum* annulum *obliviscitur, rens etiam fortè, â ministris suis benè custoditum iri.* Corvus, *quem in contubernio alebat* Counradus, *& ob facetias egregiè amabat, conspicit splendentem in repositorio* annulum, *furtim accedit, rapit, & per fenestram avolat, inq; nido suo abscondit, nemine hoc animadvertente. Redit postea hilaris, & de omni periculo securus, nec quisquam aliquid mali de eo suspicabatur. Prandiô finitô in cellam suam revertitur Abbas. Cùmq; recordaretur sacri* annuli, *subitò jussit afferri. Sed ubi erat ille?* Habebat Counradus *Amanuensem, doctum Juvenem, & satis etiam bonum, nisi quòd aliquando* Vir trium literarum *deprehensus fuerat,* Lucam *nomine. Hic accusatus furti, negat pertinaciter: visitatur scrinium ejus, vestimenta & omnia, quæ habebat ipse, sed* annulus *non invenitur. Illô die* Lucas *Sanctissimum sumserat Sacramentum, igitur juramento se purgat, suspicionem tamen à se amovere vix potest.* Counradus, *Zeli plenus, istô adhuc die, hâc formulâ furem, quicunq;, etiam tandem esset, excommunicat.*

Cùm

Cùm Tu, quisquis ſis, aut cujuscunque conditionis, ſtatûs & dignitatis, qui non veritus es tantum patrare ſacrilegium, & *annulum* ſacrum, qui ipſas S. Martyris & Patroni noſtri reliquias tetigit, &, vi cujus, ego à Sereniſſimo Imp. *Cuſtos & Advocatus perpetuus S. Lipſanorum B. Viti* etiam conſtitutus ſum, in ipſo die feſto, inque ſacro loco auferre, & profanare, agedùm in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Te excommunico, & excommunicatum volo ac jubeo, donec reſipueris, & plenariè Eccleſiæ noſtræ ſatisfeceris. Formula excommunicationis.

Fulmine hoc emiſſo, omnium oculis ſe ſubduxit corvus *& nuſpiam comparuit amplius.* Counradus *ablatum eum eſſe putans, omnes domeſticos & vicinos longè latèq; interrogari juſſit, annon unus ſeu alter viderit alitem ſuum cum tintinnabulis, ſeu nolulis, quæ circa collum dependebant. Negant omnes. Hem! dicit, &* annulum *amiſi nuper, & nunc* corvum, *quid tandem inde fiet? Interea ſagax & facetus quidam juvenis, Domine, ait, fortè* corvus *iſte abſtulit* annulum, *ideoq; fugâ ſe ſubduxit. Quid tu, reſpondet, blateras? ille: at ſcimus tamen omnes, quàm furaces* corvi *ſint, & nuper in nido cujusdam in monte* Kôterberg *ruſtici noſtri aliquot nummos invenêre argenteos ac cupreos. Hisce verbis Abbas commotus juſſit fagum conſcendi, & ulteriùs inveſtigari. Fit: jacet avis, ſordes inter ſuas & vermes, agonizans, plumæ deciderant, vix ſpiritum trahebat amplius, ad omnem motum & loquelam, contra naturam ſuam, trunci inſtar, immota, inque ipſo ſtercore tandem reperitur* annulus.

Traditur unà cum corvo *Counrado, qui vim fulminis etiam in ave ſummoperè admirans, iſtud denuò ſubmovit, didicitq;, quantum valeant juſtæ & zeloſæ Sacerdotis iræ. Sic abſolvitur* corvus *à crimine ſuo, quo de nemo unquam ſuſpicatus erat. Tandem ſenſim convaluit avis.* Annulum *iſtum ego vidi Corbeiæ. Valdè* pretioſus *erat*, inſigni gemmâ ornatus, & pondere gravis. *Tu, qui hæc legis, time Deum, & venerare Sacerdotem. Vides enim, quid ponderis habeant ſeu benedictiones, ſeu maledictiones ejus apud Dominum. Nec ſine cauſa hoc in* corvo *permiſit Deus, ſed ut ab*

ipsis brutis discas, quæ sint & faciant ad salutem tuam, quam ex corde Tibi precor, Tuq; precare mihi.

§. 8. Communicavit non ita pridem mecum Eruditus Amicus, & insignis Antiquitatum Scrutator, veterem *Wiedenboccii* membranam, quam publici juris hîc faciam.

Testimonium Athanas. Wiedenboccii.

Athanasius Wiedenboccius, *Canonicus Regularis Ord. S. August. posteritati Salutem & Gratiam in Christo Jesu. Nihil terribilius, quàm maledictiones Ecclesiasticæ. Lapis sit, non homo, has qui non timeat. Tædet me multa heic allegâsse exempla, cùm unicum, idq; rarissimum, & nunquam auditum, abundè sufficiat. Circa Annum M D LXXVII. præerat Sanctæ* Corbeigensi *claustro ad Wisarah pius & zelosus Dominus* Kounrathus, *qui in solenni quodam Festo post summum Sacrum patrio more cùm ante prandium manus lavare vellet*, annulum *prius Imperatorium (quô* Kounrath *Rex eum custodem reliquiarum Magni Martyris Viti constituerat,) aliò deponit, ut custodiretur à famulis, qui serviebant Archimandritæ. At* corvus *inquilinus fulgens fortè* aurum *conspiciens, nemine cernente, furtim accurrit, aufert* annulum, *inq; nidum suum haut procul à sacello S. Gertrudis, seu infirmaria, in alta quadam fago positum conjicit, sicq; ad Dominum revertitur suum. Qui hilariter prandens, tandem, mensâ sublatâ, cùm ad vesperas daretur signum, poposcit* annulum *à nemine visum, seu repertum. Erat aliquis servorum Abbati suspectus, innocens tamen tunc ille inventus.* Kounrathus *tamen zelosus in ipsis vesperis furem, quicunq; etiam foret, fulmine ecclesiastico percussit, & tamdiu à sanctissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, ab omni consortio fidelium exclusit, donec ablatum redderet. Ab illo die* corvus, *à nemine postea visus, contabuit in nido, diarrhœâ & magna* verminatione *correptus. Qui tandem casu repertus, omnium commeruit commiserationem, Verùm cùm famuli diligentius scrutarentur, præter omnium expectationē reperitur sacer* annulus, *sordibus contaminatus. Redditur Abbati, qui attonitus quasi vindictam etiam in ave manifestè conspicuam cum timore stupuit. Sublatô demum fulmine* corvus *quasi modo genitus vitam, vires, plumas, & omnia recuperavit. Quam historiam, in gratiam piæ Posteritatis, annotare volui.*

§. 9. *An-*

§. 9. *Angelinus Gazæus*, è Soc. Jesu, in piis suis *Hilariis*, edit. *Mussipont. p. 66. seqq.* integram historiam venustè & ingeniosè decantat. Meretur sanè audiri. Ang. Gazæi.

Nutribat olim Corbiæ *Archimandrites*
Conradus *avium callidissimam*, corvum,
fartum malitiâ fraudibusq; suffultum.
Quoties ephebos Præsulis, minùs cautos,
retrò ille surâ sauciavit admorsâ?
quoties catellis prandium suum clepsit,
ut & inopinis felibus suam caudam?
& hâc rebelles striduloque vagitu
opem rogantes pertinaciùs traxit?
Quoties oculeos gemmeosque pavones
compulit in iras & tenerrimos planctus?
quando rotatum syrma, vel reclinatum,
& splendidi tapetis instar expansum
rostro malevolus vellicavit infesto?
Si grandiores fors suam canes olli
raperent merendam, nec valeret adversùm,
rectà ipse mandras & lares molossorum
vindex adire & dissipare stramenta.
Quid furta memorem? queîs domi & foris nequam.
quotidianas illigatus in prædas,
unde, unde licuit, seu metalla, seu carnes,
seu vesca, seu non vesca, cuncta raptabat,
furtumque scrobibus ingerens latebrosis
herbisque, melius ut lateret, oppilans,
Lavernionis omne munus opplebat?
Manus lavandas annulo dearmârat
Pransurus Abbas; hunc bolum trifur corvus,
simulatus aliud, intuetur & raptat,
suique defert in triclinium nidi,
operitque paleis. Præsul inde sepostum
abesse cernens annulum, *dies totos*

noctesque furem suspicatus incassùm,
jubet in rapacem, quisquis ille sit, tandem
anathema dirum à curione librari.
Corvus *remota considebat in fago,*
crocitatione ludicrâ diem fallens,
culicesve prensans, aut facetus aspergens
hinc felle picas, hinc salute cornices.
Jam voce pavus, *jam* canis, *sed &* felem,
tàm lepidè adumbrans, felem ut esse jurâsses.
Quæ canis & illi fantur ore maternô,
hæc, se Magistro, didicerat sequax ales.
Vix Sacrosanctæ fulminaverant diræ,
en! ruere ab alto mutus, & repentinâ
languoris aurâ sideratus horrere:
hinc ægrum anhelo trahere Spiritu vitam,
junctâ ciborum nauseæ diarrhœâ,
dirâque Verminatione torqueri,
oculosque fieri lippus & pedem claudus:
sensimque vestis plumea in solum spargi,
& fluere ab alis spontè remiges plumæ;
Atque, ut pari par redderet, inurbanè
ridere picæ, condolere cornices,
mordere culicum turma tergus implume,
suâ hinc ephebi talione lætari,
& hûc & illûc lancinare palantem.
Circùm inde ludos facere grex catellorum,
optare corvus, si liceret, in cæcas
abdi latebras, & cavernulam muris.
Ecquid deesset aliti suo vernæ,
stupere Præsul, Præsulisque convivæ.
Hos inter aliquis (ut solet) joci causâ,
Quid si, inquiebat, nuper annulum *furto*
rapuisset ater nebulo, condidissetque?
& has facinoris impii daret pœnas?

Suspicio

Suspicio placuit: mox & itur in nidum,
interq; paleas sordidatas elucet
tandem repertus annulus. *Jubet Præsul,*
sic fortè Volucri profuturus, actutùm
Ecclesiæ iras nuperas relaxari.
Parochus relaxat, & repente sanato
redire corvo *vita, vox, vigor, vires.*
Reduxq; pellem circumire lanugo,
plumæque tandem principes reflorere;
Ita fit: leonem ut terream, canem cædo,
ut terrearis, ut minas Sacerdotum,
ipsis verendas belluis, reformides,
gnara Superos provocare peccando,
rationis exors anima plectitur corvus.

Tangit eandem historiam *Autor lib. de Vit. Illustr. Ordin. Cistert. Vir. & Bonifac. Rhodigin. in Hist. sua ludicra.*

§. 10. Vidi aliquot abhinc annis in muséo *Dn. Hermanni* Schneidewinds / Eccles. Hõxariens. ad *S. Kilian.* Past. *Martini Hotbandii*, Past. ad *S. Petr.* ibid. concionem funebrem, habitum super excessum *Sibyllæ Catharinæ* Haßvordsen / excus. *Lemgov. à Barthol. Schlottenio* Anno 1577. desumtam è *Luc. X. 16.* ubi *pag. 10.* inter alia sic: *Somnia Monachorum, fabulasq; eorum aniles temno: nihil mihi commercii cum iis. Rarò igitur, aut nunquam, ut nôstis, sermonibus aspergo meis. Sufficit enim nobis verbum Domini. Audivi tamen Studiosus olim à Præceptoribus meis Academicis terribilem historiam de* corvo, *abs Abbate Zeloso excommunicato, ideoque in gravem morbum lapso, ut in stuporem & commiserationem conjecerit universos. Taceo, quæ hac de re non ita pridem mihi dixit Dominus Abbas* Reinhart, *& testimoniis fide haud adeò indignis probabat.* Sic *Hottbandius.* Mart. Hottbandii.

§. 11. *Reinhartus* iste à *Bucholz*, è Monasterio *Gladbaccensi* d. 4. April. Anno 1555, ætatis suæ XXX. postulatus Abbas *Corbeiensis LII.* testante epitaphio à *Georgio Redenero*, Abbate Mariæ-Monasteriensi, ei posito Reinh. Abbatis.

Vir

Vir pius & doctus, Vir mitis, amabilis, æquus,
integer ac placidus, rectus & acer erat.

Induſtrius rerum Saxonicarum compilator, è cujus *Miſcell. Hiſtor. antiq. Saxon.* hæc excerpta reperi in *fragment. annal. Franciſcanor. Höxar.*

Sub devoto Archimandrita Conrado *Corvus quòd furatus eſſet* ſaçrum annulum *ejus, excommunicationis ſententiâ tactus, triſte omnibus præbuit ſpectaculum. Nos hiſtoriam tantis Doctorum Virorum teſtimoniis & judiciis habemus confirmatam, ut rubore pudoreq; meritò ſuffundi debeat, quisquis mihi contrarium dixerit. Hiſtorias colligo, non fabulas; licèt ſtultis omnia videantur ſuſpecta & ſubleſtæ fidei, quæ à Monachis ſunt ſcripta. Deme libros noſtros, & oſtende mihi vel unicam ſatis inſtructam Bibliothecam.*

Utinam Miſcellanea iſta *Reinhartiana* adhuc ſupereſſent, ſed periêre eheu! unà cum *annulo*, & omnibus ferè documentis, in famoſa cruentaque *Höxarienſi* expugnatione anno 1634. Meminit ejusdem hiſtoriæ *Wolfius T. 1. Lect. Memorab. edit. Halb. p. 168.* Furaciſſima avis *corvus*, ut etiam in proverbium abierit: **er ſtiehlt wie ein Raabe.** Nummos quidam Erfordiæ furabatur, & ſub lapide abſcondebat. *Sperling. l. 4. Part. Special. Zool. Phyſ. c. 16. p. 354.* Conf. ſuprà

Qualis fuerit annulus?

§. 12. Conſtat autem ex ſuprà dictis, non *quemcunque*, aut *vilem*, ſed *grandem, obq; incluſam in palo gemmam, valde pretioſum* fuiſſe *annulum*, à *Conrado* Imp. *Wicboldo* Abbati ſolenniter datum. Juvabit παρέκβασιν heîc facere, & ſingula clariùs interpretari. Cùm nihil tam bonum, ſanctum & ſtabile ſit, quod non tandem malitia hominum ſubvertat, aut corrumpat, non eſt ſanè, quod mireris, *Corbeiam* Saxoniæ, ampliſſimum iſtud *Seminarium Apoſtolorum Borealium*, & *magnum Germaniæ miraculum*, imò Imperatorum elogiô, *locum Sacroſanctum*, tandem etiam defeciſſe. Ultra ſemiſeculum hactenus omnia in pejus ruere & retrò ſublapſa ferri cœperant. Eccleſia mole æris alieni oppreſſa, vaſa ſacra vel oppignorata, ſeu vendita, bona dilapidata, religio extincta, diſciplina collapſa, concordia ejecta,

& Status Corbeiæ?

humi-

humilitas & continentia expulsa, sacræ mensæ sordibus & illuvie squalidæ, munditiei nullum vestigium, neglectæ pietatis luculentum testimonium. Ita fuci, ignavum pecus, bonarum apicularum alveolos vorârunt, luxu, socordiâ & ignorantiâ passim dominante. En! quò discordia fratres perduxit miseros? Dejecto quidem, Autoritate Superiorum, officio suo, quod subleſtâ administrârat fide, *Henrico II.* suffectus alius Præpositus, sed majori cum excidio Cœnobii, adeò ut omnis gloria & dignitas, opulentia ac zelus antiquæ *Corbeiæ*, in fumum abierit, ipsaque in canticum vulgi versa, & facta fuerit plebi proverbium, ut ex literis à toto Collegio, ad *Eugenium III.* lachrymas inter & gemitus, scriptis prolixis didici. Tandem verò Deus mandræ hujus & mapalis misertus, Servatorem statoremque elegit Gloriosissimum Augustum *Conrad. III.* Hic enim ex Polonia *Goslariam* redux, primarios Cœnobitas *Corbeiâ* ad se vocari jussit, ruinam Monasterii sui, ejusque causam fusiùs exposuit, & catiùs indagavit, seriò mandans, ut posthac ad frugem redirent, & secundùm normam Benedictinam, cui voto se obstrinxerant singuli, vitam constanter componerent, neque amplius fœdum abjectumque corpus sine capite forent, Bonum Antistitem Pastorem ocyùs sibi eligerent WICBOLDUM, Abbatem Stabulensem. Idem sensêre omnes, quotquot in Palatio Regio erant, Principes Proceresque Imperii. Sic præsente *Bernharto*, Episcopo Paderbornensi, tanquam viciniori, anno 1146. omnium suffragiis electus & renunciatus est Abbas Corbeiensis laudatissimus *Wicboldus.* Quâ re ad Eum delatâ excanduit, dicens: *se malle esse bubulcum, quàm Antistitem Corbeiensem.* Adeò sorduit tunc Ecclesiæ hujus nomen! Deo tamen & Rege impulsore obduravit animum, & molestam hanc plenamque periculis servitutem animosè subiit. Næ, divina Providentia, quæ cuncta gubernat, Sap. XIV. 3. singularia fausti regiminis omina eôpse electionis annô ei monstrabat, notante *Alex. ab Insula, in Brev. rer. memorabil. num. 58.*

Emendator à Conrad. III.

Wicbold. eligitur.

§. 13. Ceterùm erat *Wicboldus* hic Comes *Northeimensis*, & Do-

Quis & unde fuerit?

& Dominus in *Bömeneburg*, Diterici filius, alumnus Cœnobii *Corbeienſis*, non *Vazorenſis* in Diæceſ. Leod. ut *Bucellin. Part. alt. Germ. Sacr. & Profan. p. 281.* perperam ſcripſit, Abbas tunc *Stabulenſis*, Vir pietate, doctrinâ, candore, multorumque rerum Prudentiâ eminentiſſimus, Conradi III. familiaris & Conſiliar. intimus. Initium dignitatis ſuæ timor Domini, & fauſta Monaſterii emendatio, cujus baſis reſtauratio collapſæ diſciplinæ. Hanc igitur ut priſtino ſplendori, ad mentem Benedicti Patris ſui, gloriosè redderet, ex aliis bene conſtitutis Monaſteriis, cùm domi non haberet, optimos quosque ſelegit Aſcetas, qui facem præferrent reliquis. Et næ! quàm magnus quæſtus pietas ſit, vel ex *Wicboldi* exemplo diſcimus. Non tantùm enim amiſſa bona ſacramque ſupellectilem redemit, ſed longè plura Monaſterio addidit, ut meritò alter quaſi *Corbeiæ* fundator, reſtaurator ac Conſervator apud ſeram, ſi quam ſperabimus, Poſteritatem audiat. Summâ *Conrad. III.* munificentiâ contulit *Corbeiæ* Anno 1147. jure perpetuô, & auctoritate in æternum valiturâ, inſigne, olimque opulentum, Monaſterium Virginum, dictum *Kaminada* ad Viſurgim, Diœceſ. (quondam) Mindenſis. *Adrianus IV.* confirmatâ ei illuſtri *Præpoſiti, ſeu perpetui Proviſoris* Cœnobii *Heriſordenſis* dignitate & officio, porrò attendens probitatem & devotionem dilecti filii ſui *Wicboldi*, Monaſterium *Werbenſe* in Comitatu *Waldeccenſi* adhuc conſpicuum, ſed devaſtatum, adque jus B. Petri ſpecialiter pertinens, cum Advocatia, & omnibus pertinentiis perpetuò adjecit & commiſit, confirmante id etiam *Victore* Papâ.

Regimen ejus.

§. 14. Suſtinuerant hactenus Prælati *Corbeienſes* multas injurias à Miniſtris ſuis, *Dapifero* inprimis & *Pincerna*, ut ex literis Imperatoriis dat. *Spiræ* Anno 1150. & diſſertationi noſtræ Hiſtorico-Politicæ de *Advocatis* & *Oeconomis Monaſticis* bonâ fide innexis pleniùs videre eſt. Hoſce fures & ſervos nequam Optimus *Wicboldus fide, labore & conſtantiâ* ſuâ, quam ſeriò commendat Cæſar, eumque fideliſſimum ac cariſſimum ſuum nominat, eliminavit, ſeque, ſuosque Succeſſores legitimos Adminiſtra-

Compeſcit iniquos Miniſtros.

niſtratores bonorum ſuorum fecit. Quæ omnia, ob inſignem *Wicboldi* fidem circa Dominum & Patruum ejus, *Conrad.* ſc. *III.* nec non & circa promotionem ſuam in regnum repetit, & denuò confirmat *Frideric. I.* Merſeburg Anno 1152. Ind. XV. 15. Kal. Jun. Teſtes erant *Sveno & Canutus*, Reges Daniæ, unus Archi-Epiſcopus, & IX. Epiſcopi, IV. Abbates, & aliquot Principes ſeculares Imperii.

§. 15. Volens autem Imperator *Conrad. III.* dilecto & fideli ſuo *Wicboldo*, ob *fidem, laborem, & conſtantiam*, Deo, ſibi ac Imperio ſanctè, & publicè præſtitam, novam & ſingularem exhibere gratiam, & ſplendidam adhuc conferre dignitatem, ex certa ſcientia & animo prorſus deliberato, ſtatim ſub auſpicio Prælaturæ ſuæ Corbeienſis, circa Anno 1148. in Auguſta Illuſtrium Nobiliumque Principum & Virorum corona, Corbeiæ, tactô antè *B. Viti* (quod ibidem quievit integrum) *per aureum donationis annulum*, jure perpetuô, Eum, omnesque Succeſſores, canonicè electos, & legitimè confirmatos Abbates, fecit, conſtituit & proclamavit *perpetuum Advocatum, ſeu Cuſtodem Lipſanorum S. Viti.* Conſtituitur cuſtos Lipſanorum S. Viti.

§. 16. Ita hæc dignitas & cuſtodia primùm à *Conrado III.* in *Wicboldum* derivata, & abs hoc, Autoritate Cæſareâ, in omnes omninò Succeſſores ejus. Et adhuc ſingulis ab Impp. ſanctè confirmatur, ut ex diplomate *Ferdinand. II.* de A. 1627. d. 26. Mart. dat. *Johanni Chriſtophoro*, Nobili à Brambach/ è diplom. *Ferd. III. Arnold. IV.* dat. Vienn. A. 1639. Menſ. April. ex *Leopoldino*, dat. *Chriſtoph. Bernh.* Epiſcopo Monaſterienſi, ut Adminiſtrat. Corbeienſi, A. 1662. 7. JunI, & moderni Abbatis *D. Chriſtophori*, ex antiqua & generoſa familia *Bellinghuſana* ſati dat. Vienn. Anno 1682. vidimus, in quo Cæſar expreſsè ait: *Se munus ac titulum Advocati & Cuſtodis perpetui Sacrorum S. Viti Lipſanorum*, quô à Conrado III. olim Abbas *Wicboldus per aureum donationis annulum* inſignitus fuit, ex innata Imperiali beneficentia itidem *laudare, approbare, confirmare, innovare*, &, quantum opus ſit, de novo atque integro &c. Cum Succeſſoribus ſuis.

Ceremoniæ (1) contactus corporis S. Viti.

§. 17. Ceremonias inter (1) eminet *contactus corporis Viti*, quòd, *ceu pretiosus Saxoniæ thesaurus*, censurâ *Wittekindi l. 3. annal. p. 24.* Anno 836. è Cœnobio S. Dionys. Paris. operâ *Hildewini*, Abbatis ibidem, tunc autem à Ludov. Pic in Monasterium *Corbeiense*, carcerem suum, detrusi, in Saxoniam primò delatum à *Warino*, primò regulariter electo novæ *Corbeiæ* Abbate, Caroli M. ex Sorore nepote. Vid. sis fusius *Autor. libell. de translat. S. Viti Annal. Wittekind. annex. à Cl. Meibom. & Chron. Engelhusii p. 163.* Integrum hujus Martyris corpus olim servabat *Corbeia*. Quî ergò, aut quando particulæ quædam *Pragam*, *Elwangium*, *Gladbachium* & cetera devenerint loca, non facilè dixero. Certum tamen, vel ex liberali *Corbeiæ* manu eas accepisse, quotquot hujusmodi genuinas possident, aut vi, seu astu, quod promtiùs crediderim.

(2) donatio & traditio aurei annuli.

§. 18. Altera Ceremonia peracta *donatione & traditione aurei annuli*, quo de *Kirchmann. L. de Annul.* & *Höping. L. de Jure Sigillorum*, Viri alioquin eruditè-curiosi, ne γρῦ quidem annotârunt. Ipsam hanc constitutionem Advocatiæ perpetuæ Lipsanorum per traditionem *annuli aurei* super reliquias S. Viti Martyris factam fuisse, nullum est dubium. At ipsum quoque *annulum* tetigisse ipsissimas reliquias, è *Breviar. rer. memorab. Alex. ab Insula* didicimus. Expreßè enim scribit: *aurum* tetigisse *reliquias*. Consonat *Joh. de Dessel*, inquiens in formula excommunicationis *corvinæ*: Qui (*annulus*) ipsas S. Martyris & Patroni nostri *reliquias* tetigit *Aureus* fuit *annulus*, *grandis*, *obq; inclusam* in *palo gemmam* (adamantem puto) *valdè pretiosus*, *conspicuus* & *fulgidus*, ac *sacer*, ut *Alex. Insulanus*, & *Desselius* αὐτόπτης contestatur. Justè igitur excanduit Abbas de *tanto sibi ablato thesauro*, monente *Insulano* Comite.

(3) ipsa traditionis formula.

§. 19. Ultimam Ceremoniam, adeoque *ipsam traditionis formulam*, addit Nobil. & Religiosus Corbeiæ Monachus, *Eustachius à Brobach*, in *fragmentis suis Historicis* ad Annum MCXCIV. inquiens: *Advocatiam*, seu *custodiam sempiternam Lipsanorum B. Viti* Wicboldus, *Reformator in spiritualibus & tempora-*

poralibus, quotquot adhuc habuimus, & felicissimus & laboriosissimus, accepit à *Conrado* Rege; scilicet super reliquias B. Viti in Ecclesia nostra tenebat Rex *pretiosissimum aureum annulum & gemmâ conspicuum fulgidumq;*, dicens: Ecce! *carissime & fidelissime Wicbolde, Ego in conspectu Domini, omniumq; Sanctorum, coram S. Vito, Patrono meo Tuoq;, humi prostratus, ob fidem & laborem, quò me & Imperium prosequeris, per donationem* aurei *hujus annuli, qui ipsas Patroni hujus loci* sanctas *nunc tetigit* reliquias, *Te, Tuosq; in Monasterio Successores, facio & constituo* Advocatum, seu custodem perpetuum beatissimorum horum Lipsanorum, *in Dei nomine feliciter, Amen.* Quibus dictis cum Ministerialibus suis surrexit, totusque chorus cantavit; TE DEUM LAUDAMUS!

§. 20. De morbo *corvi*, ejusque restitutione, *annulô* tamen prius repertô, omnes conveniunt. Non in ipsum *corvum* strinxerat *Conradus* fulmen, sed in furem, quisquis demum ille fuerit, nec de ave, nec de alia bestia unquam tantum facinus suspicans, sed quendam è famulis suis (*Lucam* vocat *Dessel*) suspectum habens, teste *Steph. à Schnakenburg* & *Widenboccio.* Et licèt *Alex. de Insula, Kuhlemann, Schnakenb. Consules Höxariens. Hottband. Wiedenbocc. Reinhart*, etiam constanter asserant, ab ipso *Conrado* excommunicationem factam, solus tamen *Gazæus* contrà scribit: eum jussisse anathema à *curione* librari. Putabat *Henckhusius*, in ipso festo *S. Justini* Patroni Corbeiensis, in vesperis, præsentibus multis Nobilibus, aliisque spectatæ dignitatis Viris, fulmen id esse emissum, quo de nil certi pronunciare possum. *In festo Patroni* inquit *Desselius*, at cujus, reticuit. *Widenboccius* vocat *festum solenne.* Fortè in ipso festo *S. Viti* factum.

§. 21. Quàm terribiles Sacerdotum imprecationes, exemplô XLII. puerorum *2. Reg. II. 23. seq.* Stupenda, si vera, historia apud *Trithem. in Chron. Hirsaug. ad annum 1012. Stangefol. L. 3. annal. circul. Westphal. p. 231. Kranz. 4. Saxon. 33. Alb. Stad.* Imprecationes Sacerdotum.

in Chron. Engelhuſ. in chron. p. 193. de ſaltatoribus *Colbeccenſibus* in Diœceſi (nunc Principatu) Halberſtadienſi.

Beſtiæ ſentiunt vim anathematum.

§. 22. Ceterùm bruta etiam ſenſiſſe vim fulminum ſacrorum, ex hiſtoriis conſtat. Nolo hîc recoquere, quæ de *S. Ulrico*, ſeu *Bennone*, commemorantur, quòd ſolâ imprecatione *mures majores* è ſuis Diœceſibus pepulerint, cùm ficta & ſuſpecta plurimis videantur. Nihil etiam dicam de *Guilielmo*, Lauſanenſi Epiſcopo, ab *anguillis* læſo, qui poſtea omnes à magno lacu *Lauſanenſi* maledictione profligavit, teſte *Felice Malleotva in Lib. de exorciſmis.* Notiſſimum noſtratium adagium, abjectum & nullius omninò pretii hominem delineantium, quando ajunt: Kein Hund wird ein Stück Brod von ihm nehmen. Originem vide ſis apud *Harsdörfer. P. 2.* der Geſpräch-Spiele *p. 230. & 270.* Otto, Marchio, ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi excommunicatus, floccifecit minas haſce, dicens: Audivi, ſi quis juſtè excommunicatus, abs eo ne *canem* quidem *panis fruſtulum* capere. Eja! tentabimus. Objecit ergo famelico *cani* carnem: faſtidiit beſtia. Jubet eam includi, & hâc tantùm portiunculâ carnis ali. Fit per triduum. At ne tetigit quidem. Sic in ſeipſum deſcendens juſta Dei judicia cum timore ſtupuit. *Mich. Sachs. Chron. P. IV. p. m. 11. Brotuff. L. 2. Chron. Anhalt. c. 7. p. 68.* Strinxerat *Engelbertus*, Archiepiſcopus Trevirenſis, Henricum, Comitem Limburg. ſacrô anathemate, qui *cani* etiam famelico bolô projectô dixit: Si non edit *canis*, juſtè excommunicatus ego. Quid fit? *canis* omninò abſtinet à bolo iſto, teſte *Maſenio in epit. Annal. Trevirenſ. p. 355.* Alii temſerunt panes ab inceſtuoſo, & interfectoribus *S. Thomæ* Cantuarienſis Epiſcopi projectos. *Baron. T. 11. annal. Eccleſ. p. 365. & L. 12. p. 355.*

Brutorum devotio & gratitudo.

§. 23 Uti aliquando Deus beſtias ad ſingularem devotamque gratitudinem erga ſacras ædes & religioſos, in confuſionem mortalium, flectit, ut omninò ratione abundâſſe videantur. Sic quoque multæ ſacrilegia, eô ſic volente, à brutis vel acerrimè vindicata, ſeu prodita paſſim legimus. Prius gemino exemplo *Corbeienſi* confirmabimus. *Theodulus* Abbas habebat

In ſpecie canis.

canem

canem puniceicoloris, ſtaturæ mediocris, robuſtum tamen valdèque religioſum & penè rationalem. Quoties ſignum dabatur ad ſacra, quocunque diei tempore, velociter ad templum currens, lentè & modeſtè intrabat, conſidebatque ante ſummum altare, continuò *fixis* id *oculis* intuens. Ad lectionem Evangelii, quaſi admonitus, promtè *ſtabat erectus*: recitatô eô, iterum conſidebat. Sub elevatione Sacramenti totus *proſtratus immotusq;* jacebat, ore ad terram preſsô, ductôque è præcordiis gemitu. Finitâ communione, more ſolitô, pedibus *poſterioribus* inſidebat, ſtans demum ad lectionem Evangelii. Benedictionem *humi proſtratus*, oculis ad Presbyterum elevatis, accipiebat. Et ſic ſuô more iterum lentè modeſtèque exibat templô. Si videret ſocios ſuos ad parietes Eccleſiæ mingentes, acriter mordebat; nunquam etiam permiſit, ut alieni canes, aut noſtri, ſacris intereſſent. Imò ſi quos in area latrantes inter Miſſam audiret, tardè exiens compeſcebat petulantiam eorum. Quô factô redibat. Dies abſtinentiæ tàm accuratè diſtinguebat, ut nullis blandimentis ad eſum carnis iisdem eum perduxeris. Auditô nomine JESU, ſubitò in terram *proſtratus* concidebat. *Iſibord. ab Amelunxen in Breviar. rer. memorabil. ad ann. 897.* Mirabilius ferè exemplum de alio cane, ut ſic loquar, *religioſo* refert *Nierenbergius Lib. 9. H. N. c. 94.* idque ex eo tranſcriptum repetit *Schott. l. 8. Phyſ. curioſ. c. 19. §. 1. p. 827.*

§. 24. Alterum exemplum reliquit nobis *Alexander de Inſula* in *Breviar. rer. memorabil. ad ann. 1196. Ciconia*, infit, è vicinia ob incendium cum conjuge è laribus ſuis pulſa, domicilium ſibi eligit *Corbigæ*. Conatum ejus fratres juniores ultrò promovent, lignum pro ſtruendo nido largiter ſuppeditantes. Circa autumnum diſceſſuri inter Miſſam templum intrant Seniores, ſubſequentibus, quos eô pepererant annô, quatuor junioribus. Ibi coram altari è latere ſingulæ unô conſiſtentes pede, omnium oculos in ſe convertunt. Finitô ſacrô, cùm nemo tributum ſuum poſceret, Seniores cum junioribus *natu* Et ciconiæ.

mini-

minimam alis roſtrisque ad ſellam Abbatis quaſi protrudunt. Quâ retentâ, templo exeunt, eâdemque nocte diſcedunt.

Porci Sacrilegii vindices.

§. 25. Poſterius denuò probabimus hiſtoriâ *Corbeienſi*. *Theodulus* noſter, ait laudatus *Iſibordus*, Abbas VII. ſed ſine anno hoc in Miſſali ſuo poſteris reliquit. Abſtulerat mendicus in *Albatia* (Albachſen) patenam auream. Hinc *Corbiam* tendens, in campo Lûre incidit in gregem *porcorum*, qui grunnitu magnoque clamore eum aliquando detinent, operâ tamen ſubulci, ſacrilegium iſtud neſcientis, eluctatur & tranſit. Aliqui tamen de grege, usque ad portam Monaſterii eum perſequuntur, reliqui interea grunniunt, donec ſocius iſte deprênſus facinus ſuum confiteretur.

Equi ejusdem proditores.

§. 26. Ann. Chriſti 1334. ſedente *Alberto*, Epiſcopo Halberſtadienſi, Secundo hujus nominis, Duce Brunſvicenſi ac Lüneburgenſi, ſceleſtus quidam ſacrilegus ſeptem hoſtias conſecratas ex templo *Svanenbeccenſi* furtim abſtuliſſe dicitur. Mox autem facti pœnitentiâ ductus, veritus, ne hoc facinus vicinis innoteſceret, defodit eas cum pyxide in agrum & diſcedit. Accidit fortè, ut agricola *Svanenbeccenſis* cum equis ſuis locum iſtum præteriret. Quid fit? concidunt beſtiæ, quaſi attonitæ, flexis genibus in terram. Obſtupeſcit colonus, vociferatur, cædit, & quid ſingula? vocantur vicini. Quid faciendum, inquirunt. Alii veneficium, alii τὸ θεῖον ſubeſſe credebant, & ſua cuique ſententia pulcra. Tandem, egeſtâ humô, reperiunt pyxidem cum hoſtiis, hærentes, quid cum illis agendum ſit? Res nunciatur Parocho, Archidiacono, *Wernero à Wansleben*, ipſi Antiſtiti *Alberto*, qui ſtatim magnâ reverentiâ hoſtias tolli, & cum ſolenni proceſſione Cleri populique in parochiale templum, donec eôpſe locô aliud erectum fuerit, deferri jubet. Conſecratum hoc ab *Alberto* An. 1334. Vid. *Anonym. Chron. MS. Halberſtad.* & *Cl. Budæi Hiſt. Alb. II. p. 103. ſeqq.* In dorſo Summi altaris hiſtoriam hanc ſequentibus diſtichis comprênſam legi.

Beſtia ſi quondam Balaami eſt ore locuta,
ipſam cùm genius terruit enſe minax.

Poplite

Poplite nil mirum flexo sub imagine Christum
quòd farris noscant & venerentur equi.
Scilicet ingenti factum discrimine distat
præsens: hîc Deus est, est ibi plasma Dei.
I nunc, & Numen spoliato brutus honore,
ut sis brutorum conditione minor.

ALBERTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS HALBERSTAD. DUX BR. ET LUNEBURG. ANNO M CCC XXXIV.

E regióne:

D. HERMANNUS RHODOMANNUS, CANONICUS S. BONIFACII, PRÆPOSITUS S. BURCARDI, AC. M DC VIII.

§. 27. Anno Christi M DC XLIIX. in *Libu* quidam noctu furatus imaginem pueri JESU. Cùm jam prodiret cum illa, obvium habuit *anserum* gregem. Hi impetum in furem dirigentes, morsibus eum detinuerunt partim, partim verò avolârunt ad cœnobii campanam, quam quidam pulsantes, quidam etiam horribilibus grazitantes clamoribus, excitârunt incolas, qui deprehenderunt furem. *Nierenberg. Lib. X. Hist. Nat. c. 99.* Summa: Et anseres.

Time Dominum, & venerare Sacerdotem. Eccles. 7. 33.



INDEX OBSERVATIONUM.

XLVII.



JOHANNIS

Johannis Georgii Gockelii,
Phil. & Med. D. Collegii Medici Ulmens. Senioris, atque Decani, jam Octoagenarii,

EPISTOLA,
De
Mirabilibus quorundam Animalium.

M DC LXXXVII.

Cum, ut literatos decet, non ita pridem mi Frater Erneste dilectissime, de summi Creatoris infinita & Omnipotentia ac Sapientia fusè verba fecissemus, Creaturarum plus quam mirabilium vires, atque hominis, naturæ profectò miraculi, prærogativam pro animorum nostrorum modulo, contemplati essemus, qui ob concreditum rationis sermonisque usum, à sapientibus λογικὸν passim animal definitur, non sine ratione, ut spero, insignis illa dubitatio nostras ussit mentes, quam ob causam volatilibus quibusdam non modo, cujusvis generis animalium peculiariter vox attributa, verum etiam sermo, homini aliàs proprius, concessus videretur.

Hæc & materia utilis, jucunda & rara, ansam tibi suppeditavit, ulterius ex me quærere, num frequenti lectione historiæ tales à sedulis naturæ inquisitoribus annotatæ mihi occurrerint, quidque de his sentiam. Hoc ipso quare Epistolio faciam & annotabo, quæ vires meæ permittent; summoperè efflagitans, ut tua insuper apponere digneris.

Empedocles, Parmenides, Democritus, Lactantius, Plutarchus, & cum aliis, Galenus, omnibus animantibus providentiam quandam, & quasi mentem seu rationem intus delitescentem, tribuerunt, hoc saltem discrimine, quod homines illam sermone explicare, bruta verò animi sui conceptus nequeant verbis exprimere; imò & Cardinalis Hosius, nos nec ratione, nec oratione, nec prudentia à brutis distingui voluit, sed solummodo contemplatione, religione, & divino cultu.

Leo, animalium terrestrium Imperator, ab homine infestissimè solicitatus, ita tamen ut Leo sit incolumis, non unguibus eum lacerat, nec ulla injuria afficit, sed quatit solùm, & ubi ita eum perterruit, salvum dimittit. Eudomus annotavit, ursum

ursum & canem eodem contubernio à magistro quodam alitos & educatos, sine ulla injuria aliquandiu pacatissimè vixisse, ac si domestica, ac ejusdem generis animalia fuissent: Verum cum ursa, quodam impetu percita, contubernalem canem dilacerasset, commotum leonem, violati hospitii scelere, in ursam prorupisse, eâque pariter dilaceratâ, meritas pro cane pœnas, exegisse.

Ferunt Jubæ, Maurorum Regi, præstantis animi Juvenem fuisse comitem, dum per Africæ deserta, rerum suarum componendarum studio, cum exercitu proficisceretur, ex itinere verò leonem obviam factum, à juvene illo ipso sagitta percussum in sylvam recessisse; succedente verò anno, cum Juba, rebus ex voto compositis, eâdem copias traduceret, eundem illum Leonem, observato Juvene, à quo vulnus acceperat, unum, è tam magno militum numero, violentissimo cursu hostiliter aggressum, nulla vi cohiberi potuisse, quin eundem miserabiliter correptum dilaceraret, nemine aliorum læso, ac ea ultione contentum discessisse.

Apud Romanos aliquando in usu erat, ut servi, ob flagitia perpetrata, morti adjudicati, circo includerentur, & feris ad dilaniandum projicerentur. Horum in numero misellus fuit Androdus, quem prima fronte adortus est Leo rugiens, visu truculento & immani, eundem verò pressius intuitus, pedem sistit, & cauda adulando & lingua lambendo, animi sui propemodum propensionem ipsi significavit: Androdus penè metu emortuus, reassumpto animo, curiosè admodum hunc Leonem perpendit, & protinus benè cognovit, eundem hilaris excepit, & ab eodem pari ratione exceptus fuit; Unde Cæsar Populusque Romanus Androdum ad ipsum Imperatorem accersere jusserunt, quo præsente interrogatus fuit, quam ob causam immanis hæc bestia ipsi innocua extiterit? Androdus respondit, quod ob perpetratum homicidium, præteritis annis exulare coactus, in desertum aufugerit, ac inibi, in spelunca latitans, Leonem se hunc accedentem animadverterit, ostendens

dens ipsi dextrum & anteriorem pedem, qui, ob latentem grandiorem ligni festucam, plurimo sanguine suffusus, acerbissimos illi dolores concitaverit; Cum verò hunc patientem molliter, Chirurgi instar, tractasset, & festucam extraxisset, tam grato in eum animo fuisse, ut de quotidiana capta præda, quam sole coxisset, quotidiè etiam communicaret, & ipsius deploratam vitam conservaret. Tandem, sylvestri incultaque illa vita pertæsum, Leone absente, Romam iterum petiisse, & hoc præsenti in spectaculo propositum Leoni fuisse, qui, in significationem regii gratique sui animi, pristinum suum Medicum offendere noluerit. His perceptis, ambo libertate donati sunt, & ab universo populo, floribus in ipsos projectis, coronati, cum sequenti fausta acclamatione: Hic est Leo hospes hominis: & hic est Homo, Medicus Leonis. Quemadmodum etiam ulterius Leonem hunc Androdum, mansueti instar canis, deinceps in perpetuum comitatum esse, volunt.

Elephas, brutum non brutum, quo nulla belluarum prudentior, bonis & acutis sensibus, in intellectu ita excellens, ut quandam cum genere humano ipsi societatem esse, consonum sit, & prudentia atque consilio proximum ab illo collocandum; quippe illi intellectus patrii sermonis, imperiorum obedientia, officiorumque quæ didicit memoria, amoris & gloriæ voluptas, imò verò, quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, relligio quoque, siderum, Solis & Lunæ veneratio.

Fama est, inter sese sermocinari Elephantos,
Distinctasq; susurrare, atq; emittere voces,

Erat in urbe Cochin Elephas, qui operas diurnas præbere solitus, ad portam & res marinas, quem fessum urgebat, nihilominus præfectus, ut Liburnicam porrò deduceret in mare: Ille abnuere, instare alter multis blandisque verbis solebat, & ad extremum, in gratiam Lusitani Regis ut id vellet orare, hinc motus duo hæc verba clarè ingeminavit, Hoo, Hoo, volo, volo, & ita sine mora navim traxit in mare. Eodem in loco, cuidam ad horam cibus non oblatus, queritur & barrit, magister

ſter ſe excuſat, & vas æneum ejus cibarium oſtendit perfluens & pertuſum, jubet igitur ad fabrum ærarium ferat reconcinnandum; Promuſcide aufert, & fabro offert, at ille, ſive per negligentiam, ſive ſtudio, infideliter reparat: Elephas hero refert, qui vitium videt & indignatur, inclamat illum abſentem, hunc præſentem, denuò redire jubet cum ipſo vaſe; Facit, & fabro querulus impingit, ille homo ſuavis iterum imponere conatur, & admoto malleo claudere ſimulat, non tamen claudit: ſed ille cautus reſumptum ad flumen defert, immergit, & periculi faciendi cauſa, aqua replet, quam videt effluere. Plenus igitur irarum ad fabrum recurrit, intonat magna voce, confluunt vicini, & inter alios Vicarius Regis: Faber blandis eum verbis demulcet, & vas denique refingit probè, atque ex fide; verum ille, ne tum quidem fidens, ad flumen ſe recipit, dumque continere aquam videt, vertit ſe ad aſtantes & oſtendit, teſtes eosdem advocans facti, ita demum abiit domum.

Miles, in eadem urbe, Elephantum cum rectore obviam habuit, ſed noluit decedere; Elephas in ſui & Rectoris contumeliam factum hoc interpretatur, ulciſci tamen à Rectore prohibetur; Poſt dies aliquot, in ripa fluminis militem otiosè fabulantem reperit, & cum Rector non adeſſet, corripit illicò hominem, in altum tollit, nec precibus nec clamore aſtantium motus, aliquoties flumine mergit, allevans ſubinde ac demittens, cumque luſum eum ſatis diu luſiſſet, contentus hac vindicta, vitæ ſuæ diffidentem, rectum & illæſum deſtituit, eo ipſo loco, unde eum ſuſtulerat.

In Antiochia, Syriæ Urbe, elephas fœminam fortè non inſcitam vidit, ſed vidit & periit, nam promuſcide faciem manusque lambere, tergere, & quacunque poterat blandiri, ſeque inſinuare attentavit: Cum aliquandiu perſeveraſſet mutuus hic amor, mulier ecce ad plures abiit, elephas verò deſiderium non tulit, nec mentis ſuæ ultra compos, datus eſt in furorem.

Sic, Tiberio Principe, XII. Elephanti decorè & verecundè

mensæ assidentes, summa cum moderatione & cibum ceperunt & potum hauserunt, sine ulla voracitate & ingluvie.

Draco, insignis magnitudinis, tempore Herodis, in Judæa, & affectibus & gestu, Virginem mirè admodum coluit, ac crebrò invisit, quæ tamen, propter truculentum ipsius aspectum, solitam habitationem commutavit, & ad tempus reliquit, spe ducta, speciosam suam formam mensis spatio oblivioni traditurum. Verum Amasius Draco, magis magisque amore exarsit, ita, ut nullibi quietè degeret, sed diu noctuque consuetum Virginis hujus locum visitaret, quam & redeuntem statim iterum accessit, & visam, primum torvo aspectu, deinde etiam cauda sua verberando castigavit, sed sine ullo damno illato.

Pari modo in Arcadia Græciæ, unà cum juvene & Draco educatus fuit, cumque corporis mole formidabilis redderetur, omnes consanguinei eundem, unà cum sodali, unanimi consensu in desertum sylvestremque locum deportandum esse, decreverunt. Juvenis, Dracone derelicto, paternos lares rursus invisit, domumque rediit, at, cum matura ætate, per eundem locum, ubi Draco delitescebat, iter ipsi faciendum esset, à latronibus petitus, & penè vulneribus enecatus, alta voce opem atque auxilium implorare cœpit, quod à Dracone, olim suo socio agnita vociferatione, perceptum fuit; quare ingenti statim sibilo, & mira agilitate eundem è manibus sicariorum eripuit, alios eorundem enecando, alios in fugam conjiciendo, oblivioni tradens, quod antehac ab ipso derelictus fuerit.

Pindus, Macedoniæ Regis filius, heros magnanimus, & ob rariores virtutes, fratribus etiam suis in tantum exosus, ut eundem neci tradere constituerint. Simultates quare eorum cognoscens, hæreditate jam suum Paternum Regnum acquisitum reliquit, inque solitudine, cum aliquibus famulis, venationi indulgere decrevit: Unâ dierum, cum capreolis investigandis nimium esset intentus, Commilitones suos derelinquens, eos in foveam montis satis altam, ad salvandam vitam se præcipitare percepit, quare equo suo descendens in speluncam illam

quæsitum

quæsitum se recepit, sed ab insolita quadam voce admonitus, capreolos intactos reliquit, ad suos properavit, & altero die, impulsus hesterna novitate, de voce, qualis illa fuerit, dubitare cœpit, & ad foveæ limen meditabundus astans, ingentem Draconem intuetur & quantumvis hoc spectaculo perterritus esset, non aufugit, verum animo forti, captas à se aviculas & reliquam prædam Draconi objecit, & ejusdem crudelitatem mitigavit, imò, pace factâ, quotidiè feras in escam ipsius asportavit, ut eis depasceretur: Officii hoc genus nostrum Pindum fortunatissimum reddidit, ut ex voluntate cuncta prospere cesserint, & omnibus, exceptis fratribus, charus & acceptus fuerit. Sed cum aliquando solus venatum prodiret, perditi hi fratres eum adoriuntur, & ad flumen ensibus morti tradunt: Qui in vicinia clamorem exaudivit Draco, confestim approperat, & justâ ultione, hosce fratricidas trucidat, occiditque, & ad amicorum usque adventum benefactoris sui cadaver fidelissimè custodit, quibus deinde mœstis plorantibusque, ultrò sepeliendum relinquit, & pacificè cubile suum repetiit.

Canem Ægyptii Anubi tribuerunt, propter sagacitatem, Græci Romanique Mercurio Comitem dederunt, summam ob prudentiam Telemachus, apud Homerum, canibus stipatus in concionem prodit: Et Raphael, in solatium Tobiæ missus, cum ejus filio Comitem canem habuit. Omne genus aliud efferatur, & sylvas ac solitudinem tolerat, istud solum homini adhæret, atque adeò cum eo vivit, ut absque eo non vivat: Adeò cicur animal canis est, robustum, ingeniosum, vigilans, & fidele cum multa agilitate, ut vix satis collaudari queat.

Indiam petenti Alexandro M. Rex Albaniæ dono dederat inusitatæ magnitudinis canem, cujus specie delectatus, jussit ursos, mox apros, & deinde damas emitti, contemptim jacente eo: Qua segnitie tanti corporis offensus Imperator, eum interimi jussit. Nunciavit hoc fama Regi, itaque alterum mittens, mandato addito, ne in parvis experiri vellet, sed vel in Leone, vel Elephanto, nec distulit Alexander, Leonemque fra-

ctum protinus vidit, postea ad Elephantem jussit induci, haud alio spectaculo magis lætatus: Horrentibus ergò per totum corpus villis, ingentem primò latratum intonuit, mox ingruit assultans, contra beluam exsurgens, hinc & illinc artificiali dimicatione infestans, donec assidua rotarum vertigine eum afflixit, ad casum ejus tellure concussa.

Magnates, Colophonii, Castabalenses, & Cymbri, propter bella cohortes canum habuerunt, eæque primæ dimicarunt in acie; Pari modo & Galli iisdem ad bella utebantur.

Garamantum Regem ducenti canes ab exilio reduxerunt: Et olim Massinissa salutem suam custodia canum vallavit: Et Romani in Sardinia, hostibus in saltus specusque profugis, M. Pompejo prætore, canes ex Italia accersiverunt, & eorum opera è latibulis eductos invenerunt, viceruntque.

Idem in Peruana India Hispani perpetrarunt, & recenset Petrus Cieca, se cum aliquot sodalibus egressum, ad Indos investigandos, canem Comitem habuisse, ad ista longo usu edoctum, & ecce fœmina apparet vetula, quæ fugit in montes, canis assequitur, & jam prehendebat, illa verò in genua se abjicit, canem dominum appellat, & penè adorat, hisce blanditiis pacatus, crus ille attollit, fœminam permingit, atque abit.

Ad hæc, propria sua nomina & domesticorum vocem agnoscunt, itinera quamvis longa meminerunt, & eorum miram facilitatem in discendo, recordationem in usurpando nos omnes quotidie videmus.

Lipsius ait: Bruxellæ mihi puero canis ex Britannia grandioribus fuit, qui currum coriis onustum trahere didicit, doctusque fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, & carnem referre, sed eveniebat interim, ut canes alii, odore carnis moti eum accederent quasi erepturi; tum ille corbem deponere, in orbem propugnare ac fugare, & si copia aut robore vinceretur, unâ irruere, & partem de præda capere attentavit.

Et Lovanii erat canis, qui literas collari insertas, signo ab hero

hero accepto, curſim Bruxellam deferebat, in notam certamque domum, & reſponſorias eâdem die attulerat.

Capta Theſſalonica à Balduino, civitatis canes nullum omninò cadaver Græcum tangere voluerunt, quaſi amicis popularibusque parcentes; Latinos vero devorare,idque tanta rabie, ut etiam ſepulchris conditos eruerent, & lancinarent: Et Rhodiorum equitum canes Chriſtianis adblandiuntur, Turcis autem atque Barbaris funeſti ſunt; fures etiam cum latronibus produnt, quod Athenis in æde Æſculapii accidit.

Margaritæ Eechkuſiæ ruffulus & parvus canis, toto valetudinis tempore, à lecto non abſcedere voluit, nec depelli potuit, hæc cum jam exhalaſſet, ille ululans, reducta cauda, in hortum ſe proripit, ibidem ſub corylo arbore ſcrobem fodicat, imponit ſe, & ſpiritum deponit.

Titius Sabinus, Romanus Eques, Tyberii ſævitia periit, in carcere ſtrangulatus, inque gemonicas ſcalas projectus, ubique fidum aſſeclam canem ſuum habuit, qui etiam Cadavere in Tiberim miſſo adnatavit, ſeque ſuppoſuit, illud ſuſtentare conatus.

Pyrrhus, Epiri Rex, iter fortè faciens, vidit interfecti militis canem, heri ſui cadaver per triduum ſine ullo cibo cuſtodire: Miratur, & miſeratus, illum ſepelire jubet, hunc Comitem ſibi duci; Poſt aliquot dies exercitum luſtrat, canis ad pedes accubat quietus, ſed cum percuſſores Domini ſui tranſirent, exilivit ſumma cum ferocia & invaſit, identidem ad Pyrrhum ſe flectens, & quaſi ſignificans, illos eſſe: Motus ipſe atque alii, capiunt, examinant, convincunt, plectunt.

Atque hæc & aliæ virtutes caninæ, prædicto literatiſſimo Lipſio, elegans hoc lugubre carmen in laudem & memoriam Saphyri canis ſui demortui, expreſſerunt.

O Luctum & Lacrymas! meus Saphyrus
Illa gemmula vera, non catellus,
Morte eſt præcipiti malaq; functus,
In vaſum miſer incidens ahenum

 Effer-

Efferventis aquæ. miser catelle,
Hæc te post tria lustra mors manebat?
Quis nunc blanditias movente cauda,
Hero ultra faciet? quis obsidebit
Ostii limen, & ingredi parantem
In se gestibus atq; voce vertet?
Quis lusu recreabit? O miselle
Non ultra facies, abisti ad Orci
Nigri limina, sit tibi benignus
Frater Cerberus, ipsa Ditis uxor
Sit fautrix: & aberro? sit patrona,
Illi delitium novum parabis.

Ursus ille Suecius, opulenti cujusdam viri filiam, admodum venustam & nubilem, ab aliarum cœtu vi abstulit, & anterioribus suis pedibus prehensam, captamque, in latibulum suum transportavit. Cum verò mirabilem atque exactam partium corporis structuram perpendisset, nativam exuens feritatem, perditè eam amare decrevit, proque loci conditione, temporis intercapedine, arte quidem non cocta, at cruda & sanguine perfusa carne, & aluit & sustentavit, nec non etiam illicitam Venerem exercuit, & rem cum illa habuit: Et cum nefario hoc & maledicto incesta, gravida facta, & ursus, viri hactenus vicem gerens, à venatoribus fortè captus & transfossus fuisset, humana quidem forma infantem masculum, sed fermè pilosum hirsutumque peperit, quem, patris sui habita ratione, consanguinei ursum vocare jusserunt, qui, crescente cum ætate, bellicosus atque magnanimus, & ipse filium, paternis virtutibus insistentem, reliquit, ex quo deinceps Regis Suenonis pater Ulfon prognatus, & aliæ splendidissimæ in Dania familiæ, ut Historiographus Saxo testatur.

Equus, animal ferox & magnanimum quidem, attamen leges subit atque docile est, unde & inter epulas Sybaritarum equi ad tibiarum numeros saltabant, quod clades illa in Italia satis superque docuit. Et Crotoniatæ, dum adversus eos bellum

lum gererent, tibicines in acie adductos inflare jusserunt, quibus Sybaritarum equi auditis, excussis sessoribus saltare & tripudiare cœperunt, & cladis causa suis Dominis fuerunt.

Notavit Ælianus, Scytharum Regem equam habuisse, omni virtute, quæ ab equo præstari oportet, ornatam, unà cum ejus pullo: Quum igitur Equum alium non reperiret, dignum qui huic equæ admitteretur, ambos in eundem locum coegisse; Veruntamen eos, cæteris quidem in rebus inter se amanter gessisse, non tamen ad coitum pervenisse, quoad per insidias emissarii vestimentis adumbrati fuissent, tum illicitum stuprum admisisse, quod quidem factum ut ambo intellexerunt, tam impium flagitium morte dissolvere conati sunt, sese enim præcipites agentes, mortem sibi conscive-runt. Equi plerique in Dominos sunt, ut eos interemptos læsosque lugeant: Talem amorem Silius Italicus ita decantat:

Agnovit sonipes, arrectis auribus acrem
Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum,
Quem tunc captivo portabat in agmina dorso:
Hinc rapidum glomerans cursum, per lubrica pinguis
Stante cruore soli, & mutilata cadavera cæde
Evolat, ac Domini consistit in ora jacentis:
Inde inclinatus collum submissus & armos,
De more inflexis præbebat scandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.

Simia, externam quoad formam ad humanam fermè accedens, ab aliis visa imitari conatur. Cum una earum, nutricem puerum in pelvi lavare perspexisset, illa absente domum intravit, lecto subtractum integumentis nudavit, & aquam ferventem, lapsu judicii, in miserum infantem infudit atque eum interfecit.

In Prasiis Indicis, simiarum genus esse ferunt humanis sensibus, magnitudine canum Hyrcanorum, natura cicures & moderatas, quæ ad illius loci suburbium proficiscuntur, & quibus Rex quotidiè coctam Oryzam objici curat, illæ verò expletæ,

magna

magna moderatione ad ſylveſtres ſedes redire, & manſuetudine ac humanitate imbutas, nihil obvium lædere dicuntur.

Refert Caſtarenda, In annalibus Luſitanicis, quod mulier ob flagitia in deſertam Inſulam condemnata, à Simia utcunque magna, cohabitando nefandoque amore, duos liberos peperit, & ab Hiſpanis ex India navigantibus, qui hanc in Inſulam aquatum venére, liberatam, inque patriam rurſus deportatam, ad cujus inopinatum diſceſſum iratam ſimiam ambos proles in profundum maris projeciſſe, fœminam verò Liſabonæ à Judicibus pœna mortis dignam pronunciatam, ſed precibus Nuncii Apoſtolici conſervatam fuiſſe.

Robore & aſtutia à Pardali vincuntur ſimiæ, & quas ob fugæ agilitatem aſſequi nequit, capit dolo. Ubi enim ſimiarum multitudo manet, ad terram ſe ſub arbore abjicit, oculis clauſis, ſpiritu & anhelitu compreſſo, ut pro mortua judicetur: Hinc illarum audacior, ad examinandum Pardalis ſtatum, timidè ac pedetentim deſcendit, accedit receditque aliquoties, donec aliæ fiduciâ illectæ accurrant, ſaltent, & de hoſtis diſceſſu triumphent; ſed cum eas ſatis defatigatas intelligit pardalis, ex inopinato exiliens, partem earum unguibus lacerat, partem occidit, & ſibi opimum ex hoſtibus ſuis convivium comparat.

Delphinus, Simonis nomine gaudens, futuræ tempeſtatis prognoſticator, & blanditias & tranquillitatem maris oſtendit, quare à Plutarcho admiratur: Siquidem ille non educatione ſicuti canes & equi, ſed genuino quodam affectu, ſponte humani generis amator exiſtit, plurimisque mortalium, extremo vitæ periculo laborantibus, præſens auxilium tulit.

Appianus, mutuum pueri atque Delphini amorem proponit, & enarrat, quod Puteoli, ejus acclamatione vocatus, ad littus ſtatim acceſſerit, in tergum ſedentem receperit, per marinas undas ad tria millia paſſuum depoſuerit: Quum verò puer morbo ægrotaret & ſuccumberet, Delphinum ſæpius adnataſſe, ſuum amatorem avidè expectaſſe, & eo non apparente, tanto

tanto mœrore percussum esse, ut & ipse ad littus exspiraverit, & ab urbanis in tumulum pueri unà positus fuerit.

Plinius ait, in Jalyso Rhodiorum urbe, Hermiam puerum longa consuetudine à Delphino per fluctus vectari solitum, at subita superveniente procella, obrutum mortuumque, â vectore ad littus deportatum fuisse, &, sibi causam mortis imputans, ob summam animi mœstitiam, rursus undas subire noluisse, sed proposita & constituta sibi pœna, in sicca terra unà cum puero obiisse.

Telemachum, Ulyssis filium, adhucdum puerum, in alto maris littore lusitantem, fortè aquis submersum, Delphinorum beneficio mox receptum, & ad littus expositum, Stesichonus Crithæi testimonio recenset. Et Lacedemonem Phalantem in Crisæo mari naufragium fecisse, cui Delphinus opem tulerit sublatumque dorso in littus incolumem exposuerit, Pausanias memorat: Et Hesiodi Poëtæ, ab incolis in templo Jovis Nemæi per errorem trucidati cadaver, àque percussoribus in mare projectum, à Delphino inter Locridem & Eubæam, expositum in littore fuit.

Arion Lesbius, Poëta Lyricus & Citharœdus cum Tarento Corinthum peteret, ac videret, propter opes, quas secum ferebat, à nautis sibi insidias strui, petiit ab iisdem, ut Cithara paululum canere liceret; ad cujus sonum cum illecti Delphines convenissent, excussit se super unum, atque ita ad littus portatus, imminens periculum effugit.

Selectis his, & fortassis lectu non indignis exemplis, mirificas quorundam animalium proprietates terrestrium serpentium & natantium incredibiles affectus, vires, inclinationes, & divinas propemodum virtutes & notiones hactenus recensuimus, quibus quandoque agrestes plebejos multis parasangis superant, præsertim incultos illos frigidioribus in Zonis degentes, adeò, ut in bestiis talibus rationis radii multò illustriores lucere viderentur: Rudolphus II. Rom. Imperator, beatæ memoriæ, niveam & plumis omnibus candidissimam avem habuit, anati

non dissimilem, rostro prægrandi, quam passim omnes den lachenden Hänsel appellabant, ad edendum risum, (quem soli homini tribuunt Philosophi) & ad mira quævis institutam; verum illa nunquam lætius quàm laudata risit: Quis Gallo dedit intelligentiam, Job. 38. v. 36. Non de lana caprina esse videtur scrutari, cur nam uni ferè animalium datum sit ante lucem canere? Cicero inquit, depulso, & in omne corpus diffuso cibo, Gallum quiete satiatum, hunc cantum edere; Alii, Veneris appetentiam eodem significari, cum ante ejus usum conticescat; Alii, tanquam avem solarem, sole ad nostrum Hemisphærium vergente, ejusdem adventum, summa quadam lætitia, mortalibus indicare; Probabilius Scaliger, singulis animantium speciebus, respectu proprii temperamenti, peculiarem inclinationem convenire, ita Gallo quoque & generi gallinaceo, circa medium noctis solvi sensus, & à proprio Phantasiæ instinctu, & illum cantum, & alarum plausum, à Natura imperari.

Si singula horum omnium nobis essent colligenda, in magnum Volumen excresceret hæc Epistola, nec hisce paucis pagellis posset absolvi, nec insuper humani ingenii esset, penitius in secretiora naturæ, & de iisdem omnibus numeris absolutum tractatum conscribere.

Quare, his missis, tandem in auras evolabimus, ubi canoræ aves cantus dulcedine animos nostros mirè demulcent, ubi insita non modo modulatione omnibus aliis Creaturis palmam præripiunt, sed & edoctæ humanas voces edunt.

Et quantumvis antiquitus creditum fuerit, Melampum, Tiresiam, Thaletem, & insignem Magiæ Cultorem Apollonium, avium sermonem calluisse: Nam Philostratus & Porphyrius narrant, quòd cum Apollonius in cœtu amicorum consedisset, spectans ad passeres, (alii hirundines) in arbore considentes, venisse unum garritu & voce, qui reliquis annunciavit, asinum propè urbem tritico onustum, triticoque humi diffuso, cecidisse, quarum cunctos illum sequutos, evolasse,

Apol-

Apollonium vero relata hujus avis, commensalibus suis explicasse, ad quæ plurimi eorum commoti spectatum ivere, & ita factum mirabundè invenerunt: At cum hæc vel incredibilia, vel præstigiosa sint, minimè tangemus, ut nec Phænicem hieroglyphicam, nec Pelicanum fabulosum, nec plures alios, de quibus parum in natura versati Auctores multa falsa proposuerunt, sed potius veritati insistentes, modo percipiemus, quæ avium humana verba instituto humano loqui addiscant, subsequentibus Historiis non invenustis.

Avium ergò loquacium Psittacus prima, postquam est Pica, inde Turdus, Merula, Sturnus; suntque & Corvi loquaces, & Passeres solitarii. Loqui docentur in tenebris, lucerna accensa, fame & vino; sed eliguntur juvenculæ, & lingua latiore. Hic fames præcipuum est discendi vinculum: Unde Persius:

Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε,
Picasq; docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniiq; largitor
Venter, negatas artifex edi voces.

Tenebræ insuper aves magis reddunt sollicitas, & sensum earum ac memoriam colligunt; quare etiam homines melius in tenebris recordantur, cogitant, atque deliberant: Lucerna verò adhibetur, quia in exquisitis tenebris aves dormiunt timentque, verum ut excutiatur non augeatur somnus, tenui lucerna opus erat.

Hoc & apud nos artificio aucipites & merulas & luscinias informant, easque habiles reddunt, diversa symphoniarum genera canere hominis ad recreationem, & quo carius vendi possint; quod cum obvium ubique sit, testimoniis opus esse vix judicabimus: Hoc etiam artificio, sed multo sudore, sed multis laboribus, latiori lingua præditas alites, humanam sonare vocem discunt; quod etsi rarius contingat, factum tamen revera esse, sequentia exempla docent.

Nobilis quædam fœmina Psittacum ita benè edoctum habuit, ut sibi cuncta ab aliis prædicta atque enarrata, ad amussim recitando reiterare potuerit, unde, animi recreandi gratia, cum garrula hac ave Domina fenestræ domus adstitit, cumque fortè fortuna aliàs maximè familiaris Medicus in ipsa platea præteriret, ab altrice psittacus informatus instigatusque, quasi irridens, Medicum cornutum exclamavit; Integer ille Vir, maculam quidem hanc indignè ferens, per jocum nihilominus respondit, fortean mea Domina, causam ignoras, ob quam garrulus tuus cornutum me vocaverit, &, me judice, nullam aliam subesse reor, quàm quod arbitretur, te meam Conjugem uxoremque esse.

Sequens miraculum ab historiographis, & Cœlio annotatur, quod nempe Patrum nostrorum memoria Cardinalis Romanus Ascanius psittacum ducentis coronatis coêmerit, qui clarè, perspicuè, & sine ullo defectu, à capite ad calcem, doctissimi instar Viri, duodecim articulos fidei recitare potuerit: Cum tanta hæc avis præstiterit, & forma præstantes & virgines & pueros redamarit, & domini è vivis discessum deplorârit, parum abfuit, quin rationis quandam particulam eidem aliqui tribuerint.

Comiti de Flasco psittacus, humanas voces æmulans, in deliciis erat, qui cum aliquando in culina aliquid carnis assæ clam subduxisset, ab inflammata coqua fervente aqua perfusus, cadentes capitis plumas amisit, atque hinc calvus redditus fuit; Cum autem abhinc non longo tempore religiosus Abbas Comitem inviseret, eidemque ob reverentiam, raso nudoque capillitio aliquandiu astaret, ab alite, non sine summa admiratione, sequentibus argutè admodum alloquutus fuit, ha, he, numne & tu de carne assata furatus es? His ad miraculum usque perauditis, facti prius recitata historia, ambo in profundum risum soluti fuerunt.

Sere-

Serenissima Juliana, Ducissa Würtembergico-Weiltingensis, ante paucos annos psittacum aluit, qui articulata voce germanica altricem, Principesque Filios sequentibus verbis allocutus est: Guten Morgen Hertzogin / das Köpfflin kratzen; Guten Morgen Hertzog Friderich Ferdinand. Item, cum fores pulsarentur, alta voce inclamavit: Wer da? De die etiam defuncti Medici aulici ac Physici Zeapolitani nomen sæpius repetiit, dicendo, Doctor Moll / Doctor Moll / & quæ erant similia.

Æstivali tempore, 1546. in Imperiali Ratisbona, ad Coronam auream, tres numero lusciniæ, & quælibet earum obscuro & separato loco recòndita, post mediam ac silentem noctem, & inprimis duæ, loquendi solertia & artificio mirabiles, humana & perceptibili voce se invicem exercuerunt, inprimis insequentes historias proponentes: Continebat prima, cauponis cum sua uxore ventilatam controversiam, num consultum ipsi sit, moderno civili quietoque statu relicto, castra sequi, & mutata domo & vocatione sua, ob spem prædæ, strenuum militem agere? Costæ suæ insimul omnia prospera promittens, si amore conjugali ducta, & ipsa fortunæ aleam experiri quoque velit: Fœmina at recusante, maritoque proponente, quod aut patrio, aut Norico in solo, reditum ipsius quieta potius expectare decreverit; Qua profecto tergiversatione, variæ rixæ concitatæ, cum aliis contentionibus, & duris atque contumeliosis verbis. Altera erat, quid de Cæsaris suscepto bello, cum Principibus ac Rom. Imperii Statibus sit judicandum, arcanis quibusdam consiliis additis, cumque Sereniss. Ducibus Brunsvicensibus actis, à Philomelis hisce, partim ex hospitis ore, partim nobilium, militiæ Ducum, & aliorum Consiliariorum haustis, atque tenaci phantasiæ impressis, suo tempore, tanquam ex recondito thesauro, proferenda. Similes quin etiam, & Drusio, & Britannico, Cæsaribus fuisse, historiarum monumenta testantur.

Nec oblivioni tradendum, quod in arce Neüensteinensi 1652. ipse mi Frater, dum Consiliarium aulicum agebas, & oculatus

culatus & auritus teſtis perceperis, ex Sereniſſ. Birckenfeldenſium familia oriundam Comitiſſam Sophiam Hohenloicam merulam caveæ incluſam habuiſſe, quæ quotidiè ad prandium & cœnam famelica, humana quaſi voce juſculum petierit, clarè proferendo, Sophele Supp eſſen; famulum item & rhedarium Georgium, ſtultum & inſipientem, ac ſi ipſa ſaperet, pronunciaverit, dicendo, Narren-Jörg Narro.

Turdum Saxatilem, Steintröſtel / (Hier. Drexelius) in domo meorum parentum aluerunt, ſanè admirandum, ſi vel mores vel colores aviculæ ſpectes; Dorſum illi cæruleum, inſperſis decuſſatim albis plumulis: Collum ac ventrem inaurabat plumeum amiculum, eleganter mixta nive, in purpuram deſinebat cauda: Atque hæc noſtræ domus pſalteria, non minus hyeme quam æſtate hilares continuabat, mediis ſæpè noctibus audita. Cantilenas iterabat non agreſtes, ſed quas à domeſticis fuit edocta. Solebat germanus meus frater fidium æ-rearum organo frequenter ludere, hic adeſſe ales, manubriis inſidere, attentiſſimè modulos excipere, quandoque ſuos interponere, nonnunquam ſola ſymphoniam pertexere, atque æmulari paullò auditam ſymphoniam, & ea quidem ratione aliquot cantilenas ediſcere. Cum verò domûs familia ad prandium accumberet, illa ſæpius aperta caveola evagandi libertatem accepit; hic ei primus volatus ad patremfamilias fuit, cujus vel humeros, vel etiam digitos cantillans inſedit; Edulia omnis generis comedit; panem, oryzam, olera, rapas, hordeum, carnes ferinas, bubulas, vervecinas, ita & piſces, ipſas aves in minutal conciſas, imò & caſeum eſitavit.

Æſtivo, veſpere nonnunquam medio triclinii in depoſitam cum aqua tepidiuſcula pelvim, veluti in balneum provolavit, ſeque in tepidario liberaliter, modo inſiliens, modò reſiliens, abluit: Finitis thermis, nympheo egreſſa, Soli ſe, diductis, & paſſis alis, expoſuit, donec ſiccaretur. Ita demum ſylveſtrem

veſtrem naturam omnem exuit, ut reſerata cavea, patulis feneſtris & janua, nunquam fugam meditari viſa ſit.

Cum ad Accium Cæſar Auguſtus feliciter pugnaſſet, partoque de hoſtibus triumpho urbem ingrederetur, eundem ſalutatum Romanus Civis obviam ivit, dextræ inſidentem corvum gerens, intelligibili voce clamantem, Salve Victor Cæſar; ſtupore hinc commotus Auguſtus, ſuis in mandatis dedit, ut à poſſeſſore hic Corvus viginti millibus drachmarum emeretur. Idem quoque redux ab alia ave ſalutatus eſt, quam etiam non contemnendo pretio redemit: Promeritæ quin etiam laudes à pſittaco ipſi decantatæ fuerunt, quem numerata pecunia ſuum quoque fecit. Hinc ſutor lucri cupidus, cum Imperatoris beneficentiam perpenderet, & ipſe corvum humanas eloqui voces diſcere cœpit, & talia verba imprimere exoptavit; Ave Cæſar, Victor Imperator. Verum cum ob ingenii Corvini indocibilitatem pœnituerit ſutorem operæ & impenſarum, ſæpiuſculè ſiniſtram ſuam ſortem deplorans, in hæc vel tandem verba erupit: Operam & Oleum perdidi: quæ ultima tenaciter memoriæ Corvus impreſſit, & fari didicit. Paullò inſequente tempore, cum Auguſtus Imperator ſutoris illius ædes prætereundo iter faceret, corvus, doctrinæ memor, dicere cœpit, Ave Cæſar Victor; Reſpondente verò Auguſto, domi ſuæ ſalutantes atque garrulas aves tales ſibi copioſè adeſſe, nec aliis opus habere. At Corvus ultima magiſtri ſui verba revocans, Operam & Oleum perdidi, apertè protulit: Quibus exauditis benignus Cæſar ſubriſit, huncque multò majoris emi mandavit.

Sed quid dicendum de quinque digitali Pica? quæ quercinis glandibus veſcitur, quæ vel centies nativam ſuam in alienam commutat vocem, quæ venatoris quandoque clamorem imitatur, quæ alterius animalis, vel greſſilis vel volatilis vociferationem, quæ paſtoralis buccinæ cantum, quæ & articulatum hominis ſermonem gnaviter reddere addiſcit. Talem Romanus

nus confor, non arte inftructam, fed à natura productam, nutrivit, quæ humanas voces edere, reliquorum animalium concentus proferre, atque omnium inftrumentorum muficalium melodias affabrè exprimere valuit. Cùm itaque fplendidioris quidam fortunæ, & opibus affluens, fuis à fodalibus, honoris ergo, fiftulis & mufico choro comitaretur, & præfentes infuper Nobiles vocali mufica ludere juffi fuiffent, fed his aliquantulum titubantibus tacentibusque avicula hæc perdocilis, cuncta prefsè obfervans, fequenti die primum ex toto obmutefcere cœpit, ut à transeuntibus vel veneno intoxicata, vel hefternis cantibus attonita habita & judicata fuerit, quæ tamen mox anteactæ comœdiæ memor, omnis harmoniæ fuavitatem, unà cum paufis, femitoniis & omnibus artificiofis requifitis muficalibus, ficta voce, cum auditorum admiratione, exactiffimè reddidit.

In Nordmannia, hofpes, mufti venditor, loquacem Picam nactus, quæ, vefpertino tempore, dum herus unà cum uxore, venalem potum deguftaret, in cella fe continuit, cum illi inter fefe de doliolo vacuo pronunciarent, nihil mufti amplius in eodem contineri. Quare altero die, cum emptor quidam muftum peteret, pica eum, heri auditis Domini fui verbis vacuum dimittit, dicendo, muftum deeft, muftum non habemus, hocque modo per totum diem emptores omnes, fine mufto, domum remittit. Mirantibus verò, viro & muliere, quod hac die nihil vendidiffent, & ipfi verba illa dehortatoria picæ mirabundi percipiunt, itaque commoti, mifellam alitem, vel ter vel quater, nubilo & gelido cœlo, aquæ frigidæ immergunt, quæ frigore tremens, ad ignis calorem fe recolligit, & quafi per pennarum exficcationem vires reaffumit, eo ipfo momento verò vitulum frigore etiam concuffum, & modò à matre productum in hunc modum alloquitur: Fortaffis & tu aliis penuriam mufti annunciavifti?

Ita narrant, in Libia fuisse quendam, nomine Psaphonem, qui divinitatis opinionem affectans, quam plurimas aves cepit vocales, & humani sermonis dociles, easque sonare docuit hæc verba: Magnus Deus Psaphon, atque ita doctas emisit in montes; At illæ quæ didicerunt, canebant, ac reliquas item aves sonare docebant. Porrò Libes cum ignorarent commentum, credentes id divinitus accidisse, Psaphoni rem divinam facere instituerunt, ipsumque in Deorum numerum retulerunt. Unde, si quis nova arte famam captat, & subornantur aliqui à quibus laudetur, & ejus encomia apud vulgus celebrentur, Psaphonis aves proverbio dicuntur.

Sturni quoque omnium avium cantus & vocem imitantur, & iis illudere valent, modò aliquandiu cum ipsis vixerint, illorumque cantu informati fuerint; Tractabiles profectò sunt, & doctrinæ capaces, ut admirandum ipsorum ingenium & collaudare, & deprædicare, jure optimo possimus.

Exigit jam ordinis ratio, ut percipiamus, quid in genere vox sit, & quomodo ab humano sermone possit distingui.

Vocem Aristoteles 3. de anim. esse dicit inspirati aëris percussionem factam ad trachæam arteriam & laryngem, cum intentione aliquid significandi. Ad formandam ergò vocem, ut materia requiritur Spiritus & Aër, necessaria etiam sunt, tanquam instrumenta, pulmo, thorax, & larynx, in qua aêr collisus resonet, cum pluribus illius musculis, quibus pro imperio voluntatis variæ voculæ eduntur; non absimili fermè ratione, ut in fistulis & organis musicalibus, delectabilis ille suavisque sonus artificio comparatur.

Hoc modo rugitus Leonum, mugitus boum, hinnitus equorum, ruditus asini, grunnitus porci, & omnium reliquorum animalium voces formantur; Hoc etiam modo homo ipse corporalis ex pectoris penetralibus cordisque gremio, intento spiritu, ratione & judicio sermonem emittit, quod dene-

denegatum esse, reliquis videtur: Intelligentiæ verò Angelorum sermone, sine ullo strepitu, sine ullo externo sono colloquuntur invicem, & quod sensibili homo perficit voce, ipsi imprimendo sermonis conceptum, multò felicius animi sui desideria communicant. Sic Socratem volunt, ætherei sui corporis sensu, familiarem dæmonem percepisse: & Prophetas audire & videre angelos solitos: Et D. Paulum in tertium cœlum raptum, & hac extasi Paradisum cœlestem cum mirabilibus ejus intuitum fuisse.

At à Sapientibus valdè dubitatur, utrum hominibus nobis certum linguarum idioma connatum sit, cùm à nativitate surdus necessariò mutus permaneat, etiamsi nullo planè instrumentorum ad edendam vocem vitio laboret: Aristotelis quare authoritate ducti, humanam animam vacuæ rasæque tabulæ similem judicant, cui, doctrina & assiduo exercitio, varia inscribi, atque ita scientiarum inibi sopitæ scintillulæ excitari possint.

Comprobare hanc assertionem conantur, Ægyptiorum Phrygumque dissidio, quorum utrinque populi suam linguam vetustiorem pronunciarunt, & Regis Psammetichi tempore, ab ipsis maternis uberibus duos infantes consortio humano excluserunt, & ad pecorum greges in desertum locum deportarunt, planè cavendo, ne ullam hominum loquelam perciperent, quam docti imitarentur: Hi cùm versarentur inter jumenta, præter brutorum balatus nihil exaudientes, recurrentibus aliquot annis, hominibusque visis, rigido admodum sylvestrique clamore, solummodo hæc verba protulerunt, Bec, Bec, unde Psammeticus, sed parum firmo argumento, Phrygum loquelam antiquiorem arbitrabatur, cùm apud illos panem indigitent: Nam & Maggior Indiæ Rex, triginta infantulos cuidam pastori custodiendos & alendos commisit, idque in deserto loco, ubi nullius voculæ audiendi potestas, ut qualem sponte sua sermonem prolaturi essent, experi-

experiretur; ſed cùm adoleviſſent, elingues & muti ſunt reperti, idque non eâ ratione, quaſi loquendi potentiâ loquaces non fuiſſent, ſed quia & uſu & exercitatione, & inſtitutione, latentem hanc & connatam potentiam non excitaverunt.

Multa quidem ſolerter à beſtiis fieri ſolent, ut quaſi veſtigia quædam humani ingenii oſtendant, & prudentiæ imaginem mentiri videantur, quas tamen actiones ad inſtinctus naturales referimus, (non verò ad electionem cum ratione) cùm aliàs non ſemper eodem modo ita operarentur. Nam ſi diſcurſu prædita animalia eſſent, axiomata univerſalia noſſent, ſine quibus nemo nec affirmativè nec negativè diſcurrit, nec libero arbitrio utitur: imò etſi valerent, hominum inſtar peccare poſſent, & actiones virtuoſæ, juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, liberalitatis, obſequii, cum reliquis, denegandæ illis minimè forent, nec ſolummodo toties illa prædicta verba, ea propemodum ſerie, quâ à magiſtro inculcata ſunt, ad amuſſim recitarent, ſed potius indifferenter de omnibus ſapienter pronunciarent, quod nuſpiam hactenus factum eſſe memini, niſi vel divini numinis juſſu & adminiculo, vel maligni ſpiritus, tanquam ſimiæ altiſſimi, ad mundanorum animos dementandos, præſtigio.

Homo verò incultus & agreſtis, politica atque civili cohabitatione minimè exercitatus, nec liberalium ſcientiarum inſtitutione emollitus, quantumvis comparatè ad alios magis cultos & doctos loquendo, ad beluarum naturam accedere dicatur, nullo tamen modo ita bardus & inſipiens eſt, quin, ſano in ſtatu, nec articulata, quomodocunque etiam horrida illa fuerit, voce utatur, & per eam mentis animique ſenſa explicet, nec ut ratione & electione prorſus careat, quantumvis aliquando, ob infelicitatem ingenii, apparens, pro vero & expetendo bono, ſiniſtrè eligat, atque ita, propter errata & facinora ſua, pœnas dare cogatur, quod nullo modo juſtum eſ-

ſet, niſi, meliora eligendo, non innocua via ingredi potuiſſet. Nec inſuper juſtiſſimæ leges, ad ſalutem & tranquillitatem hominum inventæ, ſancitæ atque inſtitutæ, delinquentem condemnare, nec ipſe univerſalis Judex, vi mandatorum ſuorum, in extremo judicio, damnationi æternæ adjudicare valeret.

Deus quapropter univerſitatem hanc quando creavit, eadem virtute, qua fecit omnia, ſingulis facultatem propriam conceſſit, qua, & per ſe, & per accidens pervenire poſſent ad fines rerum univerſitati debitos & congruentes: Et hæc Divina providentia, & magna ſapientia, qua hoc totum ordinavit, magis admiranda, non verò præpoſterè corrigenda venit; Cui ſit Laus, Honor, & Gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.



EPISTOLA

EPISTOLA IV.

JOH. CHRISTOPH. STURMII,
Mathem. & Phys. P. P.

Ad

JOH. GEORGIUM VOLCKAMERUM, M. D.

Quinta & ultima Borelli Indago, machinulæ Sturmianæ experimentis ocularibus illustrandæ.


ANNO M DC LXXXVII.


NOBILISSIME, EXCELLENTISSIME, ATQUE EXPERIENTISSIME VIR
FAUTOR OBSERVANDE!


QUò ſatisfacere deſideriis Tuis, ad Scientiarum augmenta indies majora unicè collineantibus, voluiſſe ſaltem videar, quintam nunc etiam, eamque ultimam indaginem virtutis motivæ muſculorum, quâ BORELLUS noſter Part. 1. de Motu Animalium Capp. XVI. & XVII. octodecim integra folia complevit, enucleare, & contractam in arctum experimentis ocularibus ita colluſtrare conſtitui; ut ii quoque, quibus alioqui ſubtilitas illa mechanica & Geometrica, quam Vir ingenioſiſſimus in ſuis demonſtrationibus ſectatur, eſſe tædio poſſet, ejus cognoſcere mentem & aſſertorum Veritatem percipere queant. Poſteaquam igitur indagine quadruplici demonſtrâſſet, ingentes Vires adhiberi à Natura in articulis & artubus animalium, adverſus vim certi cujusdam ponderis eos depreſſuri dirigendis, & in æquilibrio ſive ſitu horizontali detinendis; nec dum tamen finem eſſe contendit laborum & conatuum propoſitam attingendi metam: Siquidem ipſi ſatis haut erat, nec obeundis functionibus animalibus ſufficiens, ita rigida quaſi ſervare membra, & metuendæ aliàs depreſſioni reſiſtere, niſi & elevare eadem unà cum appenſis ponderibus ac loco movere poſſent, idque promptè & expeditè. Hæc igitur


Quinta & ultima BORELLI Indago, machinulæ noſtræ experimentis ocularibus illuſtranda


ut breviter ſimul ac dilucidè proponatur; Sciendum eſt, BORELLUM 1. quamlibet fibram muſcularem ſimilem concipere catenulæ



Fig: I.
A
a
b
B


Fig: II.
A
a
b
B


Fi – gu – ra III.


Fig: IV.
d
d
l
n
c
m
e
g
i
k
h
f


d
d
l
n
o
m
e
g
i
k
h
f


Fig: V.
d
d
g
H
G
h
e
C
B

catenulæ cuidam ex pluribus annulis dilatando abbreviandis (quales ſunt e.g. in Fig.I. AB contrahenda & *a b* contracta;) vel potiùs (cùm molles ſint & flexiles ubiq; fibræ carneæ) ex rhombulis filamentorum colligatorum diſtrahibilibus, ſuique diſtractione catenulam neceſſariò abbreviantibus, (quales eſſent in Fig. II. AB catenula abbrevianda, *a b* diſtractis rhombulis jam abbreviata;) quæ res captu adhuc facilior evadet, ſi loco annulorum vel rhombulorum veſiculas concipiamus inſufflando abbreviandas. 2. Has machinulas ſive veſiculas fibrarum muſcularium adeò exiguæ eſſe longitudinis, quæ vix exæquet vigeſimam unius digiti partem; id quod equidem (quicquid ſit de ratione ab ipſo data Prop. 115.) concedendum omninò putaverim utraq; manu, quoniam fibræ muſculares, quovis capillo muliebri ſubtiliores, ſi vel quinquaginta ſibi juxta ponerentur, nondum eſſent exæquaturæ digiti unius latitudinem, ideoque, ſi longitudo veſicularum intra parvulam illam fibræ craſſitiem abſconditarum hac notabiliter major eſſet, ſenſibilis etiam in fibra contracta inæquabilitas foret conſpicua, qualis tamen haut obſervatur. 3. Texturam igitur muſculi ſimilem eſſe faſciculo quaſi reticulari, ex pluribus fibris, h. e. ejusmodi catenulis rhomboidalibus ſive veſicularibus compoſito; qualem repræſentat Fig. III.

His ita præmiſſis, deducta jam antè longâ ſerie Lemmáta mechanica plurima BORELLUS deinceps applicat muſculorum fabricæ, ultimasque Concluſiones de nova, eâque ingenti acceſſione virium, quas neceſſum habeat adhibere movendis artubus Natura, depromit. Easdem nos ut ocularium quorundam experimentorum ope inferremus, ita rem ſumus aggreſſi. I. Ex concurſu conniventium machinulæ noſtræ brachiorum *d d* (vid. Fig. IV.) ſuſpendimus filum geminatum nodoq; gemino in *e* & *f*, intervallis *e d* & *e f* æqualibus, colligatum, & infernè ponduſculo *r* octo unciarum vulgarium onuſtum; in medio verò dictorum intervallorum alligavimus geminatis filis *d e* & *e f* gemina transverſa *i g*, *k h* & *n l*, *o m* ſupra rotulas *g* & *h*, *l* & *m* demiſſa

demissâ & ½ drachmæ ponduſculo onerata ſingula : Ubi obſervare licuit, ab his tantillis ponduſculis ſenſibiliter tamen diſtracta in rhombulos longiuſculos (prout in Fig. videre eſt) fila geminata; uti quidem ratio etiam poſtulat, cùm vis, quantumvis puſilla, non tamen ſit penitus nulla, ſed ad pondus etiam valdè magnum aliquam tamen adhuc ſervet proportionem, eique adeò, pro hac ipsâ proportione, aliquantum renitatur: II. Mox alii filo quadruplicato ſupernè ad *d* fixo (vid. Fig. V.) & infrà eodem pondere *r* octo unciarum onuſto accommodavimus quatuor fila transverſa, & poſteaquam binis prioribus *i g* & *k h* ſuper rotulas *g* & *h*, ut antè, protractis appendiſſemus totidem uncias integras, rhombum filarem *d i e k* multò magis diductum, quàm in caſu priore, conſpiciebamus; ita ponderum proportione rurſum poſtulante. Cùm verò porrò bina reliqua (punctulis hîc diſtinctionis ergo deſignata) totidem transverſis aliis I G & K H, ſuper alias duas rotulas G & H columellis erectis B G & C H inſertas decuſſatim protractis, & integrarum itidem unciarum pondere onuſtis, pariter diſtraheremus; hæc non ſolùm ipſa diducebantur ampliùs rhombum d I e K notabiliter laxiorem efficientia, ſed etiam priori *d i e k* ſeſe magis ampliandi occaſionem offerebant; quòd ejus duæ unciæ, quæ priùs totum pondus *r* in æquilibrio ſervaverant, nunc (parte hujus oneris in binas alteras uncias translatâ) non niſi dimidiam ſuis viribus adverſam ſentirent. Quo experimento hæc duo nobis conſtare ſatis evidenter poterant : *Primò* mirum haut eſſe, quòd levis oris flatus veſicæ cuidam aliquo conatu immiſſus eam dilatando magnum pondus 30, 50, 70 librarum & ampliùs, pro diverſo pulmonum robore, valeat elevare; quia, cùm veſica concipi optimè poſſit ex filamentis nerveis innumerabilibus infernè ac ſupernè colligatis, ſive ex innumeris ejusmodi rhombulis filaribus conſtare, ſinguli rhombuli (ſi ſoli eſſent) vix ſenſibiliter diſtrahendi , nunc ab innumeris aliis eodem flatu diſtractis adjuti , vim ſeſe laxandi maximam acquirunt (pondere quippe in ſe ingenti in particulas innumeras ac penè in-

in ſenſibiles diſtributo,) & conſequenter pondus appenſum junctis viribus attollunt: Unde nec illud ampliùs mirandum, quòd veſiculis muſcularibus minutiſſimis, ab halitu tenuiſſimo quocunque modo dilatatis, notabilem aliquam adducendis aut ſuſtinendis ſaltem articulis ineſſe ſupponamus; quòdque adeò *Secundò* magnus talium veſicularum numerus (muſculus enim quilibet in articulum movendum aut in tendinem communem quamplurimis fibris terminatur) unitis viribus in grandem tandem efficaciam excreſcat.

III. Reſumpto verò priore filo duobus locis colligato, (vid. Fig. IV. & VI.) cùm rhombulum inferiorem mediantibus duabus unciis (loco duarum ſemidrachmarum) notabiliter diſtraxiſſemus, deinceps autem & rhombulo ſuperiori ſuas uncias duas eodem modo applicuiſſemus; neque hîc poſterior priore, nèc ipſe prior ampliùs vel hilum eſt diductus (uti quidem in caſu Num. II. factum erat,) ſed prior ſolùm unà cum annexo ſuo pondere *r* aliquantò altiùs elevatus eſt: quæ quidem omnia ita fieri debuiſſe manifeſtâ quoque ratione conſtat. Cùm enim in rhombulo primo duæ unciæ *g* & *h* fila *e f* diſtrahendo nodum *e* non minus deorſum quàm *f* ſurſum adducant, totus rhombus ita diductus *e i f k* unà cum toto pondere *r* etiamnum ex *e* quoque ſuſpenſus manet, æquè ac ante diſtractionem rhombuli primi (nam quantam partem ex hoc pondere duæ unciæ *g* & *h* in ſe recipiunt, tantam iterum nodum *e* deorſum trahendo ſuperaddunt) atque ita duæ unciæ *l* & *m* ſecundum rhombulum poſtea diſtrahentes totum etiam pondus ſuſpendunt, nec juvantur ullo modo ab inferioribus, nec ipſas juvant; prout evidentiùs adhuc apparet, ubi remotis inferioribus unciis *g* & *h*, à ſuperioribus *l* & *m* ſolis, æquè ac priùs, pondus *r* ſuſpenſum cernitur, ne hilum quidem contracto rhombulo ſuperiore. Quo experimento duo iterum edocti ſumus: *Primò* fibrarum muſcularium imas veſiculas, articulum vel tendinem immediatè attingentes, ſive (ut cum BORELLO loquamur) primum iſtarum machinularum ſtratum,

omnes illas vires præſtare in dirigendo quovis articulo cum appenſo pondere, quas per præcedentes quatuor indagines inveſtigavimus, reliqua verò ſecundorum, tertiorum &c. rhombulorum ſtrata primi illius vires nihil augere, ſed ad elevationem tantùm vel adductionem augendam, eodem labore in ſingulis iterato, facere; ita ut *Secundò*, quò craſſior eſt muſculus aliquis, h. e. quo pluribus fibris articulum aut communem tendinem attingit, eò robuſtior ſit & majori ponderi æquilibrando aptior; quò longior autem fuerit, h. e. quò pluribus rhombulis aut veſiculis in unaquaque fibrarum inſtructus, eò altiùs elevet ac longiùs adducat articulum ab imo veſicularum ſtrato jam æquilibratum, labore hujus adductionis toties iterato, quot ſunt veſiculæ in fibra una, aut veſicularum ſtrata in univerſis.

Quibus ita jactis ope machinulæ noſtræ fundamentis ſequentes cum BORELLO ſuperſtruere concluſiones haut erit difficile: 1. Cùm in quarta indagine oſtenſum fuerit, duas portiones muſculares primum ac tertium digitorum articulum dirigentes, & appenſo ponderi 9½ ℔. æquilibrantes, exercere vim æqualem 176 libris, ſi jam non ſuſpendendum ſolùm & in æquilibrio ſervandum pondus illud (id quod præſtant infimæ fibrarum veſiculæ) ſed elevandum porrò fuerit cum adducto ſive flexo articulo (id quod præſtant reliqua veſicularum ſuccedentium ſtrata, eodem labore ſingula idem pondus aliquousque adducentia, donec ex plurimis ejusmodi parvulis adductionibus grandior aliqua elevatio exſurgat ad animales motûs ſufficiens;) ex fibrarum longitudine veſicularum multitudo, & ſic virium adhibendarum multiplicatio, ita computatur ad mentem BORELLI: Fibræ dictarum portionum muſcularium longiores ſunt duobus digitis, & in digitali fibrarum longitudine continentur plusquam viginti, adeoque in tota quavis fibra minimùm quadraginta, machinulæ ſive veſiculæ, juxta ea quæ ſub initium monuimus; quarum quælibet tantundem virium adhibet, quantum infima,

vi

vi modò dictorum: Ergò, cùm infimum veſicularum ſtratum exerceat vires 176 librarum, omnia quadraginta ſtrata ſimul exercebunt quadragies majores, nimirum 7040 librarum. 2. Similiter vis motiva muſculi flexoris articulorum ſecundorum in digitis pondus ſuſtinentibus, quæ reperta fuit in quarta indagine 157 ℔. in elevandis iis quadragies major exercebitur h. e. 6280 ℔; quia fibrarum longitudo etiam hîc excedit duos digitos. Sic 3. Deltoidis muſculi vis, quæ in caſu dirigendi totius brachii $9\frac{1}{2}$ libris ab ejus extremitate pendentibus onuſti, æquivalere reperta eſt 907 libris, jam in elevando toto brachio onuſto, propter ſimilem fibrarum longitudinem, quadragies multiplicatur, 36, 280 adeò libras adæquans; ejusdem Deltoidis integra virtus autem (quam adhibere poteſt in caſu ponderis 55 ℔. ex humeri extremitate ſuſpenſi, vid. Fig. VIII. Ep. III.) deprehenſa in quarta indagine æquivalere libris 1790, nunc propter multitudinem plusquam 40 veſicularum in ſingulis fibris, erit ſaltem quadragies major æſtimanda, h. e 71, 600 librarum.

Stupendæ ſunt, VIR OBSERVANDE, Vires hæ in unico corporis animalis membro elevando adhibitæ à potentiſſimo ējus opifice! Quod ſi calculo ſimili cæterorum muſculorum ferè innumerorum vires (præſertim in animalibus robuſtioribus) ſubducere tentemus, omnesque in unam ſummam colligere, incredibile eſt quàm immenſam virium motivarum copiam unius animalis corpuſculo divinitus inditam, ſimus deprehenſuri! Et, ſi pergamus attoniti animalium innumerabilem multitudinem tantiſper æſtimare, immenſa virtus, quam ſolum microcoſmum animalem (puncti hujus elementaris exiguam particulam) inhabitare calculus omnem rationis humanæ captum exſuperaturus evincet, Creatoris Omnipotentiam, quaſi palpandam manibus, nobis objiciet. Quo pacto verò ex hac ipſa virium (quas abunde habet Omnipotens) quaſi prodigalitate quadam, hominem conſuetudini, (qui parcere & potentiarum mechanicarum auxilio ſua opera,

ſed tardè ſatis, perficere ſtudent) penitus adverſa, Summa Ejusdem conditoris Sapientia inſimul eluceat, ſub Ep. II. finem & circa IIItiæ medium aliquo modo jam indicatum eſt, imposterum alibi, ſi noſtras etiam vires nobis porrò clementiſſimè conſervaverit, diſtinctiùs exponendum. Interea Vale VIR ÆSTUMATISSIME, lætusque vide cum Tuis Charitatibus anni jam agonizantis finem, lætiorque multò mox inchoandi principium, lætiſſimus ejusdem ac ſimilium plurium decurſum omni bonorum genere undique adfluentiſſimum. Dabam 27. Decembris 1686.

Nobiliſſimæ Excellentiæ Tuæ

jugiter Obſervantiſſimus

Joh. Chriſtoph. Sturmius, P.P.

EXER-

EXERCITATIO ANATOMICA, TIGURI
In Capite Vitulino peracta in ædibus D. JOH. MURALTI, 20. Sept. 1686.
à
JOH. GEORGIO VOLCKAMERO, Fil. Doct. Med. Norimb. Ord. Curiosorum Helianth. II.

IN capitis vitulini diſſectione, oportet primò conſiderare externa, videlicet muſculos, dein oculum, naſum, aurem, os, cum maxillis; & interna, nempe cerebrum. Occurrunt primò frontis utrinque unus muſculus, à membrana carnoſa ad muſculos temporales enati, qui obliqui deorſum ad ſupercilia devolvuntur, fibris rectis donantur, inque frontis medio coëunt. Muſculi duo palpebrarum clauſores hinc ſequuntur, de quibus poſtea ſpecialiùs loquar, ut & de eo qui palpebras aperit. Nunc ad muſculos narium, qui alas utroque in latere attollunt & diducunt; Dilatantium muſculi duo ab oſſe malarum juxta labiorum muſculum tertium, & à canale oſſeo, utrinque unus exorti, partim in pinnam exteriorem, partim in labii ſuperioris partem inſeritur: Hi in olfactu alas ſurſum trahunt & aperiunt. His opponuntur intra alam muſculi duo carnoſi transverſim delati, angulis alarum inſerti: Communes genis labiiſque muſculi dicuntur. Quadratus uterque, & Buccinator: Quadratus ſub colli cute latitat, amplus eſt, circa claviculas & poſteriorem colli partem exortus, fibris obliquis in Mentum, Labia, & Naſum, aliquando, & ad aurium radicem, eas movendo, inſeritur: Buccinator alio nomine dicitur rotundus, & buccas efformat, originem habet in ſummis ſuperioris maxillæ gingivis, tunicâ communi oris ſuccinctus eſt, deſinit in maxillæ inferioris gingivas, & collectis fibris buccas introrſum compellit. Porrò labia moventur non ſaltem mu-

ſculis de quibus jam dictum communibus, ſed etiam propriis quinque paribus juxta Veslingium.

I. Par ſupernè labium attollit. II. Par tenue & latum quod in labium ſubjectum demiſſum illud ſurſum commovet. III. Par carnoſum eſt, & teres quod ad latera ſurſum verſus abducit. IV. Par deorſum verſus abducit labia juxta latera maxillæ inferioris. V. Par oritur circa menti medium, & labrum inferius deprimit. His carneam illam ac indigeſtam molem, quæ utrumque labium efformat addere oportet. Sequuntur nunc muſculi maxillæ inferioris, quæ voluntariè ſurſum, deorſum, mordendi, ſecandique causâ, & ad latera molendi gratiâ, muſculis utrinque quinque movetur. Primus in ſectione obvius Temporalis dicitur, & temporum cavitatem implet, dicitur aliàs Crotaphires, maxillam quoque attollit. 2. par Diagaſtricum ſive biventre dictum, prope mammiformem proceſſum originem nanciſcitur, ad menti partem anteriorem mediamque interiùs deſinit, & maxillam deorſum trahit 3. par Laterale appellatum, & Maſſeterium à maxilla ſuperiore atque oſſe jugali productum, maxillæ inferiori latè validèque connectitur. 4. Par pterygoides ſive alare internum eſt, ſic nuncupatum, quoniam ab interna ſede proceſſuum aliformium demittitur, lato robuſtoque tendine in partem interni lateris maxillæ inferioris defertur. 5. Par Alare externum præbet, hoc gemino ſæpè corpore carnoſo ab externo proceſſuum aliformium latere prodit, & in latus pariter internum inferioris maxillæ defigitur, quâ parte ad latiorem ejus proceſſum cervicula porrigitur.

Ut Sectio Oculi artificioſa peragatur, ex orbita eruendus eſt, absque læſione (vel nervorum, vel muſculorum, vel palpebræ) manifeſtâ: Optimum proinde erit diſſectionem Cerebri præmittere, nervos tum oculum moventes, tum magnum opticum, prope exortum abſcindere, orbitum frangere, & muſculos ac pericranium ab oſſe liberare, ſicque anatomiæ integrum oculum ſiſtere par erit. Luſtrandæ hinc ſunt primùm palpebræ, quibus intertexuntur muſculi duo, palpebrarum

clausores dicti, qui semicirculari ductu ab angulis oculorum internis ad externos protensi, palpebras claudunt, hos musculos vid. apud *Vesling. p. 244.* Fig. I. *aa.* Cartilagineus circulus in extremitate palpebræ, Tharsus dictus, cui infixi sunt pili Cilia dicti (ubi notandum sæpius sub naturali pilorum ordine plures nasci, atque introrsum converti, quò fit ut sphæra oculi compungatur, quod nunc tumentibus, nunc laxatis immodice palpebris evenisse compertum est.) 3. Palpebræ apertæ efformant Angulos duos: quorum alter ad tempora minor, externus Canthus; alter ad nares major & internus Canthus dicitur: ad majorem sita est caruncula spongiosa lachrymalis dicta, quæ operit foramen in osse narium per quod oculi excrementa in nasum destillant, hæc caruncula apice nigricante pilisque, aliquot spectabilis è medio punctorum protuberabat, suprà quam exsurgebat membrana nictatoria; adsunt præterea duo puncta lachrymalia ad carunculæ latera, quæ in communem ductum coëunt, quod seta immissâ videri potui, transit hic ductus per secundum ossis cuneiformis foramen. Minori Cantho intra oculi orbitam glandula adjacet quæ semota pinguedine in conspectum se dabit. Suprà carunculam lachrymalem exsurgit nictatoria, margine nigro conspicua. In superiore palpebra puncta lachrymalia paulò infra cilia internè, mox dena mox septena reperiuntur ad glandulam conglomeratam externo cantho oppositam pergentia: hæc glandula sub osse zygomatis immediatè latitat, & adhuc intra duram membranam sepulta jacet, propter ejus usum eximium, ne videlicet detrimenti quid capiat, aut cartilago trochlea dicta musculi obliqui superioris læderetur; inseruntur autem ductus lymphatici inter glandularum oblongarum interstitia usq; ad meditullium: nervi complures cum arteriis ad hanc glandulam serpunt, ut nimirum lymphalem materiam spirituosam sufficienter eædem afferant.

Separatâ palpebrâ in considerationem venit ipse oculus, vasis, pinguedine, musculis, membranis & humoribus instructus.

Adeps

Adeps copiosus inter inania musculorum & nervorum spatia reperitur, qui suspensâ operâ eruendus est, parcendo musculis, ne sub adipe delitescentes insimul auferantur aut ejus nervi motorii lædantur: ablatô adipe conspiciuntur in oculo humano musculi sex, hîc verò septem; qui intra calvariæ cavitatem nervum opticum comitantur, qui sunt vel Recti quatuor, vel Obliqui duo: antequam musculi separentur, considerandа est pars oculi musculorum tendinibus operta, qui tendines junctim membranam oculi innominatam efformant, de qua in seqq.

Primus ex musculis rectis separandus est Attollens sive superbus, qui oculum attollit, cui prope principium, sicut & aliquibus reliquis musculis ramuli à nervo motorio (qui prope opticum paulò intimius originem consequitur, initio unitus moxque separatus, per foramen secundum ossis cuneiformis ad oculos fertur, & palpebræ superioris, oculique levatori musculo cum ejusdem adductori, & obliquo minori suis ramusculis prospicit) inseruntur, qui musculis sensum cum spiritu conferunt. Deinde huic oppositus separandus, qui dicitur musculus rectus oculum deprimens. Dicitur etiam humilis. Subsequitur musculus rectus oculum Adducens ad angulum internum, & vocatur Bibitorius.

Huic oppositus est Musculus oculum rectà Abducens ad angulum palpebræ externum, qui suum motum accipit à nervo qui à Veslingio motorio nervo sociatur, quem propaginem minorem quinti paris appellant, qui à media cerebri basi profectus ad dictum musculum contendit.

His in separatione Musculus Obliquus superior, seu Amatorius major, & Trochlearis dictus, qui commune cum bibitorio principium sortitur, juxta internum oculi angulum cartilaginem trochleam ingreditur. Nervulus pari tertio additus, qui à basi cerebri juxta prominentias quæ testes appellantur ortus, orbitamque oculi ingressus, ad trochlearem musculum fertur *Vesling. p. 22.*

Tandem

Tandem obliquus inferior, ſ. minor, verſus externum palpebræ angulum oblique ſurſum aſcendit, & brevi tendine ad Iridem propagatur.

Septimus hinc ſequitur, qui in oculi duram tunicam inſeritur, & in plures partes ſeparari poteſt, quo prona bruta terram ſpectant & oculus attrahitur.

His ritè adminiſtratis, removendi ſunt cautè muſculi obliqui, ut exactè appareat membrana communis innominata, dicta, de qua ſuperius mentio facta: in medio hujus membranæ iris cum Pupilla per corneam tunicam transparet.

Adnatam tunicam (quæ ipſum pericranium eſt ad oculi album protenſum) poſtmodum obſervabis, tenuem & albam, cujus interventu oculus orbitæ & interioribus oſſibus adhæret. Hæ duæ dictæ membranæ ſunt communes. Propriæ ſicut ordine Anatomico viſui ſubſunt, ſequentur:

Membrana Sclerotes, ſeu dura, ob craſſitiem appellata, totum reliquum oculum ambit & nervi optici veluti expanſio eſt: quæ parte anteriore pellucida eſt, & membrana cornea dicitur, quæ rotunda eſt, & introrſum nonnihil protuberat.

Secunda propria oculi membrana in conſpectum prodibit, quando corneam totaliter in tres æquales partes diviſeris, incipiendo à nervo optico, vocatur autem ea Uvea, parte ſcilicet anteriore, quâ parte ligamentum ciliare viſitur, & uvea membrana perforata eſt atque pupillam efformat: Secundæ hujus membranæ pars poſterior Sclirotidi annexæ & nigricans Choroides tunica dicitur, quia vaſa per eam ſparguntur; dum diſſecaveris ſclirοticam à parte anteriore, effluet humor aqueus vitreo circum fuſus, maximè fluidus, in quo ſæpiſſimè ſuffuſiones fieri ſolent. Subſequitur tertia oculi membrana Retiformis dicta, quæ protenditur ab ipſo nervi optici centro, & ſupra vitreum humorem expanſa ad ligamentum usque ciliare porrigitur.

Quarta membrana cryſtallina appellatur, & ob tenuitatem quoque aranea dicitur, ceparum pelliculis ſimillima eſt & humorem cryſtallinum complectitur.

Quinta denique vitrea tunica appellatur, & humorem vitreum includit, eumque à cryſtallino ſeparat.

Jam humores oculorum tres habitu differentes obſervantur. Aqueus, qui, ut dixi, ob tenuitatem inter diſſectionem diffluit, paucus admodum vitreo circumfuſus remanet, ſpatium inter corneam & cryſtallinum humorem replet diſtenditque ne corrugata corneâ viſus depravetur, ſplendorem confertim irruentem tanquam medium refringit.

Cryſtallinus qui glacialem gemmam æmulatur, in oculi centro poſitus, & in ſinu vitrei humoris reclinatus, modicè durus anterius, poſterius rotundus.

Vitreus ultimum locum tenet, quo Spiritum viſivum ne ſubito diſſipetur contineat, aqueo minus fluidus eſt, in hujus medio cryſtallinus reclinat, reliquis duobus humoribus copioſior eſt.

Naſus in vitulo longus eſt, qui internos & externos muſculos alares fibroſis tendinibus pluribus ad nares externas tendentes recipit, intra eum conſpiciuntur oſſa ſpongioſa, muco plena, tubulata, oblonga membrana pituitaria Schneideri inveſtita, in quam olfactorii nervi protenduntur: hæc valdè ſenſibilis eſt, & rei odoriferæ effluvia recipit, nam materia olfactus ſunt effluvia ſpirituoſa partium ſulphurearum, ut & partes volatiles. In parte naſi exteriore ſub cute comparuit nervus maxillæ ſuperioris os perforans, in muſculos naſi alares terminatus ſecundum longitudinem. Ab oculi cantho majore ad narem dextram inciſo & exempto oſſe, notavimus ſinum longitudinalem huic oſſi inſculptum, cui molliter recumbendo ſ. pro culcitro inſerviebat in parte ſuperiore bifidus ductus naſalis, in infimâ verò extremitate amplo foramine in narem tendens, quô loco communis eſt fovea ad foramina narium interna, palatumque.

Aurium

Aurium ſtructuram mirandam invenimus: Dividitur in partem externam & internam. Externa auricula dicitur, homini ferè ſemper immota, plerisque ut huic vitulo mobilis, ideò muſculi hominibus tenuiſſimi, brutis verò magni & craſſi, ut aures ſurſum deorſumque moveant: Conſtat è parte ſuperiore, ſeu cartilagine ſemicirculari, & inferiore ſeu lobo. Vaſa jugularia participat externa auris, & duos nervos à ſecundo pari medullæ cervicalis, ut & ſurculum à quinti paris juxta Veslingium ramo duriore, qui per foramen eorum egreditur. Quæ in aure exteriore videntur protuberantiæ à figura denominantur Helix, Anthelix, Tragus, Antitragus. Cavitates auribus tres ſunt: 1. eſt veſtibulum meatûs auditorii, 2. concha nuncupatur, 3. canalis in palatum productus. Veſtibulum aliàs dicitur, alveare, à collecto cerumine, quod glandulæ exſudant.

In oſſe petroſo eſt Tympanum circulo oſſeo affixum, in cavitate ſecunda à qua tortuoſus meatus in palati poſteriora amplo foramine patet, reperiuntur quatuor oſſicula de quibus in oſteologia.

In cavitatibus his abſtruſis ab ipſo ortu aër continetur, internum auditûs medium, in quo refractus aër, motum ſuum figit. Acuſticus nervus ſuſcipitur intra foramen proceſſus interioris oſſis temporum: ab initio bifurcatur, ejusque portio una poſtquam auris receſſus peragravit finitur intra cochleam ubi à ſono afficitur.

In ore juxta palatum, anterius conſpiciuntur ad extremitatem literæ Pythagoricæ Y. utrinque duo ductus palatini tendentes ad oſſa narium ſpongioſa, palatum internum & in ipſum ductum naſalem. In parte externa prope papillam ductus ſalivales ſunt ſuperiores; in maxilla inferiore prope dentes anteriores ſub foliacea papilla ductus ſalivales quatuor inferiores invenimus, ſeu illum dictum Stenonianum, hunc verò *Warthonianum.* Quod attinet ad ductus ſuperioris originem eam ſortitur à parotide conglomerata multis radicibus in unum al-

veum confluentibus, hinc ſimplex ferè quandoque geminus ſub cute ad buccas tendens muſculum buccinatorem perforans, ad dentium molarium anteriorem regionem utrinque in oris cavitatem hiat. In hunc ductum liquor ſiphone injectus cœruleus ad glandulam facilè tendit, ipſius meatus & conglomerationes pulchrè aſpectui exhibet; cùm verò varii nervei funiculi, huic vaſi comites ſe præſtent, per diviſas tunicas, in vaſis cavitatem difficillimè intruditur ſtylus, dum is inter nerveos funiculos hærens, ab ulteriore progreſſu impediatur: terminus itaque ductûs hujus à quo, eſt parotis conglomerata: terminus ad quem, eſt centrum buccarum.

Ductus ſalivalis inferior ortum ducit è craſſiore ac poſteriore glandulæ conglomeratæ, maxillæ inferioris angulo acuto appoſitæ parte, rectàque mentum verſus tendit: priusquam autem ad anteriorem ejus partem pervenit, ramulos ſubinde novos ab eadem excipit, adeoque ad medium menti ſpatium prolongatur, ubi immediatè inter gingivas & papillam quandam utrinque terminatur, quo ſe facilè exoneret, nihil verò ab ore refluum admittat, invenitur obſervata papilla ſuperficiali carneâ, qui formam folioli ſuo modo in brutis conſtituit: in hunc ſtylus immiſſus, usque ad glandulam conglobatam deducitur, ſimul ac verò è glandulæ ſubſtantia emerſit, inſtar trochleæ ſub muſculo digaſtrico fertur: exinde verò ad glandulæ medium reflectitur, ubi cum alio ramo jungitur, & inde canalis communis ex horum concurſu aliquando auctior redditur, & ſub fræno linguæ exit; invenimus & alium ſalvialem inferiorem ductum, qui provenit ex papilla ſublinguali jam dicta & in binos ductus ſalviales inferiores ſe terminat.

In ore ſunt præterea notandæ plicæ denticulatæ transverſæ, in ſuperiore palato oblonga linea, diviſæ. Circa linguæ radicem anthiades glandulæ pluresque mucales buccales & ſublinguales, quæ omnes fermentum ad ſubigendum & maſticandum cibum promunt, lingua quoque pars oris

princeps

princeps gustûs & loquelæ instrumentum, figuram habet oblongam & latam, membranâ investitur admodum glandulosa, & à parte anteriore in vitulo scabra, posterius ad radicem insigniter crassa est & firma, anterius libera acuta & tenuis: Maxillæ inferiori propè dentes incisores ligamento valido quod frænum vocant, alligatur. Ossi verò hyoidi tanquam basi innititur, laryngi quoque annexa; hic in conspectum veniebant Musculi labiorum tum proprii tum communes. Item, maxillæ inferioris videlicet Temporalis & Mansorius Pterygoides seu alare internum par, it. alare externum, digastricum seu biventre, per cujus tendinem transcurrit ductus salivalis inferior, separavimus hîc loci musculos colli, videlicet longos, scalenos, transversos, & spinatos idque à parte anteriore sub œsophago: Præterea à parte posteriore videlicet splenios, complexos, Rectos majores, rectos minores, obliquos superiores, obliquos inferiores, & mastoideos, vidimus hîc quoque musculos laryngis & pharyngis, linguæ uvulæ & ossis hyoidis. Laryngis musculi sunt in universum sedecim, communium sex, quorum quatuor constringunt, duo dilatant, non à larynge prodeuntes, sed in eam inserti. Propriorum decem 6. dilatant 4. constringunt, qui à larynge oriantur & in eam desinunt; communium par primum dicitur Bronchiale, 2. par Hyoidæum, 3. œsophagæum; propriorum alii anterius alii posterius, alii interius & alii exterius positi sunt; anteriorum & exteriorum par primum dicitur 1. Crycoidei antici, 2. Crycoidei postici, 3. Crycoidei laterales, 4. Thyroidei interni, 5. Arythenoidei.

Musculorum œsophagi sunt tria paria, & sphincter. 1. Cephalopharyngei, 2. Sphænopharyngei, 3. Stylopharyngei.

Linguæ musculos egregios vidimus 1. Styloglossos, 2. Myloglossos, 3. Genioglossos, 4. Basioglossos, 5. Ceratoglossos.

Uvulæ nullos vidimus musculos, tali parte destituuntur vituli. Sed in homine uvula duobus musculis movetur; os hyoi-

des verò movetur 1. Sternohyoideis, 2. Coracohyoideis, 3. Styloceratohyoideis, 4. Geniohyoideis.

Post abscissum palatum nasumque, in conspectum veniebant in medio, cartilaginosum os vomer, ad cujus latera utrinque ossa narium spongiosa, veluti totidem crucibula triquetra infixa. Serram suspensâ manû ad cranium adegimus, sed cautè ne duram meningem læderemus, quæ undique (præsertim circa suturas cranio adhæret per membranulas plures) cranio succingitur, & cerebro supertenditur: Cranium vulgò serra dividitur, in quatuor æquales partes cruciatim: levatis à dura meninge tabulatis beneficio manus aut forcipis, atque sepositis, dura meninx scalpello, aut forfice circa medium in utrolibet latere (non exactò in medio loco ubi falx est) incidatur & in quatuor partes solvatur ac ad latera reclinetur, postmodum falx ab osse cribroso abscinditur, & versus occiput seponitur: Falx autem hæc nihil aliud est, quam progressus duræ matris, geminus duplicatus: minor quidam processus cerebelli limites distinguit: His processibus sinus sive Canales sunt insculpti minores alii, alii majores: E majoribus duo per occipitis latera cerebellum obliquo ductu conscendunt, principiis suis venæ Jugularis internæ ramum majorem admittentes. Tertius è majoribus juxtà falcis longitudinem protensus ramulos copiosos tam ad meninges, quam ad meditullium Cranii dispergit: Quartus è majoribus sinus brevior est, inter cerebrum & cerebellum incedens, productisque prius surculis duobus, partim corpori calloso insternitur, partim in anteriores cerebri ventriculos bifidus ingreditur, portionem plexus choroidis constituens. NB Conscriptis his quatuor sinubus, tres alios D.D. Francisc. Sylv. addidit quorum primus à Vesalio etiam nominatus est vid. Comment. supr. Vesling. Ubi sinuum horum concursus, & veluti forum adest, ibi Torcular Herophylianum vulgò constituitur. Unâ operâ piam matrem cerebrum ambientem spectare licet; hujus beneficio cerebri anfractus

fractus nullo negotio videri possunt, quippè hâc membranâ, meatus quoque cerebri investiuntur: in his anfractibus & fissuris multa & insigniora vasa cernuntur, quam causam etiam esse putat Franciscus Sylvius quod ita febricitantium, & quandoque etiam aliorum partes illæ laterales doleant & pulsent.

Cerebri pars est vel dextra vel sinistra, quæ mediante durâ matre distinguuntur: lato cultello quædam cerebri portio abscindenda est, quô videamus venulas & arteriolas visum propemodum effugientes, sanguinem effundere, & ventriculos comparere, quò loci sub falce occurrit fornix quæ tertio ventriculo superstructa est, fornicis portiones crura vocantur: Corpus callosum intra divisionem cerebri anteriorem conspicitur, cui à lateribus duo ventriculi anteriores subjacent, qui dividuntur in dextrum & sinistrum intercedente ab ipsâ cerebri substantia tenui quodam septo quod speculum lucidum appellant. Obvius quoque in anterioribus ventriculis Plexus choroides, notanda prope illum plexum arteriola, quæ ramulos ad ventriculi superficiem venustissimè dispensat. Quæ media decurrit ventriculorum anteriorum rima, tertium exhibet ventriculum, qui lateralium veluti concursus est: in hoc ventriculo observabiles sunt meatus duo, quorum anterior deorsum ad infundibulum fertur eminente processu quem pudendo muliebri comparant, posterior quem ano assimilant ad spinalis medullæ sinum fertur, ad ani latera sunt duæ protuberantiæ testes dictæ, in medio antrorsum glandula pinealis, quæ Penis dicitur: Protuberantiæ majores à figura qualicunque nates dicuntur, jam cerebro ablatis per dissectionem partibus superiori ad latus reclinato cerebelloque detectô, basis utriusque cum spinalis medullæ principio patescit, à quibus nervi communem originem trahunt: Inter nervos qui intra cranium exortus suos habent, anterius protinus sese conspiciendos exhibent Nervi olfactorii, qui principium à basi cerebri satis exile ducunt, supra os Ethmoides protenduntur, intercedente processu, quem

Cristam

Criſtam vocant: Extremis ſuis tumiduli Proceſſus exprimunt mammillares dictos, qui in animantibus quibus odora vis major eſt e. g. Cane conſpectiores obſervantur. Sequitur proximè par nervorum opticorum veteribus primum, molle præ cæteris poroſum, in medio ſeſe itinere jungit, & iterum ſeparatum per foramen utrumque primum oſſis cuneiformis, in oculum tandem dextrum, ſiniſtrumque conſcendit: ſub hoc pari venit in conſpectum infundibulum, ſeu membranoſus canalis, qui pertingit ad glandulam pituitariam in Ephippio oſſis cuneiformis, in oculum tandem dextrum ſiniſtrumque conſcendit, apud nervos opticos arteria carotis pergit intra Calvariam. Succedit huic tertium nervorum par oculorum motorium ab opere dictum prope primum paulò intimius originem conſequitur, & in muſculos oculorum inſeritur.

Quartum par oculorum Patheticum eſt: in proceſſu annulari, prope nates & teſtes oritur, & in muſculum trochlearem oculi inſeritur.

Quintum par guſtatorium linguæ, è lateribus proceſſus annularis cerebelli dimiſſum & in faſciculum collectum ad faciei partes varias ſpargitur.

Sextum par nervorum ex ima proceſsûs annularis baſi oriundum ad oculum defertur atque etiam ad intercoſtales nervos accedit.

Septimum par auditorium dictum in exortu geminum, è latere inferiore protuberantiæ annularis ortum in meatum oſſis petroſi defertur, unâ cum parte molliore, altera verò duriore, juxta meatum auditorium emergit.

Octavum par ſive vagum infra nervos auditorios è lateribus medullæ oblongatæ fibris numeroſis exoritur, quibus nervus à ſpinali medulla accedit, & adjungitur eâdemque duræ matris tunicâ involutus, unâ cranio egreditur, ac ſi omnes in unum truncum coaleſcerent. Nervus ille ſpinalis etiam acceſſorius dicitur, & in muſculos cervicis ac ſcapulæ defertur, nonumque par conſtituit.

Tria


D
D
D
D
D
D
D
G
F
H
E
L
S
I
R
O
M
P
K
N



Tria reliqua paria innominata è principio ſpinalis medullæ oriuntur, & cranio ſuperato, in muſculos feruntur & in ganglium coeunt.

In Cerebello conſideratur præcipuè aliqualis reſpectu cerebri ſoliditas, & quod in 2. veluti globos diſtinctum ſit, inter quos proceſſus Vermiformis ſupra Pontem Varolii ſitus eſt: Cæterum inverſo cum Cerebro Cerebello, medullæque dorſalis annexa portione, ac globis cerebelli blandè diductis, in illius baſi cavitas pateſcit, quam ventriculum quartum præcipui ſectionum Profeſſores conſtituunt. Dependere obſervamus quoque à cerebello ſpinalem medullam, quæ circa ſua principia manifeſtè dirempta eſt, & ſinum exhibet teretem in acumen paulatim deſinentem, fiſſuraque tenui diſtinctum ab Herophilo calamus ſcriptorius dicitur.

Capitis Vitulini Partes.

A Stylus duplicatus ductui palatino utrinque inſertus.

B Ductus naſalis.

CC Puncta duo lachrymalia.

DDDDDDDDD Vaſa lymphatica oculorum, in palpebram ſuperiorem inſerta.

EE Ductus ſalivalis ſuperior.

F Glandula Parotis conglomerata.

G Auris externa.

H Portiuncula parotidis.

II Proceſſus acutus maxillæ inferioris.

K Condylus cavitati maxillæ ſuperioris adaptatus.

L Plicæ transverſales denticulatæ palati.

M Papillæ linguæ nerveæ.

NNNN Ductus ſalivales bini inferiores utrinque.

OO Papillæ juxta labia maxillæ inferioris prominulæ.

PPPPPP Acuminatæ fibrillæ nerveæ inter hiſpidam linguæ papillarum ſeriem ſurgentes.

Q Pariſchmiæ.

RR Inciſores maxillæ inferioris dentes.

SS Superioris maxillæ dentes molares.



Alberti Gunteri Saxonis, Germani, Med. & Philos. Doct. Romani,

Coram Eminentissimo & Reverendissimo Principe ac Domino

DN. CARDINALE FELICE ROSPIGLIOSO &c.

De

Arthritidis & Nephritidis causa,

atque de Acidi calefactiva, & bilis frigefactiva proprietate habita LECTIO,

d. 9. Novembr. Anno 1682.

In Congressu Medico & ædibus Exc. D. D. Hieronymi Brasaulæ.

ANNO M DC LXXXVII.



OMnes quidem nôrunt Arthritidem esse dolorem inter articulos, circa causam vero Variis opinionibus velitatur, unus pituitam, alter bilem, alii melancolicum sanguinem, vel serum criminis reum facere laborant. *Sennertus* tandem ex opinionum diversitate subsequentem à pluribus receptam Arthritidis definitionem proponit, videlicet: Arthritidem esse dolorem partium circa articulos à defluxu humoris serosi & acris à venis & arteriis in eas effusi excitatum. Sed neque hæc definitio est satis distincta, ideoque multis distinctionum unguentis & pharmacis indiga, quia in rheumatismo & syphilide sive pudendagra etiam articuli doloribus afficiuntur, differunt tamen ab Arthritide non tantùm secundum loca, sed secundum causam, cum verò hæc differentia à plurimis præclaris Authoribus sit luculenter explicata, in illius repetitione supersedeamus, ac ad potiorem Arthritidis causam, quæ est humor serosus & acer, transeamus, Serosum aut lymphæum vel nymphæum humorem licet dixeris, perinde erit, talis nimirum dolorem infert non ratione serositatis vel lympheitatis, sed ratione acredinis, acer enim si non esset, dolorem nullum inferret, sive serosus lympheus vel nympheus appellaretur vel esset. Sed quæritur, qualis hæc acredo, an corrosiva, vel coagulativa? Et respondetur, Arthritica acredo corrosiva esse nequit, quia si talis esset, solutionem continui, ulcera scilicet, vel ossium cariem induceret, quod nunquam in Arthritide nisi cum lue Venerea & similibus complicata contingit, & videtur potius coagulativa Arthritica acredo, ut ex calce, sive creta podagrica manifestè patet, & magis per Nephritidem plerunque Arthritidem comitantem arguitur coagulativa hæc acredo; Unde ulterius investiganda venit hæc acredo coagulativa in specie, an acida, alcalica, vel salsa; alias

acredines

acredines non adduco, quia adductæ sunt præcipuæ & fundamentales, ex quarum diversa compositione in modo, tempore, quantitate, & numero cæteræ acredines oriuntur, vel sub his comprehenduntur, ut amarum, ponticum, austerum, acerbum & quarum dilucidationem ob temporis angustiam missam facimus, atque pro nunc de Arthritidis acredine coagulativa selectiorum Authorum sententias ponderare decrevimus. Protophanes mihi *Paracelsus*, qui solus integris viribus priscis legionibus contradicere est ausus, is docet arthriticam acredinem esse tartarum in ultimis digestionibus à succo nutritio segregatum, & ad articulos depositum; *Paracelsum* verò impugnat *Helmontius* demonstrando calcem sive cretam podagricam non esse tartarum, neque tartaro similem, quia hæc creta nullatenus sicut tartarus aquâ ferventi solvitur, quod quidem *Helmontio* totum concedimus, sed quia idem *Helmontius* asserit, Tartari Inventionem in morbis esse temerariam, & tartarum non esse in potu, atque alimenta tartari esse insontia, eidem assentiri non possumus, Tartarum enim omni vino plus vel minus inesse, norunt omnes vini periti, atque etiam ex aceto vini tartarum adhuc extrahi posse sciunt omnes qui levem habent in Chimia notitiam, & quanto plus vina tartaro abundant, tanto magis Arthritidem inducunt, quod testantur Rheni accolæ, Austriæ, Moraviæ, Stiriæ, Carinthiæ & Franconiæ incolæ, ubi vina tartaro abundant, ibidem etiam Arthriticorum ingens est numerus, ideoque illorum locorum indigenæ saluti studentes & Arthritidem timentes vina non bibunt nisi triennalia, & per multas iteratas eluviationes à tartarea fœculentia vindicata, & hujus Rationis Observatores minùs, vel nunquam Arthritide infestantur, qui verò hanc rationem parvi pendunt frequentes & sævos experiuntur Arthritidis impetus.

Alia ratio est tartarum Arthritidem efficere posse, quia tartarus est acidus & lactis coagulativus, & cùm *Helmontius* docuerit, acidum esse Arthritidis effectivum, quia synoviam lacti analogam coagulat, nulla ergo supererit ratio, quâ *Hel-*

montius tartarum pro Arthritidis causâ excludere, & alimenta insontia declarare valeat.

Arthritidis verò acredinem esse acidam comprobat *de le Boë Sylvius*, *Willisius*, *Tachenius*, & plures alii, etiam ratio cum experientia docet, ut infra latius proprio exemplo patebit.

Sed iterum quæritur, in quo gradu Arthriticum acidum existere debeat, ut synoviam coagulare & Arthritidem inducere valeat, & quâ ratione vel modo hæc coagulatio contingat?

Ad primam respondetur, acidum Arthritidis effectivum esse in gradu remisso, ideoque esse coagulativum, si enim esset in summo, tunc esset corrosivum & colliquativum, ulcera, suppurationes, vel ossium cariem induceret, prout in lue Venerea contingit, coagulationem autem fieri per acidum moderatum, & colliquationem per acidum fortissimum, luculentum habemus in lacte exemplum, quod per acidum moderatum coagulatur, & ab acido eminentiori solvitur.

De modo autem coagulationis in Arthritide & Nephritide dixit *Willisius* hanc fieri ex alcali & acidi velitatione, unde post mutuam effervescentiam coagulum oritur, sicut quando spiritus vitrioli oleó tartari affunditur, & materiam salino fixam sive alcalicam esse circa renes & articulos quàm aliis in partibus copiosiorem, ideoque cum acido humore in renibus calculum, & circa articulos arthritidem magis quàm aliis in partibus generari, atque hos duos effectus plerumque esse conjunctos, & nullum ferè arthritide laborare, quin etiam nephritidi sit obnoxius.

Attamen cum bona venia *Willisii*, hoc coagulum olei tartari cum spiritu vitrioli est diversum à nephritico & arthritico coagulo, quia hæc ultima non sunt à quovis liquido dissolubilia, ut est illud vitriolo tartareum coagulum, neque in humano corpore potest existere acidum & alcali simplex & impermixtum, quod nisi purum & impermixtum nunquam assertam effervescentiam concitat, ut manifestè patet in vitrioli martis solutione, & cum alcali tartari præcipitatione, etiam in magiste-

magisteriorum herbarum, perlarum &c. præparatione, ubi nulla acidi cum alcali fit effervescentia, quia acidum vel alcali est alio corpore implicatum, ut se amplecti nequeant contactu physico, ideoque præfatam de coagulatione & effervescentia Willisianam Sententiam tanquam inutilem & minus perspectam explodimus.

Proinde tamen nolumus ire inficias, tam in Arthritidis quàm in Nephritidis genesi acidum & alcali concurrere, sed cum terrea aliqua fœculentia, quâ absente nunquam fiet coagulum in aquis indissolubile, prout est Arthriticum & Nephriticum coagulum, quod optimè demonstravit *Tachenius* in suo *Hipp. Chym.* per calculi analysin, ubi inquit: *Accipe calculum excisum, vel sponte è renibus expulsum, hunc retortæ Vitreæ mundæ impone in frusta non verò in pulverem reductum, & recipiente apposito distilla per arenam, & prodibit spiritus & sal volatile urinosum, hæc collige, & vitreo vasculo optimè clauso serva, fractâ deinde retortâ invenies calculi frusta in eadem figura quâ imposita fuêre, sed levi attactu friabilia & in pulverem reducibilia s. concidua, quæ spiritu vitrioli dephlegmato imbibito, & impotatis statim alcali volatile & spiritum reservatum vel aliud alcali volatile affunde, & sic eodem momento calculi frusta eandem quam ante analysin habebant, duritiem recipiunt;* Ex quibus elucescit, alcali & acidum simplex nullum absq; terrea aliqua substantia calculum formare posse, ut *Willisius* credidisse videtur.

Quibus objiciunt alii, licet concedatur ex deductis, calculum hac ratione vel simili in humano Corpore generari posse, nihilominus calculum tam colore quàm duritie valdè differre ab Arthritico coagulo cretæ vel calci conformi, ideoq; necessario sequi ex aliis principiis illud originem ducere, & illis est responsio nostra, quæ non differunt nisi per accidens, non differunt specie, scilicet ratione coaguli, quod idem est in Arthritide sicut in Nephritide, differunt tamen in eo, quod arthriticum coagulum oriatur ex solidissima & depuratissima sy-

novia,

novia, & alcali ex acido volatiliori, licet non ſummè volatili, nephriticum verò coagulum ex ſanguinis & Chyli recremento aliquatenus ſtercoreo & fœculentiori & acidiori, & alcali fixiori, ideoque renum calculus plerumque habet ſtercoreum colorem; & eſt durior, ſed arthriticum coagulum eſt album, & minus durum, atque magis calci, vel veteri caſeo exſiccato, quàm lapidi ſimile. Quæritur igitur unde hæc tanta in ſanguine fœculentia atque aciditas, ut cum alcalicis in corporis partibus exiſtentibus arthriticum vel nephriticum coagulum efficere valeat? Quibus reſpondetur ratione temperamenti naturalis congeniti ſeu hæreditarii quosdam plus ſanguinis, alios plus pituitæ vel acidi generare, & plures nimio acidorum uſu ut vinis acidulis & tartareis & ſimilibus abundare, quod nimium acidum à fellis alcali minus ſuperari, ac proinde nec Chylus defœcari nec edulcorari poteſt, unde acidus Chylus non ſatis defœcatus ad venas defertur, ubi licet ex ejus maſſa fœculentior pars ad renes deferatur, tamen ex defectu primæ defœcationis & dulcorationis nullus fit exinde laudabilis ſanguis & nutritius ſuccus, ſed fœculentus atque acidus, ex quo deinde per commixtionem alcali in ſynovia abundantis fit arthriticum, prout ex primo acido ſanguinis recremento ad renes delato fit cum alcali renum nephriticum coagulum. Unde *Helmontius* probabiliter dixit, quoties fel juſto debilius non poteſt acidum chylum in ſalem ſalſum commutare, ex fellis penuria concreſcit lithiaſis, & remedium à priori confortaſſe fellis fermentum, quæ *Helmontii* Sententia ab *Hofmanno* confirmatur, & ab aliis modernis in Arthritide comprobatur; fellis autem fermentum in Arthritide & Nephritide deficere probat urina aquea & alvi ſtypticitas, deficiente ſcilicet alcali & Clyſtere naturali. De fellis autem natura alcalica *Sualbius*, *de le Boe Sylvius*, *Louverius*, *&c.* indubiè affirmant hoc conſtare ex alcali fixo & volatili ac oleo, ideoque cum acidis effervеſcere, ſicuti quando oleo tartari ſpiritus vitrioli affunditur; ſed iſtos *Hofmannus* in *Pharmacop. Schröd. p. 677.* acriter

acriter impugnat, atque satis mirari non posse proclamat, tantæ authoritatis Viros tanta somnia pro veritate venditare, atque pudenda commenta docere, neque verum esse, spiritum vitrioli, sulphuris, vel causticam aquam felli mixtam ebullitionem ullam aut spumam concitare, etiam fel Vulcano commissum nihil nisi aquam insipidam præbere relictis in fundo scoriis sine ullo salis volatilis aut fixi, vel olei indicio. Sed ad has *Hofmanni* proclamationes meritò cum *Cicerone* exclamare licet, ubi de natura Deorum inquit: Quid enim est temeritate periculosius, aut quid tam indignum sapientis gravitate atque constantia, quàm sentire falsum, vel quod non satis exploratè perspectum sit, sine ulla dubitatione defendere; ita ne cœcus rideat monoculum vel loripes rectum, profectò experimentum ab *Hofmanno* allatum ex illis est, quod ab *Hippocrate* fallax dicitur, quia debitâ normâ non fuit peractum. Nobis enim fel bovinum causticâ aquâ mixtâ spumam emisit, & pari ratione fel per dictam aquam vel spiritum acidum sulphuris vel vitrioli ex parte condensatur, per alcalina. Vero nullatenus coagulatur vel turbatur, sed magis attenuatur & limpidius redditur, magnum sanè argumentum, fel alcalinum esse, neque verum est, fel Vulcano commissum nullum salis vel olei exhibere indicium, & nil nisi aquam præbere insipidam, quia ἐγχειρίσει ritè instituta licet prius procedat tantùm aqua insipida, tamen in fine auctiori igne spiritus sequitur alcalicus, spiritui C. C. non absimilis, cum caustica aqua ebulliens, & illam destruens, post spiritum sequitur oleum & sal volatile oleosum ejusdem cum spiritu proprietatis; ex quibus satis patet fellis alcalica natura, & elucescit quàm oscitanter *Hofmannus* fellis analysin aggressus sit. Demonstratâ nunc fellis alcalinâ naturâ disquirendum venit, an bilis prout bilis arthritidem causare valeat. *De le Boe Sylvius* tueri affirmativam videtur asserendo arthritidem calidam oriri ex alcali bilioso fixo vel volatili, frigidam verò ex acido. *Helmontius* verò non distinguit arthritidem calidam à frigida, & hæc vexilla graduum esse dictitat, prout videlicet ma-

jor vel minor aciditas, tanto majorem vel minorem calorem & dolorem in arthritide percipi. *Helmontio* aſſentimur, ſed de *Sylvio* miramur tantæ eruditionis viro poſt tot præclaros Viros, qui caloris & frigoris nœnias exploſerunt, ab exoleta hac opinione non receſſiſſe, cum ne quidem *Hippocratem* latuerit calorem & frigus omnium facultatum minimè potentes eſſe, & nihil prorſus referat ſi quædam calida vel frigida dicantur, & interdum quod uni calidum, alteri non eſt calidum; & latius apud *Hippocratem de Vet. Medicina §. 27. & 28.* videndum. Etiam quia non omnis calor in corpore humano cauſatur à rebus calidis, ut manifeſtum de ſpina digito infixa. Si verò juxta eundem *Hippocratem*, calida quandoque dici merentur, quia calefacere, & frigida, quæ refrigerare poſſunt, vel ex quibus & per ſe calor demonſtrari evidenter poteſt, tunc vel calidum eſſe nequit, quia per illud nullus calor demonſtrari poteſt, cum acidis enim mixtum non incaleſcit, minimè cum alcalicis, & nullatenus cum ſalſis, imò cum ſale ammoniaco, ſale tartari & aqua fel conquaſſando intenſum frigus ſuſcitatur, ut ad oculum fuit demonſtratum. Neque valet argumentum, bilem eſſe calidam, cum ſit cauſa tertianæ, quia tertiana magis frigore quàm calore moleſtat, imò tertianarii plerumque moriuntur ſub frigida non autem ſub calida acceſſione, & ſublata per vomitum bile, vel eâ per calida medicamenta alteratâ, frigida acceſſio, & conſequenter calida tertianæ tollitur, ſed Venæſectio plerumque eſt nociva, ob caloris & ſpirituum diſſipationem. Et eò magis bilis poſſumus negare calorem, quia Regius morbus, licet in eo bilis per univerſum corpus ſit diffuſa, & urina croci inſtar linteamina tingat, tamen nunquam corpus juſto calidius deprehenditur, neque veſica, aut renes, vel aliæ partes inflammantur. Neque verum eſt, omnia amara eſſe calida, quia tartarus vitriolatus, ſal polychreſtum, & camphora, cichorium, opium, & plura alia ſimplicia ſunt amara, & nihilominus ex omnium experientia refrigerant.

Nullius

Nullius etiam momenti argumentum est pro bilis caliditate ab erysipelate deductum, cujus causa bilis fingitur, quia per alcalia Erysipelas extinguitur, imò per fella animalium, ergo ab acido oriri necesse erit; etiam minus probat color ex rubro citrinus bilem in Erysipelate existere, quia spiritus acidissimus maximè cutem inflammat, & citrino colore tingit intenso. Nolo tamen ire inficias bilem & alcalia interdum occasionaliter incendii causam in humano corpore præbere, non quatenus in se calida, sed tanquam spina digito infixa, vel arenæ granulum oculo illisum, quod tanquam peregrinus & exosus hospes Archæum in furorem agit; vel sicuti pituitæ copia depravata etiam calorem per accidens comitat, ut in quotidiana, unde frigoris & caloris procellæ ab Archæo tumultuante & irritato, sed hujus non habetur ratio, sed spinæ, arenæ &c. juxta *Hippocratis* mentem, qui dixit: Calor & frigus non sunt morbi, sed acidum, amarum, ponticum, austerum, & alia, ut de *Medicina veteri &c.* quod acidum per amara moderatur, & universa alcalica & amara per acida; itaque verificatur *Hippocratis de veteri Medicina* sententia *§. 27. & 28.* Interdum quod uni est calidum, alteri non est calidũ &c. & elucescit non veram esse *Tachenii* opinionem, sal prunellæ alcalisatum semper refrigerare, ut demonstravit melius *Hofmannus Pharm. Schröd. p. 343. 340.* Maximum verò argumentum est, bilem nullatenus Arthritidem inducere posse, quia Arthritis est morbus coagulativus, & bilis est alcalica, & nunquam, synoviam, vel alios humores coagulat, sed potius fluidiores reddit, ut ipse *Sylvius* fatetur *p. 142. 143.* Etiam praxi compertum est, nunquam ex alcalico usu Arthritidem, vel alios coagulativos morbos, sed potius colliquativos inductos fuisse, ut *Hofmannus Pharmacop. Schröd. p. 668. l. 5. §. 23.* narrat, Hallis Saxonum viro cuidam accidisse, qui erat temperamenti cholerici, cujus massa sanguinea salibus volatilibus biliosis scatebat, à nimio usu spiritus urinosi in hæmoptysin incidisse, & tandem in veram phthisin terminasse, ac finem vitæ magno suorum cordolio imposuisse. Similem hi-

 storiam

ſtoriam habet *Matthias Jacobus* in *Actis Medicis Bartholinianis p. 208.* & *209.* quod noverit amicum, qui ſanguinem craſſum, melancholicum & nigricantem habuerit, ita enim è venis ſæpius fuit eductus, hunc ſale volatili Sylviano corrigere tentans ſucceſſu quidem non caruit, nam quotidiano ejus uſu ſanguis ejus floridior factus rubicundo colore pulchroque oculos affecit, ſed cum liberiori manu quotidiano potui illud immiſceret, ſanguis juſto fluidior factus conſiſtentiam amiſit, unde in hæmorrhagiam immoderatam incidens cum cordis palpitatione periculum fuiſſet, ne totus ſanguis per nares effluxiſſet, vel ſyncope periiſſet, niſi maturè acidis & opiatis ſanguis iterum incraſſatus fuiſſet.

Caſum conſimilem habuit Excell. *D. Jacobus Sinibaldus* Commilito noſter in aliquo levi paralyſi affecto, qui ex ſpiritus ſalis ammoniaci uſu ſanatus à dicto morbo, ſed cum deinde iterú æger eodem ſpiritu petulantiùs uteretur, ſanguinis ſputo correptus fuit. Etiam ego novi duos, qui ſe credebant laborare Arthritide vaga, pro qua tollenda uſi ſunt ſpiritu Cornu Cervi in doſi juſto majori, unde illis puſtulæ gallicis non abſimiles per univerſum corpus erupêre, à quibus non niſi antivenereis liberati ſunt; ideoque illud Hippocratis: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον maximè obſervandum, atque ex deductis concludendum, bilem non eſſe ex natura ſua calefactivam, & conſequenter nec Arthritidis neque Nephritidis effectivam, & ex bilis penuria oriri vel calculum, omneſque tartareos morbos, ut ſufficienter videtur demonſtratum hactenus. Quoad aciditatis verò frigiditatem à *Sylvio* aſſertam, miror tantum rerum Chymicarum peritum acidi naturam minùs ſolerter indagaſſe, ſi enim acidum poſitivè eſſet frigidum, tunc acidiſſimum eſſet frigidiſſimum, Conſequens eſt falſum, ergò & Antecedens. Videmus enim ſulphuris, vitrioli, & nitri ſpiritus acidos igne citiùs atq; potentiùs lapides, ligna, carnes, & metalla maximo cum ardore aggredi & in pulverem convertere absque ignis culinarii adjutorio, ideoque tales liquores ab Hermeticis vocantur ignis

contra

contra naturam, ignis divinus sine luce, & igne vulgari calidior, quanto ignis vulgaris caldior aquâ. Nec minus probatur aciditatis caliditas per omnia ignis facile susceptiva seu inflammabilia, quæ abundant acido, ut sunt sulphur commune, terebinthina, resina pini, nitrum, naphta, balsamum nativum &c. & acido illorum extincto non amplius sunt inflammabilia. Unde etiam *Tachenius* in *Clavi Hippocraticæ Medicinæ*, & in Hippocrate Chymico non tantum in ignis flamma, sed in sole acidum demonstravit. Calorem pariter acidi fusius probavit *Kunckelius* in *Chymicis Observationibus*, & *Kirchmaierus de Phosphoris*, quorum Axioma est: Non semper, ubi lumen & calor, ibi sulphur, sed ubi acidum, ibi calor, & ubi lumen, vel flamma, ibi sal volatile.

Neque probabile videtur acidum esse frigidum, quia sitim interdum (licet non semper) extinguit, quia non tantùm calida sensum sitis efficiunt, sed multoties causa frigida sitit potum in natura sua calidum, eadem ratione enim spiritus vini, vel vinum generosum frigidum esset declarandum, cùm ex eorundem potu multoties melius sitis tollatur quàm per aquam, imò qui vino sitim leniunt, diutius à vino sunt immunes, quàm qui aquam bibunt, quâ ratione autem vitrioli igneum stagma sitim extinguit, videatur *Helmontius de febrib. cap. de siti febrili.* Maxima autem ratio, quæ acidi calorem probat, est, quia nulla alia substantia tantum, quantum acida concitare valet calorem, & quanto aciditas est fortior, tanto fortiorem calorem producit, ut ad oculum demonstravimus.

Demonstrato nunc aciditatis calore, & bilem non esse calidam, neque Arthritidis effectivam, quæritur an salsum simpliciter intellectum sit Arthritidis causa? Et videtur respondendum negativè, quia salsum simpliciter intellectum neque sanguinem neque synoviam coagulat, sed potius utrasque substantias fluidiores reddit, cum salsum sit acredo neutra inter acidum & alcali, nisi salsedini accedat aciditas, atque exinde acido salsum resultet, & tunc Arthritidem inducere valet, non

autem ratione ſalſedinis ſed ratione aciditatis; Ergo in acido pro Arthritidis cauſa ſtandum, & illud in Arthritidis definitione pro cauſa principali ſtabiliendum, quâ neglectâ Arthritidis curatio minimè ſuccedit. Unde etiam Arthritidem definitivè explicando dicimus eandem nihil aliud eſſe, quàm dolorem partium circa articulos ab humore acido mediantibus arteriis ac venis in eos effuſo extortum. Dicimus à venis & arteriis ad articulos effuſum, non autem à nervis, cum inveriſimile ſit, acidum fœculentum & craſſum peregrinare prius per cerebrum, ſpinalem medullam, & deinde per nervos ad articulos absque manifeſta cerebri & nervorum læſione, etiam quia nervi omnes, exceptis opticis, carent cavitatibus manifeſtis, ut nullatenus per illos humor inviſus & craſſus tranſire valeat, ideoque inveriſimilior redditur ejusmodi tranſitus. Porrò nervi ſunt tantùm organa ſpiritui animali ſubtiliſſimo devehendo deſtinata, non autem humori craſſo & infeſto circulando apta. Sed dato, non conceſſo, quod acidum arthriticum ad nervos proveniret, tunc complicarentur Arthritidi graviora accidentia, præcederentque motus convulſivi & ſimilia, quod raro vel nunquam in Arthritide accidit.

Neque pectus meum exſaturat *Williſii* hiſtoria de quodam qui urinam reddebat copioſam, & lixivialis ſaporis expertem, & inſtar meri aceti, & affectibus ſpaſmoticis laborabat, unde *Williſius* concludebat, ejusmodi acetoſitatem à nerveo ſucco profectam, ad glandulas progreſſam, & iterum à venis receptam per urinam expulſam fuiſſe; Quæ quàm abſurda & tanto Authori indigna opinio, nemo non videt, quaſi neceſſe eſſet, ut humor acidus prius per nervos quàm venas ad renes duceretur; & non poſſumus etiam ſpaſmoticis affectibus per conſenſum laborare, absque quod acidum ingrediatur nervorum cavitates, ut in doloribus acutis nimiis evacuationibus & corroſivorum fortiorum applicatione, ſatis notum eſt. Ergo non eſt opus, ut ſemper acidum convulſionis effectivum nervos ingre-

grediatur, neque ante evacuationem per nervos circuletur, ut in acidularum uſu experimur.

Etiam minus placet *Helmontii* Sententia, quæ arthriticam aciditatem in ſpiritu vitæ collocavit, ut enim arthritica hæc aciditas ſpiritui vitæ eſſet permiſcibilis, hæc deberet quoque eſſe ſummè volatilis, & ad inſtar Gas, quæ ſi talis eſſet, confeſtim ut fulminis ſpiritus vitalem coagularet, catalepſim, & ſimiles effectus induceret, prout ex fulmine & Gas in Cryptis puteolanis & fodinis metallinis contingit, vel ad minus arthritici quoad functiones animales & vitales ſe peſſime haberent, aſt arthritici quoad functiones animales & vitales optime valent, ideoque Helmontianam & Williſianam opinionem explodimus, & acidum arthriticum craſſioris & fixioris naturæ eſſe, ac ad articulos tantùm per venas & arterias duci aſſerimus.

Arthritidem quoque Priſci Veneris & Bacchi prolem eſſe crediderunt, quod non ſemper verificatur, quia reperiuntur plures à Venere, & Baccho abſtemii; Imò etiam ſpadones Arthritide afflicti. Licet nolim ire inficias, etiam nimiam Venerem dolores Articulares inducere, atque cum lue Venerea multoties complicari Arthritidem. Vidi enim Juvenem Gallum nimiis pollutionibus arthriticum evaſiſſe, evacuato videlicet nimia pollutione ſucco ſpermatico alcalico tunc neceſſario, ſicut in phlebotomia & ſimilibus evacuationibus moventur humores à circumferentia ad centrum, & præbetur aditus ad articulos acidis & aliis cruditatibus, & in ſpadonibus abſtemiis ſperma aceſcit, & venenum fit, & Arthritidem ſine Venere & Baccho progignit. Acidum ergo intus genitum, vel ab extra nimis aſſumptum ſolum eſſe præcipuam hujus morbi cauſam ſatis per Authores allegatos & rationes probatum videtur, ſed melius proprio exemplo ſine Venere & Baccho expertus in fine probabo.

Nunc verò quæritur, an omnis Arthritis ſit curabilis? ad quod petitum optimè præ cæteris Priſcis *Hippocrates Porrheticorum ſecundo* reſpondere videtur, ubi inquit: *De Podagra hæc*

dico:

dico: Quicunque senes sunt, & circa articulos callos habent, aut ærumnosè vivunt siccum alvum habentes, hi omnes sanari non possunt humanâ arte, quantum ego novi, sanat quidem hos optimè Dysenteria si supervenerit, aut aliæ eliquationes valdè prosunt per inferiora loca. Qui verò Juvenis est, & circa articulos nondum callos habet concretos, & accuratè vivit, laboris est patiens, & alvum pronum habet, hic sanè Medicum prudentem nactus, sanari poterit, ex qua sententia satis patet, etiam *Hippocratis* Arthritidem fuisse sanabilem, sed post *Hippocratem*, ut *Helmontius* dixit, Medicina stetit, vel potius retroivit, & nemo Medicorum gregariorum fuit, qui Podagram pro incurabili non proclamaverit, usque ad *Paracelsum* qui podagram perfectè sustulit, ut ex Epitaphio ab Antistite Salisburgensi *Paracelso* erecto constat, post hunc *Helmontius* vaticinatus est, quod ex lex quartana & Arthritis præsenti hoc nostro sæculo sit distinctura veros Medicos à putatitiis, cujus vaticinii veritas hactenus videri cœpit, nam ultra meum Exemplum de Arthritide jamdudum per *Tachenium de principe morborum*, & alios celebratum adduco Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Copp. Exercitus Sac. Cæs. Majestatis Generalem, qui lactis usu ab Arthritide convaluit. Etiam Illustrissimus Dominus Baro Alphonsus Zephyrus Matronarum ac Damigellarum Sac. Cæs. Majestatis Imperatricis Eleonoræ Custos eodem remedio felici cum successu usus est, alii à sola vini abstinentia, & aquæ potu ab Arthritide immunes facti sunt, ut *Sennertus* & alii testantur.

Si ergò Arthritis solâ pravâ victus ratione, videlicet ex nimio acidorum usu & vinorum tartareorum potu causari, & vice versâ aliâ victus ratione sanari potest, quidni & optimis medicamentis curabilis erit. Sanatur Venerea lues longè majori acrimoniâ prædita, per quam carnes, ossaque ipsa devastari solent, cur non Arthritis ex levi synoviæ coagulo oriunda. In memetipso curandi possibilitatem & in aliis expertus sum; Anno enim 1656. hìc Romæ pestis tempore ego juvenis ætatis annorum viginti trium & Medicinæ sacris initiatus cum legissem

ſem in *Helmontii peſtis tumulo*, Acidum ſulphuris Gas eſſe verum peſtis antidotum, deinde in eodem *Helmontio* de *arbore* inveniſſem ſcriptum, Acidum ſulphuris ſtagma multum Gas illius continere, credidi tanto Authori, & fidem auxit *Mindererus*; qui dicit; ſi ipſis uſus medicamentorum vitriolatorum (quæ idem ſunt cum ſulphuris acido) interdiceretur, ſe nunquam, vel inermem acceſſum habiturum ad peſtem; Igitur præſervandi gratiâ liberaliori manu dictis acidis ſpiritibus uti cœpi, unde poſt menſtrualem eorundem uſum circiter invaſit me univerſalis & atrociſſima Arthritis, ut propter dolorum ſævitiem nullatenus ſurgere, minus incedere, nec cibum niſi alienâ manu capere valerem, febris in principio mediocris cum ſiti affligebat, ſed acidis minimè mitigabilis. In his ærumnis conſtituto in mentem venit *Helmontii* ſententia, omnia acida largiori manu Arthritidem inducere, & vice verſâ acidorum deſtructiva eſſe Arthritidis curativa, ſciebam etiam tunc alcalia omnia deſtruere acida, ſed magis ob analogiam alcalia animalium volatilia arridebant, ex quorum longiori uſu ab Arthritide convalui immani. Deinde anno 1658. tempore æſtivo ſitis moleſta me afflixit, pro qua tollenda alacriter limonatas aquas bibere cœpi, immemor prioris erroris & flagelli, neque ab acidis mineralium abſtinui, ex quorum continuato uſu invaſit me chiragra manus ſiniſtræ, & podagra pedis ſiniſtri, ſed in præterita Arthritide expertus lentam alcalium opem, cùm nactus eſſem Corallinum *Paracelſi*, eo ſumpto, paucis diebus convalui, ab hoc tempore ab acidis abſtinui, & ab Arthritide immunis vixi usque ad annum 1674. quo tempore æſtivo ex Auſtria Romam redux ab Auſtriacorum vinorum potu iterum me invaſit podagra in pede ſiniſtro, à qua brevi eodem Corallino me vindicavi, & abhinc nullum Arthritidis percepi veſtigium. Anno 1654. Johannes Balthaſar Bruxellis ſub Regis Catholici ſignis Cohortis Germanorum Centurio ex nimio limonum eſu arthriticus evaſerat, & pari ratione alcalium uſu convaluit.

Pluribus annis elapſis hîc Romæ Dominus Johannes Franciſcus de Francis Miniſter S. Montis Pietatis tempore æſtivo refrigerandi gratiâ aceto deſtillato articulos frequenter madefaciebat, unde articulari dolore & immobilitate correptus alcalicis lotionibus & fomentis ſanatus eſt ſine ullo internorum medicaminum uſu, quia cauſa tantùm fuit externa, ex quibus experimentis lædentibus & juvantibus ſatis eluceſcit tam Arthritidis cauſa quàm curatio in genere & his ſtantibus & ſatis comprobatis.

Attamen in illuſtri quadam Perſona hîc Romæ periculum facere mihi hactenus non licuit, & cauſa fuit quorundam ignorantia vel malitia, qui remedia priſcis & ſibi ignota Magnatibus diſſuadere, & contra novarum rerum Aſſertores, ſicuti onagri crabronum ictibus laceſſiti recalcitrare ſolent, quia apud illos adeò indelebile eſt malum elui non potens olim imbuta præindicata opinio, & ſcabie quavis ad ſanandum rebellius, & iſtis de Arthritidis cauſa & curatione nihil dixi, prudentibus verò ſatis dixiſſe ſcio, qui meo exemplo & modernorum doctrina facilè Arthritidis remedia invenient, qui verò parum ſunt prudentes, iſti præterea nihil invenient, etiamſi totâ vitâ infinitos artis effectus conſpexerint, ait *Gal. Meth. Med. lib. 14. Cap. 17.* Et tales qui præter Jota & Alpha reſonare nihil ſciunt, erudire mihi non eſt animus, quia ſecundum *Diogenem*: νεκρὸν ἰατρεῦειν ἠλίθιον νουθέτειν ταὐτόν ἐστι. Mortuum curare & fatuum erudire idem eſt. Et hac de cauſa à generalibus ad ſpecialia quieſcere jubet *Plato*.

Deinde reperiuntur alii, qui ad excuſandam ignorantiam ſuam imperitis perſuadere conantur aſſerendo, ſe quidem Arthritidem ſanare poſſe, ſed ſanationem eſſe morbo ipſo periculoſiorem, ſupponendo fluxiones podagricas impeditas repercuſſas vel fixatas interdum in nobiliores partes ruere, & deinde graviorem affectum vel mortem ipſam producere, quod ſuppoſitum probare nituntur Williſiana hiſtoria de aliquo, qui urinæ propriæ potu ab Arthritide liberatus nephriticus evaſit, & à

& à nephritide usu ossium selenorum sublevatus iterum arthriticus factus fuit, unde denuò ad urinæ potum confugiens & ab Arthritide sanatus, Nephritide prorsus incurabili correptus ex hac obiit, ut apud eundem *Willisium* de Arthritide videndum.

Et illis respondetur fluxiones podagricas non esse naturales sed præternaturales, ideoque à vero Medico tollendas, cum accidentium remotio non tantum sit rationalis, sed etiam necessaria & possibilis. Neque ullius roboris aut momenti est argumentum ab historia Willisiana, quia hoc argumentum est à particulari, ideoque non concludit ad universale, & periculum quod ostenditur, est ex ignorantia veri medicamenti, medicamentum enim quando est perfectum non per μετάστασιν repercussionem aut fixationem materiæ morbosæ morbum solvit, sed per totalem causæ ἀνάλυσιν & characteris seminalis extinctionem, sicuti superius luculenter rationibus & experimentis fuit demonstratum. Sed contra nostram jam dictam curandi rationem insurgit *D. Tachenius de principe morborum*, asserendo arthritidem in nobis non fuisse ex animato specifico degenerato acido, sed ex materiali acido citra delectum hausto, ideoque pro curatione quodlibet absorptivum alcali indifferenter satis fuisse.

Attamen cùm abundè satis superius Authoritatibus, rationibus & experimentis sit demonstratum solum acidum esse arthritidis effectivum, perinde etiam erit, sive hoc acidum ab interno specifico & degenerato radio sive per assumpta producatur, aut si magis vel minus materiale sit hoc acidum; Et quia quæ non differunt nisi secundum magis & minus, non differunt specie, & tanto magis, cùm omnis res, quæ unam & eandem cum aliqua re habet operationem, sit idem juxta *Philosophum Metaph. 4.* Et maximè cum evidenter superius sit demonstratum, Arthritidem æquè benè ex acido minerali, quàm ex vegetabili tartareo vinoso originem trahere & traxisse, melius sanè dixisset, si arthritis mea fuisset alio morbo conjuncta, tunc alcalicis sanari nequivisset, ideoque in nostris Decisis stare de-

crevimus Tachenianam opinionem explodendo, donec evidentiores demonſtrationes ex adverſo adducantur.

Sed ne Inclytum hunc Congreſſum Eminentiſſimorum P. P. Purpuratorum Majeſtate illuſtratum claſſico ad obſcura tantum documenta audienda convocaſſe videar, experimento demonſtrare decrevi, acidum eſſe calefactivum, & calefacere ſine adjutorio ignis vulgaris, bilem verò non incaleſcere ſine calore actuali, & eſſe frigefactivam, & etiam bilem habere alcalinam naturam, & illi ineſſe oleum & alcali volatile, ut innoteſcat quàm periculoſum ſit Authoribus credere, quis enim *Sylvium* & *Hofmannum* erraſſe credidiſſet? niſi experientia illorum errores detexiſſet, ideoque Sententia *Theognidis* ſemper magna eſt habenda, quâ inquit: Δόξα μεν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα πεῖρα δ᾽ ἄριστον. Id eſt: *Eſt mala Opinio, at eſt homini longe optimus uſus.*

1. Poſtremo ad Experientiam fuit deventum & demonſtratum multorum adſtantium Coronæ, acidum nitri & vitrioli ſpiritum ferri limaturæ affuſum maximum calorem & efferveſcentiam concitare.

2. Felli bovino affuſi dicti ſpiritus nullius efferveſcentiæ aut caloris dedêre indicia, fel tantum in grumas præcipitari, ſeu coagulari viſum eſt.

3. Bovino felli recenti infuſus alcali tartari liquor, illud nullatenus vel præcipitat, ſed limpidius fluidiusque reddit, neque calorem concitat.

4. Fel mixtum ſale tartari & ſale ammoniaco cum aqua communi in vitro conquaſſando ingens ad tractum demonſtravit frigus.

5. Spiritus alcalicus & ſal volatile oleoſum fellis cum ſpiritu nitri & vitrioli magnam concitavit efferveſcentiam, ſed exiguum calorem.

Ex quibus phænomenis fuit Concluſio noſtra, acidum ſolum eſſe calefactivum, & fel, quia nec acidis neque ſalſis aut alcalicis eſt calefactibile, & cum ultimis potius frigus intenſum oſtendit, eſſe frigefactivum.

Neque

Neque obſtat fellis alcalicus ſpiritus, aut oleoſum ejus ſal volatile cum acidis effervescens, quia quando aliis fellis partibus eſt colligatum, hoc nunquam, prout diviſum, efficit, proinde abſurdum videri fellis cum chylo, & pancreatico ſucco efferveſcentiam, & maximè quia *Sylvii*, *Sualbii* & *Louverii* argumentum à bilis bovinæ cum acidis efferveſcentiæ adductum falſum eſt demonſtratum.

Objecerunt tamen alii acidum ſolum nullatenus, ſed ferro alcali ſimul cum acido affuſo pugnando calorem excitaſſe, neque acidum absque alcali calorem concitare poſſe. Sed iſti objectores ignorant, quid ſit alcali, ideoque illos exhortor, ut prius addiſcant alcali quidditatem, & deinde mihi illud in ferro demonſtrent, & interim illos relinquo tanquam reſponſione indignos, & eò magis, quia mentiuntur aſſerendo per acidum ſolum & ejus partes calorem nullum concitari poſſe: legant *Kunckelii Chymicas Obſervationes*, ubi demonſtrat calorem ex acido ſolo & ejus partibus absque rerum extranearum & alcalium interventu, quod etiam ego multoties, expertus ſum, & quando lubet ad oculum demonſtrare poſſum.

Neque verum eſt omne acidum cum alcali calorem progignere, licet alcali ſemper efferveſcat cum acido, attamen talis fervor non eſt ſemper cum calore; Acidum verò forte cum alio acido forti magnum excitat calorem, ut patet in butyro antimonii cum nitri ſpiritu jungendo; Ex quo patet objicientium error.

Et alius objecit contra bilis frigiditatem & demonſtratum frigus absque bile cum ſale tartari, ammoniaco & communi aqua tantùm concitari poſſe, & diverſam eſſe mortuæ bilis & vivæ operationem, neque caryophyllos externè applicatos calefacere.

Et illi fuit Reſponſio noſtra: Si bilis eſt adeò calida ut vociferatur, quare non incaleſcit & efferveſcit cum ſale tartari, prout cum acidis fortiſſimis fieri conſuevit, & alcalicis aliis. Quoad diſtinctionem bilis vivæ à mortua, concedo bilem vivam non

activè ſed paſſivè calere ratione vitæ per accidens non autem ex ſua natura & per ſe. Et *Sylvius* ac *Louverius* & *Sualbius*, qui fellis vim calefactivam demonſtrare contendunt, rationem à felle bovino mortuo cum acido efferveſcente adducunt.

Sed hæc ratio per experientiam falſa reperitur; Et licet alcali fellis à felle ſeparatum cum acido mixtum fervorem oſtendat, tamen fervor iſte non ſemper calet cum omni acido, ideoque alia experientia eſt adducenda pro bilis calore firmando, non autem inane ſuppoſitum obtundendum. Oſtende mihi per bilem ſolam, vel per aliarum rerum commixtionem, igne excepto, ſicut cum acido calorem, tunc lubens acquieſcam. Similitudo verò à Caryophyllis non calefacientibus extra corpus claudicat, & experientia contrarium probat, quia caryophylli in ore detenti, vel per modum ſuppoſitorii applicati calorem inflammatorium inducunt, fel bovinum verò in dyſenteria per modum clyſteris injectum dolorem & calorem lenit. Etiam in Eryſipelate externè applicatum dolorem & inflammationem tollit.

Non tamen ibo inficias, bilem interdum excitare calorem in humano corpore, ſed nullatenus per ſe, neque per ſuas partes, ſed per accidens. Acidum verò ex ſe & per ſuas partes activè eſt calefactivum, ideoq; ſi à potiori in rebus datur denominatio, bilem eſſe frigefactivam, & acidum calefactivum aſſerimus.

NB Si bilis in animali vivente efferveſcit cum acido, tunc efferveſcit ratione vitæ, non ratione bilis & acidi, quia illa mortuo in animali non efferveſcit &c.



HISTORIÆ

HISTORIÆ LITERARIÆ

S. R. I. ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM

CONTINUATIO III.

AUTHORE

MICH. BERNHARDO VALENTINI,

Med. Doctore, Curiosorum THESSALO.

NORIMBERGÆ,

ANNO M DC LXXXVII.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

H*Abes hîc Tertiam* Hiſtoriæ Curioſorum Literariæ *recenſionem*, ERUDITE LECTOR, *in quâ vix amplius quid monendum, niſi quòd* voces *curſivis (ut Typothetis audiunt) literis expreſſæ totidem capita libri deſignent, id quod in præcedentibus pariter ſectionibus obſervatum eſt. Quandoquidem autem eorum, qui* ad Normam & Formam S. R. I. Acad. Nat.Cur. *expediti ſunt Commentariorum pauca adhuc ſeries ſuperſit, operam poſthâc dabimus, ut abſolutis iis* ERUDITORUM LIPSIENSIUM, ANGLORUM, GALLORUM & REIPUBLICÆ LITERARIÆ *methodum ſequamur atque alios (qui recenſionem merentur) libros noviter editos annuatim enumeremus. Intereà vale & Compendiis adjectis contentus Studio noſtro benè precare. Sunt autem VII. ordine ſequentia;*

I. D. JOH. MICH. FEHRII, Hiera picra *de Abſinthio.*
II. D. PHIL. JACOBI SACHSII, *Ampelographia.*
III. Ejusdem *Gammarologia.*
IV. Ejusdem *Oceanus Macro-Microcoſmicus.*
V. D. JOH. ANDR. GRABÆ, *Elaphographia.*
VI. D. GEORG. CHRIST. PETRI, Aſylum Languentium, *de Carduo Benedictô.*
VII. Dn. BENJAM. SCHARFII, *Deſcriptio Juniperi.*

JOH.



JOHANNIS MICHAELIS FEHRII, D.
Physici Svinfurtensis Ordinarii,

HIERA PICRA,
seu
De Absinthio,
Analecta, ad normam & formam Academiæ Nat. Curios. selecta.

Lipsiæ Impensis Viti Jacobi Trescheri, Anno 1668.



SUperiori *de Scorzonera* Libro à *Per-Illustri Dn.* *PRÆSIDE* olim evulgato jam addimus alterum *de Absinthio*, parili ferè methodô expeditum. In *Præfatione* enim HIERÆ PICRÆ Titulum enucleat & abhinc *nomen* & *naturam* hujus herbæ expedit, ubi plura notatu fortè non indigna. *Descriptionem* verò ad vivum elegantibus omninò figuris offert, quibus & *differentias* ejus atque *genera* distinguit, quorum I. est absinthium Vulgare, quod Ponticum includit. II. Seriphium seu maritimum. III. Santonicum, cujus effigiem à MATTHIOLO annotatam in dubium vocant *Alii*; quin & Ipse ex Santonici Officinalis semine terræ mandato plantam Tanacetó haud absimilem obtinuit. IV. deniq; genus est Montanum, cujus elegantissimam speciem à Beatissimo BAUSCHIO collectam æri insculptis figuris addit. Hinc quando *locum natalem* considerat, ex SOLENANDRI Observatione monet, quòd, ut ex ineffabili DEI T. O. M. Providentia sua singu-

ſingulis Regionibus remedia ſuccreſcant, ita circa pagos atque ſepes abundè proveniat abſinthium, quò & ruſtica gens habeat, unde frequentibus ſibi obſtructionibus occurrat, cùm *vires* Ejus atque *qualitates* ob ſalis volatilis abundantiam aperitivæ ſint, Salisque eſſentialis intuitu deterſivæ, utut ob admixtas inſimul particulas terreſtres quandam poſt ſe adſtrictionem relinquat, in quo acidulas illud imitari ſentit, quæ non tantùm aperiunt ſed & viſcerum in tono ſuo debilitatorum fibras confortant. Ex omnibus autem abſinthii ſpeciebus vulgare tantùm *eligit* locô cujuscunque ſive Pontici ſive Romani, vernô quidem tempore decerptum, ejusque *uſus* tam ratione præparationis Pharmaceuticæ, quàm applicationis Practicæ duplicem conſtituit: Illic *præparationes* ejus & Simplices & Compoſitas enumerat, quas inter vina ſpeciatim abſinthiaca (à SIM. PAULI etiam absque abſinthio parata,) eminent eaque fermentatione potiùs, quàm nudâ ſaltem infuſione præparanda, quo & abſinthii cruditates corrigantur & ſal ejus volatile magis evocetur, cui in corpore meteori inſtar elevato actionem ejus & efficaciam ferè tribuit. Heîc verò *uſum* abſinthii *Practicum* tribus C. H. Regionibus applicat, ita quidem ut in *Morbis Capitis* ſpecialiſſimè quidem cephalalgiæ à vermibus oriundæ ſit dicatum, ſicut id ſingulari de verme naſicolâ obſervatione adſtruit, cui ſimilem ferè tradunt Eruditi Pariſienſes *au Journal de Medecine Menſe ſecundo.* Quin & epilepſiæ ſtomachicæ appropriatum eſſe remedium aliisque per ventriculi conſenſum propullulantibus capitis ſubvenire morbis experientia conteſtatur, quo nomine & ebrietatem præcavere dicitur. Sic & in *Thoracis affectibus* haud omninò ſterilis eſt abſinthii uſus, ſpeciatim in febribus malignis, eoque magis, ſi juxta KIRCHERI hypotheſin verminoſæ putredinis ſoboles ſint. De Divino autem hôc in intermittentibus auxiliô nullum amplius eſt dubium. Maximè tamen *Infimæ Regionis* viſceribus dicatum eſt, ut non ſine causâ forte id ſtomachi anima dicatur, ut rhabarbarum hepatis. In appetitu certè ſive

dejectô

dejectô, sive quovis licet modô depravatô, etiam Gravidarum picâ summum est remedium, quàm inventione tempestivâ, exhibito prius mechoacannæ pulvere cretæ commisto, Syrupô de absinthiô funditus exstirpavit Author Eruditus. Cachexias verò desperatas vulgò die Farbsucht & inde pullulantes icteros, hydropes, scabies &c. Solo sæpè absinthiô percuratos elegantissimis ostendit Observationibus. Singulari autem encomiô hîc extollit D. RHEFELDII secretum in Hydrope, quod ita parat:

℞ Sal absinthii ℥j, solvit in cellâ, filtrat & spirit. salis præcipitat ad modum tartari vitriolati, inspissat & crystallos inde paratos à ℈ß ad ℈j in aqua appropriatâ propinat. Quantum verò in omnis generis lumbricis, vulgaribus æquè atque latis valeat, nemo fortè nescit, in quo posteriori casu tamen jalappam quoque partes suas strenuè egisse, speciali observatione confirmat, additô simul icone oculari. Tandem *Mechanicum* ejus *Usum* in conservandis vestimentis, plantis atque frugibus subjungendo, quæstionibus quibusdam atque corollariis curiosis concludit.

PHILIPPI JACOBI SACHSII à LEWENHAIMB,
Sil. Phil. & Med. D. & Colleg. Nat. Curios. Collegæ,

ΑΜΠΕΛΟΓΡΑΦΙΑ

seu

Vitis viniferæ, ejusq; partium consideratio,

Ad Normam Colleg. Nat. Curiosorum.

Lipsiæ Impensis Trescherianis, Anno 1661.

CEleberrimus hujus Seculi Rerum Naturalium Scriptor P. J. SACHSIUS, alter Plinius, Historiam vitis viniferæ tantô eoque multijugô studiô & infinita lectione perpolivit, quantô antidhâc à nemine pertentatum est, *verba sunt Beatissimi Senis D. SIM. PAULI in Q. B. pag. 558.* In *Præloquio* autem exorditur à variis Scriptorum argumentis, eorum in specie, qui ex triplici Medicinæ regnô singulare quod-

dam simplicis genus sibi pertractandum elegêre, quod ad exhauriendum universi hujus thesaurum ferè necessarium visum est Inclytæ S. R. I. Nat. Cur. Academiæ, quæ ansam largiebatur Authori de aliis Exterorum sodalitiis, ab Italis Academiis dictis, prolixè discurrendi. Factô hinc ac Tractationem transitu *Lib. 1. Generalia* complexurus, absolutô prius *nomine*, in *Inventores* vini inquirit, & quamvis vitem in primæva Mundi creatione exstitisse credat, excultionem tamen ejus uvarumque expressionem non nisi post diluvium Noacho innotuisse credit. An verò id ab Hircô ex labruscarum, ut ferunt comestione inebriato cæterosque cornu feriente didicerit, id fere cum HEINSIO ridet; & idem fortè de putatione ejus, quam Asinus pampinos abradens docuisse fertur, sentiendum est. Abhinc *descriptionem culturamque vitis* addit & in quibusdam Hungariæ tractibus trunco Ejus auri obryzi fila ob mineras fortè subterjacentes intertexi refert, unde Vini cum auro sympathiam deducit & annexis *differentiis* rationem reddit, cur vitis annuatim vere progerminet, ex eô, quòd spiritus intus conclusi salis æquè ac sulphuris adminiculô eousque protendant illam, donec figuram à Naturâ destinatam obtinuerit: Decidere autem autumnô folia, dum spiritus cum humore aqueô partibusque sulphureis sub æstivô calore quâ data porta ruunt, remanente sale fixo crassiorique sulphure; *Conf. WILLISIUS Tr. de fermentatione.* Libro vero II. Speciali *Partes* ipsius *vitis* earumque *usum* tradit, quem tribus, ut per compendium eamus, verbis exprimo: *Pampini* scil. picantibus: *Flores* delinquentibus, *Lachrymæ* ophthalmicis, *uvæ immaturæ* stomachicis, *maturæ* bellariis, *passæ* verò hecticis consecrata sunt. Inde vindemiam ingreditur Author *mustiq. expressionem* enucleat, non tantùm *primarii*, quod vini rudimentum est, & si nimium potetur, alvum stimulat, sed & *secundarii*, Lora vulgò dicti, qui servorum potus est. Remanent *arillæ* & *vinacea*, quorum illa adstringendo valent vinaque subaustera die Kepser constituunt: Hæc verò adhuc calida certum podagricorum sunt solatium. Mustum autem doliis sulphure per-

perfumatis inditum *fermentationi* committitur, quam particularum salino-sulphurearum reactioni cum WILLISIO ascribit, qua durante sedulò sibi caveant Vindemiatores ab evaporante Gas Sylvestri, quod non secus ac aquarum mineralium vapores homines strangulare solet, de quibus elegantem ab Illustri Domino FEHRIO Svvalbaci observatam historiam addit. Sedatâ fermentatione liquor paulo clarior vinum propriè dicitur, cujus varius semper *usus*, varius & *abusus*. Plura hîc sunt, quæ summæ lectionis Author ex omni æquè antiquitate ac celebriorum Medicorum scriptis undique collegit, quàm ut singula hîc in compendio tradi possint: Binæ saltem controversiæ notatu fortè dignæ sunt, quæ multis abhinc annis Scholas exercuêre & in hodiernum usque diem nondum sunt discussæ: An sc. præservandi fine Vinum ad ebrietatem usque ingurgitare expediat? *An & febricitantibus conducat?* Priùs rotundè negat, cum alia prostent media, scopum hunc ferientia. Posteriori verò distinguendo faciliorem se præbet & per omnium *febrium Species* eundo docet, quod contra Veterum Quorundam rigorem non omnis vini potus in febribus inhibendus sit, quæ sententia nostris quoque temporibus invaluit admodum. Plures sane, si supputationem instituas, acidæ sunt, quàm volatiles vini partes, ut calor Galenicis tantoperè infestus ne quidem ex hoc principio exhorrendus sit. Non minus *in aliis ægritudinibus Divinum vini usum* fusè recenset, utut excipiat haud paucos & affectus & ægros, *infantes* inprimis & *nutrices*, quibus id non facilè concedendum est, quò tamen in casu Prudentiores Medici haud difficulter dispensare nôrunt. Innumerabiles hinc *vinorum* tam naturalium quàm artificialium *differentias*, à *colore*, *sapore*, *odore*, *virtute locoq́ natali* addit, unà cum variis ejus productis, *aceto*, *spiritu vini*, *tartaro*, quæ & ipsa, prout abundè cognitum, tam à Galenicis, quàm Chymicis variè sunt tractata. Tandem Appendicis loco *racemationem*, ut vocat, *succinctam* adjicit, quâ notas quasdam superioribus addendas pro Supplemento complectitur.

PHILIPPI JACOBI SACHSII à LEWENHAIMB, Sil. Phil. & Med. D. & Colleg. Nat. Cur. Collegæ,

ΓΑΜΜΑΡΟΛΟΓΙΑ

ſeu

Gammarorum vulgò Cancrorum conſideratio,

Ad Normam Collegii Nat. Cur.

Francof. & Lipſiæ Sumptibus Ef. Fellgibelii, Anno 1665.

AMpelographiæ Gammaros ſubjungit Author, quia (jocante ita BARTHOLINO) difficilior Aſtacorum caro & ventriculo moleſtior eſt ſine vino. A fronte verò libri exorditur ab *encomio Philoſophiæ Naturalis*, non tantùm à plurimis ordine illic recenſitis Eruditis, ſed & Regibus excultæ. Ut enim hujus ope plurimæ Veterum *Fabulæ* de Salamandra, v. g. Phœnice, Chamæleonte &c. hodierno tempore feliciſſimè ſunt detectæ, ſic *adminicula* tradit, queîs plura indies reperiri Studiique hujus incrementa promoveri poſſent, quæ eò quidem recidunt, quòd non tam è libris, quàm ipsâ potius autopsiâ ſpectari velit Natura, cui quidem ſcopo non tantùm ſectiones Anatomicæ, ſed & Muſæa hinc inde collecta & ab Authore fusè recenſita, imò Societates Curioſas hunc in finem inſtitutas inſervire docet, quas inter IV. præprimis eminere cenſet NICOLAUS WITTE Archiater Suecicus *in Epiſt. Tractatui huic annexâ*, nimirum COLLEGIUM ROSIANUM Galliæ, LYNCEUM Italiæ, SOCIETATEM REGIAM Angliæ & ACADEMIAM NATURÆ CURIOSORUM in Germania. Propriis verò ad ipſam accedens Tractationem, Inſectorum *cruſtatorum differentias* tradit, eaque in caudata diſtinguit & rotunda *Caudata*, Gammari propriè audiunt, *rotunda* verò cancri, utut vulgaris loquendi modus hanc ferè vocum ſignificationem invertat. CAUDATORUM igitur III. genera enumerat, locuſtas, gammaros ſeu aſtacos, atque Squillas. *Locuſtæ* noſtris

nostris quidem regionibus rarò visæ sunt & nonnisi corporis structurâ differunt à gammaris, quam in figuris æneis ob oculos ponit. *Astaci* vel marini sunt, die See-Krebs/ tantæ sæpè magnitudinis, ut & hominem chelis comprehensum haud difficulter interimere valeant, quos nullibi tanta in copia vidi quàm Londini Britannorum: Vel fluviatiles Nobis die Krebse/ Bach-Krebse/ ab ALDROVANDO propriè Gammari dicti, de quibus Author hoc in loco. *Squillarum* verò, h. e. astacorum chelis carentium, sive marinarum, sive fluviatilium, plures sunt species, ab Authore depictæ, & utrobique vel latæ sunt vel gibbæ, quarum posteriores in maritimis circulis frequentes & elixatæ à Belgis *heete Garnelen* proclamantur. Ad squillas hasce Author quoque *Pinnotheras* refert, à cancellis in eo discrepantes, quod illæ saltem pinnas, hæ verò & alias quascunque conchas inhabitent: Utrosque tamen ex observatione BARTHOLINI *Cent. VI. Hist. rar.* 46. in peculiaribus sui generis *conchis anatiferis* aliis dictis generari putat. Tantum enim abest, ut avium pennæ seu anatum rudimenta sint explicationes illæ lanuginosæ inibi contentæ, ut potius ex Observatione D. D. FEHRII rudera sint futuri gammari seu cancelli. Restant jam crustacea ROTUNDA, quæ cancri propriè dici debent, Germ. die Grabben/ Taschen-Krebse. Cancros hosce distinguit in terrestres, palustres, fluviatiles & marinos. De posterioribus res expedita dudum. De primis verò quærit, an in terra generentur, an verò per inundationes aut per terræ cuniculos rependo eò transportentur? Affirmat utrumque cum & *pisces* reperiantur *fossiles* atque *terrestres*, quos ob peculiarem sui saporem non ex aqua semper sed & solô generari credit. *Gammaros* verò *petrefactos* subinde reperiri mirum illi non videtur, cùm & integra Tartarorum Horda in lapidem conversa visa sit ab HELMONTIO. Qua occasione de miris illis Florentiæ lapidibus, confetti da Tivoli, glossopetris, serpente in cervi ventriculo petrefacto Hanoviæ conspicuô plura refert, manumque

que saxeam è tellure erutam in figura ænea repræsentat, & haud rarò vegetabilia quædam cancrorum crustis adnasci memorat.

Præmissis hisce jam specialiorem Gammarorum, seu cancrorum nostratium enucleationem meditatur & enodatis variis nominis æquivocis accuratam illorum delineationem tradit juxta *partes* ordine descriptas, quas inter peculiare quid obtinent *lapilli* à figura vulgò oculi cancrorum dicti, non tam in cerebro, quàm potius in ventriculo ex sale terræ balsamico centrali progeniti, ut HELMONTIUS observat, id quod in solis gammaris fluviatilibus iisque tantùm maribus obtinere constat. *Proprietates* verò gammarorum multæ sunt, quas inter tamen tres imprimis eminent, nimirum color, depositio crustæ, forcipumque regeneratio. *Coloris ratio* ex texturæ superficie lucisque refractione variâ oriundi juxta eruditam BOYLEI hypothesin facilè reddi poterit. *Crustæ* verò *depositio* hunc quidem in finem accidere videtur Authori, ne, si vetus permaneret, non solùm prægravaret, sed & motum siccitate, incrementum verò parvitate impediret. *Regenerationi* ejus lapillos inservire credit, quòd ex Observatione WEPFERI certum sit, eò perfectiores esse lapillos, quo mollior gammarorum crusta: Contra quò durior ipsa crusta eò minores esse lapillos. Non parùm interim succum, quô abundant, nutritium huc conferre credibile, unde non *chelarum* modo *renascentia*, quam mira cancrorum *longævitas* dependere videtur. Nova interim hîc quæstio oritur, cur succus ille & cancrorum caro juxta lunæ phases crescat & decrescat, cùm tempore plenilunii major inibi copia reperiatur, ut vel culinis constat: Ubi quidem applausum meretur Eorum opinio, qui ob fluminum à plenis lunæ radiis majorem illuminationem id fieri credunt, ut escas sibi destinatas vel oculis usurpare possint; hinc vicissitudo illa in gammaris maritimis non obtinet, cum lunares radii abyssum maris non attingant. Hactenus Physica gammarorum speculatio.

Libro

LIBRO jam II. *Usum* eorum Diæteticum, Pharmaceuticum atque Medicum considerat. Illum culinis relinquimus: Istum Officinis: Hunc verò juxta triplicem corporis humani regionem ita diducit, ut ubicunque acidi sive præcipitatione sive absorptione vel inversione opus sit, cancrorum pulverem etiam simplicissimum facile primas tenere ostendat.

PHILIPPI JACOBI SACHSII à LEWENHAIMB, Sil. Phil. & Med. D. Collegiiq; Nat. Cur. Collegæ,

OCEANUS MACRO-MICRO-COSMICUS

seu

Dissertatio Epistolica de Analogô motu aquarum ex & ad Oceanum, Sanguinis & ad Cor, ad D. THOM. BARTHOLINUM.

Uratislaviæ apud Esaiam Fellgibelium, Anno 1664.

MEra, ut Titulus habet, comparatio est & analogia motus marini cum motu sanguinis circulari, ut totam tractationem additâ in fine *anacephalæosi* ita exprimit: *Demonstrare conatus sum* Analogiam Geocosmi *&* Anthropocosmi, *quomodo* unum principium *fluxus aquarum Oceanus: Sanguinis cor*: Unus circuitus *sive* ambitus in quo movetur *ab Oceano, fundus & terra*: Unum Objectum *aqua in mari & extra mare saltem accidentibus distincta, pariter ac sanguis in arteriis & venis formâ non differens.* Vasa ambitûs *efferentia & inferentia*; finem *ut aqua semper ad Oceanum; sanguis ad cor remeet*: Motum *ipsum, quomodo* sanguis *per universum corpus ad varias operationes diffundatur; sic & aqua perenni quadam pericyclosi ex Oceanico regno in totius telluris intima viscera deferatur, ibidem variam effectuum diversitatem moliatur, nunc condensatione, nunc rarefactione per intimas terrestrium glebarum fibras, rimas, fissuras mineralium metallorumq; materia abditô quodam connubiô jungatur: Ut per innumerabiles tellu-*

ris meatus, canales atq; tramites in extimam globi superficiem erumpat, montium juga penetret & inde dilapsa universam terræ faciem innumerabili fontium, rivorum, fluviorumq; multitudine irriget, donec tandem, unde dilapsa Oceano tanquam principio suo postliminiò restituatur.

JOHANNIS ANDREÆ GRABÆ, D. Physici Erfurt. & Collegii Naturæ Curios. Collegæ,

ΕΛΑΦΟΓΡΑΦΙΑ

sive

Cervi descriptio Physico-Medico-Chymica.

Jenæ Impensis Trescherianis, Anno 1668.

PRæfatio plures habet rationes, quæ lapidem bezoar cum decantato unicornu verô suspectum reddere valent, quibus Cornu Cervi jure meritô præfert Author. Ipsam verò *Tractationem* tribus Sectionibus absolvit. In *primâ* considerationem cervi Physicam instituit præmissisque Philologicis *Descriptionem* ejus *Naturam* & *Proprietates* expedit, quas inter cornuum rejectio eorundemque regeneratio peculiare quid obtinere videntur. Illius causam partim ponderis gravitatem, partim verò duritiem pororumque constipationem esse censet, quæ in causa est, quò minus sanguis cum partibus nutritivis affluens penetrare, sed in radice putredinem concipiens vermiculos quosdam generet, qui radices eorum blandè corrodendo pruritum animali atque titillationem procreant & ad cornuum detrusionem stimulant. Regenerationem verò illorum tum nutrimenti affluxui, tum copiosô, quô abundant, sali volatili sub Veneris æstu per totam corporis peripheriam expanso ascribit, quod particulas oleosas & balsamicas, seu, si mâvis, nutritivas indies urgere ipsaque cornua per-exiguô temporis intervallô in tantam protrudere molem valet. Unde verò sal ejusmodi volatile proveniat, cum nonnisi plantis vescatur animal, non tam sal. vol. quàm spirit. potius acidum fundentibus, quæritur? Existimat autem illud ex sale fi-

xo ſpirituque vegetabilium acido generârint ab Archeo. Interim de ſale plantarum volatili poſt HELMONTIUM, STARCKEY atque Alios res jam ſatis expedita eſt à Celeberrimo WEDELIO, libello ſatis notô. Quare *ſecundam* jam *ſectionem* addo, quâ Cervô ſuperba monumenta & inſignia ex Heraldica arte petita, aliasque allegorias tam ſacras quàm profanas allegat & elegantiſſimum cervi ſceleton, cum omnibus inde paratis medicaminibus, in Illuſtri, quod Dresdæ eſt, Muſæo conſpiciendum extollit. In *tertia* tandem *Sectione* uſum cervi tam Pharmaceuticum quàm Practico-Medicum exponit & à capite ad calcem partium cervinarum enumerationem inſtituit una cum præparatis earum ſive ſimplicioribus ſive compoſitis. Illîc Spiritus Cornu Cervi, ſal. vol. oleum & calcinatio ejus tam vulgaris, quàm Philoſophica eminent, cujus ſingularem prorſus & vix unquam hactenus inauditum calcinationis aêreæ modum obtinuit à Dn. D. FEHRIO, qui tenelli cervi cornua aëri pluvioſo committendo radiisque Solaribus abhinc exponendo, ita friabilia reddidit ac ſi vulgari modô calcinata fuerint. Hîc verò compoſita cervina tantùm non innumerabilia recenſet, ita ut haud facilè in compendio ſiſti queant. Quibus tamen haud abſurdè quis adjiceret decantatiſſimum hodiè *liquorem Cornu Cervi ſuccinatum*, quem pro ſuetô ſibi candore ſincerè deſcribit Beatiſſimus ETTMÜLLERUS *in Valetudinario Infantili Tit. de Epilepſia.*

GEORGII CHRISTOPHORI PETRI, D. Med. Elect. Mogunt. & Facult. Med. in Per-antiqua ad Hieram Lycéo Aſſeſſore,

ASYLUM LANGUENTIUM
ſeu
Carduus Sanctus vulgò Benedictus.

Jenæ Impenſis Treſcherianis, Anno 1669.

P*Ræliminaria* ſignaturas laudant, Dei quaſi digito vegetabilibus inſcriptas, quibus non tantùm aliorum uſum, ſed

 & vim

& vim cardui benedicti pneumonicam atque anti-pleuriticam primitus innotuisse credit Author. Ipsam verò *Tractationem* à *Descriptione* C. B. tum *nominali* tum *reali* exorditur, variasque carduorum *differentias* enumerat, quas tamen inter Carduo Benedicto, si virtutem ejus & efficaciam spectes, primas haud immeritò defert: Unde pro *loco* sibi *natali* exculta potius viridaria, quàm desertas solitudines exposcit, sub autumni quidem initio terræ committendus. Incidenter hîc eorum examinat experimentum, qui carduos absque acuminibus nasci turos promittunt, si seminum acumina confringantur, quod ulteriori relinquit experientiæ. *Qualitates* autem ipsi tribuit attenuantes, incidentes, abstergentes, diaphoreticas & alexipharmacas. Sale enim volatili sanguinis coagula potentissimè resolvit, hinc in Pleuriticis aliisque viscerum internorum inflammationibus tam egregiè sese gerit. Quamobrem pro *usu Pharmaceutico* varias cardui hujus præparationes tam simplices, quàm compositas enarrat. *Illîc* nil frequentius est plebejis pulvere C. B. simplice, cujus ʒj. in aquis appropriatis ad profligandas febres tam intermittentes quàm malignas (sæpiusculè non impunè) hauriunt, quo tamen multô tutius esset Sal ejus, tam fixum quàm essentiale tartareum. *Hîc* verò compositos inde pulveres febriles, pleuriticos & alexipharmacos collegit; quæ omnia demum pro *usu curativo triplici* corporis humani *regioni* fusè applicat, ita tamen ut haud multa occurrant, quæ hîc speciatim recenseri possint, nisi quòd à Pistore quondam Graizense Cardui benedicti usu binos depulerit lumbricos latos, de quibus & *Excellentissimus* D. FEHRIUS *de absinthio*. Tandem & *morbis universalibus venenisq;* adversari probat. Nec in externis illum morbis omnino sterilem esse docet egregiâ observatione ab Illustri Dn. PRÆSIDE, cujus honorifica modò mentio facta, haustâ, qui ulcus virgæ putridum in Sartore, unà cum carunculis mictioni plurimùm incommodantibus decocto C. B. cum passulis & glycirrhiza percuravit.

BEN-

BENJAMIN SCHARFII, Med. Lic. & Archiatri Svvarzburgici,

ΑΡΚΕΥΘΟΛΟΓΙΑ
seu
Juniperi Descriptio,
Ad Normam & Formam Acad. Nat. Curiosorum.

Francofurti & Lipsiæ Sumptibus Caroli Wolffii, Anno 1679.

DEnominationibus atq; *differentiis* jam præmissis figuris æri incisis ad vivum depingit juniperum tam majorem & arborescentem & fruticescentem, quàm minorem sive humi repentem sive altius in fruticem surgentem. Abhinc *locum* ejus *natalem*, *culturam* atque *qualitates* tam in toto quam in partibus latentes considerat, quas inter vi sua balsamica & terebinthinata quasi, nephriticâ excellunt baccæ, quæ renum anima jure dici possent. *Externè* verò gummi juniperinum, Sandarachum vulgò dictum succino nequicquam cedere docet. Deinde *præparata* varia ex ligno æquè atque baccis quovis modo elicienda discutit, quæ inter palmam ferè ducit multis in arcanis habitum *Malvaticum juniperinum*, in calculi cura tam præservativè quàm curativè prorsus egregium; addit præparationem ejus ex ROLFINCIO *Lib. IV. Chym. in Art. formam red. Sect. I. Cap. X. art. 11.*

℞. Rob juniperi ℥iij.
Vini Malvatici canth.ß.

Mista in vase terreô pistillô marmoreô, digeruntur leni calore & tinctura per linteum colata servatur ad usum. Quidam locô Malvatici sumunt spiritum juniperinum vel spiritum vini: Sicut alii rob juniperi jungunt c. rob ebulino, ceu Francofurti ad Mœnum ejusmodi Tinctura prostat sub *Spir. Vini juniperini D. J. D. H.* titulo. Quando verò usum juniperi *specialem* excutit, notabilis fortè in affectibus capitis cura est, quâ Juvenem 14. annorum convulsionibus manûs atque pedis in sinistro latere detentum sequenti methodô percuravit: Præmissis scil.

ſis ſcil. Purgantibus & Vomitoriis pro diaphoreſi dedit pulverem ſequentem:

℞. Sal vol. CC.
ſuccin. ãã gr. xvj.
fix. junip. ℈j.
Flor. Sal. Armon. ʒß. M. Div. in 4. p. æ.
S. Vier Schweißtreibende Pülverlein.

Externè aq. artic. ex ſpir. lumbricorum, junip. ſal. armon. & unguento quodam nervinô uſus. Et eadem ferè formula, egregia quidem, ſed alienis ut videtur plumis efficax & ſuperba, inter *medii ventris affectus* Pleuritidem etiam absque Venæſectione ſæpiſſimè ſe perſanâſſe teſtatur. Quanti verò *in abdominis morbis*, renum imprimis & veſicæ, valeat, id jam ſuprà dictum. Notabile ſimul eſt, quòd particulis fortè oleoſis & vermibus inimicus ſit, ſicut inſanæ longitudinis lumbricum habet Author, *eſſentiâ* ſuâ *contra vermes* & muliere 41. annorum prolectum, quam juniperus pariter ingreditur & ſequenti comparatur modo:

℞. Herb. abrot.
ſcordii
tanaceti ãã Mj.
Rad. diptamni
filicis
zedoariæ ãã ℥ß.
Flor. cent. min. Mj.
perſicorum p. ij.
Muſci corallini ℥iß.
Sem. Santon.
coriandr. ãã ʒvj.
Bacc. junip. ℥ij.
Myrrhæ optim.
Theriac. Andromachi ãã ℥ß.

Concis. & contuſ. infunde ſ. q. ſpir. junip. rectif. Tinctum quod eſt ſeparetur & novus ſpir. affundatur, conjunctis liquorib. adde
Spir. CC. Sal. vol. imprægn. ℥ij.
M. S. Eſſentz wider die Würme.

Tandem & *externè*, in catarrhis præcipuè, ut & *rebus œconomicis* juniperum adhiberi poſſe pro colophone docet.

Præsentem Venerabilis nostri Senioris, Magnifici Dn. PRÆSIDIS Emeriti Observationem, quæ superiorem meruisset locum, tardiùs autem oblatam, omittere noluimus, quæ est,

OBSERVATIO
D. JOH. MICHAELIS FEHRII,
De
Palpitatione Cordis.

VArias quidem causas agnoscit illa, serositates tamen in corpore restagnantes, cordique cum sanguine confertim communicatæ, utplurimùm malum hoc producere, præsertim in virginibus cacochymicis, mensibus incipientibus, & in fœminis tributum solvere suum lunare non amplius valentibus observatum est. Anno 1649, Uxor cujusdam sutoris, antea ap. Nobiles sat lautè educata pertinacissimis mensium obstructionibus laborabat; hæc cum perpetuis circa perinæum primò, postea capitis manuumq; pedumque ac ventris doloribus quasi colicis, difficulter spirat, tussit, vigilat; & quod caput rei palpitatione cordis perpetuâ corripitur, adeò, ut etiam linteamina lecti sinistræ mammæ imposita à quovis pulsu subsultarent, idque imprimis circa Plenilunium. Omnibus modis revocati menses, præmissis tamen universalibus; sed ii pauci & difficulter fuêre profluentes. Post æquinoctium vernale derepente manuum tremore corripitur, consequentibus mox convulsivis quibusdam lateris sinistri motibus ad caput usque adeò, ut musculi faciei sinistræ partis retracti, ridiculam quandam oris torturam, non tamen stabilem, sed mutabilem, indolorificam efficerent: (spasmum Cynicum vocant) in nucha insignis urget pruritus, quâ parte

sæpius

ſæpius frictâ unguibus & ad vivum ſcalptâ ichor ſenſim billioſus & ſeroſus per aliquot dies cum ſenſibili mali remiſſione effluit; manus tamen à ſomno torpent, dolentque ad operas conſuetas, ſed ol. vel ſpir. lumbricorum cum aliis ejusdem farinæ ſæpius fomentatæ agiliores ſenſim redditæ ſunt, ipſaque plenariè tandem cordialibus, diaphoreticisque ſæpius adhibitis reſtituta viſa fuit, licet nonnunquam, ſed rariſſimè leves palpitationes cordis iterum perſentiſcat, quas tamen ſtatim tollit incurvatione corporis, & lateris dextri (quaſi ſublatura quidpiam) ad terram factâ: excluſione forſan ſeroſi ſanguinis ex venâ arteriosâ in cavam violenta compreſſione retrò facta, ex lege circulationis ſanguinis. Cedo ſaniorum judicio.



MEMORIA

MEMORIA SCHEFFE-RIANA.



ILLUSTRISSIMO
S.R.J. ACADEMIÆ NATURÆ
CURIOSORUM

COLLEGIO

S. P.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI
MED. D.



Deò NUNQUAM OTIOSUS est juratus mortalium adversarius, ut & iis, qui de hominum genere optimè mereri student, omni momentô ruinam intentet & exitium. Momentum equidem est, quod vivimus: Momentô temporis maximarum in Mundô rerum monumenta vertuntur: Momentô temporis admiranda illa Microcosmi compages dissolvitur. Quod vivimus, momentum est, sive à pueritiâ ad extremam senectutis metam eatur, sive primam ætatem adolescentiæ confinium confecerit, sive prima ingressus hora fatalis fuerit; nec adeò quæcunq; in longiori vitâ vel adspectu afficiunt, vel usu blandiuntur, stabilitatis ullum firmamentum præstant, ut rapidissimô potius cursu à sui cultoribus auferantur, non secus ac urbes & terræ

ex oculis evanescunt è portu solventium. Momentum erat, quod numerosus XERXIS Exercitus vivebat, atque illud brevitatis momentum lachrymas Imperatori expressit, sive in illâ propriam miseriam animô obiret, sive simul suorum fugacitatem contemplaretur. Non opus est cum PLINIO longinquâ peregrinatione in Pontum divertere, atq; in illâ animalia investigare, adeò angustis vitæ terminis inclusa, ut diei unius summô manè nata vigeant meridiè, vesperi verò consenescant vivendiq; finem faciant; nostra hæc hominum communis sors atq; conditio est, hic

Quem dies præsens videt esse natum,
Hunc dies vidit veniens solutum.

Desideras vitæ hujus caducæ vera emblemata? ista dabo: Umbra, Bulla, Somnium, Fœnum, Fumus & qui alii vanitatis & inconstantiæ tituli vitæ humanæ tum in Sacris, tum in Profanis Literis longô catalogô impositi deprehenduntur. Ludus sanè vita nostra est, ut cum non simus, nascamur, & cum fuerimus nati, dissolvamur rursus. Somnium sumus, non consistens, prætervolans avis, navis in mari vestigium non faciens, pulvis, vapor, flos suo tempore nascens & marcescens suo tempore. At verò Psalten Divinum audiamus ita in rem concionantem: Homo sicut fœnum; dies ejus tanquam flos agri efflorescunt, quoniam spiritus pertransibit in illô, & non subsistet & non cognoscet amplius locum suum. Hæc profana sacraq; pagina docet. Hæc experientia loquitur & iterata ACADEMIÆ CURIOSÆ fata, heu quam tristia! Vix enim

enim se ventis commiserant Argonauticæ Classis Heroës, & ex tristi Eorum, qui ad expeditionis hujus clavum sedebant, jacturâ, vela jam plenô ventô turgida contrahere jubebantur. Occumbebat BAUSCHIUS Primum eruditæ conspirationis Caput, dum in urgendis ejus progressibus omnem movebat lapidem. Et utut ex promeritâ postmodum *Per-Illustris* FEHRII successione pristinæ omnia tranquillitati viderentur restituta, mox tamen iterata ex tristissimo SACHSIORUM WELSCHIORUMq; obitu tempestas imminebat, quorum virtus & sedulitas quondam *Academiæ Nostræ* splendorem fœnerabantur haud obscurum. Ita duplici demum fatô satiata Nemesis inducias hactenus indulgere visa est. At verò ut Athletarum habitus, cùm ad summum pervenit, periculosissimus audit ab HIPPOCRATE, ita quum in excelsô Celebritatis fastigio superbit maximè S. R. J. NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIA, verendum omninò est, ne præcipiti lapsu ruinam expectet multò acerbiorem. Mali equidem, quin pessimi ominis res est, quòd de novô illi, qui in promovenda Societate tam laudabili erant toti, præmaturô mortalitatis suæ terminô rursus infestentur, quos inter haud minimus quondam erat *Excellentissimus Vir* DN. SEBASTIANUS SCHEFFERUS *Med. D. Diversorum Imperii Statuum Archiater, Illustris Reipublicæ Francofurtensis Med. Sq. R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus quondam Meritissimus*, hornô tempore non sine multô Eruditissimorum quorumvis consternatione

aa 3 vitâ

vitâ defunctus. Vix suffenus ero, ut jacturam à toto Reipublicæ literariæ consortio exinde conceptam verbis exprimam. Tanto enim, dum in vivis erat, amicitiæ fœdere mihi jungebatur, ut ad desideratissimam Nominis Ejus memoriam tantùm nón penitus obmutescam. Quapropter nemo mihi vitio vertet, si jam aliunde potius mutuatis, quam domi natis & ob excruciatum dolore animum cespitante calamo describendis modò verbis utar: Sunt verò *Venerabilis Nostri* PRÆSIDIS, D. D. FEHRII, qui literis decrepitô nunc annô ad me datis ita querebatur: *Quantum naufragium fecerit Argo nostra ex obitu Excellentissimi Nostri PERSEI II. vix satis deplorari poterit omnis nostra Academia, Peritissimô hôc Palinurô (proh dolor!) jam destituta penitus. Vereor Ego plures ejusmodi procellas ac tempestates expeditioni nostræ plurimum infestas, ejusq; interitum interminantes, quas tamen DEUS T.O.M. Summus noster Gubernator clementissimè avertere velit.* Interim

Durandum & nosmet rebus servare secundioribus!

Non minorem inde luctum sentiêre alii ex Universâ Europâ Celebratissimi Medici, qui vel adhucdum ad Beatissimi Viri memoriam largas solvuntur in lachrymas. Sit unius instar omnium *Magnificus DN.* GEORGIUS FRANCUS vel ex nomine tanquam propriâ luce radians, qui, dum in agone jam æger anhelaret, hâc mihi ratione respondebat: *Inter mille turbas officii & consultationes cum D.D. WIDTIO & D.D. BRUNNERO*

NERO (uterque autem Tibi plurimam ſalutem) ſuper graviſſimo affectu Sereniſſimæ Electricis Viduæ, triſtiſſimum Tuum accipio nuncium, quod myriadas lachrymarum ſtatim mihi expreſſit. Vah malum ſummæ malignitatis! O candidiſſimum meum pectus! Ab omni purgante, clyſtere & quicquid à peripheriâ ad centrum malum retrahere poteſt, abſtinendum, imò ſatius fuiſſet etiam abs V.S. Fugienda ſalia acria, calida, valdè ſpirituoſa. Quæ mea mens ſit, vide ex literis ad ipſum oculiſſimum meum: ἄδηλος διαπνοὴ *promovenda, ſine tamen ſudoriferis, ne abjectæ vires penitus conflagrent. DEUS Optimus Maximus exaudiat ſuſpiria mea, quæ pro intimo & Principe Amico fundo. Vale!* Prorſus verò lamentabilis & verè querula eſt *Amici* haud infimæ ſortis conteſtatio, quam ſequentibus ad me verbis expreſſit: *Ah grave vulnus quod accepimus! Itane tam citò SCHEFFERUM (ô dulce nomen!) Noſtrum oportuit procul hinc tranſire illuc, ubi vita eſt, quam nulla contaminet ægritudo! O acerbum, quod Sui relîquit deſiderium! Amiſi ſingularis indulgentiæ Patronum, candoris nivei Amicum, grande mearum fortunarum ſolatium. Quibus ex cauſis neceſſe eſt, tanquam immaturam mortem Ejus in Amici ſinu affatim ceu quadam dolendi voluptate defleam: Si tamen fas eſt aut flere, aut omninò mortem vocare, quâ tanti Viri mortalitas laborioſa finita magis, quàm vita eſt. Vivit enim, vivetq; in æternum atq; etiam ſecurus extra teli jactum conſiſtit, poſtquam è ſeditioſis ſeculi noſtri tumultibus in tempore receſ-*

recessit educente DEO. SCHEFFERUS jam tenet, quod nos persequimur: Fruitur bonis, queîs nos caremus: Coram intuetur, quæ variis imaginibus quandoq; lucis gloriosæ augustiam in pias mentis evibrant. Aditus mortis ipsi fuit brevior, sed hic ipse suffragio felicitatis ornandus, quòd longiora tormenta intercepit. Et ille quidem plenus meritis abiit, charus DEO excessit, in altâ Patriæ tranquillitate abiit: Nobis tamen quærendus ac desiderandus est: Mihi verò præcipuè quod me non vulgariter dilexerit. Sit memoria SCHEFFERI in Pace! Hactenus Amicus. Quod verò mearum erat partium, jam ex induratô hactenus dolore nonnihil respirans pro speciali Totius Academiæ arbitrio Legibus Nostris satisfaciendum adeoq; justa persolvenda sunt beatissimis *Desideratissimi Collegæ* Manibus, qui quicquid temporis caduci fuit, id omne in Creatoris Sui DEI T. O. M. gloriam Proximiq; commodum elocavit: & utut maturè nimis vivere desierit, reliquit tamen, quæ vixisse Eum seris temporibus testantur.

Vitalem ille auram primam in *Imperiali Francofurtô* hausit, anno currentis modò seculi XXXI, die post Calendas Januarii primo ex honestissimô thorô prognatus; *Patre* quidem Amplissimo atque *Excellentissimo Viro* DN. WILHELMO ERNESTO SCHEFFERO *Med. D. atq; Practico* hujus loci Celebratissimo νῦν ἐν ἁγίοις: *Matre* verò URSULA Familiæ *Egerianæ* satis Celebris, omnigenarum virtutum congerie ornatissimâ Matronâ. Prima sollicitorum Parentum cura erat tene-

teneram filii ſui ætatem ita formare, ut in primis flexilitatis annis virtutis imbiberet ideam, cujus odorem per omnem vitam ſervaret: Ergò à primis pueritiæ annis & domeſticæ & publicæ in Patria ſcholæ commiſſus tanta ſuæ indolis dedit experimenta, ut facilè & Docentium amorem ſibi compararet & ſuos ad æmulationem provocaret condiſcipulos. Atq; ita pulchrè per complures annos ex Parentum & Præceptorum votô ſuccedente inſtitutione ad altiora demum animum applicans anno M DC XLVIII. Argentinam abiit, inibiq; per integrum ſeſquiennium *Humanioribus Curſuiq; Philoſophico* ſedulam navavit operam. Abhinc ſingulari & à Majoribus hæreditariò quaſi hauſtâ propenſione *Studio Medico* addictus Anno ſubſequente M DC L. ad *Lipſienſe* Illuſtre primum poſt & *Helmſtadienſe* Lycéum ſe contulit, ut Celebratiſſimi tum temporis D. D. TAPPII informatione frueretur, cujus ſub Præſidiô paulò poſt *publicam de Melancholicâ Deſipientiâ diſputationem* exercitii gratia inſtituit & luculentiſſima ingenii ſui documenta dedit. Quin & in Botanicis, Chymicis, imprimis verò Anatomicis excolendis ſtudiis erat totus & ſuperſtiti, quod Theatrum Anatomicum adhuc dum illuſtrat, *ſceleto*, interveniente Amicorum quorundam adminiculô, æternam ſui reliquit memoriam. Quantos verò in Studiô ſuo Medicô hîc progreſſus fecerit, vel una, eaq; ſincerô & unanimi Eruditorum conſenſu elaboratiſſima *Introductio in Artem Medicam*, multùm hactenus expetita, edoceri poterit, quam ſub *Illuſtris*

CONRINGII Præſidiô à capite ad calcem publicis Diſputationibus maſculè defendit & (quod paulò ante obitum ex ipſiſſimi CONRINGII atteſtatione ſanctè adſtruxit) propriô Marte abſolvit: Quâ ipsâ non minus, quàm *Directorii Moroniani* amplificatione ſummam Sibi Nominis Celebritatem acquiſivit. Tot jam in Academico pulvere exantlatis moleſtiis Chymici tunc admodum famoſi CHRISTOPHORI FAHRNERI gloriâ allectus, ſuam huic per integrum anni decurſum manum commodavit & operam, nec pœnitendos inde fructus conſecutus eſt, quin indefeſsô labore abſconditos Secretioris Chymiæ receſſus inquirendo, tantam in rebus his ſcientiam eſt indeptus, ut non ænigmaticas modò ADEPTORUM Strophas facilè odorari, ſed & aliis Illuſtris quoq; Stemmatis Artis hujus Amatoribus aliquoties illîc à conſiliis fuerit. Abſolviſſe jam videbatur Studiorum ſuorum & Eruditionis Stadium, quod annis benè multis hactenus indefeſsò decurrerat, ita quidem, ut, ſive doctrinam ſpectes, ſive morum vitæq; elegantiam, ſufficienti utrobiq; ſatisfactione Patriæ potuiſſet inſervire: At ſublimioris longè indolis erat SCHEFFERI Noſtri animus, quàm ut Soli Germaniæ circulo, tanquam ergaſtulo ſe includi paſſus ſit. Quin Exterorum artes & ſcientias curioſè ambiens, *iter* haud contemnendum per *Utrumq; Belgium* Univerſamque *Galliam* iniens atque Celeberrimorum quorumvis Medicorum familiaritate uſus, non rerum tantum Medicarum, ſed (queîs abundè gaudebat) Naturalium pariter

ter

ter tantam Sibi copiam acquiſivit, ut in integrum ſucceſſivè *Muſæum Curioſum* triplici Naturæ regnô ditiſſimum excreverint, adhucdum conſpicuum. Peractô ſic itinere nihil amplius ſupereſſe videbatur, quàm ut *Honores Doctorales* pro publicô dudumq; promeritô laborum ſuorum Studiorumq; redhoſtimentô reportaret, quos *Anno 1659.* in reditu ſuo Heidelbergæ ab Antiquiſſimâ Academiâ Palatinâ, habitâ prius eleganti *de Pædarthrocace ex variolis Diſputatione Inaugurali*, lectioneq; curſoriâ communi Patrum Conſcriptorum applauſu eſt indeptus, Pileum & Infulas offerente *Celeberrimo* quondam JOHANNE CASPARO FAUSIO *Med. D. & Profeſſore Primario.* Domum verò rediens in eô erat totus ut Artis & Scientiæ ſuæ feudum in honorem DEI T. O. M. & ægrorum ſublevamen elocaret, futuræq; *Praxeos* fundamenta jaceret, uberrimam hîc occaſionem adoriens ex diffuſiſſimâ, quâ tum occupabatur DN. Parentis Praxi, cui ſenio jam confecto per integrum quinquennium ad ægri lectum crebrisq; ad vicinos excurſionibus fidas ſemper atq; filiales ſuppetias ferebat. Tandem verò ex ineffabili DEI Omnipotentis Providentiâ Parentumq; Conſiliô feliciſſimâ matrimonii copulâ ſibi junxit Lectiſſimam tunc & omni virtutum genere Decoratiſſimam Virginem, Viduam modò & Matronam Nobiliſſimam MAGDALENAM ELISABETHAM ex Egregiâ *Braungartianâ* Familiâ oriundam, qua cum in XXIII^um, & quod excurrit, annum pacificô omninò & laudabili vivens

conjugiô *V. Liberorum Parens*, unicæ ſc. filiæ, quatuorque filiorum particeps factus, quos inter nonniſi duo usquedum in vivis ad avitam Parentum Suorum & Anteceſſorum gloriam ſenſim adoleſcunt, SCHEFFERIANI NOMINIS Celebritatem, ſub immortalibus Beatiſſimi Domini Parentis cineribus tantisper gliſcentem luculentiori poſthâc flammâ alituri ſunt. Interim vivit poſt funera virtus, nec unquam animô cadent Candidiſſima SCHEFFERI præcordia iis, qui Ejus aut feliciſſimam in medicando manum, aut infucatæ ſinceritatis amicitiam ſunt experti, cujus utrobique manifeſtiſſima reſtant argumenta: *Illîc* quidem tot Principum, Perſonarumque Illuſtrium deſideria, qui oblatis iteratò Stipendiis ſat opimis Honoribusq; ſublimibus vitas Suorum atque Aulas Illi tanquam Archiatro concredere non dubitârunt: *Hîc* verò diffuſiſſimum, quo non in universâ modò Europâ, ſed extremâ quoque Indiâ inclaruit literarum commercium, quod in ſummis habebat deliciis. Spiſſò indies agmine *(oculatus teſtor)* advolabant literæ Virorum proh qualium! Dies me deſereret, ſi ſpecialem eorum mentionem facere ſuſtinerem, quis enim omnium recordabitur? Juvat tamen paucorum meminiſſe: Habebat *in Germaniâ* Sibi devinctiſſimos FEHRIOS, VOLCKAMEROS, MAURITIOS, MENZELIOS, MAJORES, FRANCOS, SCHRöCKIOS, DOLÆOS, REISELIOS, FüRSTIOS, PECHLINOS &c. &c: *In Livoniâ* WITTIOS: *In Angliâ* KOHLHANSIOS: *In Italiâ* PATINOS:

TINOS: *In Indiâ* CLEYEROS & quos non?
Tantis placuisse Viris non infima laus est!
Unde factum, ut non iteratis modò vicibus in *Augustæ* S.R.I. ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM *Adjunctum* sollicitatus, sed & *Celebratissimæ* RECUPERATORUM SOCIETATIS *in Italiâ* membrum ultrò constitutus fuerit, quam utramq; Spartam, si quis alius, exornavit egregiè.

Et hæc quidem Virtutis & Celebritatis Beatissimi SCHEFFERI periodus est. Pietatis verò & Christianæ constantiæ clarissima testimonia è beatô Ejus obitu & εὐθανασία non una exsurgunt. Conflictabatur Collegarum Optimus cum *Febri Petechiali Malignâ* per contagium haustâ, quæ quidem initio occultè serpebat & vix quàm rudera quædam lassitudinis (ut ita loquar) naturalis ex continuâ Praxeos defatigatione obortæ simulantia, adeò quidem, ut à primô Morbonæ insultu per integrum adhuc octiduum ægros sibi concreditos sedulâ indies visitatione fidelissimoq; consilio nullibi deseruerit, cum maximo licet vitæ salutisq; temporalis dispendio. Latebat enim anguis in herbâ & per cuniculos agens ægritudo sensim crescebat eundo, donec ipsissimo (quod notatu fortè dignum) natali die, qui secundus erat Januarii, apertô Marte insultaret Eundemq; paulò post lecto prorsus affigeret. Horribilia statim se prodebant symptomata, quæ vel ipsi ægro, tragœdiæ hujus non ignaro, spem maximè dubiam faciebant, utut hæc Domesticis ferè dissimularet, ne terrorem illis incute-

cuteret atq; ſatis jam afflictis afflictionem augeret. Adſtanti verò Medico tacitè in aurem inſuſuraſſe novi verba: *ah! malignitas adeſt!* heu quam maligna! Vomitus ſcilicet continui, vigiliæ, anxietates nocturnæ, virium ſumma proſtratio, appetitus dejectio totalis, deliria, æſtus interni aliaq; ſe confertim ſequebantur mala, omne remediorum genus prorſus reſpuentia, utut tam propriâ, quàm aliorum experientiâ illis maſculè iverit obviam. Tantô enim furore æſtuabat illa febris, ut & Medicum, quem è viciniâ Sibi acciverat, haud multò poſt parili fatô enecarit. Cùm itaq; heîc Medicantium artem vix valere æger conſpexiſſet, ſeq; ad vitæ hujus caducæ exitum vocari ſignis haud dubiis conjeciſſet, animæ imprimis curam habendam eſſe ſaluberrimo inſtituto decrevit, accerſitoque ad ſe Sacrorum Antiſtite DN. D. SPENERO, *Theiologo Devotiſſimo*, poſtquam peccatorum ſuorum & rogaſſet & impetraſſet veniam DEO Suo, in cujus manu & vitam & mortem repoſitam ſciebat, ſe totum commiſit, confiſus quicquid de ſe Divina tandem decreviſſet Bonitas, in exoptatum Sibi finem ceſſurum. Quâ ſpe ad Chriſtum Soſpitatorem ſuum directa conſtantiſſimè permanſit, donec *X. Januarii die Anni M DC LXXXVI. circa ſecundam matutinam* animam DEO redderet & inter ardentiſſimas preces creberrimaq; Adſtantium ſuſpiria piè atque placidè è terrenâ ad cœleſtem vitam emigraret, poſtquam annum in hac mortalitate LV. compleviſſet. Sic *inſerviendo aliis ipſimet conſumimur*, quæ ultima verba ſunt,

queîs

f.198. app




Fig: 9.

Fig: 10.



queîs inter Cherubinos Angelorum Cœtus jam triumphans Amicus mihi valedixit, ah præmaturè nimis valedixit! Interim prorogavit magis dies ſuos, dum quicquid temporis caduci fuit, virtute ſupplevit, cœleſti nunc gaudio perfuſus. VOBIS autem Per-Illuſtres S.R.I. ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM *Proceres & Collegæ Honorandi*, VOBIS, inquam, *Beatiſſimi* SCHEFFERI Manes hac vice ultimum dicere vale Suique memoriam inſimul Honorificam recommendare videntur, cujus ſummam, quâ Totius Societatis incrementa venabatur, induſtriam, candorem & ſinceritatem illi nôrunt, qui intus illum & in cute unquam agnoverunt. DEUS verò TRINUNUS, qui ab æternô fuit, eſt & erit in omnia Seculorum complementa deplorandum, quod, ex maturato *Beatiſſimi Collegæ* diſceſſu, ſenſimus diſpendium, inexhauſtâ Bonitatis Suæ Gratiâ reſarciat & *Societatem laudatiſſimam*, non vanæ fortè gloriæ vel turpis lucelli gratiâ, ſed mero Divinitatis honore Proximique commodo ſuffultam curæ Sibi cordique eſſe ſinat, Eosque omnes & ſingulos, qui in hodiernum usque diem pro ulterioribus Ejusdem acceſſionibus indefeſsò militant, in ſeram usque poſteritatem clementiſſimè conſervet! FIAT! DEUS BONE FAXIS! FIAT. *Valete* in DOMINO. *D. Francofurti Calendis Februarii Anno M DC LXXXVII.*

IN

I.

IN EFFIGIEM
Excellentißimi
DN. SCHEFFERI,
Mœno-Françofurtani Medici.

SEBASTIANVS SCHEFFERVS, Medicinæ Doctor, dictus Perseus secundus, in Academiâ Nat. Curios.

Ἀναγραμματικῶς.

Machaon es, fidus, accuratus, & eja benedictus: Cordatis enim feres spes secundas jucundior.

QVem Genus & Pietas, qvem dexteritasque medendi
Qvem Candor, Probitas Scribtaque docta manent,
SCHEFFERI en vultum! qvam pagina pauca præumbrat
Nescia mens pingi splendidiora patrat!

Fautori Cordato, Amico Incomparabili f. l. m.

Georgius Francus, Med. & Ph. D. P. P. Universitatis Heydelbergensis, Procancellarius, Fac. Med. Senior, Archiater Badensis, Acad. S. R. I. Nat. Curios. Argus, & Ital. Recuperator. Collega, C. P. Cæs.

D. M. S.


Natus
SEBASTIANUS SCHEFFERUS
MŒNO. FRANCOFURTENSIS, MEDIC. DOCTOR
Corpus et oris honos et gratia transiit omnis
Hæc tamen hic functi nobilis umbra manet.
Adjuncti Superis, postquam nos ille reliquit.
Naturæ Dominum nunc sine fine videt.
P. Ioh. Georg Volckamerus Med. D. Praeses Nat. Curios.
P. 100.
Norib.



II.

D. M. S.

EHEV. NOS. MISEROS!
QVAM. TOTVS. HOMVNCIO. NIL. EST!
NASCIMVR. CVM. FLETV.
ADOLESCIMVS. CVM. METV.
SENESCIMVS. CVM. GEMITV.
VITA. NOSTRA. QVANTVLA. AVT. QVANTA. EST.
VEL. NVLLA. EST. VEL. BREVISSIMA!
ÆTERNA. TAMEN. TVA. ERIT.

CELEBERRIME.

SEBASTIANE SCHEFFERE.

ΠΟΛΛΩΝ. ΑΝΤΑΞΙΕ. ΑΛΛΩΝ.
TV. NON. SOLVM.
ΠΑΙC. ΙΗΤΡΩΝ. *SOLLERTISSIMVS.*
SED. ET. MACHAON. FELICISSIMVS.
ET. ALTER.

FRANCOFVRTENSIVM.
APVD. MOENVM.
AESCVLAPIVS.

TV. PIETATE. IN. DEVM. MAGISTRATVM.
ET. PARENTES.
TV. CARITATE. IN. VXOREM. ET. LIBEROS.
TV. FIDE. IN. PATRONOS.
TV. CANDORE. IN. AMICOS.
TV. AMORE. IN. OMNES. PROBOS.

IN. TERRIS. INCOMPARABILIS.
BEATVS. IN. COELIS.
TE. NATVRA. COLIT.
FIDVM. INTERPRETEM. ARCANORVM.
TE. MEDICINA. MYSTAM.
SVORVM. SACRORVM. SACRVM.
TIBI. SANI.
SOSPITATORI. CORPORVM.
TIBI. ÆGRI.
LIBERATORI. MORBORVM.
NON. VNVM. GALLVM.
DOMESTICI. TE. COLVERVNT.
EXTERI. ADMIRABANTVR.
POSTERI. SVSPICIENT.
ÆTERNVM. HAVE.
ANIMVLA. TER. BEATA.
ANEMONES. ROSAS. AMARANTHOS.
TIBI. IONATHANI. OCVLISSIMO.
MIHIQVE. NVNQVAM. RECONCILIATO.
AD. TVMBAM. SPARGO.
TVM. VIVEBAS. CORDI.
DVM. MORERIS. TVÆ. FAMÆ. FAMILIÆQVE.
CONIVNCTISSIMVS. DAVID.
GEORGIVS. FRANCVS.

Qualis

Θ!

QValis per altas Cœlicolûm domos
Nitore ridet Phoſphorus aureus,
Prænuncius Tithoni amœnæ
Conjugis, atq; fugat ſopores:

Talis per Orbem fulſerat hactenus
Intaminatis NOSTER honoribus
SCHEFFERVS, almus Stator Artis
Pœoniæ, & columen ſalubre.

Vel FRANCOFVRTVM NOBILE teſtis eſt,
Et mille, qvos vel dira febricula
Exercuit, vel qvos caducus
Torſerat error ad atra naula.

Aſt hic Machaon præcipiti nece
Jano reverſo diripitur ſuis,
Nobisque, qvi carum dolemus,
Diffluo fletibus ipſe totus.

Sed lacrymarum ſit ſatis, exiit
E valle triſti ad læta palatia
Aſtrorum, agitq; inter beatos:
SIC SAPIENS DOMINATVR
ASTRIS!

f.

D. GEORGIVS FRANCVS, Prof. Primar. Vniverſitatis Heidelberg. Pro-Rector & Vice-Cancellar. Facult. Med. Decanus, Diverſs. S.R.I. Elect. & Principp. Archiater, Acad. Nat. Curioſ. & Italic. Recuperatt. Colleg. C. P. Cæſar.

❧ *III.* ❧

PErſeus *aſtra tenet, felix ſpoliisq; Meduſæ*
ſplendet, & optatæ jungitur Andromedæ.
Perſeus *eſt nobis major, memorabile cujus*
tot meritis nomen Pallas ad aſtra tulit.
Quàm felix vitam, ſuperatâ morte, perennem
Cœlicolas inter Perſeus *aſtra tenet!*

Hisce
acerbiſſimam jacturam
Amici ſui & Collegæ deſideratiſſimi
demulcere voluit
Auguſtæ Vindelicorum
Lucas Schröckius, LVC. fil. Med. D. Coll. Med. Auguſt. h. t. Decanus, & Acad. Nat. Curioſ. Adjunctus,

SCHEF-

IV.

SCHEFFERUS Medicis quondam Venerabile, Nomen
Artis Apollineæ ſumma Columna cadit!
Aſt quid dico cadit? minimè cadit hæcce Columna
Quin potius nunc eſt Vera Columna Poli.

Ita Beatiſsimis Illuſtris DN. SCHEFFERI Manibus valedicere atq; celeberrimum Ejus nomen æternitati conſecrare voluit

Joh. Dolæus, Med. D. Conſiliarius & Archiater Haſſo-Caſſellanus & Acad. Germ. Cur. Coll.

V.

SIc SCHEFFERE Tuum malefida reſtinguit amorem,
Febris, & in calidis æſtuat intus aqvis,
Sic ſervire ſtudens aliis conſumeris ipſe
Morteq; præpropera ſoſtra parata refers.
Soſtra parata Tibi lætiſsima jubila Cœli
Teq; manet fidei certa Corona Tuæ.

Hæc Illuſtris DN. PERSEI II, Amici ſui & Collegæ deſideratiſſimi memoriæ nunquam intermorituræ conſecrare voluit

Mich. Bernhardus Valentini, d. Theſſalus.

VI.

CLarus in arte ſuâ Medicus lugetur, opinor
A multis, ob opem, qvam tulit ille Viris.
Si vitâ defunctus abit, ſi lumina claudit:
Quæ laus SCHEFFERI nuper honosq; fuit.
Juſtius à nobis ſedenim deflebitur idem
Ob plures animi, qveis erat auctus, opes:
Vir priſci candoris amans, veriq; ſatelles,
Vir pius & juſtus propoſitiq; ferax.
Rari quippe boni, ſed dum ploramus ademptum
Dives in æthereis ridet ovatq; bonis.

Ampliſsimi & Nobiliſsimi Dn. Adjuncti, Collegæq; præmaturam abſentiam ita luxit

Joh. Georgius Volckamerus Med. D.
Helianthus II.



INDEX

INDEX
Ephemeridum S. R. I. Acad. Nat. Curiof.
Decur. II. Anni V.

B.

D.

E.

F.

G.

Gemelli

H.

N.

Papillae ... in Infante. 292 ... sey.

Q.

R.

Rubrum

T.

F I N I S.



Errata graviora, quæ Lect. B. haud gravatim corriget.

PAg. 3. lin. 20. degluti- l. 21. Borussico. p. 4. l. 14. riorem capiat. p. 5. l. 3. absorbeatur. l. 4. opinatur. *adde* de his a. vicissitudinibus multùm remisit hodie lacus iste, uti in rebus naturalibus subinde accidit. l. 16. generarentur. p. 7. l. 11. stetit. p. 8. l. 18. *adde Cervo* corde. p. 18 l. 3. acinacis. p. 35. l. 9. *adde* non. p. 85. l. 12. odore. p. 87. l. 31. rodentem. p. 103. l. 14. acidas. p. 117. l. 10. augmentis. p. 165. l 3. dignoscenda. p. 174. l. 20. nervorum plexus. p. 180. l. 33. 34. venis portæ quoque. p. 182. l. 29. defecatior. p. 225. l. 33. polliceor. p. 231. l. 1. & 15. Aranearum p. 232. erga. p. 238. l. 27. he- p. 240. l. 18. desinit. l. 20. suppressus. l. 29. occubuit *Marenschalkia* Plettenburg &c. p. 277. l. 11. Autumni. l. 27. tumore. p. 278. l. 10. prostatæ. p. 300. l. 27. testas. p. 308. l. 21. fila sericea. p. 324. l. 15. dele Tria saltim &c. *omnia, usque* relictis. p. 326. l. 12. feriebat. p. 349. l. 10. medicatas. p. 358. cautam. p. 359. l. 4. incomprehensibiles. p. 360. l. 9. dependent. p. 374. l. 3. nascuntur. p. 380. l. 21. adcuratam. p. 305. l. 12. incenso. p. 394. l. 20. pugnum. p. 397. l. 20. lora. p. 399. l. 5. ingenuè. p. 407. l. 11. sulphureos. p. 416. l. 10. diditur. l. 13. orbata. l. 19. ex radice. p. 438. l. 18. Monachos. p. 468. l. 28. in mucronem. p. 469. l. 5. solet.